UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

urn:nbn:de:hbz:466:1-12945

Visual Library

Z. VII. 14.

X. IX
8.

Pr. 5949.

Z 107.

Ex legato Celmi Principis Ferdinandi
Episcopi Paderb: et Monasterii
Anno 1683.

Collegii Societ. Jesu Paderb.



M. F. QUINTILIANI INSTITUTIONES ORATORIÆ, ET Quæ adjungi solent.

LUGD. BATAV. ET ROTEROD } Ex Officina HACKIANA, 1665.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. FABII QUINTILIANI
INSTITUTIONUM
ORATORIARUM
LIBRI DUODECIM.

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti.

Accesserunt huic renovatæ editioni

DECLAMATIONES, quæ tam ex P. PITHOEI, J.C. Clarissimi, quam aliorum Bibliothecis & editionibus colligi potuerunt.

Cum TURNEBI, CAMERARII, PAREI, GRONOVII, & Aliorum Notis.

Cum Indice locupletissimo, tam in Textum, quam Notas.



Valde rarus. Eb. 18463.

LUGD. BATAV. ET ROTERODAMI. } Ex Officinâ HACKIANA.

cIↃ IↃ C LXV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

EX

ANGELI POLITIANI PRÆFATIONE

IN

M. FAB. QUINLILIANI

INSTIT. ORATORIAS.

QUINTILIANUM vero non nos quidem illum Ciceroni prætulerimus, sed has certè ejus oratorias Institutiones Rhetoricis Ciceronis libris plenioresuberioresque esse existimamus: nempe quę ab ipsa quasi infantia, atque ipsis incunabulis instituendum oratorem susceperint, summamque ejus eloquentiæ manum imposuerint. Itaque ne ipse quidem Cicero satis, quæ de arte oratoria scripserit, probasse omnia videtur. Nam & Rhetoricos libellos, in iis qui de oratore sint, haud usquequaque sequitur, & rudes inchoatosque adolescenti sibi excidisse è manibus affirmat, & ab his ipsis de Oratore in alio ad Brutum libro identidem desciscit: neque in hoc quoque, quem extremum absolverit, ulla de arte præcepta ponit, sed oratorem quasi ipsum informat, &

quod dicendi sit optimum genus, decernit. Ergo ut philosophi nostri non, cum in primis Aristotelem sequantur, statim illum Platoni anteponunt, ita nos quod Quintilianum quam Ciceronem interpretari maluimus, non quidem Ciceronis sacrosanctam illam gloriam detrectavimus, sed ad Ciceronem festinantibus vobis egregie consuluimus. Hæc igitur & de Quintiliano nostra ratio fuerit. Sed neque inusitatas vias indagamus, cum veterum libros autorum in manus sumpserimus, qui tamen si minus in usum consuetudinemque hominum aliquot jam ante seculis non venerunt, non tam ipsorum culpa, quam fortunæ ac temporum injuria effectum est. Quid enim nunc attinet superiorum calamitatem temporum memoria repetere? quod sine summo dolore facere vix pie possumus, quibus insignes illi, atque immortalitate dignissimi scriptores, partim à Barbaris cæsi, fœdeque laniati sunt, partim ab his ipsis ad nostrorum usque parentum memoriam velut in carcerem conjecti, atque in compedibus habiti, vix tandem aliquando, sicut erant semilaceri atque trunci, multumque à seipsis immutati, suam hanc in patriam revertunt. Perquam igitur inhumanum facinus à nobis fieret, si de nobis, deque majoribus nostris optime meritos insigneis hos viros, dudum deposita capitis diminutione, jure postliminii civitatem repetentes, non vel quamlubentissime agnoscamus, atque in ipsam, quæ his maxime debet, latinitatem, suam in rempublicam, suum in ordinem,

dinem, atque adeo intra privatos parietes noſtros, intra noſtrum ſinum benigne admiſerimus. Quod quidem ſi me nunc primum autore adipiſcentur, cur mihi tandem id vitio vertatur, aut cur non ſumma potius gratia ab omnibus habeatur, quod quaſi mea privata pecunia publicum omnium æs alienum diſſolvere non dubitarim? Poſtremo ne illud quidem magnifecerim, quod horum ſcriptorum ſeculo corrupta jam fuiſſe eloquentia objiciatur. nam ſi rectius inſpexerimus, non tam corruptam atque depravatam illam, quam dicendi mutatum genus intelligemus. Neque autem ſtatim deterius dixerimus, quod diverſum ſit, major certe cultus in ſecundis eſt, crebrior voluptas, multæ ſententiæ, multi flores, nulli ſenſus tardi, nullâ iners ſtructura, omninoque non tantum ſani, quin & fortes ſunt omnes, & læti & alacres, & pleni ſanguinis atque coloris. Quapropter ut plurima ſummis illis ſine ulla controverſia tribuerimus, ita priora in his aliqua, multoque potiora exiſtere jure contenderimus. Itaque cum maximum ſit vitium, unum tandem aliquem ſolumque imitari velle, haud ab re profecto facimus, ſi non minus hos nobis, quam illos proponimus, ſi quæ ad noſtrum uſum faciunt, undique elicimus, atque (ut eſt apud Lucretium)

Floriferis ut apes in ſaltibus omnia libant,
Omnia noſitidem depaſcimus aurea dicta.

Atque hoc profecto eſt, quod cum diu Marcus Cicero Atticis illis limatis & emunctis oratoribus

bus operam dediſſet, poſt illa tamen & Rhodiis & Aſiaticis oratoribus aures commodavit: quorum lenti illi quidem, atque remiſſi: ii vero inflati, vani, atque jactantes: utrique vero minores Atticis, quaſique ab iis degenerantes exiſtimarentur. Itaque egregie nobilis pictor, qui cum interrogaretur quonam in primis magiſtro profeciſſet, illo, inquit, populum intuens, & recte id quidem. Nam cum nihil in natura hominum ſit ab omni parte beatum, plurium bona ante oculos ponenda, ut aliud ex alio hæreat: & quod cuique conveniat, aptandum eſt. Eſt autem Quintiliano propoſitum, oratorem eum inſtituere qualem fuiſſe neminem memoriæ ſit proditum: qui & moribus perfectus, & omni ſcientia omnique dicendi facultate ſit abſolutus. Quapropter qui tantæ moli ſit deſtinatus, eum recens natum, quaſi de matris gremio ſuum in ſinum continuo accipit, nihilque ſibi reliqui facit, quod quidem ad educandum, erudiendum, informandumque illum pertinere intelligat, nunquam à ſe ante dimiſſurus, quam cum vivendi, ſciendi, dicendique omnibus numeris perfectum atque abſolutum, planeque oratorem ſummum ſingularemque reddiderit. Atque ad hunc unum terminum, omnes non ſuas modo: ſed omnium, ut quique probatiſſimi forent, veterum ſcriptorum ſententias, omniaque præcepta quaſi ſagittas in ſcopum rectiſſime collimat. Ac de intentione hactenus. Utilitas autem tanta in his voluminibus exiſtit, quantam vix fortaſſe in unius alteriuſve

teriusve ex omni Græcorum Latinorumque copia inveneritis.

Marcus Fabius Quintilianus, ex Hispaniæ oppido Calaguriæ, maxime propter obsessum in eo Sertorium insigni, Nerone imperante, à Galba (qui & ipse deinde imperator fuit) Romam adolescens admodum perductus est. Patre autem, quantum colligimus, cum erudito viro, tum in reipublicæ tuæ administratione honestissime versato, usus est. Ipse cum in ea tempora incidisset, quibus & Annæus Seneca, & Julius Africanus, & Vibius Crispus, & Tracallus, & Afer Domitius, aliaque Romanum forum præclarissima ingenia illustrarent: Domitium in primis senem jam colendum sibi affectandumque proposuit, hominem cum omnium ejus ætatis oratorum eminentissimum, tum præcipua quadam facetiarum atque urbanitatis laude memorandum, neque illius solum actiones, verum & domesticos sermones diligentissime omnes observavit. Amavit etiam familiarissime æqualem suum Julium Secundum, miræ facundiæ miræque gratiæ virum: cui tametsi properata mors injuriam fecit, magnum tamen is quoque inter laudata ingenia sibi locum vindicat. Cum vero & probatissimis moribus, & summa ingenii vi, & acerrimo studio Quintilianus esset, prima statim juventa celebrare forum, atque in summis patronorum numerari occœpit: ad eamque virtutis & ingenii commendationem repente pervenit, ut non solum maximæ quæque ad illum caussæ deferrentur, sed

& notarii qui ejus dicentis verba exciperent, vulgo à ſtudioſis hominibus conducerentur. Quotiens vero cum aliis agebat, omnium non ſolum conceſſu, ſed & conſenſu fere ab ipſo ponendæ cauſæ initium exigebatur. Primam vero actionem juvenili quadam cupiditate gloriæ ductus, eam emiſit, quæ Nævii Arpiniani cauſam continebat, in qua quæſitum fuerat, præcipitatane eſſet ab illo uxor, an ſe ipſa ſua ſponte jeciſſet. Inter cæteras autem quas egit cauſas Quintilianus, duæ in primis inſignes habentur: altera, quam pro regina Berenice apud eam dixit: altera, qua ream tuebatur, quæ ſubjeciſſe dicebatur mariti teſtamentum, & chirographum marito expirante hæredibus dediſſe: quod verum erat. Nam quia per leges inſtitui uxor non poterat hæres, id fuerat actum, ut ad eam bona per hoc tacitum fideicommiſſum pervenirent. Et caput quidem quæri facile erat, ſi hoc diceret palam, ſed pariebat hæreditas. Ita ergo figurate cauſam egit, ut judices illud intelligerent factum, delatores autem non poſſent apprehendere ut dictum: idque cum maxima Quintiliani laude utrunque contigit. Verum præter ingenium, quod in illo fuit eminentiſſimum, tantam etiam vim concipiendarum imaginum, quas phantaſias vocant, habuiſſe accepimus, ut frequenter ita motus ſit, ut non ſolum lacrymæ illum, ſed & pallor & vero ſimilis dolor deprehenderent. Sed cum diu jam in foro tanto ſucceſſu tantaque gloria verſatus foret, ut inde non ingenteis modo opes, ſed &

Roma-

Romanam civitatem, omniaque nobilitatis jura consequutus esset, & jam maximus (ut Juvenalis inquit) orator haberetur, honestissimum sibi agendi causas finem statuens dum adhuc desideraretur, receptui cecinit, suamque mox operam, vir proculdubio hominum causa natus, ad præcipiendi munus transferre coactus est. Quo loco adnotandum nobis est primum omnium, Quintilianum Romæ publicum juventutis gymnasium, & è fisco eximium stipendium accepisse: multique ex ejus ludo quasi ex equo Trojano literatorum proceres extiterunt, inter quos & Plinius ille junior fuit, qui etiam in epistolis Quintilianum præceptorem suum libentissime agnoscit: & Juvenalem item fuisse (ut quidam arbitrantur) maxime verisimile est, qui de illo his verbis honorifice mentionem facit,

—— *Unde igitur tot*
Quintilianus habet saltus? exemplanovorum
Fatorum transit: felix & pulcher, & acer,
Felix & sapiens, & nobilis & generosus,
Appositam nigræ lunam subtexit alutæ.
Felix orator quoque, maximus & jaculator.
Et si perfrixit, cantat bene.

Erat autem in eo præter cætera adeo exprompta fidelisque memoria, ut quæ ex tempore aliquando dixisset, ad verbum etiam repetita redderet: cujus rei sæpissime periculum fecit, si quando interventus aliquorum qui hunc honorem merentur, iterare declamationis partem coëgisset.

Post-

Postquam vero in erudiendis juvenibus viginti annos tanta sua gloria tantaque juventutis Romanæ utilitate posuit, ut ab ingeniosissimo Latinorum epigrammatum poëta & vagæ juventutis moderator, & Romanæ togæ gloria vere meruerit appellari: etiam hunc laborem deprecatus studiis aliquando suis quietem impetravit: atque ut non solum ætatis suæ hominibus, sed & posteris quoque consuleret, totum illud ocium ad hos de oratoria institutione libros componendos transtulit: quorum cum tertium jam manibus volumen haberet, Domitianus Augustus curam illi sororis suæ nepotum delegavit. Uxorem prætorii viri filiam, omnes quæ in fœminam cadunt laudes (ut ipse inquit) supergressam, quum nondum ætatis undevigesimum explesset annum, duos enixam filios, amisit. Quorum alterum quintum jam annum egressum, miræ gratiæ, jucunditatis, ingeniique puerum, deflevit extinctum. Alter autem sui nomen parentis referens, jamque ætatis decimum egressus annum omnibus etiam quas vix illa capiat ætas, corporis animique laudibus cumulatus, & consulari nuper adoptione ad omnium spes honorum prius admotus, atque avunculo prætori gener destinatus, & omnium spe sacris eloquentiæ candidatus, quum octo mensium valetudinem perpessus esset, infelici parenti hos ipsos etiam in pueri usum elucubranti libros, alterum orbitatis vulnus inflixit. atque hunc suum casum in horum librorum sexto vir pius, sed omnium suorum superstes,

ſtes, miſerabiliter delamentatur. Hos autem qui nunc in manibus noſtris libri verſantur, Victorio Marcello cum ſumma ſibi amicitia conjuncto, tum eximio ſtudiorum amore flagranti, dicavit: de quibus, id quod de Carthagine Salluſtius ait, ſilere ſatius puto, quam pauca dicere. Ferebantur autem & alii duo ſub Quintiliani nomine libri artis rhetoricæ, neque editi, ut ipſe inquit, à ſe, neque in hoc comparati. Nam alterum ſermone per biduum habito, pueri quibus id præſtabatur, exceperant: alterum pluribus ſane diebus, quantum notando conſequi potuerant, interceptum, boni juvenes temerario editionis honore vulgaverant. Hos deinde compoſuit, in quibus eadem ſunt aliqua, multa mutata, plurima adjecta. Fuit enim in homine, ut in nullo unquam ingenuus quidam animus. Itaque omnia in his libris ſedulo præcipit, & omiſſo interdum ſpecioſiore ſtyli genere, ad utilitatem ſe diſcentium ſummittit: omniaque in iis quæ ſecutus ipſe eſt, quæ partim præceptis, partim ratione cognoverit uſurpata, ſine ulla diſſimulatione promit. Sed neque veterem prorſuſque vulgatam opinionem ſuam damnare ipſe in his libris eſt veritus, neque in tanta re homo candidiſſimus conſcius eſſe ſibi diſſimulanti in ulla parte judicii ſui ſuſtinuit. Præter hos autem, & unum librum de cauſis corruptæ eloquentiæ, & alterum item, qui nunc quoque extat, declamationum compoſuit. Miro autem candore veterum ingenia virtuteſque omnium indicavit. Se-

necam

necam tantum damnare, inviſumque habere eſt creditus: quod accidiſſe ſibi ipſe ſcribit, dum corruptum & omnibus vitiis depravatum dicendi genus revocare ad ſeveriora judicia contendit. Nam cum ſolus fere Seneca in manibus adoleſcentium foret, non quidem ipſum omnino conabatur excutere, ſed potioribus præferri non ſinebat. Hactenus quæ mihi de Quintiliano comperta ſunt.

Doctiſſ.

Doctiss. Humanissimoque Viro,

D. PETRO CASTELLANO,

Tutelensium Episcopo, anagnostæ Regio,

PETRUS GALANDIUS

S. P. D.

SÆpenumero mirari soleo, *Antistes ornatissime, cur in tanta præclarorum ingeniorum multitudine, tanta bonorum auctorum luce, qui quotidie novo splendore prodeunt, tam pauci cum in cæteris artibus summis, tum præcipue in eloquentia, admirabiles existant. Ac possit aliquis jure quodammodo in aliis reconditioribus disciplinis linguæ Græcæ ignorantiam prætexere, cum ad hanc diem Latina fere sola nobis in usu fuerit, & qui disciplinas eas tradere sunt aggressi, tam procul à vera Græcorum methodo abfuerint, ut nulla eos propinquitate contingere videantur. Nam & plurima aliena fide miscendo Plinius, centones interfeciſſe, & de medicina loquens Celsus, latine quidem, temere tamen multa pronuntiasse, & quod ait Persius, corvos passim secutus dici potest: & hoc præstare philosophi Seneca, quod vitia strenue & Stoice insectetur. Porro Ciceronem constat in eo genere ad Platonis æmulationem per dialogos philosophiæ frusta quædam ab aliis tractata concinnasse ad pompam potius & splendorem, quam ulla methodi commoditate institisse. Eloquentiam vero, rerum, ut Euripides ait, reginam, à nobis in hodiernum diem turpiter neglectam, quo ore excusabimus? Ea enim non poëtis & historicis modo, quibus Græcis pares esse facile possumus, verumetiam Ciceronis immortalibus orationibus, & ad eam via perveniendi ejusdem & Quintiliani præceptionibus certissima, tam ad vivum expressa est, ut non æquatam hac parte Græciam solum, verum etiam longissimo intervallo superatam existimem. Nam cum tenui, medio, & sublimi, tribus dicendi generibus, quæ nobis docere, delectare, movere, tria oratoris officia referunt,*

universa

universa contineatur eloquentia: iis ita omnibus ubertim efflo-ruit Cicero, ut non modo qui in horum singulis excelluerunt apud Græcos plurimi, verumetiam Demosthenem ipsum, cui hæc laus uni tanquam principi tribuitur, facile, præcipuis in eloquentia rebus anteverterit. Nam ut cum eo Demosthenes docendi diligentia, atque omni inveniendi acumine paria fece-rit, ornatu tamen & salibus, commotionisque & commisera-tionis vehementia cedat necesse est. Jam vero de præceptis viam ad eloquentiam communientibus si sermo instituatur, quis Græcorum de Rhetorica libros magna superstitione atque ambitione ad ingenii ostentationem comparatos, cum Cicero-nis & Quintiliani politissimis scriptis, quæ nihil supervacui, nihil impediti, nihil non ad artem pertinentis complectuntur, comparaverit? Et sane pervulgata quædam rhetorum præce-pta negligens prætermiserit aut breviter perstrinxerit Cicero, viri consularis & in eloquentia eminentissimi servata dignita-te: quid in Quintiliano, vivo quodam præceptionum omnis generis exundante gurgite, quod vel ad mores, vel ad docen-tis discentisque, utilitatem pertineat, desiderare possis? Quo magis Ciceronis quibusdam simiis nihil ejus præter umbram & larvam habentibus, infensus sum, qui Quintilianum proli-xum, & nullo certo docentem ordine clamitantes, de manibus studiosorum excutere meditantur. Cujus mentem, & suscep-tam à principio ad finem instituendi rationem, si intentis oculis acrius intueantur, facile obstinatum in prava sententia animum mutaverint. Tanta enim facundia, diligentia, dex-teritate, industria ab imis fundamentis ad summa fastigia partibus omnibus expressam hanc eloquentiæ architecturam comperient, ut pravis affectibus depositis, facile confessuri sint, nihil in eo genere ne mente quidem & cogitatione perfe-ctius concipi posse. Tradiderunt rhetorica varii cum Latini tum Græci: quorum cum alii tanquam neglectis carceribus metam solam spectarent, elementa, & omnium disciplina-rum studia sine quibus eloquentiæ corpus nullo modo coalescere potest, prætermiserunt. Alii ex difficultate inusitata, nomi-

nis

nis & famæ cupiditate, his flexibus & mæandris rhetorica implicuerunt, ut & Dædali juxta poëtas labyrintho te facilius quam è sinuosis eorum divisionibus explicare queas. Alii ea sermonis inopia & paupertate eadem tradere sunt aggressi, ut non modo non inflammarent ad eloquentiæ studium bene dicendi cupidos, verumetiam deterrerent. Plerique vero cum linguæ atque animi divortium facerent, tam sunt subtiliter de rebus iisdem nugati, ut de moribus, officio, & omni virtutum usu non aliter conticuerint, quam si ea ab oratoris professione alienissima fuissent. Ac Fabius cum fastigia non posse consistere nisi bene jactis fundamentis judicaret, ad ipsam pueri statim nati balbutientem infantiam, & minima quæque, sine quibus majoribus locus esse nequit, demittere sese non recusavit. A nutricibus enim æqualibus, pædagogisque sanctis juxta ac disertis incipiens, cum puerum tanquam gremio fovendum suscepisset, ad præceptorem in schola publica præstantissimum qui non acerbus studiorum exactor sit, sed per lusum & jucundam æmulationem assiduus magis quam vehemens excitator, deducit. Legere, scribere, pronuntiare singulari artificio docet: exercitatione optima & gravissima paulatim ediscendi, memoriam firmat. Ipsius etiam præceptoris officia persequens, ut illi discipuli ingenium explorandum sit: ut ad ejus naturam seipsum accommodare, optimis animum imbuere, mores suos austeritate & comitate temperare, ut alias omnes disciplinas ordine ante rhetorica tradere (quod utinam nostris temporibus negligi, jure queri non possumus) ut professionum discrimen facere, autorumque delectum habere debeat, gravissime præcipit. Hinc rhetorices progymnasmatis breviter percussis, summa ejusdem capita oratione locupletissima discutit, de ipsius utilitate, materia, simul & divisione, totoque genere & substantia. His accedunt ex libro tertio statim scitu perquam necessariæ quæstiones de rhetorices origine & initio, progressu, perfectione, partibus, statibus, quæstionum & caussarum generibus, in quibus inventionis & dispositionis fontes aperiuntur, & hæc quidem tribus primis libris. Qua-

tuor autem sequentibus in partibus orationis ordine quodam doctrinæ faciliori inventionis & dispositionis usum ostendit. Et quamvis dispositionem conjunctam esse velit cum inventione, quam duplicem facit, unam quæ ad docendum, alteram quæ ad affectus movendos pertineat: illam tamen peculiariter libro septimo describit, ubi quotuplex sit, quid sit, quanta sit ejus utilitas, primum in universum, deinde in singulis causarum generibus & statibus prudentissime docet. Elocutionem autem, quod & difficillima & in immensum effusa sit, cui memoriam & pronuntiationem adnectit, ad peculiarem tractationem in quatuor libros sequentes rejicit. Quibus cum quicquid de arte dici potest abunde edisseruisset, cumque ad partes divisionis libro secundo factæ, de artifice, arte, & opere respiceret, ultimo libro qui mores ipsius oratoris, quæ causas suscipiendi, discendi agendique ratio, finisque & quæ post finem studia esse debeant, magna cum dignitate præscribit. Et ne parum alere facundiam & augere vires eloquentiæ posset, si aliorum more præcepta sterilia & nuda traderet, sine ulla subtilitatis affectatione, quæ robur omne naturæ & virtutem artium debilitare concidendo solet bonos medicos, qui cum absynthium propinant, prælito melle poculo fallunt, imitatus est. Ea enim tanto verborum ornatu velut ossa carne operuit, & sententiarum interjectarum gravitate tanquam nervosis toris adstrinxit, tanta sermonis copia, quæ à Cicerone brevitate constricta, rudioribus obscura esse poterant, late persequendo explanavit, ut luce clariora omnia, omnia admirabilia, jucunda, amabiliaque juvenibus reddiderit. Quem si quis objiciat non esse structuræ artificio, compositionisque concinnitate & numeris Ciceroni similem, respondebo, non propterea disertum & eloquentem non esse. An idcirco non habet orationem, quantum in hac præceptorum traditione fieri potest numerosam? Quænam rerum natura est, quæ in eodem genere non habeat complura dissimilia, consimili tamen laude digna. Id nos docent innumerabiles quas auribus atque oculis colligimus voluptates, quæ diversæ nostros tamen sensus ita

delectant,

delectant, ut difficillimum sit judicare à qua maxime afficiantur. Quid Cæsar proprie eleganterque dicere contentus, Plinius, Suetonius, Titus Livius, in quo Pollio patavinitatem notavit, Ciceroni dissimillimi: an propterea non legendi, non in diverso genere suscipiendi? Quanquam in his institutionibus oratoriis, in quibus oratione perpetua uti non potest, minus id à Fabio requirendum erat, quam in ejus orationibus aut declamationibus: quæ si extarent hodie earum loco quæ supposititicæ Quintiliani nomine circunferuntur, quamplurimas virtutes Tullianis proximas in his fortasse animadverteremus. Atque ut quod sentio, exemplo plane familiari patefaciam, tantum utilitatis adferre eloquentiæ studiosis post Ciceronem mihi Fabius videtur, quantum medicinam tractantibus post Hippocratem Galenus. Ne igitur eum qui tos res tam dissipatas & genere distantes, vinculo tamen naturæ quodam inter se colligatas, nec aliter ad eum quem quærimus perficiendum, quam flores & succos diversorum generum ad mellis suavissimum saporem, necessarias in unum tanto facilitatis studio congesserit, perfricta fronte tanquam confusum aut prolixum vituperemus: neque præstantissimorum autorum, quos omnino duos in hoc genere habemus, pernicioſum divortium admittamus: nec vero si nobis terra in Italiam via pateat, mare ad magnas merces importandas accommodatius, intercludamus. Sed ut ad id unde digressa est, nostra revertatur oratio, hanc ego fastidiosam & insolentem quorundam censuram, qui pro Cicerone non aliter umbram ejus, quam apud poëtas pro Junone nubem Ixion, amplectuntur, inter cæteras causam statuo cur tam pauci hodie vere eloquentes evadant: & Ciceronis amore inflammati, cutem summam atque extima quædam lineamenta, non animum aut spiritum assequantur. Ac cum me animo & cogitatione ad exquirendas hujus eloquentium penuriæ causas attentius converto, longe maximam eloquentiæ pestem adferre mihi videtur, qui pro gravioris notæ autoribus ineptissimos libellos (qui quotidie primo cogitationis impetu, tanquam è satis Cadmi serpentis dentibus emergunt) impe-

ritæ juventuti obtrudunt. Cum enim gravium autorum sententia idem esse in animorum affectionibus atque saporibus coloribusque constet, ut quemadmodum quo primum colore simplex vellerum candor tingitur, elui, quem liquorem testa recens combiberit, abstergi non possit, sic quæ tenellis animis primum insederunt, vitiosa præsertim, vix unquam mutari contingat: à prodigiosis ejusmodi libellis par erat adolescentes esse primis annis remotissimos, & Ciceroni Quintilianoque, qui acuere & alere ingenia possunt, addictissimos. In hos itaque rei literariæ scopulos cum semel incurrerunt nullo judicio præditi adolescentes, vel cum voluptatum studio laborem detrectant, vel ad quæstuosas artes præpropere festinant, facile tanquam naufragio studiorum omnium facto eloquentiæ & sapientiæ curam abjiciunt: non alia quidem clementia, quam qui rivulis aut potius turbidis lacunis contenti, limpidissimos fontes, & pleno torrentes alveo fluvios aspernantur. Quid aliud his qui ante tempus à gravium autorum monumentis abducuntur, contingere putandum est, quam spuriis ejectis, qui certæ nutricis uberum beneficio privati, nunquam virile corporis robur colligunt? Quî poterunt avaritia atque ambitione quasi abortu quodam ad honores & sordidam advocationum stipem præmature abrepti sibi utiles, aut patriæ cives salutares esse? Nulla severiore disciplina in tuto collocatis moribus, nulla subnixi bonarum artium scientia, effræni vitæ licentia, & falsæ doctrinæ persuasione tumentes, cum se ad gubernacula reipublicæ tractanda evehi vident, quid non sibi licere autumant? quam insolescunt? in quæ flagitia sese non ingurgitant? quid fœcunditate insciticæ suæ immundo contactu veluti Harpyiæ Vergilianæ non contaminant? Quid discordiis non committunt, & in rem privatam convertunt? Quem non virum bonum religionis aut æquitatis assimulatæ specie opprimere conantur? Itaque pro pacificatoribus, discordiarum flabella: pro religionis & legum assertoribus, proditores & perniciosissima busta: pro civibus honestis, utilibus & salutaribus, probra, pestes & funera sunt reipublicæ. Quis bene natus non indi-

indignissime ferat, sacrorum concionatorum ex horum autorum contemptu fædam inscitiam? qui cum ex sophistarum & barbarorum hominum tenebris prodigiosa quadam rerum & verborum farragine sint instructi, nec populum docent veram de religione persuasionem, & spinis quibusdam omnia exasperantes nullis dictionis aut sententiarum ornamentis delectant, nec majoribus affectibus ad veram pietatem inflammant. Quibus eo minus ignoscendum esse puto quod omnibus fere curiis & judiciis exclusa hodie vetus illa fori Romani dicendi facultas, apud hos solos locum habere videatur: quodque ipsi in his rebus versentur, quæ nullum ornamentorum, amplificationum, aut locorum communium genus respuant. Hæc ad te doctissimum hominem pro tua prudentia atque dignitate occupationumque magnitudine nimis fortasse multa, pro rei vero necessitate pauca admodum, scribenda duxi: non ut Quintiliano satis ex sese judiciis sanus commendato, aliquam oratione nostra commendationem conciliarem, verum ut quid tu de restituenda perturbata disciplina vetere, & certo tradendarum artium constituendo ordine, non ita pridem sensisses, tibi in memoriam revocarem. Memineram enim te ante annum Regis sapientissimi, humanissimi, atque omnium literarum studiosissimi jussu id non animo solum agitasse, ac usurpasse sermonibus, verumetiam scriptis acutissimis mandavisse, & vehementer ei placuisse primam descriptionem tuam. Cumque autoritate & gratia tantum hodie apud illum dicendi cupidissimum quantum mortalium nemo, valeas, sisque reconditarum omnium artium cognitione, atque insuper incomparabili eloquentia clarissimus: facile rectam viam qua ad eam perveniendum sit, tuis auspiciis aliis indicari & præscribi, & loco motam perturbatamque veterem instituendi rationem in gradum & pristinam dignitatem reponi posse speravimus. Quam ad rem egregie stabiliendam quam esset optandum à regia providentia & potestate, ut Critici pravis affectibus exuti, & disciplinis omnibus non leviter tincti deligerentur, qui, ne statim cum nutricis lacte errorem sugere

possemus, constitutam cum ratione formam retinerent, & ne in posterum libellorum novorum perversitate depravari, extinctis naturæ igniculis, possent inconsiderati juvenes, providerent. Nam quos adhuc experti sumus ficulnos plane censores, qui, frugibus glandem anteponunt, & de literis non aliter quam de coloribus cæci judicant, quis aliquo judicio præditus diutius ferat? Hæc me vehemens juvandæ rei literariæ cura studiumque impulit, ut ad te scriberem; & ut simul opus ipsum nostra industria illustratum mitterem, insignis cupiditas tibi significandi, quantum laboris in eo vetusta cum novis exemplaria conferendo, cum doctis viris communicando, animadversione digna notando, obscura explicando, depravata reponendo & corrigendo, exhausissemus. Nam cum omnes docti certatim tibi velut Apollini musarum choro præsidenti non quantum mereare hac eruditione & moribus, verum quantum possunt deferant, multis ego beneficiis nec iis vulgaribus à te affectus, ingratissimus sim omnium mortalium, nisi aliquo ingenii monumento, quanti te faciam, quantumque tibi literæ debeant, apud omnes testatum relinquam. Vale. Parisiis è gymnasio nostro Becodiano.

DE

DE QUINTILIANIS VETERUM SCRIPTORUM TESTIMONIA.

M. Annæus Seneca *Proœmio lib.* x. *Controverſ.*

PErtinere ad rem non putò, quomodo L. Magius gener T. Livii declamaverit, quamvis aliquo tempore ſuum populum habuit, cum illum homines non in ipſius honorem laudarent, ſed in ſoceri ferrent: quomodo P. Aſprenas aut Quintilianus declamaverint. Tranſeo iſtos quorum fama cum ipſis extincta eſt.

Idem controverſ. iiii. *ejuſdem libri, quæ eſt de eo qui expoſitos debilitabat, ut ex mendicitate eorum mercedem acciperet.*

Circa hunc ſenſum P. Aſprenatis eſt ille à Quintiliano dictus, Neſcio utrum vos miſerabiliores dicam quod alimenta accipitis, an quod huic datis. Accipitis enim quia debiles eſtis: ei datis per quem debiles eſtis.

M. Fab. Quintilianus *lib. inſtitut. Oratoriar. ad Victorium Marcellum cap.* iii.

Et cur me prohibeat pudor uti domeſtico exemplo? pater meus contra eum qui ſe legationi immoriturum dixerat, deinde vix paucis diebus inſumptis re infecta redierat, Non exigo uti immoriaris legationi, immorare.

Junius Juvenalis, *lib.* ix. *Satyr.*

—— Hiſpulla tragœdo
Gaudet, an expectas ut Quintilianus ametur?

Item.

Sed jacet in ſervi complexibus aut equitis dic,
Dic aliquem ſodes heic Quintiliane colorem.
Hæremus: dic ipſa.

Idem lib. III.

Hos inter ſumptus ſeſtertia Quintiliano
Ut multum, duo ſufficient: res nulla minoris
Conſtabit patri, quam filius, unde igitur tot
Quintilianus habet ſaltus? exempla novorum
Fatorum tranſi felix & pulcer & acer,
Felix, & ſapiens, & nobilis, & generoſus
Appoſitam nigræ Lunam ſubtexit alutæ.
Felix, orator quoque maximus, & jaculator:
Et ſi perfrixit cantat bene. diſtat enim, quæ
Sidera te excipiant modo primos incipientem
Edere vagitus, & adhuc à matre rubentem.
Si fortuna volet, fies de Rhetore Conſul,
Si volet hæc eadem, fies de Conſule Rhetor.

C. PLINIUS *lib.* II. *Epiſt.*

Ita certe ex Quintiliano præceptore meo audiſſe memini. Narrabat ille, Aſſectabar Domitium Afrum, &c.

Idem lib. VI.

Erat non ſtudioſorum tantum, verumetiam ſtudiorum amantiſſimus, ac prope quotidie ad audiendos, quos tum ego frequentabam, Quintilianum, Nicetem Sacerdotem ventitabat.

Eſt & ejus ad Quintilianum ſuum in eodem lib. epiſtola quæ incipit, Quamvis & ipſe ſis continentiſſimus, & filiam tuam ita inſtitueris ut decebat filiam tuam, Tutilii neptem.

M. VAL. MARTIALIS *lib.* II. *Epig.*

Quintiliane, vagæ moderator ſumme juventæ,
Gloria Romanæ, Quintiliane, togæ.

TRE-

TREBELLIUS POLLIO *in Poſtum. juniore.*

Fuit (quod ſolum memoratu dignum eſt) ita in declamationibus diſertus, ut ejus controverſiæ Quintiliano dicantur inſertæ: quem declamatorem Romani generis acutiſſimum, unius capitis lectio prima ſtatim fronte demonſtrat.

CÆLIUS LACTANTIUS *Firm. lib.* I.

Optime Quintilianus in Fanatico, Iſtud, inquit, ſi deus cogit, iratus eſt.

Idem lib. V.

Ideo potentiores eſſe injuſtos Deus permiſit, ut cogere ad malum poſſent: ideo plures, ut virtus eſſet precioſa, quod rara eſt. Quod quidem ipſum Quintilianus egregie ac breviter oſtendit in Capite obvoluto. Nam quæ, inquit, virtus eſſet innocentiæ, niſi laudem raritas dediſſet? verum quia natura ſic comparatum eſt, ut odium, cupiditas, ira, in id quod incubuerint agant cæcos, ſupra hominem videtur culpa vacare. Alioqui ſi pares omnibus affectus dediſſet, pietas nihil erat.

Idem lib. VI.

Nulla eſt tam perditi pudoris adultera, quæ non hanc cauſſam vitiis ſuis prætendat, injuriam ſe peccando non facere, ſed referre, quod optime Quintilianus expreſſit. Homo, inquit, neque alieni matrimonii abſtinens, neque ſui cuſtos, quæ inter ſe natura connexa ſunt.

D. MAGNUS AUSONIUS *in Panegyrico.*

Dives Seneca, tamen Conſul, arguetur rectius quam prædicabitur non erudiiſſe indolem Neronis, ſed armaſſe ſævitiam. Quintilianus conſularia per Clementem ornamenta ſortitus, honeſtamenta nominis potius videtur quam inſignia poteſtatis habuiſſe: quomodo Titianus magiſter ſed glorioſius ille municipalem ſcholam apud Viſontionem

Lugdunumque variando, non ætate quidem, sed utilitate consenuit.

Idem in commemoratione Professorum, de Ti. Victore Minervio.

Primus Burdigalæ columen dicere Minervi,
Alter Rhetoricæ Quintiliane togæ.
Et postea,
Adserat usque licet Fabium Calagurris alumnum,
Non sit Burdigalæ dum cathedra inferior.
Et
Seu libeat fictas ludorum evolvere lites,
Ancipitem palmam Quintilianus habet.
Dicendi torrens tibi copia, quæ tamen aurum,
Non etiam luteam volveret inluviem:
Et Demosthenicum, quod ter primum ille vocavit,
In te sic viguit, credat ut ipse tibi.

Idem in Missella.

—— memorabo Quietos
Agricolas, legumque Catos fandique potentes;
Præsidium sublime reis, quos curia summos
Municipum vidit proceres, propriumque Senatum,
Quos prætextati celebris facundia ludi
Contulit ad veteris præconia Quintiliani,
Quique suas rexere urbes, purumque tribunal
Sanguine, & innocuas illustravere secures.

HIERONYMUS *in Chronico.*

Olymp. 211. M. Fabius Quintilianus Romam à Galba perducitur.

Olymp. 217. anno Domitiani 8. Quintilianus ex Hispania Calagurritanus primus Romæ publicam scholam aperuit, & salarium è fisco accepit.

Idem

Idem ad Præsidium.

Puto te Quintiliani controversiæ recordari in qua pauper causatur, dolens ob interitum apum, flores ab impotentissimo divite venenatos.

Idem in Quæst. Hebraic.

Me vero procul ab urbibus, foro, litibus, turbis, remotum, sic quoque, ut Quintilianus ait, latentem invenit invidia.

Item.

Nec mirum hoc in conceptu fœminarum, ut quales perspexerint, sive mente conceperint, in extremo voluptatis æstu quo concipiunt, talem sobolem procreent, cum hoc ipsum etiam ut equarum gregibus apud Hispanos dicatur fieri, & Quintilianus in ea controversia in qua accusatur matrona quod Æthiopem peperit, pro defensione illius argumentatur hanc conceptus esse naturam quam diximus.

Idem adversus Vigilantium.

Iste Caupo Calagurritanus, & in perversum propter nomen viculi mutus Quintilianus miscet aquam vino.

Idem ad Pammachium de obitu Paulinæ.

Felices, inquit Fabius, artes essent, si de illis soli artifices judicarent.

Idem ad Pammachium de optimo genere interpret.

Hilarius nostrorum temporum confessor, duodecim Quintiliani libros stilo imitatus est & numero.

Idem Præfat. in Abdiam.

Dicit & Tullius tuus adolescentulo sibi inchoata quædam & rudia excidisse. Si hoc ille tam de libris ad Herennium quam de rhetoricis, quos ego perfectissimos puto, ad comparationem senilis peritiæ dicere potuit: quanto

magis

magis ego libere profiteor & illud fuisse puerilis ingenii, & hoc maturæ senectutis. In libris quoque contra Marcionem Septimius Tertullianus hoc idem passus est, & Origenes in Cantica canticorum, & Quintilianus in xii. libris, institutionis oratoriæ, ex quibus ostenditur unamquanque ætatem in quo esse perfectam, & ex annorum debere numero judicari.

Sid. Apollinaris *lib.* v. *Epist.* x. *Sabaudo.*

Tua vero tam clara, tam spectabilis dictio est, ut illi divisio Palæmonis, gravitas Gallionis, abundantia Delphidii, Agræcii disciplina, fortitudo Alcimi, Adelphii teneritudo, rigor Magni, dulcedo Victorini, non modo non superiora, sed vix æquiparabilia scribantur. Sane ne videar sub hoc quasi hyperbolico Rhetorum catalogo blanditus quippiam gratificatusque, solam tibi acrimoniam Quintiliani, pompamque Palladii comparari non ambigo, sed potius acquiesco.

Idem in panegyrico ad Anthemium.

Qua Crispus brevitate placet, quo pondere Varro,
Quo genio Plautus, quo flumine Quintilianus,
Qua pompa Tacitus nunquam sine laude loquendus.

Idem carmine ad Magnum Felicem cos.

Acrem Lampridium, Catum, Leonem,
Præstantemque tuba Severianum,
Et sic scribere non minus valentem,
Marcus Quintilianus ut solebat.

Rufinus *Gram. Antiochens. Comment. in metra Terentiana.* Quintilianus in arte, &c.

Aur. Cassiodorus *de Rhetorica, ex lib. Disciplinis.*

Quintilianus etiam doctor egregius, qui post fluvios Tullianos singulariter valuit implere quæ docuit, virum bonum

bonum dicendi peritum à prima ætate ſuſcipiens, per cunctas artes ac diſciplinas nobilium literarum erudiendum eſſe monſtravit, quem merito ad defenſionem ſui totius civitatis vota requirerent. Libros autem duos Ciceronis de arte Rhetorica, & Quintiliani duodecim Inſtitutionum indicavimus eſſe jungendos, &c.

Idem in Chronico ex Hieronymo, ut videtur.

Silvado & Priſco coss. Quintilianus ex Hiſpania primus Romæ ſcholam publicam aperuit, & ſalarium è fiſco accepit.

ISIDORUS *Hiſpalenſis lib.* II. *Etymolog.*
De Rhetorica.

Hæc diſciplina à Græcis inventa eſt, Gorgia, Ariſtotele, Hermagora, & tranſlata in Latinum, à Tullio videlicet, & Quintiliano, & Ticiano, ſed ita copioſe, ita varie ut ea lectori admirari in promptu ſit, comprehendere impoſſibile. Nam membranis retentis, quaſi adhæreſcit memoriæ ſeries dictionis: at mox repoſitis, recordatio omnis elabitur.

Vetus interpres Lucani, ad eum locum lib. IV.
Vita brevis nulli ſupereſt qui tempus in illa
Quærendæ ſibi mortis habet.

Senſus, *inquit*, hic eſt. Non eſt putanda brevis vita quæ habet ſpatium, quo unuſquiſque ſibi quærat exitium: quod non evenit niſi forti viro qui facile contemnit interitum. Unde Quintilianus, faciamus de funere remedium, de neceſſitate virtutem. Solus vixit quoad voluit, qui mori maluit.

Judicium GER. VOSSII de DECLAMATIONIBUS QUINTILIANI.

Vide illum lib. I. *Inſt. Orator. p.* 180.

Cum Quintiliani Declamatoris mentio fiat apud M. Senecam patrem, procœmio lib. 10. Controv. 4. Non minus

nus eorum placet ſententia qui eas avo hujuſce Quintiliani aſcribere malunt. At unde viginti illæ Declamationes quæ & ipſæ Quintiliano vulgo inſcribuntur, ac Rhetoricis Fabii libris ſubjici ſolent; neque ejus ſunt qui Declamationes alteras fecit (nihil enim ſimile) neque illius qui Inſtitutiones Oratorias ſcripſit; cui eas Eraſmus quoque abjudicat in Ciceroniano ſuo: & merito, quandoquidem ut monuit Lud. Vives lib. IV. de Corrupt. diſciplin. plane aliæ ſunt à Fabii præceptis, & tales, ut contra iſtiuſmodi potiſſimum invehatur. Tum in Codd. quibuſdam Mss. M. Floro tribuuntur, ac à nonnullis etiam eſſe creduntur Poſthumii Junioris, eo quod Trebellius Pollio dicat, ſcriptas ab eo eſſe Declamationes, quas ævo ſuo Quintiliani eſſe putarent.

M. FAB.

M. FAB. QUINTILIANI
VITA.

MARCUS FAB. QUINTILIANUS Romæ natus est: quibus consulibus, aut quo imperante Cæsare, non legi. Verissima conjectura adducor, ut fidem libris temporum non habeam, ubi legitur Quintilianus Calagura urbe Hispaniæ oriundus. Nam M. Valerius Martialis Calaguritani agri alumnus, cum Iberos memoria dignos suis epigrammatibus inserat, nullam de Quintiliano mentionem facit, sed eum separatim cum veneratione nominat,

Quintiliane vagæ moderator summe juventæ,
Gloria Romanæ Quintiliane togæ.

Et ipse dicit, cum esset adolescentulus cognovisse Domitium Afrum, & Senecam: qui ambo sub Nerone periere. Seneca in libro sexto Divisionum, Quintiliani declamatoris meminit, cujus adhuc extant multæ declamationes acutæ & breves, stylo aliquantulum remissiore. Is avus fuit M. Fabii Quintiliani: qui Romæ multis annis rhetoricem cum summa laude docuit. Et ipse rursus Quintilianus mentionem facit patris, qui causidicus fuit apud principem. Neque notitia, neque gratia caruit. Domitiani enim Cæsaris nepotum cura ei delegata fuit. Disciplinæ ejus castigatissimæ plenissimum testimonium Cajus Cælius affert: qui sub tali præceptore tantum profecit, ut sui temporis oratores facile superaverit. Duxit uxorem ex nobili familia, ex qua liberos suscepit: quæ acerbissima fatorum sorte in primo juventutis flore rapta fuit. Alterum ex liberis, quum librum de causis corruptæ eloquentiæ edidisset, amisit: postea quum rhetorices libros scriberet, Marcellum unicum parentis lumen ac solatium rogo dedit, testis ipse & infelix senex suarum lacrymarum. Ejus filiola ex alia (ut credo) uxore, Tutilii equitis Romani filia, genita, nupsit Novio Celeri, viro claro. Quo tempore decesserit, affirmare non audeo, quoniam is qui tradit, fide caret.

M. FAB.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Fab. Quintilianus
TRYPHONI BIBLIOPOLÆ
SALUTEM.

Causam edendi operis profert, quod illud efflagitari vehementer intelligat: & benevolentiam captat à sua modestia, & fide diligentiaque Tryphonis.

1 *Efflagitasti* 2 *quotidiano convitio, ut libros quos ad Marcellum meum de Institutione oratoria scripseram, jam emittere inciperem:* 3 *nam ipse eos nondum opinabar satis maturuisse: quibus componendis (ut scis) paulo plus quam* 4 *biennium, tot alioqui negotiis districtus, impendi: quod tempus* 5 *non tam stylo, quam inquisitioni instituti operis prope infiniti, & legendis auctoribus, qui sunt innumerabiles, datum est.* 6 *usus deinde Horatii consilio, qui in arte poëtica suadet, ne præcipitetur editio, nonumque prematur in annum; dabam iis ocium ut* 7 *refrigerato inventionis amore, diligentius repetitos, tanquam lector perpenderem.* 8 *Sed si tantopere efflagitantur, quam tu affirmas, 9 permittamus vela ventis, &* 10 *oram solventibus bene precemur.* 11 *Multum autem in tua quoque fide ac diligentia positum est, ut in manus hominum quam emendatissimi veniant.*

1 *Efflagitasti.*] Principium epistolæ habet expositionem petitionis cum remotione voluntatis Fabii. De Tryphone meminit Martial. lib. 4. ad Quinctum *Exigis ut donem nostros tibi Quinte libellos, Non habeo, sed habet bibliopola Tryphon.* Fuit & alius Græcus Grammaticus.

2 *Quotidiano convicio.*] Ita Cic. ad Quintum frat. *Epistolam hanc convicio efflagitarunt Codicilli tui.* Pith.

3 *Nam ipse eos, &c.*] Rationes reddit cur distulerit editionem.

4 *Biennium.*] Causatur brevitatem temporis.

5 *Non tam stylo.*] Hoc est, lineamentis orationis, quibus hæc mea vestire volebam. Stylus dicitur graphium, cujus pars alia est acuta, qua scribebant: alia latior, qua delebant. inde Horat. inquit, *Stylum vertas*, id est, deleas & emendes. Aliter interpretes, sed male.

6 *Usus deinde.*] Altera causa cur supprimeret libros Fabius. Magno consensu exemplarium habetur hæc dictio *usus:* licet aliqui expungant. Versus Horatii habetur de Arte Poët.

Nonumque prematur in annum.

7 *Refrigerato amore.*] Suæ quisque inventioni favet. Plin. *Tacit.*

8 *Sed si.*] Conclusio est, qua assentitur ipsi Tryphoni.

9 *Permittamus vela ventis.*] Ancipitem editionis eventum, utcunque cadet, experiamur.

10 *Oram solventibus.*] Alciatus, *auram* putat legendum, ut sit sensus, Precemur faustum exitum, ut nautæ ventum. Alii *oram* pro fune nautico, rectè: ita enim lib. 4. legitur, cap. de narratione. Est autem funis ille qui religatur ad tonsillam, id est, palum in littore, Græci πρυμνήσιον vocant.

11 *Multum autem.*] Ad extremum commonitionem addit.

M. Fab.

M. Fab. Quintiliani *in* Oratoriæ institutionis Libros XII.

Ad Marcellum Victorium proœmium.

Argumentum.

Proœmium quatuor continet: causas condendi operis, Marcello dicandi, Qualem oratorem instituat, Quo pacto universum opus partiatur. Operis condendi causæ: ut inter opiniones varias facilior esset electio quid potissimum sequendum. Causæ copiosius etiam scribendi quam ab amicis flagitatum erat, ut eos plenius sibi demereretur, ne alienis solum vestigiis insistere videretur, si prioribus nihil adderet: ne duo libelli de rhetorica impoliti & manci diutius sub ejus nomine circumferrentur. Causæ Marcello dicandi: quia amicissimus: quia literarum amore flagrans: quia instituendo ejus filio plurimum profuturos putaverit. Oratorem instituit perfectissimum, eloquentissimum, omnibus disciplinis & virtutibus instructissimum: atque in philosophorum arrogantiam invehitur, ultimam hanc partem ab oratoribus separantium, & sibi vendicantium. Totum opus in duodecim libros partitur: quorum primus elementa ante rhetoris officium continet: secundus rhetorices Progymnasmata: tertius, quartus, quintus, sextus, septimus, inventionem & dispositionem, cum orationis partibus: octavus, nonus, decimus, elocutionem. Undecimus, memoriam & pronuntiationem. Duodecimus, ultimam partem definitionis oratoris, id est mores ejus, virtutes & officia. Primæ partes ad benevolentiam sunt comparatæ, dum suam modestiam, & scribendi causas profert, Marcelloque opus dicat. Attentos reddit, oratorem instituendo, & pleniora omnia quam vetera promittendo. Divisio operis ad docilitatem pertinet.

1 POST impetratam studiis meis [2] quietem, quæ per viginti annos erudiendis juvenibus impenderam, cum à me quidam familiariter postularent, ut aliquid de ratione dicendi compone-

HAc præfatione causas quibus adductus sit, ut de Eloquentia scriberet, adducit. Deinde qualem Oratorem informet, ostendit: quem virum bonum in primis esse vult. Postmodum totum opus partitur. Ad extremum præcepta Rhetorices nihil valere sine natura docet. Propositio præfationis simplicem explicationem habet petitionis, & excusationis causas. *Turn.*

1 *Post impetratam, &c.*] Literas Romæ docuisse Fabium, vel ex illo notissimo Martialis versu satis constat:

Quintiliane vagæ moderator summe juventæ.

Eo igitur munere defunctum se, otium tandem post viginti annos nactum esse ait, quod tempus vacationi professorum postea legibus attributum fuit. *Camer.*

2 *Quietem.*] Professores artium cum justum tempus professionis absolverant, justa missione & vacatione donabantur, multisque honoribus ornabantur. *Turn.*

ponerem, diu sum equidem reluctatus: [1] quod auctores utriusque linguæ clarissimos non ignorabam multa, quæ ad hoc opus pertinerent, diligentissime scripta, posteris reliquisse. Sed qua ego ex caussa faciliorem mihi veniam meæ deprecationis arbitrabar fore, hac accendebantur illi magis: quod inter diversas opiniones priorum, & quasdam etiam inter se contrarias, difficilis esset electio: ut mihi si non inveniendi nova, at certe judicandi de veteribus, injungere laborem non injuste viderentur. [2] Quamvis autem non tam me vinceret præstandi quod exigebatur fiducia, quam negandi verecundia: latius se tamen aperiente materia, plus quam imponebatur oneris, sponte susscepi: [3] simul ut pleniori obsequio demererer amantissimos mei: simul ne vulgarem viam ingressus, alienis demum vestigiis insisterem. [4] Nam cæteri fere, qui artem orandi literis tradiderunt, ita sunt exorsi, quasi perfectis omni alio genere doctrinæ, [5] summam in eloquentia manum imponerent: [6] sive contemnentes tanquam parva, quæ prius discimus studia: sive non ad suum pertinere officium opinati,

1 *Quod auctores utriusque linguæ clariss.*] Quinam vero fuerint clarissimi illi utriusque linguæ rhetores, qui scire cupit, prologum tertii libri perlegat. Illic enim omnes, qui ad ætatem suam usque claruerunt, commemorat. *Raph. Reg.*

2 *Quamvis autem.*] Captat benevolentiam à persona sua, dum de se modestissimè sentit: deinde ostendit, quare tam copiose hac de re scripserit. *Turnebus.*

3 *Simul.*] Addit causas cur fusius tractarit de arte dicendi. *Turneb. Simul ut plenior obs.*] *Simul* vim habet copulæ, ut hoc loco eleganter in oratione bisponitur: qua quidem dictione significanter duo simul uno & eodem tempore fieri. Virg. 2. Æneid. *Ille simul manibus tendit divellere nodos: Clamores simul horrendos ad sidera tollit.* Raph. Regius.

4 *Nam cæteri.*] Reprehendit cæteros artium scriptores, qui artem nimis breviter sunt complexi. *Turneb.*

5 *Summam manum, &c.*] *Summam manum imponere* significat, perficere, absolvere, consummare: ductum à pictoribus qui primum in tabella lineamenta rudia designant: deinde ultima expolitione & manus impositione perficiunt. *Idem.* Aldus legit *summam eloquentiæ manum.* Et id omnino præferendum. Posuit τὸ *eloquentiæ* gignendi casu. Quasi inquit, reliquis ἐγκυκλίοις vel studiorum partibus persalutatis & decursis à discipulo vel lectore suo, tum demum adhiberentur, ut ultimam eloquentiam eum docerent, & operi consummato hoc fastigium, hunc colophonem adderent. *Gronovius.*

6 *Sive contemnentes.*] Causas jam addit, cur universalia persecuti fuerint. *Turneb.*

nati, quando diviſæ [1] profeſſionum vices eſſent; ſeu quod proximum vero, nullam ingenii ſperantes gratiam, circa res etiamſi neceſſarias, procul tamen ab oſtentatione poſitas: ut operum faſtigia ſpectantur, latent fundamenta. [2] Ego cum nihil exiſtimem arti oratoriæ alienum, ſine quo oratorem non poſſe fieri fatendum eſt: nec ad ullius rei ſummam, niſi præcedentibus initiis perveniri: ad minora illa, ſed quæ ſi negligas, non ſit majoribus locus, demittere me non recuſabo: nec aliter quam ſi mihi tradatur educandus orator, ſtudia ejus formare ab infantia incipiam. [3] Quod opus, Marcelle Victori, tibi dicamus: quem cum amiciſſimum nobis, tum eximio literarum amore flagrantem, non propter hæc modo (quanquam ſunt magna) digniſſimum hoc mutuæ inter nos charitatis pignore judicabamus; ſed quod erudiendo [4] nato tuo, cujus prima ætas manifeſtum iter [5] ad ingenii lumen oſtendit, non inutiles fore libri videbantur, quos ab ipſis diſcendi velut incunabulis, per omnes quæ modo aliquid oratori futuro conferant artes, ad ſummam ejus operis perducere deſtinabamus. Atque eo magis, quod duo jam ſub nomine meo libri ferebantur artis rhetoricæ, neque editi à me, neque in hoc comparati. Namque alterum ſermone per biduum habito, pueri, quibus id præſtabatur, exceperant: alterum pluribus ſane diebus, quantum [6] notando conſequi potuerant, interceptum; boni juvenes, ſed nimium amantes mei, teme-

1 *Profeſſionum vices.*] Exempli gratia, Grammaticæ, Rhetoricæ.

2 *Ego cum, &c.*] Breviter aperit conſilium ſuum, & quid ſit dicturus in toto opere proponit: quod pertinet ad attentionem, referturque ad id, *ne alienis veſtigiis inſiſterem.* Turneb.

3 *Quod opus, &c.*] Cauſas addit cur dicaverit opus Marcello. *Idem.*

4 *Nato tuo.*] *Getæ.* Et ſane, non adducor, ut credam Quintilianum, latini ſermonis obſervatorem ſeverum, vocem iſtam (quæ omnino Poëtarum eſt non Oratorum) uſurpaſſe: nec ſine auctoritate hoc effero: ſiquidem refert ita habere M. S. quod vidit Raph. Regius ſuis ad Quintil. problematis. *Pithœus.*

5 *Ad ingenii lumen.*] Eloquentiam. Cicero in Bruto: *Ut enim hominis decus ingenium, ſic ingenii ipſius lumen eſt eloquentia.* Camer.

6 *Notando.*] Notare eſt compendioſo ſcribendi genere excipere: quod dicitur & *notis ſcribere* & *excipere.* Turneb.

[1] temerario editionis honore vulgaverant. Quare in his quoque libris erunt eadem aliqua, multa mutata, plurima adjecta, omnia vero compositiora, & quam nos poterimus elaborata. Oratorem autem instituimus illum perfectum, qui esse nisi vir bonus non potest. Ideoque non dicendi modo eximiam in eo facultatem, sed omnes animi virtutes exigimus. [2] Neque enim hoc concesserim, rationem rectæ honestæque vitæ (ut quidam putaverunt) ad philosophos relegandam; cum vir ille vere civilis [3] & publicarum privatarumque rerum administrationi accommodatus, qui regere consiliis urbes, fundare legibus, emendare judiciis possit, non alius sit profecto quam orator. Quare tametsi me fateor usurum quibusdam quæ philosophorum libris continentur, tamen ea jure vereque contenderim esse operis nostri, proprieque ad artem oratoriam pertinere. [4] An si frequentissime de justitia, fortitudine, temperantia cæterisque similibus sit disserendum, & adeo, ut vix ulla possit causa reperiri, in quam non aliqua quæstio ex his incidat, eaque omnia inventione atque elocutione sint explicanda, dubitabitur, ubicumque vis ingenii & copia dicendi postulatur, ibi partes oratoris esse præcipuas? [5] Fueruntque hæc, [6] ut Cicero apertissime colligit, quemadmodum juncta natura, sic officio quoque copulata, ut iidem sapientes atque eloquentes haberentur. [7] Scidit deinde se studium,

1 *Temerario editionis honore.*] Imitatur hunc locum Hieronymus lib. 1. epist. 7. *Opuscolorum meorum quia plurima evolaverunt è nido, & temerario editionis honore vulgata sunt, nihil misi, ne eadem forsan mitterem, quæ habes.* Gronovius.

2 *Neque enim hoc concesserim.*] Addit Quintilianus cataſceuen, quod scil. orator philosophiam Ethicen propriam habet, quam tamen philosophi invaserunt. *Turneb.*

3 *Et publicarum.*] Epexegesis præcedentium. *Idem.*

4 *An si frequentissime.*] Loci communes, qui fere in unamquamque causam incidunt, ac de vitiis virtutibusque tractant, à philosophia morali petuntur. *Idem.*

5 *Fueruntque.*] Sapientes antiqui appellarunt, qui pronuntiandi & cogitandi rationem eximiamque dicendi vim habent. hujusmodi fuerunt septem sapientes Græciæ. *Idem.*

6 *Ut Cic. apertiss.*] Lib. 3. de Orat. *Colligere* autem est argumentis aliquid concludere & comprobare, id quod Græci, quos in hoc quoque imitamur, συλλογίζεσθαι dicunt. *Raph. Regius.*

7 *Scidit.*] Tempore Socratis primum eloquentia à philosophia separata fuit. Nam

ſtudium, atque inertia factum eſt, ut artes eſſe plures viderentur. [1] Nam ut primum lingua eſſe cœpit in quæſtu, inſtitutumque eloquentiæ bonis male uti, curam morum, qui diſerti habebantur, reliquerunt. Ea vero deſtituta infirmioribus ingeniis velut prædæ fuit. Inde quidam contempto bene dicendi labore, ad formandos animos ſtatuendaſque vitæ leges regreſſi, partem quidem potiorem, ſi dividi poſſet, retinuerunt: nomen tamen ſibi inſolentiſſimum arrogaverunt, ut ſoli ſapientiæ ſtudioſi vocarentur: quod neque ſummi imperatores, neque in conſiliis rerum maximarum, ac totius adminiſtratione reipublicæ præclariſſime verſati, ſibi unquam vendicare ſunt auſi. Facere enim optima quam promittere maluerunt. Ac veterum quidem ſapientiæ profeſſorum multos & honeſta præcepiſſe, & ut præceperunt, etiam vixiſſe facile conceſſerim: noſtris vero temporibus ſub hoc nomine maxima in pleriſque vitia latuerunt. Non enim virtute ac ſtudiis ut haberentur philoſophi, laborabant, ſed [2] vultum & triſtitiam, & diſſentientem à cæteris habitum [3] peſſimis moribus prætendebant. Nunc autem quæ velut propria philoſophiæ aſſeruntur, paſſim tractamus omnes. [4] Quis enim non de juſto, æquo,

Nam Socrates ſpreta & exagitata rhetorica, ſe totum ad philoſophicas diſputationes traduxit. *Turneb.*

1 *Nam ut primum.*] Adjicit cauſas diviſionis artium. Videtur autem Quintil. hæc referre ad Thraſymachum Calchedonium & Gorgiam Leontinum: qui cum vænalem haberent rhetoricam, idcirco à Socrate exagitabantur, eaque cauſa fuit cur rhetoricam ſperneret. *Idem.*

2 *Vultum & triſtitiam & diſſentientem, &c.*] Vide Cicer. Tuſc. Quæſt. II. cap. Joh. Savaron. Comment. ad Sidon. Apollin. l. IX. epiſt. IX. pag. 557. Senec. de Vita beata cap. XX. Quintil. declamat. 268. & 283. Plin. lib. I. epiſtol. XXII. & lib. III. epiſt. XI. Agellium lib. XIII. cap. VIII. & XXII. Lactant. lib. V. cap. II. Sariſb. Policrat. lib. VIII. cap. XXI.

3 *Peſſimis moribus prætendebant.*] Videtur hæc ſcripſiſſe Fabius ejectis ex urbe Philoſophis Domitiani edicto. Sulpicia. Plinius. *Pith.* Sunt enim illis ipſis temporibus, Domitiano ſcil. imperante, conſulto Senatus, philoſophi ejecti, atque urbe & Italia interdicti. Vide Agell. lib. XV. c. II. Moſell. p. 9. in Quintil.

4 *Quis enim non de juſto, &c.*] Gebhard. Crepund. lib. I. cap. III. pag. 10. legit ac diſpungit: *Quis enim non de juſto, æquo ac bono modo? non & vir peſſimus loquitur.* Vide Barthium Adverſ. l. XXXI. cap. V. pag. 1429.

[1] æquo, ac bono, modo non vir peſſimus loquitur? Quis non etiam ruſticorum aliqua de cauſis naturalibus quærit? Nam verborum proprietas ac differentia, omnibus qui ſermonem curæ habent, debet eſſe communis. Sed ea & ſciet optime & eloquetur orator: qui ſi fuiſſet aliquando perfectus, non à philoſophorum ſcholis virtutis præcepta peterentur: nunc neceſſe eſt ad eos aliquando auctores recurrere, qui [2] deſertam, ut dixi, partem oratoriæ artis, [3] meliorem præſertim occupaverunt, & [4] veluti noſtrum repoſcere: non ut nos illorum utamur inventis, ſed ut illos alienis uſos eſſe doceamus. [5] Sit igitur orator vir talis, [6] qualis vere ſapiens appellari poſſit: nec moribus modo perfectus (nam id mea quidem opinione, quanquam ſint qui diſſentiant, [7] ſatis non eſt) ſed etiam ſcientia, & omni facultate dicendi: qualis adhuc fortaſſe nemo fuerit. [8] Sed non ideo minus nobis ad ſummam tendendum eſt, quod fecerunt plerique veterum: qui etſi nondum quenquam ſapientem repertum putabant, [9] præcepta tamen ſapientiæ tradiderunt. Nam eſt certe aliquid conſummata eloquentia, neque ad eam pervenire natura humani ingenii prohibet: [10] quod ſi non contingat, altius tamen ibunt qui ad ſumma niten-

1 *Æquo.*] Probat partitione, ruſticis eſſe communem philoſophiam. *Turneb.*

2 *Deſertam partem oratoriæ artis.*] Duo MSS. Palatini: *Qui deſerta, ut dixi parte Oratoriæ artis, &c.* Quæ lectio arridet Gebhardo Crepund. lib. 1. cap. 111.

3 *Meliorem partem.*] Sic vocat curam ac rationem rectæ honeſtæque vitæ, quam retinuiſſe, relicta Oratoria vult Quintilianus philoſophos. *Pareus.*

4 *Velut noſtrum repoſcere.*] Gebhardus Crepund. lib. 1. cap. 1v.

5 *Sit igitur.*] Concluſio eſt ex ſuperioribus, qua oratoris deſcriptionem repetit, eamque ad ultimam ſpeciem, id eſt, ideam revocat. *Turneb.*

6 *Qualis vere ſapiens.*] Quem Horatius deſcripſit lib. 1. epiſt. ad Mæcen. verſu 105. &c. *Ad ſummam ſapiens uno minor eſt Jove, &c.*

7 *Satis non eſt.*] Si ita legetur, hoc intelligemus de Stoïcis, qui genus quoddam exile dicendi ſequebantur. Illi igitur ab Oratore, morum probitatem, cum illa dicendi ſubtilitate requirebant. *Turneb.*

8 *Sed non ideo.*] Prolepſis eſt, qua anticipat quod poterat objici: quam ſolvit exemplo veterum. *Idem.*

9 *Præcepta tamen ſapient.*] Columell. lib. x11. Nam nec oratoria diſciplina deſeritur quia perfectus Orator nuſquam repertus eſt: nec philoſophia, quia nullus conſummatæ ſapientiæ eſt. *Pithœus.*

10 *Quod ſi.*] Argumentum eſt per fictionem, & à comparatione. *Turneb.*

1 *Qua*

nitentur, quam qui præsumpta desperatione quo velint evadendi, protinus circa ima subsiterint. [1] Quo magis impetranda erit venia, si ne minora quidem illa, verum operi quod instituimus, necessaria, præteribo. Nam liber primus ea quæ sunt ante officium rhetoris, continebit. Secundo, prima apud rhetorem elementa, & quæ de ipsa rhetoricæ substantia quæruntur, tractabimus. Quinque deinceps inventioni (nam & huic dispositio subjungitur) quatuor elocutioni (in cujus partem memoria ac pronuntiatio veniunt) dabuntur. Unus accedet, in quo nobis orator ipse informandus est, ut qui mores ejus quæ in suscipiendis, discendis, agendis causis ratio, quod eloquentiæ genus, quis agendi debeat esse finis, quæ post finem studia, quantum nostra valebit infirmitas, differamus. His omnibus admiscebitur, ut quisque locus postulabit, [2] dicendi ratio, quæ non eorum modò scientia, quibus solis quidam nomen artis dederunt, studiosos instruat, & (ut sic dixerim) jus ipsum rhetorices interpretetur, sed alere facundiam, vires augere eloquentiæ possit. [3] Nam plerunque nudæ illæ artes, nimia subtilitatis affectatione frangunt atque concîdunt quicquid est in oratione generosius, & omnem succum ingenii bibunt, & ossa detegunt: quæ ut esse, & adstringi nervis suis debent, sic corpore operienda sunt. Ideoque nos non particulam illam, sicut plerique sed quicquid utile ad instituendum oratorem putabamus, in hos duodecim libros contulimus, breviter omnia demonstrando. Nam si quantum de quaque re dici potest, prosequamur, finis operis non reperietur. [4] Illud tamen in primis testandum est, nihil præcepta atque artes valere, nisi adjuvante natura. Quapropter ei cui deerit ingenium non magis hæc scripta sunt, quàm de agro-

1 *Quo magis.*] Transitus est ad sequentia. *Idem.*

2 *Dicendi.*] *Docendi.* Pith.

3 *Nam plerumque.*] Insectatur illos qui de arte rhetorica jejunè scripserunt. *Turn. Nam pler. nudæ illæ artes.*] Artes interdum dicuntur libri, in quibus breviter citrà omnem rationis ornatum præcepta alicujus disciplinæ traduntur. *Raph. Regius.*

4 *Illud tamen.*] Ad extremum addit commonitionem.

agrorum cultu ſterilibus terris. Sunt & alia ingenita quidem adjumenta, vox, latus patiens laboris, valetudo, conſtantia, decor: quæ ſi modica obtigerunt, poſſunt ratione ampliari: ſed nonnunquam ita deſunt, ut bona etiam ingenii ſtudiique corrumpant: ſicut & hæc ipſa ſine doctore perito, ſtudio pertinaci, ſcribendi, legendi, dicendi multa & continua exercitatione, per ſe nihil proſunt.

Cap. I.

Quid circa primam pueri inſtitutionem providendum ſit: & quemadmodum prima elementa tradenda ſunt: Et quam ſpem de filio recens nato capere debeat pater, & à quali nutrice, & inter quos collactaneos educandum curet. Tum quales Præceptores ac Pædagogi eſſe debeant; & à quo ſermone, & qua ætate auſpicandum ſit.

[1] Igitur nato filio, pater ſpem de illo primum quam optimam capiat. ita diligentior à principiis fiet. [2] Falſa enim eſt querela, pauciſſimis hominibus vim percipiendi quæ tradantur, eſſe conceſſam, pleroſque vero laborem ac tempora tarditate ingenii perdere. Nam contra plures reperias & faciles in excogitando, & ad diſcendum promptos. [3] quippe id eſt homini naturale: ac ſicut aves ad volatum, equi ad curſum, ad ſævitiam feræ gignuntur: ita nobis propria eſt mentis [4] agitatio atque ſolertia: [5] unde origo animi cœleſtis creditur. [6] Hebetes vero & indociles non magis

1 *Igitur.*] Inſtitutionem Oratoris à prima ſtatim educatione auſpicatur, atque hic ſequitur Platonem, Chryſippum, & Catonem Cenſorium. *Turnebus.*

2 *Falſa.*] Prolepſis eſt, qua opinionem quorundam refutat. *Idem.*

3 *Quippe.*] Confirmatio eſt, quæ petitur à proprio, quam expolit ſimilitudine. *Idem.* Omnium non modo animantium, ſed rerum propria quædam natura eſt. Urit ignis, candet nix. Sua eſt equis, bobus, feris omnibus natura. Ita hominis rationis uſus proprius eſt, unde ſermo exiſtit. *Camerar.*

4 *Agitatio atque ſolertia.*] Acumen ingenii percipiendique facilitas *ſolertia* dicitur, quam Ariſtot. ἀγχίνοιαν vocat. *Raph. Reg.*

5 *Origo animi.*] Vide Ciceronem prima Tuſculana, qui ex motu mentis divinitatem probat. *Turneb.*

6 *Hebetes.*] Refutat aliam partem quadam ſimilitudine. *Idem.*

magis secundum naturam hominis eduntur, quàm prodigiosa corpora, & [1] monstris insignia: [2] sed hi pauci admodum. fuerit [3] argumentum, quòd in pueris elucet spes plurimorum: quæ cùm emoritur ætate, manifestum est non naturam defeciſſe, sed curam. Præstat tamen ingenio alius alium: concedo: sed ut plus efficiat, aut minus: nemo tamen reperitur, qui sit studio nihil consecutus. Hoc qui perviderit, protinus ut erit parens factus, acrem quam maximè curam spei futuri oratoris impendat. Ante omnia ne sit vitiosus sermo nutricibus: quas, si fieri posset, sapientes Chrysippus optavit: certè, quantum res pateretur, optimas eligi voluit. Et morum quidem in his haud dubiè prior ratio est: rectè tamen etiam loquantur. Has primum audiet puer, harum verba effingere imitando conabitur. Et [4] natura tenacissimi sumus eorum quæ rudibus annis percipimus: ut sapor quo nova imbuas, durat: nec lanarum colores quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt. Et hæc ipsa magis pertinaciter hærent, quæ deteriora sunt. Nam bona facilè mutantur in pejus: nunc quando in bonum verteris vitia? [5] Non assuescat ergo, ne dum infans quidem est, sermoni qui dediscendus sit. In parentibus verò quamplurimum esse eruditionis optaverim. Verum nec de patribus tantum loquor. nam [6] Gracchorum eloquentiæ multum contulisse accepimus Corneliam matrem, cujus doctissimus sermo in posteros quoque est epistolis traditus: & Lælii filia reddidisse

1 *Monstris insignia.*] *Insignis* appellatur inusitato naturæ dehonestamento notabilis: uti animadvertit Jan. Gebhardus Crepund. lib. 1. cap. 5. pag. 13. Curt. lib. 9. *Si quos insignes, aut aliqua membrorum parte inutiles notaverunt, necari jubent.* Videantur etiam Andr. Schotti notæ in Senecæ Suasor. 7. pag. 34.

2 *Sed hi pauci, &c.*] Steph. & alii leg. *Sed hi pauci admodum fuerunt.*

3 *Argumentum.*] Probat à signo.

4 *Natura tenacissimi sumus eorum, &c.*] Hunc locum explicat Cœlius Rhodig. antiq. lect. lib. 10. cap. 15. pag. 456. &c.

5 *Non assuescat.*] Conclusio est hujus partis, in qua tractat de nutricibus. *Turnebus.*

6 *Gracchorum.*] Probat eloquentiam matris multum conferre ad Oratorem. *Idem.* Tiberii scil. de quo in claris Oratoribus: sic M. Tullius: *ac utinam in Tiberio Graccho talis mens ad rempub. bene gerendam fuisset, quale ingenium ad bene dicendum fuit, profecto nemo huic viro gloria præstitisset.*

disse in loquendo paternam eloquentiam dicitur: & [1] Quinti Hortensii filiæ [2] oratio apud [3] triumviros habita, legitur non tantum in sexus honorem. Nec tamen ii quibus discere ipsis non contigit, minorem curam docendi liberos habeant: sed sint propter hoc ipsum ad cætera magis diligentes. De pueris inter quos educabitur ille huic spei destinatus, idem
II. quod de nutricibus dictum sit. De pædagogis hoc amplius, ut aut [4] sint eruditi plane, quam primam esse curam velim: aut se non esse eruditos sciant. nihil enim pejus est iis qui paulum aliquid ultra primas literas progressi, [5] falsam sibi scientiæ persuasionem [6] induerunt. Nam & cedere præcipiendi [7] peritis indignantur, & velut jure quodam potestatis, quo ferè hoc hominum genus [8] intumescit, imperiosi atque interim sævientes, stultitiam suam perdocent. Nec minus error eorum nocet moribus. [9] Siquidem Leonides Alexandri pædagogus, ut à Babylonio Diogene traditur, quibusdam eum [10] vitiis imbuit, quæ robustum quoque & jam maximum regem ab illa institutione puerili

funt

1 *Q. Hortensii.*] Hortensius omnium Oratorum suæ ætatis, nisi M. Tullio, clarior fuit judicatus ab Agellio lib. 1. Quem Cic. in Bruto, *socium & consortem gloriosi laboris* appellat.

2 *Oratio apud.*] Vide Valerium lib. 8. cap. 3. Cic. in Bruto. *Turneb.*

3 *Triumviros.*] Nempe Cæsarem Octavianum, Antonium, Lepidum. *Camerar.*

4 *Sint eruditi.*] Ne scil. cæcus cæcum ducat. Vid. Melch. Junii quæst. polit. 45. lib. 2. pag. 89. &c. Plutarchi aureus libellus, περὶ παίδων ἀγωγῆς.

5 *Falsam sibi scientiæ pers.*] Multi enim ad solidam eruditionem pervenissent, nisi jam se pervenisse putarent. Vide Plin. lib. 8. epist. 21. Fabius infra lib. 2. cap. 2. *Vana de se persuasio*, &c. idem c. 4

6 *Induerunt.*] Non *imbuerunt. Induere* autem *sibi persuasionem scientiæ*, est sibi persuadere multa scire atque intelligere.

7 *Peritis.*] *Partib.* Pitheus.

8 *Intumescit.*] Claudio Cæsari hujusmodi Pædagogus datus est, quem *superjumentarium* & *barbarum* appellare solebat. *Turneb.*

9 *Siquidem.*] Probat paradigmate, pædagogos nocere moribus. *Idem. Siquidem Leonides.*] Leonidem Alexandri fuisse pædagogum, ex Plinio notum est: cui ille Asia potitus, onustam thure navem miserat. Fuisse Olympiadis propinquus traditur: seque non pædagogum, sed ducem Alexandri voluisse dici. *Diogenes* autem cujus hoc loco mentio fit, Babylonius, Stoïcus fuit Philosophus, qui in illa celebri legatione Romam venit cum Carneade & Critolao. *Camerar.*

10 *Vitiis.*] Beda ab eo depravatos fuisse mores Alexandri & incessum prodit. *Turneb.*

sunt prosecuta. [1] Si cui multa videor exigere, cogitet oratorem institui, rem arduam: etiam cum ei formando nihil defuerit, præterea plura ac difficiliora supereſſe. Nam & studio perpetuo, & præstantissimis præceptoribus, & pluribus disciplinis opus est. Quapropter præcipienda sunt optima: [2] quæ si quis gravabitur, non rationi defuerit, sed homini. Si tamen non continget quales maximè velim, habere nutrices, pueros, pædagogos: [3] at unus certè sit assiduus dicendi non imperitus: qui si qua erunt ab his præsente alumno dicta vitiose, corrigat protinus, nec insidere illi sinat: dum tamen intelligatur, id quod prius dixi, bonum esse: hoc, remedium. [4] A sermone Græco puerum incipere malo: quia Latinus, qui pluribus in usu est, vel nobis nolentibus se perhibet: simul quia disciplinis quoque Græcis prius instituendus est, unde & nostræ fluxerunt. Non tamen hoc adeò superstitiose velim fieri, ut diu tantum loquatur Græcè aut discat, sicut plerisque moris est. hinc enim accidunt & oris plurima vitia in peregrinum sonum corrupti, & sermonis, cui cum Græcæ figuræ assidua consuetudine hæserint, in diversa quoque loquendi ratione pertinacissimè durant. Non longe itaque Latina subsequi debent, & citò pariter ire. Ita fiet, ut quum æquali cura linguam utranque tueri cœperimus, neutra alteri officiat. Qui-

1 *Si cui.*] Prolepsis, quam solvit à rei magnitudine. *Idem.*

2 *Quæ si quis, &c.*] Hoc est modis omnibus præcipienda sunt optima: quibus si quis uti non voluerit, non possit prætendere veræ rationis, demonstratæ videlicet, ignorationem, sed ipsius fuerit negligentia: ut sit defuerit. Sic & Plin. locutus 3. epist. libro. *Camerar.*

3 *At unus certe.*] Intelligit vel amicum quendam parentis, qui assidue adhæreat lateri pueri: aut etiam libertum, qui assidue comitetur. *Turneb.*

4 *A sermone Græco.*] Antiquitus Romani lingua Hetrusca imbuebantur, ut refert Livius: Ciceronis tamen ætate statim lingua Græca antequam Latina erudiebantur. quod ideo fiebat, quia cum lingua Latina vernacula esset, à Romanis nullo negotio discebatur. Hoc etiam præceptum nostra ætate observandum putat Erasmus. Tranquillus in lib. de claris Grammaticis tradit Ciceronem usque ad præturam Græce declamasse. *Idem.* Vide Franc. Floridi sententiam lection. subcisiv. lib. 1. p. 996. &c. & lib. 2. cap. 1. pag. 1089. Consule etiam eruditissimum Casaubonum ad Persii Satyr. p. 112.

1 *Qui-*

[1] Quidam literis instituendos, qui [2] minores septem annis essent, non putaverunt, quod illa prima ætas & intellectum disciplinarum capere, & laborem pati non possit. In qua sententia Hesiodum esse plurimi tradunt, qui [3] ante Grammaticum [4] Aristophanem fuerunt. nam is primus [5] ὑποθήκας, in quo libro scriptum hoc invenitur, negavit esse hujus poëtæ. Sed alii quoque auctores, inter quos Eratosthenes, idem præceperunt. Melius autem, qui nullum tempus vacare cura volunt, ut [6] Chrysippus. nam is quamvis nutricibus triennium dederit, tamen ab illis quoque jam informandam quam optimis institutis mentem infantium judicat. [7] Cur autem non pertineat ad literas ætas, quæ ad mores jam pertinet? Neque ignoro, toto illo de quo loquor tempore vix tantum effici, quantum conferre unus postea possit annus: sed tamen mihi, qui hoc senserunt, videntur non tam discentibus in hac parte, quàm docentibus peperciſſe. Quid melius alioqui facient, ex quo loqui poterunt? Faciant enim aliquid necesse est. Aut cur hoc, quantulumcunque est, usque ad septem annos lucrum fastidiamus? Nam certè quamlibet parum sit quod contulerit ætas prior, majora tamen aliqua discet puer eo ipso anno, quo minora didicisset. Hoc per singulos annos prorogatum, [8] in summam

1 *Quidam literis instituendos.*] Duo Mss. *instruendos.* Vide Jan. Gebhard. Crepund. lib. 1. cap. 5. p. 16.

2 *Minores septem annis.*] Adi Melchioris Junii Polit. 11. quæst. 12. p. 68. &c. Salmasium adversus Cercoëtium, pag. 256. &c. Heresbachium de institutione Principis cap. 4. Platonem lib. 2. 3. & 8. de Republ. Paulum Medicum lib. 1. rei medicæ.

3 *Ante Grammaticum.*] Nam Aristophanes Byzantius Grammaticus negavit *hypothecas* ab Hesiodo compositas, cum antea & Isocrates & Aristoteles Hesiodi esse putassent. *Turneb.*

4 *Aristophanem.*] Quis & qualis fuerit, vide Suidam.

5 Ὑποθήκας.] Præceperat, ut apud Herodot. ἐποίεε τὰς Κροίσῳ ὑποθήκας, faciebat quæ Cræsus suaserat seu subjecerat. *Camerar.* Sic inscribitur opus illud Hesiodi, quod in eo præcepta quædem ad bene vivendum accommodata tradantur. *Raph. Reg.* Vid. Arist. Pol. 7. 17.

6 *Chrysippus.*] Qui præcepta scripsit de educatione liberorum, sicut paulo post Fabius citat. *Camerar.*

7 *Cur autem.*] Paulus tamen Ægineta pueros putat indulgenter & hilariter nutriendos, ac lusibus permittendos, nec ante sextum aut septimum annum literatoribus tradendos. *Turneb.*

8 *In summam proficit.*] Hoc est, summæ ac fini & perfectioni confert. *Summa* enim dicitur cumulus ac finis uniuscujusque rei. *Raph. Reg.*

mam proficit: & quantum in infantia præsumptum est temporis, adolescentiæ acquiritur. Idem etiam de sequentibus annis præceptum sit: ne quod cuique discendum est, serò discere incipiat. [1] Non ergo perdamus primum statim tempus: atque eo minus, quòd initia literarum sola memoria constant: quæ non modò jam est in parvis, sed tum etiam tenacissima est. [2] Nec sum adeò ætatum imprùdens, ut instandum teneris protinus acerbè putem, exigendamque plenam operam. Nam id in primis cavere oportebit, [3] ne studia qui amare nondum potest, oderit, & amaritudinem semel [4] præceptam, etiam ultra rudes annos reformidet. [5] Lusus hic sit: [6] & rogetur, & laudetur: & [7] nonnunquam scisse se gaudeat. aliquando ipso nolente doceatur alius, cui invideat. contendat interim, & sæpius vincere se [8] putet. [9] præmiis etiam, quæ capit illa ætas, evocetur. Parva docemus, instituendum oratorem professi: sed est sua etiam studiis infantia: & ut corporum mox etiam fortissimorum educatio à lacte cunisque initium ducit: ita futurus eloquentissimus edidit aliquando vagitum, & [10] loqui primum

1 *Non ergo.*] Conclusio est hujus partis. *Turneb.*

2 *Nec sum.*] Prolepsis est. *Idem.* Infantia enim per lusum docenda.

3 *Ne studia qui amare nondum potest, oderit.*] Plutarch. περὶ παίδων ἀγωγῆς. Melchior Junius Polit. quæst. 45. p. 90. &c. Part. 11.

4 *Præceptam.*] Alii leg. *perceptam.*

5 *Lusus hic.*] Paulus quoque Ægineta præcipit ut committantur pueri præceptoribus humanis, apud quos primis literis instituantur hilariter. nam hilaritas animi & ad ingenii vigorem & corporis augmentum conducit. *Turneb.*

6 *Et rogetur.*] Non *regetur* ut Valla habet: *Rogetur*, ergo, id est, blande moneatur: unde Horat. *ut crustula blandi dant pueris elementa velint ut discere prima.* Vel *rogetur*, id est, interrogetur à magistro & si bene responderit, laudetur, & gaudeat. *Ascensius.*

7 *Nonnunquam sciisse se gaudeat.*] Vide Gebhard. Crepund. lib. I. cap. 7. *Et nonnunquam sciisse se gaudeat.*] Nihil mutandum. Videtur enim Fabius expressisse sensu paulum immutato verba Ciceronis in quinto de finibus: *Videmurne, ut pueri ne verberibus quidem à contemplandis rebus perquirendisque deterreantur, ut pulsi requirant, & aliquid scire se gaudeant.* Gronovius.

8 *Putet.*] Alii *putes*. alii *cupit*. Passer.

9 *Præmiis etiam, &c.*] Præceptorum mos semper fuit pueritiam invitare munerib. aut crustulis, & sic quasi lactare. Huc pertinet illud Horatii Sermon. l. 1. Sat. 1. ℣. 26. *pueris olim crustula blandè Doctores elementa velint, ut discere prima.* Idem.

10 *Loqui primum incerta voce.*] Minutius Fœlix, eos *dimidiata verba tentare* dixit. Persius. *verba conari.* Vide Casaubon. ad Pers. p. 23. 24.

1 *Phi-*

primùm incerta voce tentavit, & hæsit circa formas literarum. Nec si quid discere satis non est, ideo necesse non est. Quòd si nemo reprehendit patrem qui hæc non negligenda in suo filio putet, cur improbetur, si quis ea quæ domi suæ recte faceret, in publicum promit? Atque eò magis, quòd minora etiam facilius minores percipiunt: & ut corpora ad quosdam membrorum flexus formari nisi tenera non possunt, sic animos quoque ad pleraque duriores robur ipsum facit. An [1] Philippus Macedonum rex Alexandro filio suo prima literarum elementa tradi ab Aristotele summo ejus ætatis philosopho voluisset, aut ille suscepisset hoc officium, si non studiorum [2] initia à perfectissimo quoque tractari, pertinere ad summam credidisset? Fingamus igitur Alexandrum dari nobis impositum gremio, dignum tanta cura infantem (quanquam suus cuique dignus est) pudeatne me in ipsis statim elementis etiam brevia docendi monstrare compendia? Neque enim mihi illud saltem placet, quod fieri in plurimis video, ut literarum nomina & contextum priùs quàm formas parvuli discant. Obstat hoc agnitioni earum, non intendentibus mox animum [3] ad ipsos ductus, dum [4] antecedentem memoriam sequuntur. Quæ causa est præcipientibus, ut etiam cùm satis affixisse eas pueris recto illo quo primum scribi solent contextu videntur, retroagant rursus, & varia permutatione perturbent, donec literas, qui instituuntur, facie norint, non ordine. [5] Quapropter optimè, sicut hominum, pariter & habitus & nomina edocebuntur. Sed quod in literis obest, in syllabis non nocebit. Non excludo autem,

1 *Philippus.*] Habes epistolam Philippi ad Arist. apud Gellium lib. 9. c. 3. *Turneb.*

2 *Initia à perfectissimo.*] In vetustis codicibus ita hic locus scribitur, *Si non studiorum initia & à perfectissimo quoque tractari, & pertinere, &c.* Idem.

3 *Ad ipsos ductus.*] Formas ac figuras, & ut ita dicam tractus literarum. *ductus* vocat à ducendo, quod calami in literis scribendis ducantur. *Raph. Reg.*

4 *Antecedentem.*] Nam ordinem literarum memoria tenent, ac quæ literæ alias sequantur: idcircoque ad formas non animadvertunt, sed quasi memoriter pronunciant. *Turneb.*

5 *Quapropter.*] Conclusio est, quæ similitudinem habet admixtam. *Idem.*

1 *Cum*

autem, id quod est notum, irritandæ ad discendum infantiæ gratia, eburneas etiam literarum formas in lusum offerre; vel si quid aliud, quo magis illa ætas gaudeat, inveniri potest, quod tractare, intueri, nominare, jucundum sit. [1] Cum verò jam ductus sequi cœperit, non inutile erit eas tabellæ quamoptimè insculpi, ut per illos velut sulcos ducatur stylus. Nam neque errabit quemadmodum in ceris (continebitur enim utrinque marginibus) [2] neque extra præscriptum poterit egredi: & celerius ac sæpius [3] sequendo certa vestigia, firmabit articulos: neque egebit adjutorio manum suam manu superimposita regentis. Non est aliena res, quæ ferè ab honestis negligi solet, cura bene ac velociter scribendi. [4] Nam cùm sit in studiis præcipuum, quoque solo verus ille profectus, & altis radicibus nixus paretur, scribere: tardior stylus cogitationem moratur, rudis & confusus intellectu caret: unde sequitur alter dictandi quæ ex his transferenda sunt, labor, Quare cùm semper & ubique, tum præcipuè in epistolis secretis & familiaribus delectabit ne hoc quidem neglectum reliquisse. [5] Syllabis nullum compendium est: perdiscendæ omnes: nec, ut fit plerumque, difficillima quæque earum differenda: ut in [6] omnibus scribendis deprehendantur. Quinimo ne primæ quidem memoriæ temerè credendum: repetere, & diu inculcare,

1 *Cum vero.*] Suadet Quintilianus ut literæ primum simplices, dehinc syllabæ, postea dictiones, postremo versus quoque in tabella vel lignea vel eburnea incidantur. sic enim puer & scribere discet, nec manus illius à recta linea evariabit, nec ab harmonia, literarum proportione. *Idem.*

2 *Neque extra, &c.*] *Neque extra præceptum poterit egredi, & celerius ac sæpius sequendo rasa vestigia firmabit articulos neque egebit adjutorio manus suam superimpositæ regentis.* Sic illa emendavit Salmasius de modo usurarum. p. 464.

3 *Sequendo certa.*] Alias, *sequendo cæsa vestigia formabit articulos.* Philand. *Certa vestigia.*] Gebhard. Crepund. lib. 1. cap. 7. *cæsa vestigia.* At Barthius adversf. l. 31. c. 5. vulgatam defendit.

4 *Nam cum sit.*] Probat utilitatem velocis scripturæ ab incommodo contrariæ. *Turneb.*

5 *Syllabis.*] Syllabarum tractatio à grammaticis nostri temporis est omissa, ab antiquis vero diligenter tradita, ut pueri scirent quæ sit certa literarum inter se connexio, & quæ literæ cum quibus conjungi possint. quæ res conducit ad emendatam scripturam & locutionem. *Idem.*

6 *Omnibus.*] *Nominibus.* Pith.

1 *Illud*

culcare, fuerit utilius: & in lectione quoque non properare ad continuandam eam vel accelerandam; nisi cum inoffensa atque indubitata literarum inter se conjunctio suppeditare sine ulla cogitandi saltem mora poterit: tunc ipsis syllabis verba complecti, & his sermonem connectere incipiat. Incredibile est quantum morę lectionis festinatione adjiciatur. Hinc enim accidit dubitatio, intermissio, repetitio, plus quam possunt audentibus: deinde cum errarunt, etiam iis quæ jam sciunt, diffidentibus. Certa sit ergo in primis lectio, deinde conjuncta, & diu lentior, donec exercitatione contingat emendata velocitas. Nam prospicere in dextrum (quod omnes præcipiunt) & providere, non rationis modo, sed usus quoque est: quoniam sequentia intuenti, priora dicenda sunt, &, quod difficillimum est, dividenda intentio animi, ut aliud voce, aliud oculis agatur. [1] Illud non pœnitebit curasse, cum scribere nomina puer (quemadmodum moris est) cœperit, ne hanc operam in vocabulis vulgaribus & forte occurrentibus perdat. [2] Protinus enim potest interpretationem linguæ secretioris, quas Græci [3] γλώσσας vocant, dum aliud agitur, edisce re, & inter prima elementa consequi rem postea proprium tempus desideraturam. Et quoniam adhuc circa res tenues moramur: ii quoque versus qui ad imitationem scribendi proponentur, non ociosas velim sententias habeant, sed honestum aliquid monentes. [4] Prosequitur hæc memoria in senectutem, & impressa animo rudi, usque ad mores proficiet. Etiam dicta clarorum

1 *Illud non pœnitebit.*] Hæc præcepta Erasm. ecphrastice exposuit in libello de pronunciatione. aitque hanc præceptiunculam non solum ad lectionem & scripturam, sed ad mores etiam pertinere. cumque magna pars eruditionis in rerum vocabulis sit posita, suadet ut pueris nomina plantarum, quadrupedum & aliarum rerum proponantur. *Turneb.*

2 *Protinus enim.*] Appellat Aristot. lib. de poët. *glossas*, vocabula quædam inusitatiora & obscuriora: Quintilianus verò expositionem verborum obscurorum. ac inde dicuntur *glossographi*, qui à Latinis *glossularii* & *glossematarii* appellantur. *Idem.*

3 Γλώσσας.] Vide Jac. Spiegelii Interpret. ad Prud. p. 215. edit. Weitz. Cæl. Rhodigin. lib. 7. cap. 27. & l. 13. cap. 4. pag. 573. Joh. Wouveren tract. de Polymathia cap. 9. pag. 61. &c.

4 *Prosequitur.*] Proponit utilitatem. *Turneb.*

rum virorum & electos ex poëtis maxime (namque eorum parvis cognitio gratior est) locos edisce inter lusum licet. Nam & maximè necessaria est oratori (sicut suo loco dicam) memoria: & ea præcipue firmatur atque alitur exercitatione: & in iis de quibus nunc loquimur ætatibus, quæ nihil dum ipsæ ex se generare queunt, prope sola est quæ juvare curam docentium possit. [1] Non alienum fuerit exigere ab his ætatibus, quo sit absolutius os, & expressior sermo, ut nomina quædam versusque affectatæ difficultatis ex pluribus asperrime coëuntibus inter se syllabis catenatos, & velut confragosos, quàm citatissime volvant. Χαλεποὶ græce vocantur. res modica dictu: qua tamen omissa, multa linguæ vitia, nisi primis eximuntur annis, inemendabili in posterum pravitate durantur.

1 *Non alienum.*] Vide Erasmum in libello de recta pronunciatione. *Idem.*

CAP. II.

Utrum utilius Domi, an in Scholis erudiantur.

[1] SED nobis jam paulatim accrescere puer, & exire de [3] gremio, ac discere serio incipiat. Hoc igitur potissimum loco tractanda quæstio est, [2] utiliusne sit domi atque intra privatos parietes studentem continere, an frequentiæ scholarum & velut publicis præceptoribus tradere. [3] Quod quidem quum iis à quibus [4] clarissimarum civitatum mores sunt

HOc capite Quint. thesin generalem per comparationem tractat: erudiendine sint pueri domi, an in Scholis? Atque ut in Scholis publicis erudiantur suadet. *Turneb.*

1 *Vtiliusne sit domi atque intra.*] Hanc quæstionem diligentissime tractant, Barth. Keckermann. lib. 1. System. Polit. cap. 9. pag. 949. Timplerus lib. 4. polit. cap. 3. quæst. 3. Melchior. Junius quæst. politic. part. 2. quæst. 43. p. 75. &c. Philipp. Henr. Hænonius disp. politic. 5. p. 216.

3 *Quod quidem.*] Nam Lycurgus, ut publicis gymnasiis Lacedæmoniorum pueri docerentur, hisque præesset pædonomus, instituit. Plato quoque in Nomothesia, ut publice pueri instituantur, jubet. *Turneb.*

4 *Clarissimarum civitatum.*] Ut Lycurgo, quod ex iis quæ de Lacedæmoniorum institutis scripta sunt à multis, satis constat. Quam autem idem Platoni placuerit, si nusquam aliunde, vel hinc appareat, quod censet infantes quoque à nutricibus in certum locum quasi ludum deferendos per singulas tribus. *Camerar.*

sunt instituti, tum eminentissimis auctoribus video placuisse. Non est tamen dissimulandum, esse nonnullos qui ab hoc prope publico more privata quadam persuasione dissentiant. Hi duas præcipue rationes sequi videntur: unam, quod moribus magis consulant fugiendo turbam hominum ejus ætatis, quæ sit ad vitia maxime prona: unde causas turpium factorum sæpe extitisse utinam falso jactaretur. Alteram, quod quisquis futurus est ille præceptor, liberalius tempora sua impensurus uni videtur, [1] quam si eadem in plures partiatur. [2] Prior causa prorsus gravis. Nam si studiis quidem scholas prodesse, moribus autem nocere constaret, [3] potior mihi ratio vivendi honeste, quam vel optime dicendi videretur. Sed mea quidem sententia, juncta ista atque indiscreta sunt. Neque enim esse oratorem nisi bonum virum judico: & fieri etiam si posset, nolo. de hac re igitur prius. [4] Corrumpi mores in scholis putant: nam & corrumpuntur interim: sed domi quoque: [5] & sunt multa ejus rei exempla, tam læsæ hercle quam conservatæ sanctissime utrobique opinionis. Natura cujusque totum curaque distat. [6] Da mentem ad pejora facilem, da negligentiam formandi custodiendique in ætate prima pudoris: non minorem flagitiis occasionem secreta præbuerint. nam & esse potest turpis domesticus ille præceptor: nec tutior inter servos malos, quam ingenuos parum modestos conversatio est. At si bona ipsius indoles, si non cæca ac sopita parentum socordia est: & præceptorem eligere sanctissimum quemque (cujus rei

1 *Quam si eadem in plures partiatur.*] Vide Jan. Gebhard. Crepund. lib. 1. cap. 7. p. 19.

2 *Prior causa.*] Primo amplificat, deinde solvit. locus est ex comparatione, sed per hypothesin. *Turneb.*

3 *Potior mihi ratio vivendi, &c.*] Vide Jan. Gebhard. Crepund. lib. 1. cap. 7. p. 19. & Barthium Adversl. lib. 31. cap. 5. p. 1430. Melch. Junium Part. 11. Polit. Quæst. 1. pag. 105. &c. Plin. lib. 3. Epist. 3.

4 *Corrumpi mores.*] Refutat opinionem per inversionem. *Turneb.*

5 *Et sunt multa ejus rei exempla.*] Jan. Gebhard. Crepund. lib. 1. cap. 7. p. 20. Barthius Adversl. lib. 31. cap. 5. pag. 1430.

6 *Da mentem.*] Comprobatio est per hypothesin: qui locus etiam inversionem habet. *Turneb.*

rei præcipua prudentibus cura est) & disciplinam quæ maxime severa fuerit, licet: [1] & nihilominus amicum gravem virum, aut fidelem libertum lateri filii sui adjungere: cujus assiduus comitatus etiam illos meliores faciat, qui timebuntur. [2] Facile erat hujus metus remedium. [3] Utinam liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus. Infantiam statim deliciis solvimus. Mollis illa educatio, quam *indulgentiam* vocamus, nervos omnes & mentis & corporis frangit. [4] Quid non [5] adultus concupiscet, qui in purpuris repit? Nondum prima verba exprimit, & [6] jam [7] *coccum* intelligit, jam [8] *conchylium* poscit. Ante palatum eorum quam os instituimus. In lecticis crescunt: si terram attigerint, è manibus utrinque sustinentium pendent. [9] Gaudemus si quid licentius dixerint. *Verba ne* [10] *Alexandrinis quidem permittenda*

1 *Et nihilominus.*] Amictum illum & libertum, cujus meminit Fab. appellat Plin. in epist. *custodem & rectorem*, cujus hæc sunt verba: *Adest enim adolescenti nostro cum cæteris naturæ fortunæque dotibus exima corporis pulchritudo, cui in hoc lubrico ætatis non modo præceptor, sed custos etiam rectorque quærendus est.* Turnebus.

2 *Facile erat.*] Soluta hac objectione, Fabius culpam in parentes transfert: in eosque acerbissime invehitur, ut quos puerorum mores depravare dicat. *Idem.*

3 *Utinam liberorum nostrorum mores non, &c.*] Huc spectant illa apud Plautum, Bacch. III. 3. 34. &c. Terent. Heaut. III. 1. 74. *Deteriores omnes sumus licentia.*

4 *Quid non adultus concupiscet? qui in purpuris repit, nondum prima verba exprimit & jam coccum intelligit, jam conchylium poscit, ante paratum eorum, quam mores instituimus.*] Jam coccum id est vestes coccineas intelligit: jam *conchylium*, id est conchyliatas poscit vestes: & sic *paratum*, id est vestes atque ornatum eorum, antequam mores instituimus. *Scoppæ.*

5 *Adultus.*] Argumentatur à minori ad majus. *Turneb.*

6 *Jam coccum intelligit.*] Vid. Joh. Scoppæ Parthenop. Collectan. lib. 2. cap. 3. pag. 950. qui pro *palatum* leg. *paratum.* & Salmas. in Tertull. de palli. p. 136. & advers. Cercoeth. p. 136. &c.

7 *Coccum.*] Coccus vel quisquilium granum est illud ilicis, quo vestes coccineæ & quisquiliatæ tinguntur. Pasierat. scribit *coquum*, quia quæ sequuntur videntur magis ad victus rationem, & institutionem pertinere. *Turneb.*

8 *Conchylium.*] Conchylium appellant Græci, omnes pisces dura testa opertos. Est etiam genus conchæ & muricis, quo tingitur color non absimilis purpuræ, qui tamen quadantenus est glaucus & austerus. *Idem.*

9 *Gaudemus si quid licentius dixerint.*] Vide Jan. Gebhard. Crepund. lib. 1. cap. 10. p. 29. *Turneb.*

10 *Alexandrinis.*] Ægyptii omnes, præsertim Alexandrini, ut ait Strabo, deliciis fuerunt deditissimi. hoc autem loco Quintilianus alludere videtur ad sacra Serapidis, quæ juxta Alexandriam cum magna utriusque sexus lascivia & impudicitia celebrabantur. Meminit

mittenda delitiis, risu & osculo excipimus. Nec mirum: nos docuimus, ex nobis audierunt: nostras amicas, nostros concubinos vident. [1] Omne convivium obscœnis canticis strepit: pudenda dictu spectantur. Fit ex his consuetudo, deinde natura. *Discunt hæc miseri antequam sciant vitia esse:* inde soluti ac fluentes non accipiunt è scholis mala ista, sed in scholas afferunt. [2] Verum in studiis magis vacabit unus uni. [3] Ante omnia nihil prohibet esse istum, nescio quem unum, etiam cum eo qui in scholis eruditur. Sed etiam si jungi utrumque non posset, lumen tamen illud conventus honestissimi, tenebris ac solitudini prætulissem. Nam optimus quisque præceptor frequentia gaudet, ac majore se theatro dignum putat. At vero minores ex conscientia suæ infirmitatis hærere singulis, & officio fungi quodammodo [4] pædagogorum non indignantur. [5] Sed præstet alicui vel gratia, vel amicitia, vel pecunia, ut doctissimum atque incomparabilem magistrum domi habeat: num tamen ille totum in uno diem consumpturus est? aut potest esse ulla tam perpetua [6] discentis intentio, quæ non ut visus oculorum obtutu continuo fatigetur? cum præsertim multo plus secreti temporis studia desiderent. Neque enim ediscenti, scribenti, & cogitanti præceptor assistit: quorum aliquid agentibus, cujuscunque interventus impedimento est. Lectio quoque non omnis nec semper [7] præeunte vel interpretante eget.

Quando

Ovid. de Tristib. *Idem. Ne Alexandrinis quidem, &c.*] Notum est de Alexandrina luxuria quid literis mandatum sit, cui portentose indulsit Cleopatra. *Camerar.*

1 *Omne convivium obscœnis.*] Videatur Joh. Savaro ad Sidonium p. 20. 21. Joh. Sarisberiens. Policrat. lib. 1. cap. 8. lib. 8. cap. 12.

2 *Verum.*] Alteram objectionem refutat primum per antiparastasin, deinde per enstasin. *Turneb. Verum in Studiis.*] Ἀλλα. Voire, mais en choses d'estudes.

3 *Ante omnia.*] Πρῶτον ἁπάντων οὐδὲν κωλύει.

4 *Pædagogorum.*] Qui olim servierant.

5 *Sed præstet.*] Addit nunc concessionem quandam, deinde ex comparatione ostendit satius esse erudiri in scholis publicis. Et pro *alicui* leg. Passerat. *aliquis.* Turneb.

6 *Discentis intentio.*] Studium in legendo & meditando. *Pithæus.*

7 *Præeunte.*] Vel intelligit eam prælectionem, quæ fieri solet ab artium professoribus: vel priorem quandam pronunciationem, qua præceptores puerorum os & sermonem formabant. *Turneb.*

1 Ergo

Quando enim tot auctorum notitia contingeret? [1] Ergo modicum tempus est, quo in totum diem velut opus ordinetur. Ideoque per plures ire possunt etiam quæ singulis tradenda sunt. Pleraque vero hanc conditionem habent, ut eadem voce ad omnes simul perferantur. [2] Taceo [3] de partitionibus & declamationibus rhetorum: quibus certe quantuscunque numerus adhibeatur, tamen unusquisque totum feret. Non enim vox illa præceptoris, ut cœna, minus pluribus sufficit: sed ut sol, universis idem lucis caloriſque largitur. *Grammaticus* quoque de ratione loquendi si disserat, quæstiones explicet, historias exponat, poëmata enarret: tot illa discent, quot audient. [4] At enim emendationi prælectionique numerus obstat. Sit incommodum (nam quid fere undique placet?) mox illud comparabimus commodis. Nec ego tamen eo mitti puerum volo, ubi negligatur. Sed neque præceptor bonus majore se turba, quam ut sustinere eam possit, oneraverit: & in primis ea habenda cura est, [5] ut is omnino fiat nobis familiariter amicus: nec officium in dicendo spectet, sed affectum. ita nunquam erimus in turba. Nec sane quisquam literis saltem leviter imbutus, eum in quo studium ingeniumque perspexerit, non in suam quoque gloriam peculiariter fovebit. Sed ut fugiendæ sint magnæ scholæ (cui ne ipse quidem rei assentior) si ad aliquem merito concurritur: non tamen hoc eo valet, ut fugiendæ sint omnino scholæ. Aliud est enim [6] vitare eas,

1 *Ergo modicum.*] Elegantissima est metaphora ab architectis ducta: qui delineare solent temporis momento, quod reliqui fabri toto die sunt acturi. *Idem.*

2 *Taceo de partitionibus.*] *Partitiones* appellat Quintil. quæ à rhetoribus Græcis παρεγχειρήσεις, id est distributiones thematis in manum & digitos: quæ fieri solent à præceptore, cum thema proponit & in suos locos partitur. Hujuscemodi sunt *divisiones quæstionum* Sopatri, & *divisiones epidictica* Menandri. *Idem.*

3 *De partitionibus.*] Id est, materiis divisis discipulis, quæ dicuntur παρεγχειρήσεις. de qua re lib. 2. Fabius. *Camer.*

4. *At enim.*] Altera est anthypophora, quam solvit per antistasin. *Turn.*

5 *Ut is omnino fiat nobis familiaricus.*] Vide Jan. Gebhard. Crepund. l. 1. c. 7. *Paræus.*

6 *Vitare.*] *Vitamus* enim quod omnino fugimus: ut si diceres, non esse committendos discipulos scholis publicis. *Eligimus* autem, cum aliquibus propositis quod magis idoneum videtur optamus. *Turneb.*

eas, aliud eligere. [1] Et si refutavimus quæ contra dicuntur jam explicemus quid ipsi sequamur. Ante omnia, futurus orator, cui in maxima celebritate & in media reipub. luce vivendum est, assuescat jam à tenero non reformidare homines, [2] neque illa solitaria & velut umbratili vita pallescere. Excitanda mens & attollenda semper est, quæ in hujusmodi secretis aut languescit, & quendam velut in opaco situm ducit; aut contra tumescit inani persuasione. *Necesse est enim sibi nimium tribuat, qui se nemini comparat.* [3] Deinde cum proferenda sunt studia, caligat in Sole, & omnia nova offendit: ut qui solus didicerit, quod inter multos faciendum est. [4] Mitto amicitias, quæ ad senectutem usque firmissimæ durant, religiosa quadam necessitudine imbutæ. Neque enim est sanctius, sacris iisdem quam studiis initiari. [5] Sensum ipsum qui communis dicitur, ubi discet, cum se à congressu, qui non hominibus solum, sed mutis quoque animalibus naturalis est, segregarit? Adde, quod domi ea sola discere potest, quæ ipsi præcipientur: in schola, etiam quæ aliis. Audiet multa quotidie probari, multa corrigi. proderit alicujus objurgata desidia: proderit laudata industria: excitabitur laude æmulatio: turpe ducet cedere pari, pulchrum superasse majores. [6] Accendunt omnia hæc animos: & licet ipsa vitium sit ambitio, frequenter tamen causa virtutum est. [7] Non inutilem scio servatum esse à præceptoribus meis morem

1 *Et si refutavimus.*] More suo Quintilianus & optima œconomia rationes aliorum refutavit, argumentaque opposita comparavit: nunc sententiam suam suis argumentationibus confirmat. *Idem.*

2 *Neque illa solitaria, &c.*] Vide Goldastum ad Petron. p. 529. &c. & Joh. Wouweren ibid. p. 382. Savaro ad Sidon. lib. 2. ep. 10. Pichena not. ad Tacit. num. 97.

3 *Deinde.*] Ab inutili. *Turneb.*

4 *Mitto amicitias, &c.*] Vide Jan. Gebhard. Crepund. lib. 1. c. 11. p. 31.

5 *Sensum ipsum.*] Sensum communem Quintil. non vocat sensum illum primarium, cui cæteri ancillantur, quique est in anteriori cerebri ventriculo: sed vocat peritiam quandam & experientiam quæ ex hominum congressu sensim colligitur, appellaturque à Cic. *communis prudentia.* Turneb.

6 *Accendunt omnia hæc animos.*] Vide Melchior. Junium Method. eloquent. cap. 4. p. 23. & Meursii lib. de gloria. *Paræus.*

7 *Non inutilem.*] Cum de ambitione & æmulatione dixisset, obiter morem quendam subjicit ad excitanda puerorum ingenia aptissimum, ut pueris in classes

morem, qui cum pueros in classes distribuerant, ordinem dicendi secundum vires ingenii dabant: & ita superiore loco quisque declamabat, ut præcedere profectu videbatur. Hujus rei judicia præbebantur. ea nobis ingens palmæ contentio. [1] ducere vero classem, multo pulcherrimum. Nec de hoc [2] semel decretum erat: tricesimus dies reddebat victo certaminis potestatem. Ita nec superior successu curam remittebat, & [3] dolor victum ad depellendam ignominiam concitabat. [4] Id nobis acriores ad studia dicendi faces subdidisse, quam exhortationes docentium, pædagogorum custodiam, vota parentum, quantum animi mei conjectura colligere possum, contenderim. [5] Sed sicut firmiores in literis profectus alit æmulatio, ita incipientibus, atque adhuc teneris, condiscipulorum quam præceptoris, jucundior, hoc ipso quod facilior imitatio est. Vix enim se prima [6] elementa ad spem tollere effingendæ, quam summam putant eloquentiæ audebunt: proxima amplectuntur magis: ut vites arboribus applicitæ, inferiores prius apprehendendo ramos, in cacumina evadunt. Quod adeò verum est, ut ipsius etiam magistri, si tamen ambitiosis utilia præferet, hoc opus sit, cum adhuc rudia tractabit ingenia, non statim onerare infirmitatem discentium, sed temperare vires suas, & ad intellectum audientis descendere. Nam ut [7] vascula oris angusti superfusam [8] humoris copiam respuunt: sensim autem influentibus, vel etiam instillatis complentur: sic ani-

classes distributis, ei priores declamandi partes tribuantur qui doctior sit. *Turneb.*

1 *Ducere classem.*] Id est, primum locum tenere.

2 *Semel.*] Id est, in perpetuum.

3 *Et dolor.*] Probat hanc consuetudinem Fabius à causis quæ studium & æmulationem concitant *metu* scilicet & *dolore*. Turneb. *Dolor victum ad depellend. ignom.*] Similis locus apud Papin. Statium 2. Thebaid. ℣. 326. &c. Gebhard. Crepund. lib. 1. cap. 11. p. 32.

4 *Id nobis.*] Probat à suo ipsius judicio. *Turneb.*

5 *Sed sicut.*] Consuetudinem illam τῷ σοδοξασμῷ adstringit, ac duntaxat in paulo provectioribus observandam docet, non etiam in rudibus. *Idem.*

6 *Elementa.*] Pro elementariis, ut *servitia* pro servis.

7 *Vascula oris angusti.*] Pulcherrimus hic Fabii locus in mentem fuit Lactantio de Opificio Dei cap. 8.

8 *Humoris copiam resp.*] Jan. Gebhard. Crepund. lib. 1. c. 11. p. 33.

sic animi puerorum quantum excipere possint, videndum est. Nam [1] majora intellectu, velut parum aptos ad percipiendum animos non subibunt. Utile igitur est habere quos imitari primum, [2] mox vincere velis. ita paulatim & superiorum spes erit. [3] His adjicio, præceptores ipsos non idem mentis ac spiritus in dicendo posse concipere singulis tantum præsentibus, quod illa celebritate audientium instinctos. [4] Maxima enim pars eloquentiæ constat animo. hunc affici, hunc concipere imagines rerum, & transformari quodammodo ad naturam eorum de quibus loquimur, necesse est. Is porro quo generosior celsiorque est, hoc majoribus velut [5] organis commovetur: ideoque & laude crescit, & impetu augetur, & aliquid magnum agere gaudet. Est quædam tacita dedignatio, vim dicendi tantis comparatam laboribus, ad unum auditorem demittere. [6] pudet supra modum sermonis attolli. Et sane concipiat quis mente vel declamantis habitum, vel orantis vocem, incessum, pronuntiationem, illum denique animi & corporis motum, sudorem, ut alia præteream, & fatigationem, audiente uno, nonne quiddam pati furori simile videatur? [7] Non esset in rebus humanis eloquentia, si tantum cum singulis loqueremur.

Cap.

1 *Majora intellectu velut, &c.*] Joh. Gebhard. Crepund. l. 1. c. 11. p. 33. pro *aptos*, legit *apertos*, & retulit ad id quod dixerat, *Vascula anguſti oris*.

2 *Mox vincere velis.*] Leg. *Mox vincere velit*. Nam ad Præceptores de pueris loquitur Quintilianus. Jan. Gebhard. Crepund. lib. 1. cap. 11. p. 33.

3 *His adjicio.*] Post egressionem quam de ambitione & imitatione fecit, ad institutum redit, & commoda publicarum scholarum adfert, ac ostendit præceptorem longe melius in turba docere, quam in solitudine. *Turneb.*

4 *Maxima enim pars.*] Maxima pars eloquentiæ posita est in affectu: qui fit vel sedandis auditorum mentibus, vel, inflammandis. sed ut Orator affectum concitet, primum affici debet: quod fit (ut ait Fabius) per *phantasiam*, id est visionem, quæ rerum absentium imagines nobis repræsentat: ac Oratorem suum *euphantasiotum* esse cupit. *Idem.*

5 *Velut organis.*] Metaphora est ducta ab artibus mechanicis. illic enim majora pondera majori etiam difficultate & majoribus instrumentis moventur. *Turn.*

6 *Pudet supra modum attolli.*] Jan. Gebhard. Crepund. lib. 1. c. 11. p. 33. *Modum sermonis* Fabius eleganter vocat, morem & rationem quotidianam loquendi. *Paræus.*

7 *Non esset.*] Claudit caput epiphonemate. *Turneb.*

1 Quo

CAP. III.

Qua ratione puerorum ingenia dignoſcantur, & quomodo tractanda ſint.

[1]TRadito ſibi puero, docendi peritus ingenium ejus in primis naturamque perſpiciat. Ingenii ſignum in parvis præcipuum, [2] memoria eſt. Ejus duplex virtus, facile percipere, & fideliter continere. Proximum, imitatio: nam id quoque eſt docilis naturæ: ſic tamen, ut ea quæ diſcit, effingat, non habitum forte & inceſſum, & ſi quid in pejus notabile eſt. Non dabit mihi ſpem bonæ indolis, [3] qui hoc imitandi ſtudio petet, [4] ut rideatur. Nam probus quoque in primis erit ille vere ingenioſus: alioqui non pejus duxerim tardi eſſe ingenii, quam mali. Probus autem ab illo ſegni & jacente plurimum aberit. Hic meus, quæ tradentur, non difficulter accipiet: quædam etiam [5] interrogabit: ſequetur tamen magis quam præcurret. [6] Illud ingeniorum velut præcox genus, [7] non temere unquam pervenit ad frugem. Hi ſunt qui parva facile faciunt: & audacia provecti, [8] quicquid illic poſſunt, ſtatim oſtendunt. Poſſunt

1 QUo pacto explorare debeat ingenium pueri præceptor, docet Fabius: quam rem fuſius tractat: lib. 2. cap. 9. ac illic ait hoc eſſe faciendum ut certus ſtudiorum habeatur delectus, ac ſi qua in re peccet pueri natura, à præceptore emendetur ingenium. *Turneb.*

2 *Memoria.*] Memoriam latius fundit Quintilianus, quam ſoleant philoſophi. Nam philoſophi virtutem eſſe finiunt, qua quæ didicimus fideliter continemus. Quintilianus autem ſub illius nomine etiam ingenii acumen eſt complexus. *Idem.*

3 *Qui hoc imitandi ſtudio petet.*] Jan. Gebhard. Crepund. lib. 1. cap. 1. p. 2. *Qui hoc imit. ſtudio patet, ut irrideatur.*

4 *Vt rideatur.*] Ridiculæ imitationes, inquit, non ſunt bonæ indolis indices: & quem ego ingenioſum intelligi volo ante omnia quoque probum volo. *Cam.*

5 *Interrogabit.*] Intelligitur ea virtus quæ ἀγχίνοια, id eſt, *ſolertia* dicitur: qua ex his quæ tradita ſunt nobis, alia colligimus. *Turneb.*

6 *Illud ingeniorum velut præcox genus.*] Videatur Melchior Junius Part. 2. polit. quæſt. pag. 71. &c. Michael Piccartus obſerv. hiſtor. polit. dec. 12. c. 5. p. 373. &c. Cœl. Rhodigin. lib. 10. cap. 20. & lib. 31. cap. 6. Julii Guil. Zinegreſii Embl. eth. pol. 63. p. 19. 20. *Illud ingeniorum velut, &c.*] Apul. Apolog. Eſt ille poëtæ verſus non ignotus, *Odi puerulum præcoqui ſapientia.* Pith.

7 *Non temere unquam.*] Hoc eſt, fere nunquam. *Raph. Reg.*

8 *Quicquid illud poſſint.*] Palat. *illi.* Gebhard. legit: *Et audacia provecti, quicquid illico poſſunt, ſtatim oſtendunt.*

Possunt autem id demum quod in proximo est: verba continuant: hæc vultu interrito nulla tardati verecundia proferunt; non multum præstant, sed cito. non subest vera vis, nec penitus immissis radicibus nititur: ut quæ summo solo sparsa sunt semina, celerius se effundunt: & [1] imitatæ spicas herbulæ, inanibusaristis ante messem flavescunt. Placent hæc annis comparata, deinde stat profectus, admiratio decrescit. [2] Hæc cum animadverterit, perspiciat deinceps quonam modo tractandus sit discentis animus. Sunt quidam, nisi institeris, remissi: [3] quidam imperia indignantur: [4] quosdam continet metus, quosdam debilitat: [5] alios continuatio extundit, in aliis plus impetus facit. [6] Mihi ille detur puer, quem laus excitet, quem gloria juvet, qui victus fleat. hic erit alendus ambitu, hunc mordebit objurgatio, hunc honor excitabit; in hoc desidiam nunquam verebor. [7] Danda est tamen omnibus aliqua remissio: non solum quia nulla res est quæ perferre possit continuum laborem: atque ea quoque quæ sensu & anima carent, ut servare vim suam possint, velut alterna quiete [8] retenduntur: sed quod

1 *Imitatæ spicas herbulæ.*] Videantur Jani Gebhard. Animadvers. ad Propert. lib. 4. eleg. 5. ℣. 47. p. 292. &c.

2 *Hæc cum animadverterit.*] Postquam de *ingenio* est locutus, nunc de *natura* agit, ut pro naturali ipsius animi habitu, aliter atque aliter à præceptore puer impellatur ad literas. *Turneb.*

3 *Quidam imperia indignantur.*] Indignatur imperium, qui se indignum putat, cui imperetur. *Raph. Reg.*

4 *Quosdam continet metus.*] Agit Fabius de diversitate ingeniorum in pueris, quorum aliqui calcaribus urgeri; aliqui frenis revocari volunt. Vide Hadr. Jun. animadv. lib. 4. cap. 26. pag. 42. pro *extundit* legit *retundit*, id est, absterret.

5 *Alios continuatio.*] Exponunt vulgo hunc locum hoc modo, ut dicant continuitate præcipiendi quorundam ingenia obtundi. Sed cum hæc oratio constet antithetis, hic videtur esse sensus, ut intelligamus continuationem præceptionis extorquere & exprimere, ideoque efficere ut nonnulli literas adipiscantur. *Turneb.*

6 *Mihi ille.*] Quintilianus (ut Valla docet) in puero illo quem oratorem efficere molitur, plus posse dicit voluntatem quandam quæ gloria accendatur, quam nimium ingenii acumen. *Idem.*

7 *Danda est tamen omnibus aliqua remissio.*] *Quod caret alterna requie, durabile non est, &c.* Et vide Phœdrum fabula 53. Erasmum in Proverb. *Arcus tensus rumpitur.* Lud. Chresollii vacat. autumnal. lib. 1. c. 1. Melch. Junii orat. part. 1. p. 388. de ludis Adolescent. Plutarchi libell. περὶ παίδων ἀγωγῆς. Jul. Gul. Zingresii Emblem. Ethico-Polit. 59. & 73.

8 *Retenduntur.*] Remittuntur, laxantur. Nam hanc vim, *re*, habet, ut recludo,

quod ſtudium diſcendi, voluntate, quæ cogi non poteſt, conſtat. Itaque & virium plus afferunt ad diſcendum renovati ac recentes, & acriorem animum, qui fere neceſſitatibus repugnat. Nec me offenderit luſus in pueris: eſt & hoc ſignum alacritatis: neque illum triſtem, ſemperque demiſſum, ſperare poſſum erectæ circa ſtudia mentis fore, cum in hoc quoque maxime naturali ætatibus illis impetu, jaceat. Modus tamen ſit remiſſionibus, ne aut odium ſtudiorum faciant negatæ, aut ocii conſuetudinem nimiæ. Sunt etiam nonnulli acuendis puerorum ingeniis non inutiles luſus, quum poſitis invicem cujuſque generis quæſtiunculis æmulantur. Mores quoque ſe inter ludendum ſimplicius detegunt: modo nulla videatur ætas tam infirma, quæ non protinus quid rectum pravumque ſit, diſcat, tum vel maxime formanda, cum ſimulandi neſcia eſt, & præcipientibus facillime cedit. *Frangas enim citius quam corrigas quæ in pravum indurauerunt.* Protinus ergo ne quid cupide, ne quid improbe, ne quid impotenter faciat, monendus eſt puer: habendumque in animo ſemper illud Virgilianum Georg. 2.

Adeo in teneris conſueſcere multum eſt.

[1] Cædi vero diſcentes, quanquam & receptum ſit, & Chryſippus non improbet, minime velim: primum, [2] quia deforme atque ſervile eſt: & certe, quod convenit, ſi ætatem mutes, injuria. [3] deinde, quòd [4] ſi cui tam eſt mens illiberalis, ut objurgatione non corrigatur, is etiam ad plagas, ut peſſima quæque mancipia, durabitur. poſtremo quod

cludo, reſigno: ſimilitudine ducta ab arcubus, quibus cum ſagittarii non uti cogitent ne nervos quidem accommodare ſoleant. *Camerar.*

1 *Cædi vero.*] Vetat Quintilianus (quod etiam Plutarchus in libello de liberis educandis prohibet) ne pueri cædantur, ſed aſſiduitate & diligentia præceptorum, literas potius amare cogantur. *Turneb. Cædi vero diſcentes.*] Videatur Seneca de Providentia p. 710. Melch. Inn. part. 11. quæſt. polit. 46. pag. 94. &c. Lud. Lavateri comment. in Prov. Salom. 132. c. 23. Fabius infra lib. 11. cap. 2. & c. 4.

2 *Quia deforme eſt & ſervile.*] Vide Gebhard. Crepund. lib. 1. cap. 7. p. 17. & pro *injuria* leg. *injuriæ.*

3 *Deinde.*] Nunc ab inutili & à ſimilitudine ſolvit. *Turneb.*

4 *Si cui tam eſt mens illiberalis, &c.*] Huc pertinet locus Senecæ, lib. 1. de Clement. c. 16. p. 240. Edit. Lipſ.

1 *Nunc*

quod ne opus quidem erit hac castigatione, si assiduus studiorum exactor adstiterit. [1] Nunc fere negligentia pædagogorum sic emendari videtur, ut pueri non facere quæ recta sunt cogantur, sed [2] cur non fecerint puniantur. Denique cum parvulum verberibus coëgeris, quid juveni facias, cui nec adhiberi potest hic metus, & majora discenda sunt? Adde, quod multa vapulantibus dictu deformia, & mox verecundiæ futura, sæpe dolore vel metu accidunt: qui pudor refringit animum, & abjicit, atque ipsius lucis fugam & [3] tædium dictat. Jam si minor in deligendis custodum & præceptorum moribus fuit cura, pudet dicere in quæ probra nefandi homines isto cædendi jure abutamur, quam det aliis quoque nonnunquam occasionem hic miserorum metus. Non morabor in parte hac. nimium est quod intelligitur. Quare hoc dixisse satis est, in ætatem infirmam, & injuriæ obnoxiam, nemini debet nimium licere. Nunc quibus instituendus sit artibus qui sic formabitur, ut fieri possit orator, & quæ in quaque ætate inchoanda, dicere ingrediar.

1 *Nunc fere.*] Reprehendit pædagogos qui quadam negligentia desides sunt, nec pueris quid facere debeant præcipiunt, & tamen pueros si non fecerint, cædunt, & verberibus suam emendant negligentiam. *Turneb.*

2 *Cur.*] *Quod* vel *cum* Passerat.

3 *Tædium dictat.*] Ανηδία Juvenal. Sat. 7. *Tædia tunc subeunt animos, tunc sæque suamque Terpsichoren odit.*

Cap. IV.

De Grammatica. De literis & earum potestate, ac orationis partibus. Declinare in primis nomina & verba scire oportet pueros, & genera nosse ac casus. Tum de verbis & verborum appellationibus.

5 [1] Primus in eo qui legendi scribendique adeptus erit facultatem, grammaticis est locus. Nec refert, de Græco an

1 *Primus.*] Postea quam puer apud literatorem (quem appellant *grammatistam*) prima elementa didicit, est grammaticis committendus. Optimo igitur doctrinæ ordine Fabius de grammatica hic præcipit, cujus encomium addit, & amplificationem. *Turneb.*

1 *Hæc*

co an de Latino loquar: quamquam Græcum esse priorem placet. Utrique eadem via est. [1] Hæc igitur professio cum brevissime [2] in duas partes dividatur, *recte loquendi scientiam & poëtarum enarrationem:* plus habet in recessu, quam in fronte promittit. Nam & scribendi ratio conjuncta cum loquendo est, & enarrationem præcedit emendata lectio: & mistum his omnibus judicium est: [3] quo quidem ita severe sunt usi [4] veteres grammatici, ut non versus modo censoria quadam virgula notare, [5] & libros qui falso viderentur inscripti, tanquam subdititios summovere familia permiserint sibi, sed auctores alios [6] in ordinem redegerint, alios omnino [7] exemerint numero. Nec poëtas legisse satis est: excutiendum omne scriptorum genus: non propter historias modo, sed verba, quæ frequenter jus ab auctoribus sumunt. Tum nec citra musicen grammatice potest esse perfecta, cum ei de [8] metris rhythmisque dicendum sit. Nec si rationem syderum ignoret, poëtas intelligat: qui (ut alia mittam) toties ortu occasuque signorum in declarandis temporibus utun-

1 *Hæc igitur.*] Diomedes grammaticam dividit in *horisticen*, id est, finitivam, quæ præceptiones recte scribendi & recte loquendi tradit, quam quidem partem artibus suis grammatici duntaxat complectuntur: & *exegeticen*. id est, enarrativam, quæ poëtarum & historicorum explicationem docet. ea utuntur grammatici cum profitentur. *Idem.*

2 *In duas partes, &c.*] Grammaticus recte loqui docet. Grammaticus Poëtas enarrat. Neque vero recte loqui, nisi recte scribat potest: cum sit stilus optimus dicendi magister, nequit enarrare Poëtas, nisi emendatos. quæ omnia judicium postulant. Varroni IV. partibus Grammaticæ officia constant: Lectione, Enarratione, Emendatione, Judicio. *Pithæus.*

3 *Quo quidem.*] Olim poëmatum censores, *Critici*, id est, Judices appellabantur, qui iidem grammatici quoque erant. ac (ut scribit Dion) res utraque manavit ab Aristotele. *Turneb.*

4 *Veteres.*] Grammatici Critici duabus notis utebantur, *asteriscо* cum aliquid deesse significabant; & *obeliscо* cum aliquid adjectum notabant. *Idem.*

5 *Et libros qui falso viderentur, &c.*] Vide Jan. Gebhard. Crepund. lib. 1. cap. 14. pag. 44. & pro *subdititios* leg. *subditos.*

6 *In ordinem redegerint.*] Hoc est, auctore Prisciano, inter viles & abjectos illos connumerarint. Contra, *è numero eximere*, est eximium atque egregium aliquem constituere. *Raph. Reg.*

7 *Exemerint numero.*] Hoc est eximios fecerint, extra ingenii aleam posuerint.

8 *Metris.*] Metrum, quod *dimensionem* interpretatur Fabius, constat certis temporibus & certo pedum ordine. *Rhythmus*, quem Fabius numerum interpretatur, constat temporum spatiis, non tamen certo pedum ordine. *Turn.*

1 *Empe-*

utuntur. Nec ignara philosophiæ, cum propter plurimos in omnibus fere carminibus locos ex intima quæstionum naturalium subtilitate repetitos, tum vel propter [1] *Empedoclem* in Græcis, Varronem ac [2] Lucretium in Latinis: qui præcepta sapientiæ versibus traderunt. Eloquentia quoque non mediocri est opus, ut de unaquaque earum quas demonstravimus rerum, dicat proprie & copiose. Quo minus sunt ferendi, qui hanc artem ut tenuem ac jejunam cavillantur: quæ nisi oratori futuro fundamenta fideliter jecerit, quicquid superstruxeris, corruet: necessaria pueris, jucunda senibus: dulcis secretorum comes: & quæ vel sola omni studiorum genere plus habet operis quàm ostentationis.

6 [3] Ne quis igitur tanquam parva fastidiat grammatices elementa: non quia magnæ sit operæ, consonantes à vocalibus discernere, ipsasque eas in semivocalium numerum, mutarumque partiri: sed quia [4] interiora velut sacri hujus adeuntibus, apparebit multa rerum subtilitas, quæ non modo acuere ingenia puerilia, sed exercere altissimam quoque eruditionem ac scientiam possit. An cujuslibet auris est exigere [5] literarum sonos? Non Hercule magis, quam nervorum. At grammatici saltem omnes in hanc descendent rerum tenuitatem, [6] desint ne aliquæ nobis necessariæ literæ, non quum Græca scribimus (tum enim ab iisdem [7] duas mutua-

1 *Empedoclem.*] Empedocles poëta Agrigentinus, res naturales quinque millibus versuum est persecutus, eumque scribunt philosophiam Pythagoræ esse secutum: quocirca Aristoteles in libello de poëtica, eum Philosophis potius quam Poëtis annumerat. *Turneb.*

2 *Lucretium.*] Lucretius res naturales carmine persecutus est, ac dogma est secutus Empedoclis & Epicuri. *Idem.*

3 Hoc capite Fabius de literarum pronuntiatione tractat, additque subtiles quæstiones, quibus investigat desintne Latinis literæ, an supersint. ad extremum partes orationis dividit. *Idem.*

4 *Interiora.*] Metaphora est ducta à mysteriis, quæ in aditis & arcanis locis fiunt, quo mystagogus neminem nisi initiatum ducit. *Idem.*

5 *Literarum sonos.*] Nam unaquæque vocalis latina, ut docet Priscianus lib. primo, saltem habet decem sonos. *Idem.*

6 *Desintne nobis.*] Priscianus docet longe plures esse pronuntiationes quam literas: quod, si verum est, & literæ pronuntiationis sunt indices, dubium non est, quin Latinis & Græcis literæ desint. *Idem.*

7 *Duas mutuamur.*] Quanquam Priscianus testis est, antiquos Latinos nec *y* græco usos, nec *x*, sed pro *y* usurpasse *u*, pro *x* modo *s* simplex, modo *ss* duplex.

1 *Ser-*

mutuamur) sed propriè in Latinis, ut in his [1] *Servus*, & *Vulgus*, [2] Æolicum digamma desideratur. [3] Et medius est quidam V & I literæ sonus. Non enim sic *optimum* dicimus, ut *opimum*. Et in *Here*, neque E planè, neque I auditur. [4] An rursus aliæ redundent, præterillam [5] aspirationis notam ⊢, quæ si necessaria est, etiam contrariam sibi poscit ⊣. [6] Et K, quæ & ipsa quorundam nominum nota est. Et Q, cujus similis effectus speciesque, nisi quòd paulum à nostris obliquatur, *Kappa* apud Græcos: nunc tantum in numero manet. Et nostrarum ultima χ, qua tamen carere potuimus, si non quæsissemus. [7] Atque etiam in ipsis vocalibus grammatici est videre, an aliquas pro consonantibus usus acceperit, quia *Jam* sicut *Tam* scribitur, & *Quos* ut *Cos*. Atque ut vocales jungantur. [8] aut enim unam longam faciunt, ut veteres scripsere, qui geminatione earum velut apice utebantur:

1 *Servus & vulgus.*] In quibus instituit Claudius Cæsar, ut uteretur digamma Æolico: quæ ratio tamen non obtinuit. *Idem.*

2 *Æolicum digamma.*] Æolicum digamma litera est peculiaris Æolibus Græcis, qua interdum pro aspiratione utuntur, interdum pro consonante simplici, interdum pro duplici. ea litera Latini utuntur, cum *u* consonans pronuntiari debet pinguius, aut cum φ Græcum mutatur in *f* Latinum. *Idem. Æolicum digamma.*] Quo usi Æolenses fuerunt pro aspiratione, atque etiam in medio dictionum, ut vocales separarentur. Ejus, ut nomine etiam indicatur, figura gemini *y* traditur, cum potestas literæ F fuisse videatur. Itaque illi pro ἑλένη Fελένη dixere, & ῥόδον Fρόδον, & δώ δωF. *Camerar. Æolicum digamma.*] *Æolicum digammon* ⊢ *desideratur. Et medius, &c.* Pithæus.

3 *Et medius est quidam.*] Priscianus libro primo ait confusum esse quendam sonum & temperatum ex *u* & *i*: ideoque hujuscemodi nomina à Latinis modo per *u*, modo per *i* scripta fuerunt. *Turneb. Medius est.*] Hoc est sonus quidam etiam alicubi auditur, neque literæ *i*, neque *u* proprius, sed quasi alterius literæ inter utramque mediæ. *Camerar.*

4 *An rursus.*] Priscianus docet Latinis duntaxat necessarias esse literas antiquas. *Turneb.*

5 *Aspirationis.*] Veteres Latini ita ut Græci supra vocales aspirationis tantum notam posuere, quod & ipsi in antiquis codicibus animadvertimus, *aium* legentes & *odie*, quod etiam ex hoc Quintiliani loco manifestum est. Nam si aspirationis, inquit, signatio necessaria est, erit etiam attenuationis, id est, quam ψιλὼ vocant: nam & veteres ait, non supra sed ante vocales aspirationem posuisse. *Camerar.*

6. *Et k.*] Etiam Priscianus docet literas *k* & *q* esse supervacuas, cum habeamus *c*. *Turneb.*

7 *Atque.*] Alias, *at quæ literæ. Idem.*

8 *Aut unam longam.*] Antiqui Latini cum vocalem longam scribere volebant, eam geminabant, eaque geminatio erat loco virgulæ extensæ, quæ notat syllabam esse longam. *Idem.*

1 *Aut*

bantur: [1] aut duas: nisi quis putat etiam ex tribus vocalibus syllabam fieri, quod nequit, si non aliquæ officio consonantium fungantur. [2] Quæret etiam hoc, quomodo duabus demum vocalibus in seipsas coëundi natura sit, cùm consonantium coëat nulla, nisi alteram frangat. [3] Atqui litera I sibi insidit. *Conjicit* enim est ab illo *Jacit*. Et V, quomodo nunc scribitur *Vulgus* & *Servus*. Sciat etiam Ciceroni placuisse [4] *Aijo* [5] *Maijamque* geminata I scribere. Quod si est, etiam jungetur ut consonans. Quare discat puer, quid in literis proprium, quid commune, quæ cum quibus cognatio: nec miretur cur [6] ex *Scamno* fiat *Scabellum*: aut à *pinna* (quod est acutum) securis utrinque habens aciem, *Bipennis*: ne illorum sequatur errorem, qui quia à pennis duabus hoc esse nomen existimant, *pinnas* avium dici volunt. Neque has modò noverit mutationes, quas afferunt declinatio, aut præpositio, ut *secat secuit*, *cadit excidit*, *cædit cecîdit*, *calcat exculcat*: & sic à *lavando lotus*, & inde rursus *illotus* & mille alia: sed & quæ rectis quoque casibus ætate transierunt. Nam ut [7] *Valesii* & *Fusii* in *Valerios Furiosque* venerunt:

1 *Aut duas.*] Hic locus de diphthongo intelligi potest: non desunt tamen qui intelligant de dictionibus quibusdam longis, quarum literæ quædam mutabantur. nam antiqui pro *lumen* dixerunt *loumen*. Idem.

2 *Quæret etiam.*] Videtur hoc præceptum intelligendum de ratione scribendi veterum, qui vocales longas geminabant, ac *rees doonum* dicebant. idem autem fieri non potest in consonantibus eisdem, nisi altera alterius sonum elidat, ut *efficio*, *addico*. Idem.

3 *Atqui litera I sibi incidit.*] Palatin. membran. *A quidem literam I sibi inscindit*. Jan. Gebhard. Crepund. l. 1. cap. 14. pag. 45. *Pareus*.

4 *Aiio.*] *I* consonans in principio simplex est, ut *Juno*: in medio duplex, ut *aiio*, ideoque antiqui per duplex *ii* scribebant: ita tamen pronunciandum censet Priscianus, ut prius *i*, priori vocali adjungatur, posterius posteriori, ne consonantes eædem jungantur, & complexe efferantur. *Turneb.*

5 *Maijamque.*] Scribe *Aijamque*. vide Turneb. adversar. l. 19. c. 12. p. 648.

6 *Ex scamno fiat scabellum.*] Adeundus Joh. Savaro ad Sidon. lib. 1. epist. 1. pag. 23. *Scamno fiat.*] Habet enim M. cum B. cognationem, quod in Græcis est manifestum, ut cum in præterito passivo primi ordinis acutisonorum verborum primæ zyzygiæ mutæ in M transeunt. Est autem magna cura hæc res animadvertenda & tradenda pueris, qua expedita multum difficultatis exclusum fuerit. *Camerar.*

7 *Valesii.*] Antiqui Latini *r* litera non utebantur, aitque Pomponius Jurisc. primo de origine juris, primum Appium Centimanum *r* literam apud Latinos invenisse. meminit quoque hujus rei Livius lib. 2. ab urb. cond. *Turneb.*

1 *Lasis.*]

nerunt: ita *arbos*, *labos*, *vapos* etiam & *clamos* ac [1] *laſes*, ætatis fuerunt. Et hæc ipſa S litera ab his nominibus excluſa, in quibuſdam ipſa alteri ſucceſſit: nam *mertare* atque *pultare* dicebant. [2] Quin *fædum fæduſque*, [3] pro aſpiratione, F, vel ſimili litera utentes: nam contra Græci aſpirare ſolent φ: [4] ut pro Fundanio Cicero teſtem qui primam ejus literam dicere non poſſet, irridet. Sed [5] B quoque in locum aliarum dedimus aliquando, unde [6] *Burrhus* & *Bruges*, & *Balæna*. [7] Nec non eadem fecit ex *duello bellum*, unde *Duellios* quidam dicere *Bellios* auſi. Quid *ſtlocum ſtliteſque*? Quid T literæ cum D quædam cognatio? Quare minus mirum ſi in vetuſtis operibus urbis noſtræ, & celebribus templis legantur *Alexanter* & *Caſſantra*. [8] Quid O atque V permutatæ invicem? ut *Hecoba* & *notrix*, *Culchides*, & [9] *Pulyxena*, ſcriberentur: ac ne in Græcis id tantum notetur, *dederont*, ac *probaveront*. [10] Sic ὀδυσσόυς, quem ὐδυσσέα fecerunt Æoles, ad

1 *Laſes.*] Quod *laſer* dixere, ſuccus ſilphii, id eſt, laſerpitii cyrenaïci germinis. *Camerar.*

2 *Quin fædum.*] Quemadmodum Æoles ſuo digamma utebantur plerunque pro aſpiratione; ita quoque Latini veteres *f*, quæ non eſt abſimilis digamma Æolico, pro aſpiratione utebantur. *Turneb. Quin fædum fæduſque.*] Docet Quintilianus diligenter obſervandum, quæ literæ ſuos locos naturaliter obtineant, quæve in aliorum quaſi ſubierint. Nam & R, in locum S, & in hujus T, alicubi ſucceſſit, &c. *Camerar.*

3 *Pro aſpiratione.*] Digamma Æolicum, quod eſt noſtrum *v*, conſonans appellatur à Varrone, & Didymo vau, ut docet Priſcianus. *Turneb.*

4 *Ut pro Fundano.*] Apparet teſtem illum hominem Græcum fuiſſe, ac pro *f* latino, pinguius pronuntiaſſe & extuliſſe φ Græcum. *Idem.*

5 *B. quoque in locum aliarum.*] Videndus Paul. Merula ad Ennium. pag. 59.

6 *Byrrhus.*] Videtur non *Byrrhus* legendum, ſed *Burrhus*. ita enim antiqui Latini appellarunt hominem rufum, *Burrhum*, ut docet Feſtus Pompejus, quem Græci πύῤῥον vocant.

7 *Nec non, &c.*] Pyrrhus, Phryges, Phalæna. Cicero in Oratore. pro, Locum, liteſque Sext. Pomp. fragm. 19.

8 *Quid O atque V.*] Plinius ſcribit nonnullas Italiæ civitates *o* caruiſſe, & illius loco, *u* ſubſtituiſſe. quod maxime fecerunt Umbri & Thuſci. contra quædam in Italia fuerunt civitates, quæ *u* non uterentur, & illius loco *o* ſubſtituerunt. *Turneb.*

9 *Pulyxena.*] Ita nos quoque epiſtulam ſemper in veteri Plautino codice ſcriptam notavimus. *Camerar.*

10 *Sic ὀδυσσόυς, quem ὐδυσσέα, &c.*] Forte melius ſcriberetur ὐδυσσέα, cum præſertim ſoleant Æoles mutare *o* in *υ*, & Latini *υ* in *u*: atque ita ſervaretur eadem quantitas. *Turneb.* Sic ὀδυσσόυς.] Conſuevere Æolenſes pro *o*, *υ* ponere, ipſumque *υ*, ut plenius ſonaret, *ο μικρῶ* quaſi explere, ut ϑυγατής. *Camerarius.*

ad [1] *Ulyxem* deductus est. Quid? non E quoque I loco fuit? ut [2] *Menerva*, & *leber*, & *magester*, & *Dijove* & *Vejove*, pro *Dijovi* & *Vejovi*? [3] Sed mihi locum signare satis est. Non enim doceo, sed admoneo docturos. Inde in syllabas cura transibit, de quibus in orthographia pauca annotabo. Tum videbit ad quem hoc pertinet, quot & quæ sint partes orationis: quamquam de numero parum convenit. [4] Veteres enim quorum fuerunt *Aristoteles* quoque atque *Theodectes*, verba modo & nomina & convinctiones tradiderunt: videlicet quod in verbis vim sermonis, in nominibus materiam, (quia alterum est quod loquimur, alterum de quo loquimur) in convinctionibus autem complexum eorum esse judicaverunt, quas *conjunctiones* à pleriſque dici scio, sed hæc videtur ex συνδέσμῳ magis propria translatio. [5] Paulatim, à philosophis, ac maxime Stoicis, auctus est numerus: ac primum convinctionibus articuli adjecti, post præpositiones nominibus appellatio, deinde pronomen, deinde mistum verbo participium, ipsis verbis adverbia. Noster sermo articulos non desiderat, ideoque in alias partes orationis sparguntur. Sed accedit superioribus interjectio. Alii tamen ex idoneis duntaxat auctoribus octo partes secuti sunt, ut *Aristarchus*, & ætate nostra *Palæmo*, qui vocabulum sive appellationem nomini subjecerunt tanquam species ejus. At ii qui aliud *nomen* aliud *vocabulum* faciunt, novem. Nihilominus fuerunt qui ipsum adhuc vocabulum ab *appellatione* diducerent, ut esset *vocabulum*, corpus visu tactuque manifestum, *appellationem* autem quæ non cadat in corpus, ut *Deus*, *Fortuna*, *Providentia*. Quæ sententia mihi videtur subtilior quam ut in usu communi recipiatur. Ego autem, quamquam nihil ad rem pertinere videatur, quot sint partes, tamen, ne quis me ignorare existimet, octo esse dicam, quia nec plures inveniri possunt, & hæc fere sententia invaluit.

1 *Ulyxem, &c.*] Gellius libro 3. c. 12.

2 *Menerva, leber, & magester.*] Varro de re Rust. lib. 1. cap. 2. & 48. Et adeundus Paul. Merula ad Ennium p. 58. Lud. Crescollius vacat. Autumn. lib. 3. cap. 13. p. 530.

3 *Pro Dijovi & Vejovi.*] Inscriptiones dedicationum templorum proculdubio spectavit Fabius de Jove Victore. Vide Agellium lib. 5. cap. 12. Moscellan. p. 21. *Dijovi & Vejovi.*] Alias *Dejove victore*, non *Dejovi victori*.

4 *Veteres enim, quorum, &c.*] Dialectici (ut ait Priscianus) partes orationis ponunt *nomen* & *verbum*, quod illa duo juncta integram faciant orationem. cætera appellant *syncategoremata*, id est, consignificantia. *Turneb.*

5 *Paulatim à philosophis.*] Dionysius Halicarnasseus dicit quatuor partes positas esse à Stoicis, *nomen*, *verbum*, *conjunctionem*, *articulum*: Priscianus vero quinque, & addit *appellationem*. Idem.

1 Περιπ-

manifestum, *domus*, *lectus*: *appellatio*, cui vel alterum deest, vel utrunque, *ventus*, *cœlum*, *deus*, *virtus*. Adjiciebant & asseverationem, ut *heu*: & attrectationem, ut *fasceatim*. quæ mihi non approbantur. Vocabulum, an appellatio dicenda sit [1] προσηγορία, & subjicienda nomini, necne, quia parvi refert, liberum opinaturis relinquo. [2] Nomina declinare & verba in primis pueri sciant: neque enim aliter pervenire ad intellectum sequentium possunt. quod etiam monere supervacuum fuerat, nisi ambitiosa festinatione plerique à posterioribus inciperent: & dum ostentare discipulos circa specioſa malunt, compendio morarentur. At si quis & didicerit satis, & (quod non minus [3] deesse interim solet) voluerit docere quæ didicit, non erit contentus tradere in nominibus tria genera, & quæ sint duobus omnibusve communia. Nec statim diligentem putabo, qui promiscua, quæ & *epicœna* dicuntur, ostenderit, in quibus sexus uterque per alterum apparet: aut quæ fœminina positione *mares*, aut neutrali *fœminas* significant, qualia sunt, *Muræna*, & *Glycerium*. Scrutabitur mille præceptor acer atque subtilis origines nominum: ut [4] quæ ex habitu corporis [5] *Cicerones*, *Rufos* 7

1 Προσηγορία.] Latine vocabulum. Adpellatio videtur magis è Græco propria translatio. *Pithœus.*

2 Post partium orationis divisionem, nunc accidentia optimo ordine persequitur in his duntaxat partibus quæ præcipuæ putantur, *nomine* scilicet & *verbo*. Turneb.

3 *Deesse.*] *Prodesse*. Pith.

4 *Quæ ex habitu.*] Hac de re lege Plutarch. in vita Coriolani. *Idem.*

5 *Cicerones, Rufos, Longosque.*] *Cicerones* vitio additos & *ubi aliquid secretius* invenit in scriptis Gebhardus: ut & priscæ habent editiones. Sed ne sic quidem sanus locus. Quid enim est, *quæ Rufos Longosque fecerunt*? utrum *quæ* nomina, an *quæ* origines? ex quo sensu utrumvis? Cætera non libet exagitare. Satis ipsa quemvis ostendunt attente legentem. Tò *Vopiscus* tamen quî est petitum ex illis, quæ post natos eveniunt? Numquis alius igitur Vopiscus, quam *qui in utero matris geminus conceptus, altero abortu ejecto, incolumis editur*? ut Valerius & Plinius tradunt. Sin, hiccine nascenti casus, an postquam jam natus est, evenit? Prorsus pessime hunc habitum locum, nec nisi magno facinore restitui posse censeo. Videbatur autem: *ut quæ ex habitu corporis Rufis Longisque fecerunt: ubi erit aliquod secretius Sullæ, Burrhi, Galbæ, Planci*, (vel *Plauti*: & forsan utrumque ponendum) *Pansæ, Scauri taliaque & ex casu nascentium, Agrippa & Opiter & Cordus & Postumus & Vopiscus*: & *ex iis, quæ post natus eveniunt, unde jam Cottæ, Scipiones, Lænates, Serrani sunt, & ex variis causis. Quæ*, inquit, *ex habitu corporis Rufis Longisque fecerunt*,

fos Longosque fecerunt: (nisi erit aliud secretius, [1] *Syllæ*, *Burrhi*, [2] *Galbæ*, [3] *Planci*, *Pansæ*, *Scauri*, taliaque) & ex casu nascentium: hinc *Agrippa* & *Opiter* & *Cordus* & *Posthumus* erunt. & ex iis quæ post natos eveniunt, unde *Vopiscus*. Jam *Cottæ*, *Scipiones*, *Lænates*, *Serani sunt*: & ex variis causis. Gentes quoque ac loca, & alia multa reperias inter nominum causas. [4] In servis jam intercidit illud genus quod ducebatur à domino, unde [5] *Marcipores*, *Publiporesque*. Quærat etiam, sitne apud Græcos vis quædam sexti casus, & apud nos quoque septimi. [6] Nam cum dico, *hasta percussi*, non utor ablativi natura: nec si idem Græce dicam, dativi, τῷ δορί.
8 Sed in verbis quoque quis est adeo imperitus, ut ignoret genera & qualitates & personas & numeros? Literarii pene ista sunt ludi & trivialis scientiæ. Jam quosdam illa turbabunt,

intellige, nomina majores vel Romani homines. *Ubi*, quo in genere nomen *erit aliquod secretius*, non ita obviæ originis. *Sullæ* autem, non *Sillæ*, neque *Syllæ* scribendum: sed neque *Sili* cum Sigonio corrigendum. Nam ab habitu corporis *Sullam* dictum, qui princeps hoc cognomen tulit (quippe ὑποκοριστικὸν à *Sura*, quod etiam Corneliæ gentis) primi, quod sciam, observavimus: qui id occupavit publicare sub nomine Aliorum, à nobis per familiares literas accepit. Pergit Fabius: *taliaque*, id est, juxta secretiora *& ex casu nascentium* sunt *Agrippa & Opiter*. Nam τὰ *hinc erunt*, alienæ manus putamus. Denique legimus, *quæ post natus eveniunt*, id est, nativitates. quæ non imponuntur statim ex casu, qui nativitatibus intervenit, sed postea per varia vitæ tempora. *Natus*, ut *magno natu*, *majores natu*. Gronovius. *Cicerones Rufos*.] Vide Jan. Gebhard. Crepund. lib. 1. cap. 14. pag. 45.

1 *Syllæ*, *Burrhi*.] Videatur Cælius Rhodigin. lib. 24. cap. 5. pag. 114.

2 *Galbæ*.] Vel à *galba*, vel galbula avi, vel à *galbano*, vel *galbeo*, quod medicamentum est lanis involutum: vel quia *galba* lingua Gallica significat præpinguem. vel à vermiculis æsculi, qui *galbæ* appellantur. *Turneb*.

3 *Planci*.] A pedum planicie nomen habent: nam *plancæ* sunt tabulæ planæ. Alii tamen *Plauti* legunt, qui nomen quoque sortiuntur à planicie pedum. vel à Græco nomine πλατὺς, id est, *latus*. Idem.

4 *In servis*.] Antiqui Romani unum duntaxat habebant servum, qui ex nomine heri appellabatur. sed cum postea luxuria crevisset, pluresque habere cœpissent servos, hujuscemodi appellationes exoleverunt. *Idem*.

5 *Marcipores*.] Id est, pueri & servi Marci. not. Priscian. in his ultimam esse brevem. *Idem*. *Marcipores*, *Publiporesque*.] Videatur Phil. Beroald. Annotat. in Quintil. p. 240. in Lamp. Crit. 1. Jac. Spiegelius interpret. in Prudent. p. 192. edit. Weitzianæ. Ger. Vossius Instit. Orat. lib. 4. cap. 12. pag. 245. Priscian. lib. 6. Plin. lib. 31. cap. 1.

6 *Nam cum dico*.] Ajunt Grammatici septimum esse casum, quando terminatione ablativi utimur; ita tamen ut nec nomen ablativum regat, nec verbum, nec etiam præpositio addatur quæ illum casum exigat. *Turneb*.

1 *Tenen-*

bunt, quæ declinationibus non [1] tenentur. [2] Nam & quædam, *participia*, [3] an verbi appellationes sint, dubitari potest, quia aliud alio loco valent, ut *lectus*, & *sapiens*. Quædam appellationibus similia, ut [4] *fraudator*, *nutritor*. Jam, *Itur in antiquam sylvam*, nonne propriæ cujusdam rationis est? [5] nam quod initium ejus invenias? cui simile *Fletur* accipimus: aliter ut,

Panditur interea domus omnipotentis olympi.

Aliter ut,

--- *Totis Usque adeò turbatur agris* ---

[6] Est etiam quidam tertius modus, ut *urbs habitatur*: unde & *campus curritur*, *mare navigatur*. [7] *Pransus* quoque atque *potus* diversum valent, quam indicant. Quid quod multa verba non totum declinationis ordinem ferunt? Quædam etiam mutantur, ut *fero* in præterito. Quædam tertiæ demum personæ figura dicuntur, ut *licet*, *piget*. Quædam simile quiddam patiuntur vocabulis in adverbium transeuntibus. Nam ut *noctu* & *diu*, ita *dictu* & *factu*. Sunt enim hæc quoque verba participialia quidem, non tamen qualia *dicto*, *factoque*.

CAP. V.

1 *Tenentur.*] Mss. *terentur.*

2 *Nam & quædam.*] Videtur appellare appellationes verbi, nomina à verbis deducta: nam *lectus* & *sapiens* interdum participia sunt, quando habent casum verbi sui: interdum nomina, quando alium à verbo casum habent. Posset etiam fortasse hoc præceptum intelligi de verbo. nam *lectus est*, etiam verbum est: & *nutritor olivam*, apud Verg. Ita verbum erit simile appellationi. *Turnebus.*

3 *An verbi.*] Si de verbis intelligas, lege, *an verba sint*, *dubitari potest. Idem.*

4 *Fraudator*, *nutritor.*] Alii *fiondator*, *vinitor.*

5 *Nam quod initium.*] *Eor* & *Fleor* non dicitur. illud autem, *Panditur domus*, non admodum dissimile est tertii modi exemplis, nisi fortasse hoc generalius dictum accipiatur. *Turbatur* vero per se dictum impersonaliter vides, ut ibidem, *Bellatur comminus armis.* Camerar.

6 *Est etiam quidam tertius.*] Primus modus verbum habet impersonale, cujus thema non extat, cum sit neutrum. Alter verbum habet impersonale, cujus thema passivum est in usu. Tertius verba habet neutralia, quæ personaliter tamen interdum usurpantur in passivo. *Turneb.*

7 *Pransus.*] Significat enim alterum eum qui prandit: alterum, qui potavit. *Camerar.*

Cap. V.

De virtutibus & vitiis orationis.

9 [1] Jam cum omnis oratio tres habeat virtutes, ut *emendata*, ut *dilucida*, ut *ornata* sit (quia dicere apte, quod est præcipuum, plerique ornatui subjiciunt) totidem vitia, quæ sunt supradictis contraria, emendate loquendi regula, quæ grammatices prior pars est, examinet. Hæc exigitur verbis aut singulis aut pluribus. [2] Verba nunc generaliter accipi volo: nam duplex eorum intellectus est: alter, qui omnia per quæ sermo nectitur, significat, ut apud Horatium:

Verbaque provisam rem non invita sequentur.

Alter, in quo est una pars orationis, *lego*, *scribo*. Quam vitantes ambiguitatem quidam dicere maluerunt, *voces*, *dictiones*, *locutiones*. Singula sunt aut nostra, aut peregrina: aut simplicia, aut composita: aut propria, aut translata: aut usitata, aut ficta. [3] Uni verbo vitium sæpius quam virtus inest. Licet enim dicamus aliquid proprium, speciosum, sublime, nihil tamen horum nisi in complexu loquendi serieque contingit. Laudamus enim verba bene rebus accommodata: sola est quæ notari possit velut [4] *vocalitas*, quæ Εὐφωνία dicitur: cujus in eo delectus est, ut inter duo quæ idem significant, ac tantundem valent, quod melius sonat, malis.

Prima

1 NUnc Fabius de oratione tradit: cujus cum sint tres virtutes, de prima tamen emandata locutione hoc loco duntaxat aget. nam hæc pars ad grammaticum spectat: cæteræ autem duæ ad rhetorem. itaque de illis Fabius lib. 8. aget. Addit & hoc capite orationis emendatæ vitia, *barbarismum* & *solœcismum*, ac utriusque species persequitur. *Turneb.*

2 *Verba nunc.*] Prodiorismum addit, ne homonymia lectorem deciperet. *Idem.*

3 *Uni verbo.*] Verba simplicia si per se consideres, unam hanc habebunt virtutem, quam appellat *Euphoniam*. Plurima tamen vitia seorsum habere possunt. nam quædam sunt obscœna, quædam sordida, quædam humilia, quædam barbara. *Idem.*

4 *Vocalitas.*] *Vocalitatem* appellat Fab. suavem quandam plenamque ex ore pronunciantis auribus nostris insidentem nominis appellationem. *Idem.*

1 *Prima*

[1] Prima *barbarismi* ac [2] *solœcismi* fœditas absit. [3] Sed quia interim excusantur hæc vitia aut consuetudine, aut auctoritate, aut vetustate: aut denique vicinitate virtutum (nam sæpe à figuris ea separare difficile est) [4] ne quem tam lubrica observatio fallat, acriter se in illud tenue discrimen grammaticus intendat, de quo nos latius ibi loquemur, ubi de figuris orationis tractandum erit. Interim vitium quod fit in singulis verbis, sit *barbarismus*. Occurrat mihi forsan aliquis, *quid* [5] *hic promisso tanti operis dignum?* aut quis hoc nescit, alios barbarismos *scribendo* fieri, alios *loquendo?* quia quod male scribitur, male etiam dici necesse est: quæ vitiose dixeris, non utique & scripto peccant: [6] Illud prius *adjectione*, *detractione*, *immutatione*, *transmutatione*: hoc secundum, *divisione*, *complexione*, *aspiratione*, [7] *sono* contineri? [8] Sed ut parva sint hæc, pueri docentur adhuc: & grammaticos officii sui commonemus. Ex quibus si quis erit plane impolitus, & vestibulum modo artis hujus ingressus, intra hæc quæ profitentium commentariolis vulgata sunt, consistet: doctiores multa adjicient: vel hoc primum, quod *barbarismum*

1 *Prima barbarismi.*] *Barbarismus* est in vitiosa dictione: *Solœcismus* in collocatione inemendata. *Idem. Barbarismi fœditas.*] Videatur Isidorus Orig. lib. 1. cap. 31. p. 842. Joh. Lud. Strebæus Remensis, de Elect. & Colloc. Verb. lib. 1. c. 12. p. 59. Lud. Cresollius, Vacat. Autumnal. lib. 2. p. 347.

2 *Solœcismi.*] Agell. lib. 5. cap. 20. Epist. ad Clodium Tuscum. *Solœcismus est*, inquit, *impar & inconveniens compositura partium orationis.* Veteres Latini *Stribliginem* appellarunt, Asinius *imparilitatem* dicere solitus. Dicebatur etiam *Solœcismus*, omnis inconveniens actio. Videatur Isidorus Orig. lib. 1. cap. 32. p. 842. And. Schotti Tusc. Quæst. lib. 5. p. 64. & seqq.

3 *Sed quia.*] *Barbarismus* & *solœcismus* apud poëtas excusantur, ac certe pene pro virtutibus habentur, ac tum nomina mutant, appellanturque *metaplasmi* & *schematismi. Turneb.*

4 *Ne quem tam lubr. obs. fallat.*] *Fallere* est λανθάνειν hic elegantia priscæ ac Romana. Fab. lib. 8. cap. 2. & l. 6. c. 4. Tum lib. 9. cap. 10. *Longius fortasse progredior, fallente transitu.* Gebhard. Crepund. lib. 1. cap. 14.

5 *Hic promissor tanti operis.*] Allusit ad illud Horatii De arte Poët. vs. 138. &c. Vide Gebhard. Crepund. lib. 1. cap. 14. p. 46.

6 *Illud prius.*] Hoc est vitium scriptionis, ut si quis scribat, *legge, beibo*, pro lego, bibo. &c. *Camerar.*

7 *Sono.*] Per sonum intelligit *tonos* & *accentus*: quanquam etiam ea intelligit vitia quæ fiunt per *iotacismum, lambdacismum.* Turneb.

8 *Sed parva.*] Solutio anthypophoræ. *Idem.*

ſmum pluribus modis accipimus. [1] Unum *gente*, quale ſit ſi quis *Afrum* vel *Hiſpanum* Latinæ orationi nomen inſerat: ut [2] ferrum quo rotæ vinciuntur, dici ſolet *canthus*, quanquam eo tanquam recepto utitur Perſius. ſicut Catullus [3] *ploxenum* circa Padum invenit: & in oratione Labieni, ſive illa Cornelii Galli eſt, in Pollionem *caſnar* [3] aſſectator è Gallia ductum eſt. [5] nam *maſtrucam*, quod Sardum eſt, illudens Cicero ex induſtria dixit. [6] Alterum *genus barbariſmi* accipimus, quod ſit animi natura, ut is à quo inſolenter quid aut minaciter aut crudeliter dictum ſit, barbare locutus exiſtimetur. Tertium eſt illud vitium barbariſmi, cujus exempla vulgo ſunt plurima, ſibi etiam quiſque fingere poteſt, ut verbo cui libebit adjiciat literam ſyllabamve, vel detrahat, aut aliam pro alia, aut eandem alio quam rectum eſt loco ponat. Sed quidam fere in jactationem eruditionis ſumere illa ex poëtis ſolent: & auctores quos [7] prælegunt, criminantur. Scire autem debet puer, hæc apud ſcriptores carminum aut venia digna, aut etiam laude duci: potiuſque illa docendi erunt minus vulgata. nam duos in uno nomine faciebat barbariſmos [1] Tinca Placentinus (ſi reprehendenti

1 *Unum in gente.*] Donatus quoque *barbariſmum* ſeparat à barbaralexi. eſt enim *barbaralexis*, quando peregrino verbo utimur ut Hiſpano aut Gallico. *Barbariſmus* autem Latina quidem eſt dictio, ſed tamen vitioſa. *Idem.*

2 *Ferrum quo rotæ vinciuntur, dici ſolet canthus.*] Utitur hoc vocabulo tanquam recepto, Perſius Sat. v. verſ. 71. Vide Caſaubon. ad hunc Perſii locum, p. 403. &c. *Canthus.*] Videtur innuere Fab. *Canthum* eſſe dictionem *Hiſpanicam*. Hac tamen Homerus in Iliade eſt uſus. *Idem.*

3 *Ploxenum.*] Alii *Ploxemum* ſcribunt, atque ita reperitur in codicibus Catulli. Feſtus vero Pomp. appellat *ploximum*, & capſam interpretatur. *Idem.*

4 *Aſſectator.*] Appellat puellam, inquit Ulpianus, qui blanda oratione illius pudicitiam attentat. *Aſſectatur* vero, qui tacitus eam aſſidue inſequitur ut tandem potiatur. inde *aſſectator* dicitur. *Idem.*

5 *Nam maſtrugam, &c.*] Pro Scauro. Quem purpura lis non commovit, eum Sardorum maſtruca mutavit. *Pithæus. Maſtrucam.*] Ex oratione pro Scauro, quæ nunc non exſtat, hunc locum citant, & de provinciis conſularibus *maſtrucatos latrunculos* dicit. *Camerar. Nam Maſtrugam, &c.*] Vide Domit. Calderin. lib. 3. Obſervat. in Lamp. Crit. part. 1. pag. 316. &c.

6 *Alterum genus.*] Hominem crudelem Græci ſolent & Latini *barbarum* appellare: unde *barbariſmus* pro crudelitate dicitur, ut *phalariſmus*. *Turneb.*

7 *Prælegunt.*] *Prælector.* Vide Gell. lib. 18.

1 *Tinca*

hendenti Hortensio credimus) *preculam* pro [2] *pergulam* dicens: & immutatione, [3] cum *c* pro *g* uteretur: & transmutatione, cum *r* præponeret *e* antecedenti. At in [4] eadem vitii geminatione [5] *Metieo Suffetieo* dicens Ennius, poëtico jure defenditur.

Sed in prosa quoque jam est quædam recepta immutatio. Nam Cicero [6] *Canopitarum* exercitum dicit, [7] ipsi *Canobon* vocant. & [8] *Tharsomenum* pro *Thrasumeno* multi auctores etiam si est in eo transmutatio, vendicaverunt: similiter alia. nam sive est falsum, [9] *assentior*, [10] Sisenna dixit [11] *assentio*, multique & hunc & [12] analogiam secuti. sive illud verum est, [13] hæc quoque pars consensu defenditur. At ille

1 *Tinca Placentinus.*] *Tincæ* meminit Cic. in Bruto, eumque dixit fuisse facetum admodum, sed tamen dicacitate Granio imparem. nomen sortitur à *tinca pisce.* Turneb. *Tinca Placentinus.*] Meminit hujus Tincæ Cicero in Catalogo Claror. Oratorum, ubi facetissimum hominem dicit fuisse.

2 *Pergulam.*] Locus est columnis sustentatus ante ædes, vel omnibus vel pluribus lateribus liberæ auræ expositus, in quo deambulare veteres solebant.

3 *Cum c pro g uteretur.*] Auson. *Gammæ vice functa prius* C. Festus in Orcum & in Prodigia. *Pithœus.*

4 *Eadem vitii.*] Id est, bis eodem modo vitiose dicens. *Camerar.*

5 *Metieo.*] *Mætius & Suffetius* apud antiquos per diphthongum scribebantur, quam Ennius mutavit in monophthongum *è*, & ipsam diphthongum rejecit in penultimam. *Cic. in Brut.* Turn.

6 *Canopitarum.*] *Canobos* solebat scribi, teste Strabone l. 17. At Plinius *Canopum* vocat; civitas est, sortita nomen à Canopo quodam qui illic sit mortuus: cives Canopitæ dicti sunt, ut notat Mosellanus.

7 *Ipsi Canobon.*] Servius à *Canobo* Menelai gubernatore dicit appellatum esse ostium Nili & oppidum Ægypti, mutata una litera, ut dicatur *Canopum.* Strabo tamen semper appellat *Canobum.* Turneb.

8 *Tharsomenum.*] Valla legendum putat hoc loco *Tharsumenum*: quæ lectio verior etiam videtur, cum duntaxat sit transmutatio, ut ait Fab. *Idem. Tharsomenum.*] Mosellanus *Thrasimenum* legendum opinatur: loci est nomen in Umbria, Apuliæ regione, ubi Romani quondam infeliciter pugnarunt.

9 *Assentior.*] *Sentior.* Vide Gel. l. 2. cap. 25.

10 *Sisenna.*] Lucius Sisenna: vir doctus, & studiis optimis deditus, gnarus Reipub.

11 *Assentio.*] Vide Varron. lib. 8. de ling. Lat.

12 *Analogia.*] Analogia est similis similium declinatio, quam quidam Latine *proportionem* vocant. Agellius lib. 2. cap. 25.

13 *Hæc quoque pars, &c.*] Olim duntaxat *assentior* dicebant. Primus Sisenna historicus & idem orator in senatu dixit *assentio*, ac post Sisennam Cic. aliique optimi auctores *assentio* etiam usurparunt. Innuit itaque Fab. utrunque esse in usu. *Turneb.*

ille pexus pinguisque doctor, aut illic detractionem, aut hîc adjectionem putabit. Quid quod quædam quæ singula proculdubio vitiosa sunt, juncta sine reprehensione dicuntur? Nam & *dua* & *tre* & pondo diversorum generum sunt barbarismi: at *duapondo* & [1] *trepondo*, usque ad nostram ætatem ab omnibus dictum est, & recte dici Messala confirmat. Absurdum forsan videatur dicere, barbarismum, quod est unius verbi vitium, fieri per numeros, aut genera, sicut solœcismum: [2] *scala* tamen & *scopa*, contraque [3] *hordea* & *mulsa*, licet literarum mutationem, detractionem, adjectionem non habeant, non alio vitiosa sunt, quam quod pluralia singulariter, & singularia pluraliter efferuntur: & [4] *gladia* qui dixerunt, genere exciderunt. Sed hoc quoque notare contentus sum, ne arti culpa quorundam pervicacium perplexæ, videar & ipse quæstionem addidisse. Plus exigunt subtilitatis quæ accidunt *in dicendo* vitia, quia exempla eorum tradi scripto non possunt, nisi cum in versus inciderunt, ut διαίρεσις Europæi: & ei contrarium vitium, quod συναίρεσιν & συναλοιφὴν Græci vocant, nos *complexionem* dicimus: qualis est apud P. Varronem:

Cum te flagranti dejectum fulmine Phæton.

Nam

1 *Trepondo.*] His quoque dictionibus utitur Scribonius Largus frequenter in lib. de compositionibus medicamentorum. *Idem. At duapondo & trepondo.*] Horum rationem investigavimus lib. 1. de pecun. vet. cap. 7. *Gronovius.*

2 *Scala tamen & scopa.*] Servius annotat, nomina ea quæ pluribus rebus constant, singulari carere. Annotat Donatus, ea nomina quæ pertinent ad numerum, pondus, mensuram, plurali carere. *Turneb. Scala tamen, &c.*] Romanus Aquila, malo ascensum quam scalam aut gradiculos, ut quidam, dixere. Varro 2. de analog. Diomedis. Servius in Donat. *Pithœus.*

3 *Hordea.*] Quæ ponderi vel mensuræ subjecta sunt pluraliter non declinantur, ut triticum, frumentum, oleum, aurum, argentum, plumbum; in hujusmodi enim quæ sub mensuram ac pondera potius quam sub numerum succedunt, cum incrementum accessit per multum enuntiatur. Dicimus enim, multum oleum, & multum plumbum, non multa olea, plumba, &c. Quandoque tamen pluralem numerum sibi vindicant. Nam dicimus vina, mella, Ciceronis exemplo. Ordea Virg. dixit. Musta Ovid. & hoc libro Fabius: musta austera. *Idem.*

4 *Gladia.*] Valla tamen ex Varrone annotat *gladium* in neutro genere dici. *Turneb.*

1 Par-

Nam si esset prosa oratio, easdem literas enunciare veris syllabis licebat. Præterea quæ fiunt spacio, sive cum syllaba correpta producitur, ut,

Italiam fato profugus ---

Seu longa corripitur: ut, *Unius ob noxam & furias* - extra carmen non deprehendas. sed nec in carmine vitia ducenda sunt. Illa vero non nisi aure exiguntur, quæ fiunt per sonos: quanquam per aspirationem, sive adjicitur vitiose, sive detrahitur, apud nos potest quæri an in scripto sit vitium, si H litera est, non nota. cujus quidem ratio mutata cum temporibus est sæpius. [1] Parcissime ea veteres usi etiam in vocalibus, cum *œdos*, *ircosque* dicebant. Diu deinde [2] servatum ne consonantibus aspiraretur, ut in Graccis, & [3] *triumpis*. Erupit brevi tempore nimius usus, ut *choronæ*, *chenturiones*, *præchones* adhuc quibusdam inscriptionibus maneant. [4] qua de re Catulli nobile epigramma est. Inde durat ad nos usque *vehementer*, & *comprehendere*, & *mihi*: nam *mehe* quoque pro me apud antiquos tragœdiarum præcipue scriptores in veteribus libris invenimus. [5] Adhuc difficilior observatio est per *tenores*, quos quidem ab antiquis dictos *tonores* comperi, ut videlicet declinato à Græcis verbo, qui τόνος dicunt: vel accentus, quas Græci προσῳδίας vocant, cum acuta & gravis alia pro alia ponitur, ut in hoc [6] *Camillus*, si acuitur prima. Aut gravis pro flexa,

1 *Parcissime.*] *Vid.* Angel. Politian. observat. cap. 19.

2 *Servatum.*] *Reservatum, observatum* Cic. in Orat.

3 *Triumpis.*] Videatur Ang. Politianus Miscellan. cap. 19. p. 32. &c.

4 *Qua de re Catulli nobile Epig.*] Politianus putat citari hoc Epigr. de Arrio LXXXV. *Chommoda dicebat, si quando commoda vellet Dicere, & hinsidias, Arrius insidias, &c. Qua de re Catulli.*] Usque adeo refugit aspirationem consonantium lingua Latina, ut Græcis etiam dictionibus veteres detraxerint. Quin & ego ipse cum scirem ita majores locutos esse, ut nusquam nisi in vocali aspiratione uterentur, loquebar sic, ut *pulcros*, *triumpos* & *Cartaginem* dicerem aliquando, idque sero, convitio aurium, cum mihi extorta veritas esset, usum loquendi populo concessi, scientiam mihi reservavi. *Camerar.*

5 *Adhuc difficilior.*] *Prosodia* proprie significat, notam quandam dictionis & pronunciationis moderationem: dividiturque *in tonum, spiritum, tempus, passionem.* Hic tamen à Quintiliano usurpatur pro tono. *Turneb.*

6 *Camillus.*] Syllaba quæ accentum non habet acutum aut circumflexum, habet

xa, ut *Chetegus*, & hîc prima acuta: nam sic media mutatur. [1] Aut flexa pro gravi, ut apici circumducta sequente, quam ex duabus syllabis in unam cogentes, & deinde flectentes, dupliciter peccant, sed id sæpius in Græcis nominibus accidit: ut [2] *Atrêûs*. quem nobis juvenibus doctissimi senes acuta prima dicere solebant, ut necessario secunda gravis esset. Item Tepeî. Nerêque. Hæc de accentibus tradita. [3] Cæterum jam scio quosdam eruditos nonnullos etiam grammaticos sic docere ac loqui, ut propter quædam vocum discrimina, verbum interim acuto sono finiant, ut in illis,

Quæ circum littora, circum Piscosos scopulos---

Ne si gravem posuerint secundam, *circus* dici videatur, non *circuitus*. Item *quantum*, *quale*, interrogantes, gravi: comparantes, acuto tenore concludunt: quod tamen in adverbiis fere solis ac pronominibus vindicant, in cæteris veterem legem sequuntur. Mihi videtur conditionem mutare, quod his locis verba conjungimus. Nam cum dico, *circum littora*, tanquam unum enuncio, dissimulata distinctione: itaque tanquam in una voce, una est acuta: quod idem accidit in illo,

Trojæ qui primus ab oris.

Evenit ut metri quoque conditio mutet accentum: ut,

Pecudes pictæque volucres.

Nam *volucres* media acuta legam: quia etsi natura brevis, tamen

habet gravem. Penultima autem si longa est, semper habet acutum aut circunflexum: acutum quidem, si longa est positione, aut si longa est natura, & ultima etiam longa: circunflexum vero, si natura longa est, & ultima brevis. *Idem.*

1 *Aut flexa pro gravi.*] Quidam eam syllabam quæ gravari deberet circunflectunt, ac insuper *sinæresin* faciunt: ut si quis hoc nomen *Balteus*, ut dissyllabum pronuntiaret, & ultimam syllabam circunflecteret, dupliciter peccaret, tum quod duas syllabas in unam misceret, tum quod male accineret. Hoc tamen vitium potius fieri solet in Græcis dictionibus. *Idem.*

2 *Atreus.*] Hæ dictiones Græcæ apud Græcos acuunt ultimam, apud Latinos penultimam. igitur in obliquis si quis Atrei ultimo loco circunflecteret, & duas syllabas in unam conflaret, peccaret. *Idem.*

3 *Cæterum.*] Hodie quoque differentiæ causa, solent adverbia, præpositiones, pronomina acuere ultimo loco. *Idem.*

1 *Jam-*

tamen positione longa est, ne faciat [1] jambum, quem non recipit versus heroicus. Separata verò hæc, à præcepto nostro non recedent: aut si consuetudo vicerit, vetus lex sermonis abolebitur: cujus difficilior apud Græcos observatio est, (quia plura illis loquendi genera, quas [2] Διαλέκτους vocant: & quòd aliàs vitiosum, interim aliàs rectum est) apud nos vero rectissima ratio, ac etiam brevissima. [3] Namque in omni voce, *acuta* intra numerum trium syllabarum continetur, sive hæ sint in verbo solæ, sive ultimæ: & in his aut proxima extremæ, aut ab ea tertia. [4] Trium porro de quibus loquor, media longa, aut acuta, aut flexa erit: [5] eodem loco brevis, utique gravem habebit sonum: ideoque positam ante se, id est ab ultima tertiam, acuet. [6] Est autem in omni voce utique acuta, sed nunquam plus una: nec ultima unquam: ideoque in dissyllabis prior. Præterea nunquam in eadem, flexa & acuta, quoniam eadem flexa ex acuta. itaque neutra claudet vocem Latinam. Ea vero quæ sunt syllabæ unius, [7] erunt acuta aut flexa,

1 *Jambum.*] Alioqui enim esset versus miulus. *Idem.*

2 Διαλέκτους.] *Dialectus* idioma est & linguæ proprietas, quæ peculiarem quamdam habet phrasim & pronunciationem. itaque cum apud Græcos accentuum ratio sit difficilis, difficultatem tamen addit idiomatum varietas. nam cum *Peleus* & similia nomina lingua communi & Attica ultimam acuant, tamen lingua Æolica penultimam acuunt. *Turneb.* Quas διαλέκτους.] Nemo fere est, qui ignoret Græcæ linguæ omnibus communem nationis illius hominibus usum, quatuor differentiis fuisse variatum, duas διαλέκτους dixerunt: *Attica, Ionica, Dorica & Æolica.* Sed sub his ipsis quasi generibus, multæ diversitates inveniuntur, quatenus non modo per gentes, sed civitates etiam, & oppida & vicos non eodem modo locuti fuere. *Camerar.*

3 *Namque.*] Aldus legit: *Nam quod.*

4 *Trium porro.*] Dictio quæ habet penultimam longam, si naturaliter longam habet, ultima brevi circunflectetur, alioqui acuetur. *Turneb.*

5 *Eodem loco.*] Dictio quæ tres saltem habet syllabas, si penultimam brevem habebit, eam gravabit, & antepenultimam acuet: sin autem sit dissyllaba, acuet penultimam. *Idem.*

6 *Est autem.*] Hoc præceptum intelligi debet de dictionibus dissyllabis aut polysyllabis. illæ enim nunquam terminantur accentu acuto aut circunflexo. Quod autem ait Fabius, omnem dictionem habere accentum acutum, ita intelligendum est, quia cum omnis dictio aut acuatur aut circunflectatur, circunflexus tamen accentus sit ex acuto, & ut acutus syllabam quoque elevat. *Idem.*

7 *Erunt acuta aut.*] Dictio monosyllaba, si est natura longa, circunflectitur, ut *cos, ros*: alioqui acuitur, ut *grex.* Idem.

1 *Et*

flexa, ne sit aliqua vox sine acuta. [1] Et illa per sonos accidunt, quæ demonstrari scripto non possunt, vitia oris & linguæ: [2] ἰωτακισμὸς & λαμβδακισμὸς, ἰσχνότης & πλατεισασμὸς, feliciores fingendis nominibus Græci vocant: sicut [3] κοιλοστομίαν, cum vox quasi in recessu oris [4] auditur. Sunt etiam proprii quidam & inevitabiles soni, quibus nonnunquam nationes reprehendimus. Remotis igitur omnibus quæ supra diximus vitiis, erit illa quæ vocatur ὀρθοέπεια, id est emendata cum suavitate vocum explanatio. nam sic accipi potest recta. [5] Cætera vitia omnia ex pluribus vocibus sunt, quorum est *solœcismus*: quanquam circa hoc quoque disputatum est. [6] nam etiam qui contextu vel complexu orationis accidere eum confitentur, quia tamen unius emendatione verbi corrigi possit, in verbo esse vitium, non in sermone contendunt: cum sive [7] amaræ corticis, seu medio cortice, per genus facit solœcismum. quorum neutrum quidem reprehendo, cum sit utriusque Virgilius auctor. Sed fingamus utrumlibet non recte dictum: mutatio vocis alterius in qua vitium erat, rectam loquendi rationem sic reddit, ut amari corticis fiat, vel media cortice. [8] quod manifestæ calumniæ est: neutrum enim vitiosum

1 *Et illa per.*] Cum quid plus æquo aut minus sonat, collisiones & hiatus ἰσχνότητας, & πλατεισασμὸς dixit. *Camerar.*

2 Ἰωτακισμὸς.] *Iotacismus* est, quando *i*, nimium pronunciatur, & indecore: quod vitium ut vitarent Latini, interdum duplex *ii* pro uno pronunciarunt. *Turneb.*

3 Κοιλοστομίαν.] Hoc vitium videtur appellare Quintil. κοίλαπεπλασμένον in capite de pronunciatione, cum vox scilicet in intimis faucibus auditur, & in oris inanitate resonat. *Idem.*

4 *Auditur.*] Dividitur.

5 *Cætera vitia.*] *Solœcismus* vitium est in contextu orationis contra grammatices regulam, in poëmate tamen excusatur, & appellatur *Schema*. additur & *solœcophanes*, quod solœcismum præ se ferre videtur, cum tamen non sit solœcismus. ut, *in Eunuchum suam*, apud Terentium. *Turneb.*

6 *Nam etiam qui contextu vel complexu orat.*] Vide Jan. Gebhard. Crepund. lib. 2. cap. 1. pag. 56.

7 *Amaræ corticis.*] Donatus & Diomedes *solœcismum* esse putant, si quis corticem in fœminino usurpet: cujus tamen est auctor Verg. *Turnebus.*

8 *Quod manifestæ calumniæ est.*] Videlicet in verbo esse solœcismus, non in sermone. Nam neque per se *amaræ*, nec *amaro*: neque *corticis* neque *cortice* reprehendi potest; sed constructio fuerit vitiosa, cum sit peccatum in genere. *Camerar.*

1 *Illud*

tiosum separatum est, sed compositione peccatur, quæ jam sermonis est. [1] Illud eruditius quæritur, an in singulis quoque verbis possit fieri solœcismus: ut si unum quis ad se vocans, dicat: *venite.* aut si plures à se dimittens, ita loquatur, *Abi.* aut, *Discede* Necnon cum responsu n ab interrogatione dissentit: ut si dicenti, *Quem video?* ita occurras, *Ego.* [2] In gestu etiam nonnulli putant idem vitium inesse, [3] quum aliud voce, aliud nutu vel manu demonstratur. Huic opinioni neque omnino accedo, neque plane dissentio. nam id fateor posse accidere voce una, non tamen aliter, quam si sit aliquid quod vim alterius vocis obtineat, ad quod vox illa referatur: ut *solœcismus* ex complexu fiat eorum quibus res significantur, & voluntas ostenditur. Atque ut omnem effugiam cavillationem, fit aliquando in uno verbo, [4] nunquam in solo verbo.

Per quot autem & quas accidat species, non satis convenit. Qui pleniſſime, quadripertitam volunt esse rationem, nec aliam quam barbarismi: ut fiat adjectione: ut, *Veni de* [5] *Susis in Alexandriam.* Detractione, *Ambulo viam, Ægypto venio, Ne hoc fecit.* Transmutatione, qua ordo turbatur, *Quoque ego, Enim hoc voluit, Autem non habuit.* [6] Ex quo

1 *Illud eruditius.*] Quædam sunt, quæ cum verbis simplicia sint, tamen intellectu sunt composita: ut *salutationes, demonstrationes, interrogationes,* & alia pleraque. Itaque in illis tametsi verbum unum ponitur, vicem tamen multorum supplet. *Solœcismus* igitur illic fit, non *barbarismus.* Turneb.

2 *In gestu.*] Lucillius lib. 2. Epigrammatum dicit rhetora Flaccum manus nutu *solœcismum* commisisse, quin & Polæmon sophista Tragœdum dicit manu *solœcismum* fecisse, quod cum Jovem exclamaret, terram inspexisset: cum terram, cœlum suspexisset. *Turneb.*

3 *Quum aliud voce.*] Ut si illud Terentianum: *O cœlum, ô terra*; ita pronuntiatum sit, ut manus in priore dejiceretur, in altero sustolleretur. *Camerar.* Vide Cæl. Rhodigin. lib. 20. cap. 25.

Quum aliud voce, aliud nutu vel manu d.] τῇ χειρὶ ἐσολόκιζεν. *Pithœus.*

4 *Nunquam in solo verbo.*] Quanquam *solœcismus* in una dictione fieri videtur, ut in interrogationibus: nunquam tamen illa dictio est sola, quia aliæ subintelliguntur. atque ita Fabius propositam quæstionem solvit, ut evitet sophistarum cavillationes. *Turneb.*

5 *Susis.*] *Susa* in plurali significat oppidum Persidis, in quo erat regia regum Persarum. *Idem.*

6 *Ex quo genere.*] Apud Ciceronem *Igitur* modo præponitur, modo postponitur. quidam tamen postponendum semper esse ajunt, atque ita semper utuntur. *Horum igitur judicio, igitur* si præponatur, solœcismus erit. *Idem.*

1 *Hæc*

quo genere an sit igitur, in initio sermonis positum, dubitari potest, quia maximos auctores in diversa fuisse opinione video, cum apud alios sit etiam frequens, apud alios nunquam reperiatur. [1] Hæc tria genera quidam diducunt à solœcismo, & *adjectionis vitium*, πλεονασμὸν: *detractionis*, ἔλλειψιν: *inversionis*, ἀναστροφὴν vocant: quæ si in speciem solœcismi cadant, [2] ὑπέρβατον quoque appellari eodem modo posse. *Immutatio* sine controversia est, cum aliud pro alio ponitur. Id per omnes orationis partes deprehendimus, frequentissime in verbo, quia plurima huic accidunt, ideoque in eo fiunt *solœcismi* per genera, tempora, personas, modos, sive cui *status* eos dici, seu *qualitates* placet, [3] vel sex, vel (ut alii volunt) [4] octo: nam totidem vitiorum erunt formæ, in quot species eorum quidque de quibus supra dictum est, diviseris. Præterea numeros, in quibus nos singularem ac pluralem habemus, Græci & δυϊκὸν. Quanquam fuerunt qui nobis quoque adjicerent dualem, [5] *scripsere: legere*: quod evitandæ asperitatis gratia mollitum est, ut apud veteres pro *male mereris*, *male merere*. ideoque [6] quod vocant *duale*, in illo solo genere consistit, cum apud Græcos & in verbi tota fere ratione, & in nominibus deprehendatur, & sic quoque [7] rarissimus ejus sit usus, apud nostrorum vero neminem hæc observatio reperiatur: quin è contrario,

Deve-

1 *Hæc tria genera.*] Donatus *solœcismum* in duas partes dividit, in partium mutationem, & accidentium immutationem. *adjectionem* vero, *detractionem*, & *inversionem* tropis & schematibus annumerat. cujus opinionem sequitur etiam Diomedes. *Idem.*

2 Ὑπέρβατον.] *Anastrophe* ab *hyperbato* differt, quia in paucis est dictionibus, quarum ordo invertitur: *Hyperbaton* autem transgressionem verborum habet prolixiorem. *Idem.*

3 *Vel sex, vel ut alii volunt octo.*] Diomedes: Modos quinque esse, omnes fere Grammatici consentiunt. *Pithœus.*

4 *Octo.*] Nam ponunt *indicativum, imperativum, interrogativum, permissivum, optativum, promissivum, conjunctivum, infinitivum.* Turneb.

5 *Scripsere.*] Veteres Latini (ut scribit Diomedes) *numerum dualem* contempserunt: quo etiam olim Græcia caruit. Postea tamen à Græcis inventus est, cum alioqui non esset necessarius. *Idem.*

6 *Quod vocant duale.*] Neque Æolica neque communis apud Græcos lingua dualem habet. *Pithœus.*

7 *Rarissimus.*] Nam interdum *plurali* pro *duali* utuntur Græci. *Turneb.*

1 *Dixere*

[1] *Devenêre locos*: &, [2] *Conticuêre, omnes*: &, [3] *Consedêre duces*, aperte nos doceant, nihil horum ad duos pertinere: [4] *Dixere* quoque, quanquam id Antonius Rufus ex diverso ponit exemplum, de pluribus patronis præco pronunciet. Quid? non Livius circa initia statim primi libri, *Tenuere*, inquit, *arcem Sabini?* & mox, *In adversum Romani subiere?* Sed quem potius ego quam M. Tullium sequar? qui in Oratore, *Non reprehendo*, inquit scripsere: *scripserunt esse verius sentio.* [5] Similiter in vocabulis & nominibus fit *solœcismus* genere, numero, proprie autem casibus. Quicquid eorum alteri [6] succedet, huic parti subjungatur licet, per comparationes & superlationes: itemque in quibus [7] *patrium* pro pro possessivo dicitur, vel contra. [8] Nam vitium quod fit per quantitatem, ut *magnum peculiolum*, erunt qui *solœcismum* putent; quia pro nomine integro positum sit diminutum. Ego dubito an id *improprium* potius appellem: significatione enim deerrat. *Solœcismi* porro vitium non est in sensu, sed in complexu. In participio, per genus, & casum, ut in vocabulo: per tempora, ut in verbo: per numerum, ut in utroque, peccatur. Pronomen quoque genus, numerum, casus habet, quæ omnia recipiunt hujusmodi

1 *Devenere.*] Virgil. Æneid. 2. & 6.

2 *Conticuêre.*] Æneid. 2.

3 *Consedêre.*] Ovid. Metam. 13.

4 *Dixere quoque.*] Olim in foro perorata utrinque causa, pronunciabat præco, *dixere.* quod etiam de pluribus advocatis, qui persæpe unam causam defendebant, dicebatur, cum tamen interdum essent duo tantum patroni, ac præco pronuntiaret, *dixere.* Antonius Rufus, cujus Macrob. in Satur. meminit, ex hoc ipso probare nitebatur dualem numerum. *Turneb.*

5 *Similiter in vocabulis.*] *Solœcismus* in nomine committur, cum accidentia ejus immutantur: ut *numerus pro numero, casus pro casu.* itaque quodcunque accidens pro alio ponetur, *solœcismus* erit. *Idem.*

6 *Succedit.*] Id est, quicquid eorum unum pro altero ponitur. *Camerar.*

7 *Patrium.*] *Patrium* vocat Priscianus nomen patriæ. Hic tamen latius accipitur pro nomine primitivo, à quo derivatur possessivum: ut *Dardanus* apud Verg. pro *Dardanius.* Turneb. *Patrium.*] Venit in mentem *primitivum* rectius legi posse & in proclivi fuisse hanc mutationem: sed nolui non consentientibus codd. *Patrium* autem nomen Grammatici vocant, in quo patriæ significatio inest: sicut *gentile*, in quo gentis, ut Romanus, Athenienſis. *Camerar.*

8 *Nam vitium quod.*] Quando parvum pro magno, aut diminutum pro integro ponitur, est species *acyrologiæ*, non solœcismi. non enim est *solœcismus* in sententia, sed in verbis. *Turneb.*

jusmodi errorem. [1] Fiunt *solœcismi*; & quidem plurimi, per partes orationis: sed id tradere satis non est: ne ita demum vitium esse credat puer, si pro alia ponatur alia: ut *verbum*, ubi nomen esse debuerit: [2] vel *adverbium*, ubi *pronomen*, & similia. Nam sunt quædam cognata, ut dicunt, id est ejusdem generis, in quibus qui alia specie quam oportet utetur, non minus quam ipso genere permutato deliquerit. Nam & *an*, & *aut*, conjunctiones sunt: male tamen interroges, *hic, aut ille sit.* Et *ne* ac *non*, adverbia: qui tamen dicat pro illo, *Ne feceris*, *Non feceris*, in idem incidat vitium: quia alterum negandi est, alterum vetandi. Hoc amplius *intro* & *intus*, loci adverbia: *Eo tamen intus*, & *Intro sum*, solœcismi sunt. Eadem in diversitate pronominum, interjectionum, præpositionum, accidunt. [3] Est enim *solœcismus* in oratione comprehensionis unius sequentium ac priorum inter se inconveniens positio. [4] Quædam tamen & faciem *solœcismi* habent, & dici vitiosa non possunt: ut *tragœdia Thyestes*, & [5] *ludi Floralia* ac *Megalesia*: quamquam hæc sequenti tempore interciderunt, nunquam aliter à veteribus dicta. *Schemata* igitur nominabuntur, frequentiora quidem apud poëtas, sed oratoribus quoque permissa. Verum *schema* fere habebit aliquam rationem, ut docebimus eo quem paulo ante promisimus loco. [6] Sed hoc quoque quod

1 *Fiunt solœcismi.*] Fiunt etiam *solœcismi* partium mutatione, non solum diversarum, verum etiam cognatarum & vicinarum. quanquam interim mutatio venustum efficit schema, quod appellant *enallagen* & *heteresin*. *Idem.*

2 *Vel adverbium.*] Jam cras hesternum consumsimus, ecce aliud cras. *Pers.*

3 *Est enim.*] Hic Fabius notare videtur vitium quod appellant ἀναχόλουθον, quod fit quando in eadem periodo protasi male redditur apodosis: ut *omnia prius experiri quam armis sapientem decet.* dicendum erat, quam arma. *Turneb.*

4 *Quædam tamen.*] Intelligit figuram *appositionem*, cujus creber fuit apud antiquos usus, ut specialibus generalia adderentur, quæ tamen phrasis postea intercidit. videtur autem esse *solœcophanes.* Turneb.

5 *Ludi Floralia.*] Floralia ludi votivi persoluti à Posthumio & Lænate coss. Ovid. Fastor. lib. 5. Valde erraverunt, qui *Larentalia* pro his accepere, quæ celebrabantur in Decembri, cum *Floralia* fierent pridie Calendarum Maii. *Megalensia* ludi magnæ matris, quibus P. Africanus iterum consul ille major primum locum ante consessum populi senatui dedit, ut Cic. ait. Vide & Ovid. l. IV. Fastor. *Camerar.*

6 *Sed hoc quoque.*] Lib. 9. cap. 1.

quod *schema* vocatur, si ab aliquo per imprudentiam factum erit, *solœcismi* vitio non carebit. [1] In eadem specie sunt, sed *schemate* carent, ut supra dixi, nomina fœminina quibus mares utuntur, & neutralia quibus fœminæ. [2] Hactenus de *solœcismo*. Neque enim artem grammaticam componere aggressi sumus: sed cum in ordinem incurreret, inhonoratam transire noluimus. Hoc amplius, ut institutum ordinem sequar, verba aut Latina aut peregrina sunt. *Peregrina* porro ex omnibus prope dixerim gentibus, ut homines, ut instituta etiam multa, venerunt. [3] Taceo de *Tuscis* & *Sabinis*, & *Prænestinis* quoque: nam ut eorum sermone utentem [4] *Vectium* Lucillius insectatur: quemadmodum *Pollio* deprehendit in Livio [5] *Patavinitatem*: licet omnia Italica pro Romanis habeam. Plurima Gallica valuerunt, [6] ut *rheda* ac *petoritum*: quorum altero [7] Cicero tamen, altero [8] Horatius utitur. Et [9] *mappam* quoque, usitatum Circo nomen,

1 *In eadem specie sunt.*] Nomina positione fœminina, quæ masculorum sunt, *solœcismum* efficere videntur. ut *Murena*, *Aurata*. Itidem quoque nomina fœminarum, quæ positione sunt neutra. *Turneb.*

2 *Hactenus.*] Cum Fabius de nominum divisione ageret, nominumque virtutibus ac vitiis, excurrit in *solœcismum* & *barbarismum*: denuo igitur institutam repetit divisionem. *Idem.*

3 *Taceo de Tuscis, &c.*] Curis Fortunatianus lib. 3. Rhet. Scholic. Gentilia verba sunt quæ propria quarundam gentium: sicut Hispani non cubitum vocant, sed Græcorum Ancona: & Galli facundos pro facetis. Et Romani vernacula plurima & neutra masculino genere potius enunciant, ut hunc theatrum, & hunc prodigium. Priscian. lib. 1. *O* aliquot civitates Italiæ, teste Plinio, non habebant, sed loco ejus ponebant *u*, & maxime Umbri & Tusci. Sosipater lib. 2. *Pithœus.*

4 *Vectium.*] *Vectius orator* fuit mediocris, natione Marsus. hic cum uteretur verbis municipalibus, à Lucillio in satyris est exagitatus. *Turneb. Vectius.*] Vectius Vectianus è Marsis inter externos Oratores à Cicerone nominatur in Bruto. *Camerar.*

5 *Patavinitatem.*] Per *patavinitatem* intelligit *affectationem quandam municipalem*, quæ quanquam barbara non est, tamen à genuina sermonis Romani elegantia desciscere videtur. *Turn. In Livio Patavinitatem.*] Vide *Franc.* Flor. Sabini Subcisc. l. 1. c. 2. *Pollio deprehendit in Livio Patavinitatem.*] Adi Ptol. Flavium Anconit. Conjectan. c. 45. p. 972. In Lamp. Crit. part. 1. & Franc. Floridi Sabini Lect. subcisiv. libro 1. cap. 2. p. 10063.

6 *Ut rheda ac petoritum.*] Agel. l. 15.

7 *Cicero.*] *Pro Milone.*

8 *Horat.*] Serm. 2. Sat. 6.

9 *Mappam.*] *Mappa* velum erat quod à magistratu mittebatur in signum curriculi ludis Circensibus. *Turneb. Et mappam.*] Leg. *Et mappam circo quoque usitat. nomen, &c.* Vide Dom. Calder. Observ. lib. 3. p. 317. *Mappam.*] Martial. lib. 12.

nomen, Pœni sibi vendicant: & *Gurdos*, quos pro stolidis accipit vulgus, ex Hispania duxisse originem audivi. Sed hæc divisio mea, ad Græcum sermonem præcipue pertinet: nam & maxima ex parte Romanus inde [1] conversus est, & confessis quoque Græcis utimur verbis, ubi nostra desunt, sicut illi à nobis nonnunquam mutuantur. [2] Inde illa quæstio exoritur, an eadem ratione per casus duci externa, qua nostra, conveniat. Ac si reperias grammaticum veterum amatorem, neget quicquam ex Latina ratione mutandum: quia cum sit apud nos casus ablativus, quem illi non habent, parum conveniat, uno casu nostro, quinque Græcis uti. Quinetiam laudet virtutem eorum, qui potentiorem facere linguam Latinam studebant, nec alienis egere institutis fatebantur: [3] inde *Castôrem* media syllaba producta pronuntiarunt, [4] quia hoc omnibus nostris nominibus accidebat, quorum prima positio in easdem quas *Castor* literas exit: & ut *Palæmo*, ac *Thelamo*, & *Plato*, (nam sic eum Cicero quoque appellat) dicerentur, retinuerunt: quia Latinum quod *o* & *n* literis finiretur, non reperiebant. [5] Ne in *a* quidem atque *s* literas exire temere masculina Græca nomina recto casu patiebantur: ideoque & apud Cælium legimus, *Pelia Cincinnatus:* & apud Messalam, *Benefecit Euthia:* & apud [6] Ciceronem, *Hermagora:* ne miremur quod ab

1 *Conversus est.*] Roman. sermo ex Græco conversus.

2 *Inde illa quæstio.*] Quæstionem hanc, an oporteat græca nomina latine flectere, primum grammaticorum veterum opinione decidit, qui putabant latine esse inflectenda: deinde recentium, qui græce declinanda judicabant: postremo sua ipsius, putatque in nonnullis retinendam esse inflexionem græcam, in non nullis latinam, ubi patietur linguæ decor. *Turneb.*

3 *Inde Castôrem.*] Antiqui cum Græcis nominibus utebantur, ea in consuetudinem latinam transformabant. itaque cum latina nomina in *or* terminata, *o* longum habeant in obliquis, Græca quoque nomina per *o* longum enunciabant. Inde apud Lucillium Actius exagitatur, quod *Hectorem* media longa dixisset. *Turneb.*

4 *Quia hoc.*] Hoc est, omnia Latina declinabantur per *o* longum, quæ quidem desinerent in nominativo *or*. *Camerar.*

5 *Ne in a quidem.*] Hoc intelligendum est de nominibus primæ declinationis Græcorum, quæ in linguam latinam antiqui vertebant detracto *s*. *Turneb.*

6 *Ciceronem.*] Rhetor. 1. & in Bruto.

1 *Nam*

ab antiquorum plerisque *Ænea* & *Anchisa* sit dictus. [1] Nam si ut *Mecœnas*, *Suffenas*, [2] *Asprenas* dicerentur, genitivo casu non *e* litera, sed *tis* syllaba terminarentur. [3] Inde *olympo* & *tyranno* acutam mediam syllabam dederunt, [4] quia duabus longis sequentibus primam brevem acui noster sermo non patitur. Sic genitivus [5] *Achilli* & *Ulysi* fecit, sic alia plurima. [6] Nunc recentiores instituerunt Græcis nominibus Græcas declinationes potius dare: quod tamen ipsum non semper fieri potest. Mihi autem placet Latinam rationem sequi quousque patitur decor. [7] Neque enim jam *Calypsonem* dixerim, ut *Junonem*: quanquam secutus antiquos C. Cæsar utitur hac ratione declinandi. Sed auctoritatem consuetudo superavit. In cæteris quæ poterunt utroque modo non indecenter efferri, qui Græcam figuram sequi malit, non Latine quidem, sed citra reprehensionem loquetur. [8] Simplices voces, prima positione, id est natura sua constant: compositæ, aut præpositionibus subjunguntur, ut *innocens* inter-

1 *Nam si.*] Innuit omnia nomina latina terminata in *as*, facere genitivum in *atis*. *Turnebus.*

2 *Asprenas.*] Nonius Asprenas caussam dixit veneficii cum accusaretur à Cassio Severo, quod unius patinæ veneno necasset cxxx. convivas. Plin. lib. 35. cap. 12. *Camerar.*

3 *Inde olympo.*] Antiqui in nominibus Græcis accentu utebantur Latino, non Græco. itaque dictiones Græcas quæ penultimam longam haberent, solebant media syllaba acuere, cum Græci acuerent in antepenultima. *Turneb.* *Inde olympo.*] Sensus est: cum Græci dicant ὄλυμπος & τύραννος, maluisse illos Latinos veteres Græca nomina, suo, quam Græcorum more enuntiare: itaque mediam acuisse, quæ cum longa sit positione, Latina ratione non potuerit gravari. Quod autem dixit, *dederunt olympo*, non ita accipiendum, quasi dativum solum notarit: nam id fecit suo more, ut paulo ante *Ænea & Anchisa* sit dictus. Solet enim exempla fere Fabius ad constructionem orationis accommodare. *Camerar.*

4 *Quia duabus longis sequentibus.*] Lege, *quia aut una aut duabus longis.* Turnebus.

5 *Achilli & Ulysi.*] Hi genitivi sunt antiqui, ac deducuntur à nominibus terminatis in *eus*, per synæresin, ut *Achilleus*: falliturque Servius qui putat in his casibus esse *antiptôsin*. Idem.

6 *Nunc recentiores instituerunt.*] Gebhardus mavult: *instituerunt.*

7 *Neque enim jam.*] Priscianus tamen ait nomina græca in *o* longum terminata, latine vel per *us* flecti vel per *onis*. quod tamen non placet Fabio. *Turnebus.*

8 *Simplices voces.*] Per simplices voces intelligit *nomina primitiva*, quæ ab alio non componuntur, dicunturque ab aliis *nomina primæ impositionis*. Cicero appellasse videtur *nomina nativa*. Turnebus.

[1] interdum repugnantibus inter se duabus, quale est *imperterritus:* alioqui possunt aliquando continuari duæ, ut *incompositus, reconditus*, & quo Cicero utitur, [2] *subabsurdum.* Aut è duobus quasi corporibus coalescunt, ut *maleficus.* Nam ex tribus nostræ utique linguæ non concesserim: quamvis *capsis* [3] Cicero dicat compositum esse ex *cape si vis:* & inveniantur qui [4] *Lupercalia* æque tres partes orationis esse contendant, quasi *luere per caprum.* nam [5] *Solitaurilia* jam persuasum est esse ex *sue, ove*, & *tauro.* & sanè ita se habet sacrum quale [6] apud Homerum quoque est. Sed hæc non tam ex tribus, quam ex particulis trium coëunt. Cæterum etiam ex præpositione & duobus vocabulis dure videtur struxisse [7] Pacuvius:

--- [8] *Nerëi*
Repandirostrum incurvicervicum pecus.

Junguntur autem aut ex duobus Latinis integris, ut *superfui, subterfugi:* (quanquam ex integris an composita sint, quæritur) aut ex integro & corrupto, ut *malevolus:* aut ex corrupto & integro, ut *noctivagus:* aut ex duobus corruptis, ut *pedisequus:* aut ex nostro & peregrino, ut [9] *biclinium:* aut contra, ut *epitogium*, & *Anticato:* aut ex duobus peregrinis, ut

1 *Interdum repugnantibus.*] Hæc compositio Fabio videtur paulo esse durior, nec eam certe probat, quanquam ipse quoque eadem est usus. dixit enim, *inexpugnabilem.* Idem. *Repugnantibus.*] Quæ integre jungi nequeant. *Camerar.*

2 *Subabsurdum.*] II. De Orat.

3 *Cicero.*] In Orator. & Quintil. infra lib. 6. cap. de risu.

4 *Lupercalia.*] Decimo quinto Calendas Martii currebant Luperci. Ovid. lib. XI. Fastor. *Camerar.*

5 *Solitaurilia.*] *Solitaurilia* sacrificium erat quod à Censoribus quinto quoque anno lustro condito fiebat ex sue, ove, & tauro. *Turneb. Solitaurilia.*] Tractat hæc Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 10. Vide Joh. Brodæum Miscellan. lib. 6. cap. 33. p. 569. quod sue, ove & tauro sacrificaretur. *Camerar. Solitauria.*] *Suovetaurilia.* Liv. deca. primæ lib. 1.

6 *Apud Homerum.*] Odysseæ 8.

7 *Pacuvius.*] Vide Crinit. lib. 19 cap. 5.

8 *Nerëi.*] Hic versus intelligi videtur de *Phocis.* Sic enim appellantur vituli marini, suntque Nereo consecrati, magistrumque habent Proteum sive custodem. *Turneb.*

9 *Biclinium.*] *Biclinium* cœnatio est quæ capit duos lectos, ut *triclinium* tres. est autem dictio composita ex latino & græco. *Idem. Ut biclinium, ut epitogium.*] *Epitogium* genus vestis, quod togæ superinduebatur, ex ἐπὶ & *toga.* Vide Domit. Calderin. Observ. lib. 3. p. 316.

1 *Ut*

[1] ut *epirhedium*. Nam cum sit præpositio ἐπὶ Græca, [2] *rheda* Gallicum: nec Græcus tamen nec Gallus utitur compositio: Romani suum ex alieno utroque fecerunt. [3] *Frequenter autem* præpositiones quoque copulatio ista corrumpit: inde *abstulit*, *ausugit*, *amisit*: cum præpositio sit ab, *sola*: *& coit*, cum sit præpositio *con*: sic *ignavi*, [4] & *erepti*, & similia. Sed res tota magis Græcos decet, nobis minus succedit: nec id fieri natura puto, sed alienis favemus: ideoque cum κυρτοαυχένα mirati sumus, [5] *incurvicervicum*, vix à risu defendimus. [6] *Propria* sunt verba, cum id significant, in quod primum denominata sunt. *Translata*, cum alium natura intellectum, alium loco præbent. Usitatis tutius utimur: nova non sine quodam periculo fingimus. Nam si recepta sunt, modicam laudem afferunt orationi: *repudiata*, etiam in jocos exeunt. Audendum tamen: namque, ut [7] *Cicero* ait, etiam quæ primo dura visa sunt, usu molliuntur. [8] Sed minime nobis concessa est ὀνοματοποιία. quis enim ferat siquid simile illis merito laudatis, [9] λίγξε βιὸς, & σίζει [10] ὀφθαλμὸς, fingere audeamus? [11] Jam ne *balare* quidem aut *hinnire* fortiter diceremus, nisi judicio vetustatis niterentur.

CAP.

1 *Ut epirhedium.*] *Epirhedium* genus est vehiculi, quod non est absimile rhedæ. *Turneb.*

2 *Rheda.*] Cic. in Orat.

3 *Frequenter autem.*] Videtur innuere Fabius, ex præpositione *ab* compositionem fieri, non autem ex præpositione abs vel à. *Turneb.*

4 *Et erepti.*] In aliis codicibus scribitur, *è republica*: quæ compositio tamen non placet Fabio. itaque alii conjectura ducti scripserunt *erepti*, ut videatur esse mutata præpositio *ex*. Idem.

5 *Incurvicervicum.*] Varro lib. 2. de L. L.

6 Methodo resolutiva ea persequitur, quibus constat oratio emendata. Fabius autem libro octavo ait *verba aut propria esse, aut translata, aut ficta. propria* sunt certa rerum vocabula cum ipsis rebus pene nata: *translata*, tropo immutata: *ficta*, quæ ab oratore novantur, & usitatis apponuntur. *Turneb.*

7 *Cicero.*] *Cic.* 1. de nat. Deorum.

8 *Sed minime.*] Fictio nominis vix est Latinis concessa, eam tamen Græci usurpant frequenter in effingendis sonis, aliisque affectibus, non alia libertate quam primi homines qui rebus appellationem imposuerant. Huc spectare putat Erasm. *paragogen*, id est nominum deductionem ex analogia sumptam: ut si *syllaturire* dicamus, quemadmodum *esurire*. Turneb.

9 Λίγξε βιός.] Hom. 4. Iliad. & Odyss. 9.

10 Ὀφθαλμός.] Ἄνεμος, alii.

11 *Jam ne balare quidem aut hinnire.*] Leg. *Jam ne balare quidem aut forte hinnire diceremus*. Vide Jan. Gebhard. Crepund. lib. 2. cap. 1.

Cap. VI.

De verbis propriis ac translatis, usitatis & novis, & de quatuor quibus sermo constat. De vetustis verbis & quibus verbis sit utendum, & de auctoritate. De consuetudine.

Est etiam sua loquentibus observatio, sua scribentibus. *Sermo* constat ratione, vetustate, auctoritate, consuetudine. [1] Rationem præstat præcipue *analogia*, nonnunquam & [2] *etymologia*. Vetera, majestas quædam, & ut sic dixerim, religio commendat. *Auctoritas* ab oratoribus vel historicis peti solet. nam poëtas metri necessitas excusat, nisi siquando nihil impediente in utroque modulatione pedum, alterum malunt, qualia sunt, —[3] *Imo de stirpe recisum.* & — *Aeriæ quo congessere palumbes.* & — *Silice in nuda.* & similia: cum summorum in eloquentia virorum judicium pro ratione, & vel error honestus est magnos duces sequentibus. [4] Consuetudo verò, certissima loquendi magistra: utendumque plane sermone, [5] ut numo, cui publica forma est. Omnia tamen hæc exigunt acre judicium, [6] *analogia* præcipue, quam proxime ex Græco transferentes in Latinum, *proportionem* vocaverunt. Ejus hæc vis est, ut id quod dubium est, [7] ad aliquid simile, de quo non quæritur, referat: ut incerta certis probet. Quod efficitur duplici via: *comparatione* similium in extremis maxime syllabis,

1 *Rationem præstat.*] *Analogiam* nonnulli servandam putant in grammatica. ea autem est similium similis inflexio. alii contra *anomaliam*, quæ est inæqualitas & dissimilis declinatio. Artis tamen præceptiones *analogia* potius constant, consuetudinis ratio *anomalia*. Turneb.

2 *Etymologia.*] A-Gell. l. 2. c. 25.

3 *Imo, &c.*] Æneid. 11. Ecl. 3. & 1.

4 *Consuetudo vero.*] *Consuetudo* accipienda est pro consensu eruditorum, non pro locutione vulgi, quæ plerunque vitiosa est. *Turneb.*

5 *Ut numo cui publica forma est.*] Ita utendum verbis ut numis publica moneta signatis. *Pith.*

6 *Analogia præcipue.*] Quia similitudo plerunque imponit & fallit, à qua ducitur *analogia*. Porro M. Varro lib. 8. de lingua latina, multa contra *analogiam* disputat, aitque nullam esse similium observationem. eam tamen in libris *de lingua latina* tuetur. *Turneb.*

7 *Ad aliquid simile.*] M. Varro ait eum *analogiæ* esse imperitum, qui similitudinem sumere non possit, à qua pendet *analogia*. Idem.

bis, (propter quod ea [1] quæ sunt è singulis, negantur debere rationem) & *diminutione*. *Comparatio* in nominibus, aut genus deprehendit, aut declinationem: *Genus*, ut si quæratur, [2] *funus* masculinum sit, an fœmininum, simile illi sit *panis*. Declinationem, ut si veniat in dubium, *hac domu* dicendum sit, an *hac domo*, & *domuum* an *domorum*: similia sint *domus, anus, manus*. [3] *Diminutio* genus modo detegit: & ne ab eodem exemplo recedam, *funem* masculinum esse *funiculus* ostendit. Eadem in verbis quoque ratio comparationis: ut si quis [4] antiquos sequutus *fervere* brevi media syllaba dicat, deprehendatur vitiose loqui, quod omnia quæ *e* & *o* literis [5] fatendi modo terminantur, eadem si in infinitis *e* literam media syllaba acceperunt, utique productam habent, *prandeo, pendeo, spondeo, prandere, pendere, spondere*. At quæ *o* solam habent, dummodo per eandem literam in infinito exeant, brevia fiunt, *lego, dico, curro, legere, dicere, currere*, [6] etiamsi est apud Lucillium,

Fervit aqua & [7] *fervet: fervit nunc, fervet ad annum.*

Sed pace dicere hominis eruditissimi liceat, si *fervit* putat illi simile *currit* & *legit*, *fervo* dicetur, ut *curro* & *lego*: quod nobis inauditum est. Sed non est hæc vera comparatio: nam *fervit* illi est simile *servit*: quam proportionem sequenti dicere necesse est *fervîre*, ut *servire*. [8] Prima quoque aliquando

1 *Quæ sunt è singulis, &c.*] Varro In his quæ non declinantur analogia quæri non debet, ut *mox, vix*. Pithœus.

2 *Funus.*] Gellius tamen annotat Lucretium esse usum hac dictione in fœminino, *Aurea de cœlo demisit funus in arva*. Turneb.

3 *Diminutio genus.*] Annotat ipse Priscianus nomina quædam videri diminutiva, quæ à suo primitivo genere differant, ut *aculeus, paxillum*: quæ tamen potius sunt *paronyma* quam *diminutiva*. Idem.

4 *Antiquos secutus.*] Antiqui pene omnia verba secundæ conjugationis per tertiam extulerunt, maxime tamen verba in *veo*. Idem.

5 *Fatendi.*] Id est, indicandi.

6 *Etiamsi est apud, &c.*] Priscianus tamen ait Terentium hoc verbo usum, cum ait, *Cum maxime fervit*. nam Verg. etsi dixit *fervere Leucatem*, nunquam tamen dixisset in præsenti *fervo*. Turneb.

7 *Fervit aqua & fervet, &c.*] Vide hac de re Gasp. Barthium Adversl. lib. 56. p. 9. p. 2645.

8 *Prima quoque positio.*] Servius tamen negat *pago* dici absque *n*, Priscianus vero putat *pepigi* deductum esse à verbo *pango*, contrarium tamen sentit Fabius. *Turneb.*

quando positio ex obliquis invenitur, ut memoria repeto convictos à me qui reprehenderant quod hoc verbo usus essem, [1] *pepigi*. Nam id quidem dixisse summos auctores confitebantur, rationem tamen negabant permittere: quia prima positio *paciscor*, cum haberet naturam patiendi, faceret tempore præterito *pactus sum*. Nos præter auctoritatem oratorum atque historicorum analogia quoque dictum tuebamur. Nam cum in XII. tabulis legeremus, *Ni ita pagunt:* inveniebamus simile huic, [2] *cadunt*. inde prima positio, etiamsi vetustate exoleverat, apparebat, *pago*, ut *cado:* unde non erat dubium sic *pepigi* nos dicere, ut *cecidi*. [3] Sed meminerimus non per omnia duci *analogiæ* posse rationem, cum sibi ipsa plurimis in locis repugnet. Quædam sine dubio conantur eruditi defendere, ut cùm deprehensum est, *lepus* & *lupus* simili positione, quantum casibus numerisque dissentiant: ita respondent, non esse paria, quia *lepus* epicœnum sit, *lupus* masculinum: [4] quanquam Varro in eo libro quo initia urbis Romæ enarrat, *lupum* fœminam dicit, Ennium Pictoremque Fabium secutus. Illi autem iidem cum interrogantur cur *aper apri* & *pater patris* faciat: illud nomen positum, [5] hoc ad aliquid esse contendunt. Præterea quoniam utrunque à Græco ductum sit, ad eam rationem recurrunt, ut πατὴρ *patris*, [6] κάπρος *capri* faciat. Illa tamen quomodo effugient, ut nomina quamvis fœminina singulari nominativo, *u*, *s*, literis finita, nunquam genitivo casu in *ris*,

1 *Pepigi.*] Vult Fabius non esse à *pango*, *is*, sed à *pago*. Adi sodes Jac. Spiegelii Interpret. ad Prudent. p. 194. Edit. Weitzian. Hadr. Turneb. Advers. lib. 29. c. 15. p. 1013.

2 *Cadunt.*] *Capunt* Vet. Terent. Scaur. de Orthog. 22. Prisc.

3 *Sed meminerimus.*] Nunc Quintilianus est contra *analogiam* disputaturus, probabitque multis in locis *anomaliam* esse sequendam, si consuetudine nitatur. Eodem quoque modo apud Græcos Crates grammaticus *anomaliam* defendit, cum diceret Aristarchus sequendam esse *analogiam*. Fabius tamen mediocritatem esse tenendam putat, ut *analogiam* sequamur si non repugnet consuetudo. *Turneb.*

4 *Quanquam Varro.*] Hæc animalium nomina olim erant omnia *epicœna*, & ad sexus discretionem addebatur mas aut fœmina. *Idem.*

5 *Hoc ad aliquid.*] Πρωτότυπον τὸ πρός τι. *Pithœus.*

6 Κάπρος.] Varro tamen *aprum* dixit, quod loca aspera incolat. *Turneb.*

ris, syllabam terminantur, faciat tamen *Venus Veneris?* Item cum *e*, *s*, literis finita, per varios exeant genitivos, nunquam tamen eadem [1] in *rus* syllaba terminatos, *Ceres* cogat dici *Cereris?* Quid vero quæ tota positionis ejusdem, in diversos flexus exeunt? [2] cum *Alba* faciat *Albanos* & *Albenses*, *Volo volui & volavi.* Nam præterito quidem tempore varie formari verba prima persona *o*, litera terminata, ipsa analogia confitetur. Siquidem facit *cado cecidi*, *spondeo spopondi*, *pingo pinxi*, *lego legi*, *pono posui*, *frango fregi*, *laudo laudavi.* [3] Non enim cum primum fingerentur homines, [4] *analogia* demissa cœlo formam loquendi dedit: sed inventa est postquam loquebantur, & notatum in sermone, quid quomodo caderet. itaque non ratione nititur, sed exemplo: nec lex est loquendi, sed observatio: [5] ut ipsam *analogiam* nulla res alia fecerit, quam consuetudo. Inhærent tamen quidam molestissima diligentiæ perversitate, ut [6] *audaciter* potius dicant quam *audacter*, licet omnes oratores aliud sequantur: & *emicavit*, *non emicuit:* & *conire*, non *coire.* [7] His permittamus & *audivisse*, & *sciviſſe*, & *tribunale*, & *faciliter*, dicere.

1 *In ris.*] Videtur legendum in *eris:* alioqui enim *tellus* quoque facit *telluris:* nullum tamen nomen fœmin. in *us*, genitivum facit in *eris*, præter *Venus.* Idem.

2 *Cum Alba.*] *Alba* oppidum est in Latio, unde *Albani* dicuntur. est & oppidum juxta lacum Fuscinum, unde dicuntur *Albenses.* Idem.

3 *Non enim cum.*] Idem testari videtur Diomedes: nam cum latinitatem divisisset in *naturam*, *analogiam*, *consuetudinem*, *auctoritatem*; *analogiam* finit sermonis à natura proditi ordinationem esse quandam & observationem, secundum technicos. *Idem.*

4 *Analogia demissa cœlo.*] Cœlo venire & demitti dicuntur perfecta quæque, & quorum opus aut inventio major humana dici vult: deinde etiam *cœlo missos* dicebant quos inopinato videbant. Lactant. lib. 1. c. 2. Artemidorus lib. 1. cap. 7. in fine. Plin. lib. 16. c. ult. Cassiodor. Epist. 40. lib. 2.

5 *Ut ipsam analogiam.*] Præcipit quoque Priscianus homines *analogiam* tenere debere, sed potius tamen auctorum usum æmulari. *Turneb.*

6 *Audaciter.*] Annotat tamen Priscianus Sallustium *audaciter* dixisse quin & Cicero quoque in oratione pro Roscio, *multa scelerate*, *multa audaciter*, *multa improbe fecisti.* Idem. *Audaciter potius quam audacter, licet omnes oratores.*] Non omnes, ô Fabi: Apud Livium quidem Marcumque ac Lucium Senecas non veritos *audaciter* dicere testes sunt optimi & antiquissimi codices. *Gronovius.*

7 *His permittamus.*] Non damnat Fabius *audivisse* & *sciviſſe:* sed cum illi analogiæ defensores, *audisse* & *scisse* barbara putarent, putat Fabius & plenum verbum & imminutum esse in usu. *Turnebus.*

dicere. [1] *frugalis* quoque sit apud illos, non *frugi*: nam quo alio modo fiat *frugalitas*? [2] Iidem *centum millia nummûm*, & *fidem Deûm*, ostendant duplices solœcismos esse, quando & casum mutant, & numerum. Ne sciebamus enim, ac non consuetudini & decori serviebamus: sicut in plurimis quæ Tullius in Oratore divinè, ut omnia, exequitur. [3] Sed Augustus quoque in epistolis ad [4] C. Cæsarem scriptis emendat, quod is [5] *calidum* dicere quam [6] *caldum* malit: non quia illud non sit Latinum, sed quia sit odiosum, & ut ipse Græco verbo significavit, περίεργον. [7] Atqui hanc quidam ὀρθοέπειαν solam putant, quam ego minime excludo. Quid enim tam necessarium, quam recta locutio? Imo inhærendum ei judico quo ad licet: diu etiam mutantibus repugnandum: sed abolita atque abrogata retinere, insolentiæ cujusdam est, & frivolæ in parvis jactantiæ. [8] Multum enim literatus, qui sine aspiratione & producta secunda syllaba [9] salutavit, avete (est enim) & *calefacere* dixerit potius quam quod dicimus, & *conservavisse*: [10] his adjiciat *face*, & *dice*, & similia.

1 *Frugalis quoque.*] Hæc vox *frugalis* Fabio displicet, ac putat dicendum *frugi* pro abstinente & modesto. quanquam Juvenalis *frugalius* dixit. *Idem.*

2 *Iidem centum.*] Nam ajunt, cum *nummum* dicitur pro *nummorum*, positum esse accusativum singularem pro genitivo plurali, cum *nummum* in genitivo plurali nunquam reperiri dicant. Cicero autem in Orator. ad Brutum ait dicendum esse *trium virum*, & *sestertium nummum*, non *sestertiorum nummorum*. ita impetravimus à consuetudine ut peccaremus. *Idem.*

3 *Sed Augustus quoque.*] Cajum & Lucium nepotes ex Julia & Agrippa Augustus habuit, quorum Cajus in Lycia, Lucius Massiliæ defunctus est. Vide Gell. lib. 15. cap. 7. *Camerar.*

4 *C. Cæsarem.*] Agrippæ & Juliæ filium, quem adoptavit Augustus. *Suetonius.*

5 *Calidum dicere quam caldum.*] Varro lib. 3. de Re Rust. cap. 2. Vide Franciscum Robortelli Emendat. lib. 2. cap. 5. pag. 67. 68.

6 *Caldum.*] Apparet seculo Augusti *caldum* potius dictum quam *calidum*. unde Vitruvius, qui illius tempore scripsit, semper appellat *vasa caldaria*. Turnebus.

7 *Atqui hanc ὀρθ.*] Ὀρθοέπειαν antea usurpavit pro suavi verborum explanatione & pronunciatione: nunc pro phrasi & locutione quæ recta sit & emendata, quasi tu dicas *rectiloquium*. Idem.

8 *Multum enim.*] Qui *avete* dicit pro *salvete*, antiquitatem est secutus, alioqui *aveo* à Cicerone frequenter usurpatur pro *cupio*. Idem.

9 *Salutavit.*] Apparet ex hoc loco, duabus brevibus syllabis Fabii sæculo dictum fuisse *Ave*, sicut *calfacere* & *conservasse*. Camerar.

10 *His adjiciat face.*] Dicebant antiqui,

similia. Recta est hæc via: quis negat? sed adjacet & mollior, & magis trita. [1] Ego tamen non alio magis angor, quam quod obliquis casibus ducti etiam primas sibi positiones non invenire, sed mutare permittunt: ut cum *ebur* & *robur*, ita dicta ac scripta summis auctoribus, in *o* literam secundæ syllabæ transferunt, quia sit *roboris* & *eboris*: *sulfur* autem & *guttur*, *u*, literam in genitivo servent: ideoque etiam *jecur* & *femur* controversiam fecerunt. quod non minus est licentiosum, quam si *sulfuri* & *gutturi* subjicerent in genitivo literam *o* mediam, quia esset *eboris* & *roboris*: sicut Antonius [2] Gnipho, qui *robur* quidem & *ebur* atque etiam *marmur* fatetur esse, verum fieri vult ex his *robura*, *ebura*, *marmura*. Quod si animadverterent literarum affinitatem, scirent sic ab eo quod est *robur*, *roboris* fieri: quemodo ab eo quod est *miles limes*, *militis limitis*: *judex vindex*: *judicis vindicis*: & quæ supra jam attigi. Quid? non similes quoque (ut dicebam) positiones, in longe diversas figuras per obliquos casus exeunt? ut *virgo*, *Juno*, *fusus*, *lusus*: *cuspis*, *puppis*, & mille alia? cum illud etiam accidat, ut quædam pluraliter non dicantur, quædam contra singulari numero, [3] quædam casibus careant: quædam à primis statim positionibus tota mutentur, ut *Jupiter*. Quod verbis etiam accidit, ut [4] *fero tuli*: cujus præteritum perfectum, & ulterius non invenitur. Nec plurimum refert, [5] nulla hæc, an

qui, *face*, *dice*, *duce*, ut tradit Priscian. *Turneb.*

1 *Ego tamen.*] Reprehendit eos grammaticos qui nomina quædam neutra genitivum facientia per *oris*, terminarent in nominativo per *or* ac dicerent *robor*. Idem.

2 *Gnipho.*] Grammaticus Ciceronis seculo, quem & audivisse ille in Prætura quoque traditur à Tranquillo. *Camerar.*

3 *Quædam casibus careant.*] Intelligit ea quæ dicuntur à grammaticis *aptota* & *monoptota*, quæ perpetuam & eandem ubique habent terminationem, ut *quatuor*. Turneb.

4 *Fero tuli.*] Nam *tuli* ab antiquo est præterito verbi *tollo*: ita *fero* proprium præteritum perfectum & plusquamperfectum non habet. *Idem.*

5 *Mollia hæc, an prædura sint.*] Lege, *nulla*, id est, nulli sint obliqui casus. *Turneb. Nulla hæc.*] Idem autem de illis judicium est, quæ prorsum fieri nequeunt: sicut à volo, non queat dici volis, neque à Jupiter Jupitris, & de his quæ sunt dura dictu. *Camerarius.*

1 *Nam*

an prædura sint. [1] Nam quid *progenies* genitivo singulari, quid plurali *spes* faciet? Quomodo autem *quire* & *ruere*, vel in præterita patiendi modo, vel in participia transibunt? Quid de aliis dicam, cum [2] *senatus senatus senatui*, an *senatus senati senato* faciat, incertum sit? Quare mihi non invenuste dici videtur, [3] aliud esse *Latine*, aliud *Grammatice* loqui. Ac de *analogia* vel nimium. [4] *Etymologia*, quæ verborum originem inquirit, [5] à Cicerone dicta est *notatio*, quia nomen ejus apud [6] Aristotelem invenitur σύμβολον, quod est *nota*: nam *verbum* è *verbo* ductum, id est *veriloquium*, ipse Cicero qui finxit, reformidat. Sunt qui vim potius intuiti, *originationem* vocent. [7] Hæc habet aliquando usum necessarium, quoties interpretatione res de qua quæritur, eget: [8] ut cum M. Cœlius se esse hominem frugi vult probare, non quia abstinens sit (nam id ne mentiri quidem poterat) sed quia utilis multis, id est fructuosus, unde sit dicta *frugalitas*. Ideoque in definitionibus assignatur etymologiæ locus. [9] Nonnunquam etiam [10] barbara ab emendatis conatur

1 *Nam quid progenies.*] Hunc genitivum *progentei* Fabius damnat, quanquam nonnulli utantur. damnat quoque *specierum* in genitivo. *Turneb.*

2 *Senatus.*] Priscianus annotat hæc nomina quæ sunt quartæ declinationis, olim quoque fuisse secundæ. *Idem.*

3 *Aliud latine.*] *Loqui latine* est sequi doctorum & elegantium consuetudinem & usum; *grammatice* vero, est loqui ex præceptionibus artis & ex artis analogia. *Idem.*

4 *Etymologia, quæ.*] *Etymologia* utitur grammaticus ut vim nominis & originem eliciat: *Dialecticus* vero & *rhetor*, tum ut definiat, tum ut probet. quanquam alioqui, ut testatur Fabius, rarus est *etymologiæ* usus. *Idem.*

5 *A Cicerone.*] In Topic.

6 *Aristotelem.*] Arist. l. περὶ ἑρμηνείας.

7 *Hæc habet.*] Duplex est usus *etymologiæ*, vel *ut probemus*, ut docet Fabius libro quinto, vel *ut definiamus*, ut docet libro septimo. quanquam utrobique est quasi quædam definitio. *Turn.*

8 *Ut cum M. Cælius se esse hominem frugi vult.*] *Homo frugi* à Latinis dicitur *sobrius* & temperatus, probus & consummate officiosus: cui *nequam* opponitur. Cælius autem *cum esset ipse profusus & parum continens*, interpretatus est hominem frugi, hominem multis utilem. *Idem.*

9 *Nonnunquam etiam barbara.*] Sensus est, interdum *etymologia* veram nominis originem investigat, & compositionem quæ tempore ipso sit immutata. itaque conatur appellationem illam usitatam ostendere barbaram, cum tamen consuetudo vincat. *Turneb.*

10 *Barbara ab.*] Hoc est, etymologia ostendere vult quæ dictionum naturalis facies sit, siquando illam usus quasi fucavit. Docet enim esse verum *medidiem*, cum sit medius dies, etsi *meridiem* omnes dicimus. *Camerar.*

1 *Tri-*

tur diſcernere, ut cum [1] *Triquetram* dici Siciliam, an *Triquedram*: *meridiem*, an *medidiem* oporteat, quæritur, aliaque quæ conſuetudini ſerviunt. Continet autem in ſe multam eruditionem, ſive illa ex Græcis orta tractemus, quæ ſunt plurima, præcipueque [2] *Æolica* ratione (cui eſt ſermo noſter ſimillimus) declinata: ſive ex hiſtoriarum veterum notitia, nomina hominum, locorum, gentium, urbium requiramus, unde *Bruti*, *Publicolæ*, [3] *Pici*: cur *Latium*, Italia, [4] *Beneventum*: quæ Capitolium, [5] collem *Quirinalem*, & *Argiletum* appellandi ratio. [6] Jam illa minora, in quibus maxime ſtudioſi ejus rei fatigantur, qui verba paulum declinata, varie & multipliciter ad veritatem reducunt, aut correptis aut porrectis, aut adjectis aut detractis, aut permutatis literis ſyllabiſve. Inde pravis ingeniis ad fœdiſſima uſque ludibria dilabuntur: [7] ſitne *Conſul* à conſulendo, an à judicando: nam & hoc *conſulere* veteres appellaverunt: unde adhuc remanet illud, *Rogat*, *boni conſulas*: id eſt bonum judices. *Senatui* nomen dederit ætas: nam iidem *Patres*

1 *Triquetram dici Siciliam.*] Coſmographi omnes ajunt triangularem eſſe Siciliæ formam, ideoque *triquetram* appellari à dictione ἕδρα, id eſt, ſede & latere. Cic. in Orat. *Turneb.*

2 *Æolica ratione.*] Romani ab Æolibus oriundi ſunt, ideoque lingua Romana in pleriſque Æolicam imitatur. nam ab ea ſumpſit digamma Æolicum, quo crebro utitur. *Turneb. Æolica.*] Ut mutatio ϰ in breve *u*, & interpoſitio *v*, pro conſonante. ut *ovum*, *ovis*, *Davus*. Camerar.

3 *Pici.*] Ajunt Picum regem Italiæ ita appellatum fuiſſe, quod primus *Pico Martio* nomen impoſuerit, ut à Pico Martio dictus ſit. *Turneb. Pici.*] Pythici.

4 *Beneventum.*] *Beneventum* oppidum eſt in Samo, quod cum antea *Maleventum* appellaretur, Romani cum illuc coloniam deduxiſſent, per *euphoniſmum* poſtea *Beneventum* appellarunt. Turneb.

5 *Collem Quirinalem.*] *Collis Quirinalis* appellatur à Sabinis illis qui *Curites* dicebantur vel *Quirites*, Romamque cum Taxio venerant, & in illo colle caſtra poſuerant. Ita *Varro*. Idem.

6 *Jam illa minora.*] Hîc tacito nomine Fabius notat Varronem, qui hac de re libros tres ſcripſit *ad Ciceronem*, totidem *ad Septimium*. notat quoque alios, qui omnia pene verba ad etymologiam revocabant, quod quidem ortum videtur à Platone, qui in Cratylo nullum nomen eſſe impoſitum putavit abſque ratione & cauſa. *Idem.*

7 *Sitne conſul.*] Aliquando Romæ iidem fuerunt *prætores*, *conſules*, *judices*, ut meminit Cicer. lib. tertio *de legibus*: tamen initio conſulatus (ut meminit Livius lib. tertio ab urbe) *prætores* duntaxat appellabantur & *conſules*, ſequentibus deinde annis etiam *judices*; quod ſatis indicat non appellatos fuiſſe à judicando. *Idem.*

1 *Claſſis*

tres sunt: & *Rex, rector:* & alia plurima indubitata. Nec abnuerim *tegulæ*, *regulæque*, & similium his, rationem. Jam sit & [1] *classis* à calando, & *lepus levipes*, & *vulpes volipes*, [2] etiamne à contrariis aliqua sinemus trahi? ut *lucus*, quia umbra opacus, parum luceat? & [3] *ludus*, quia sit longissime ab lusu? & *dis* quia minime dives? [4] Etiamne *hominem* appellari quia sit humo natus? (quasi vero non omnibus animalibus eadem origo, aut illi primi mortales ante nomen imposuerint terræ, quam sibi) & verba ab aëre verberato? Pergamus: sic perveniemus eousque ut *stella*, luminis stilla credatur: cujus [5] etymologiæ auctorem, clarum sane in literis, nominari ea parte qua à me reprehenditur, inhumanum est. Qui verò talia libris complexi sunt, nomina sua ipsi inscripserunt, ingenioseque sibi visus est Cajus [6] Granius *cœlibes* dicere veluti cœlites, quod onere gravissimo vacent, idque Græco argumento. ἀπὸ τοῦ enim eadem de causa dici affirmat. Nec ei cedit Modestus inventione. nam quia Cœlo Saturnus genitalia absciderit, hoc nomine appellatos qui uxore careant. At [7] L. Ælius *pituitam*, quia petat vitam. Sed cui non post Varronem sit venia, qui *agrum*, quod in eo agatur aliquid: & [8] *graculos*, quia gregatim volent, dictos, Ciceroni persuadere voluit; cum alterum ex Græco sit manifestum duci, alterum ex vocibus avium? Sed huic tanti fuit vertere, ut *merula*, quia sola volat, quasi *mera volans*

1 *Classis à calando.*] Videatur Justus Zinzerlingus Critic. Juvenil. Promulsi. c. 29. p. 93. Joh. Pontanus ad Macrob. Saturnal. lib. 1. cap. 15. p. 598. Lactant. ad Papin. Stat. Thebaid. lib. 3. p. 623. Isidorus lib. 19. c. 1. & Parei index Lucretian.

2 *Etiamne à contrariis.*] Fabius etymologiam reprehendit quæ fit per antiphrasin: quæ sane reprehendenda est, nisi fiat per εὐφημισμὸν, ut cum *Eumenides* dicuntur *Furiæ*. Turneb.

3 *Ludus, quia longissime sit ab usu.*] Joh. Passeratius in Propert. Prælect. p. 384. mavult *lusus*.

4 *Anne hominem.*] In hac opinione est Lactantius in libro de opificio Dei. *Turnebus.*

5 *Etymologiæ auctorem.*] Palæmon fortasse significatur, Fabii æqualis. Vide cap. 6. lib. 1.

6 *Granius.*] *Caninius* legit Valla in Dialecticis: alii *Gabinius*.

7 *L. Ælius.*] Lælius lib. 4. de lingua Latina.

8 *Graculos.*] Imo *graculi* dicuntur per onomatopœiam à vocis sono *gra*. Turnebus.

1 *Quidam*

lans nominaretur. [1] Quidam non dubitaverunt etymologiæ subjicere omnem nominis causam: ut ex habitu, quemadmodum dixi, *longos* & *rufos*: ex sono, *strepere*, *murmurare*: etiam derivata, ut à *velocitate* dicitur *velox*: & composita pleraque his similia, quæ sine dubio aliunde originem ducunt, sed arte non egent, cujus in hoc opere non est usus nisi in dubiis. [2] Verba à vetustate repetita, non solum magnos [3] assertores habent, sed etiam afferunt orationi majestatem aliquam, non sine delectatione: nam & auctoritatem antiquitatis habent: & quia intermissa sunt, gratiam novitati similem parant. Sed opus est, modò ut neque crebra sint hæc, neque manifesta, quia nihil est odiosius [4] affectatione: nec utique ab ultimis & obliteratis repetita temporibus, qualia sunt [5] *topper*, & [6] *antigerio*, & [7] *exanclare*, & *prosapia*, & [8] *Saliorum carmina* vix sacerdotibus suis satis intellecta. Sed illa mutari vetat religio, & [9] consecratis utendum est. [10] *Oratio* vero, cujus summa virtus est perspicuitas, quam 11

1 *Quidam non dubitaverunt.*] Qua in opinione quoque fuit Plato in Cratylo. de nominum autem causis Fabius antea egit. *Turneb. Quidam non.*] Supra cap. 4.

2 Fabius lib. 8. verbis propriis annumerat vetusta. his uti poterimus, si modice orationi inspergamus, nec à vetustate ultima repetamus, ac præcastigationem addamus. *Turnebus. Verba à vetustate repetita.*] Vide hac de re, Fabium lib. 8. c. 3. Agellium lib. XI. cap. 7. Schottum in Senec. lib. 4. Controv. 25. p. 181. Cresolium Vacat. Autumn. lib. 3. p. 576. &c. Johan. Savaronis Comment. ad Sidon. lib. 1. Epist. 1. p. 3. & lib. 4. Epist. 4. p. 230. & lib. 8. Epistol. 16. p. 530. Joh. Lud. Strebæi De Elect. & Orat. Colloc. verb. lib. 1. c. 11. p. 54. Ger. Vossii Orat. Institut. lib. 4. cap. 1. &c. ubi copiosissime *de Elegantia Latini sermonis* agit, Frid. Taubmanni Dissert. de Ling. Latina. *Verba à vetustate, &c.*] Nihil ex veterum scriptis habens neque gratiæ, neque dignitatis, inquit Agellius de Seneca, dum quorundam de ipso judicium profert, cap. 2. l. 11. *Pithœus.*

3 *Assertores.*] Intelligit *Antiquarios:* qui duplices sunt. Nam aut exoletas jam & reconditas voces aucupantur, cujusmodi fuit Tiberius *Cæsar* & *M. Antonius:* aut antiquitatem nondum penitus exoletam in usum reducunt, cujusmodi fuit Sallustius. *Turnebus.*

4 *Affectatione.*] Hoc intelligendum est de *cacozelia*, quæ vitium est elocutionis omne contra virtutem, quando judicium fallitur specie boni. *Idem.*

5 *Topper.*] Cito. *Camerar.*

6 *Antigerio.*] Valde.

7 *Exanclare.*] Hoc tamen verbo Cic. est usus in Tuscul. & in lib. de finibus. *Turneb.*

8 *Saliorum.*] Festus Pompejus ait *versus Saliares* appellari *axamenta.* decantabantur autem per urbem cum tripudiis à Saliis, sed vix intelligebantur propter vocabulorum antiquitatem. *Idem.*

9 *Consecratis.*] P. *Congregatis.*

10 *Orationis summa virtus perspicuitas.*]

quam sit vitiosa si egeat interprete? [1] Ergo ut novorum optima erunt maxime vetera, ita veterum maxime nova. Similis circa auctoritatem ratio. Nam etiam si potest videri nihil peccare, qui utitur iis verbis [2] quæ summi auctores tradiderunt, multum tamen refert non solum quid dixerint, sed etiam quid persuaserint. Neque enim [3] *turburchinabundum & lurchabundum* jam in nobis quisquam ferat, licet Cato sit auctor: nec *hos lodices*, quanquam id Pollioni placeat: nec [4] *gladiola*, atqui Messala dixit: nec *parricidatum* quod in Cælio vix tolerabile videtur: nec *collos* mihi
12 Calvus persuaserit: quæ nec ipsi jam dicerent. [5] Supereſt igitur [6] consuetudo: nam fuerit pene ridiculum malle sermonem quo locuti sunt homines, quam quo loquantur. Et sane quid est aliud *vetus sermo*, quam vetus loquendi consuetudo? Sed huic ipsi necessarium est judicium, constituendumque in primis, id ipsum quid sit, quod *consuetudinem* vocemus. Quæ si ex eo quod plures faciunt, nomen accipiat, periculosissimum dabit præceptum, non orationi modo, sed (quod majus est) vitæ. Unde enim tantum boni, ut pluribus quæ recta sunt placeant? Igitur ut *velli*, [7] & *comam in gradus frangere*, & *in balneis perpotare*, quamlibet [8] hæc inva-

Eleganter Just. Lipsius Epistol. Institut. cap. 8. p. 1067. Et vide Agellium lib. 1. cap. 10.

1 *Ergo ut.*] Videtur hoc positum esse per *antimetabolen*. est autem sensus, ex verbis novis ea optima erunt, quæ jam usurpata fuerunt ab eruditis: ex veteribus vero, quæ quandam novitatis gratiam habebunt, non tamen insolentem auribus nostri seculi. *Turneb.*

2 *Quæ summi auctores.*] Erasmus tamen putat nullam esse fugiendam dictionem quæ apud idoneum auctorem reperiatur. *Idem.*

3 *Turburchinabundum.*] Turbucinari, de suo: Lurcinari, helluari. *Camer.*

4 *Gladiola.*] Varro annotat, veteres dixisse *gladius* & *gladium*, inde *gladiola* finxit Messala. *Turneb.*

5 Cum ostenderit Fabius nec semper *analogiam* nos sequi debere, nec vetustatem æmulari, nec auctoritatem sequi: hîc docet loquendi formulam pendere à consuetudine. ne quis tamen hoc nomine falleretur, aphorismo distinxit quid *consuetudinem* appellet. *Turneb.*

6 *Consuetudo.*] De consuetudine vide Gellium lib. 1. cap. 10.

7 *Et comam in gradus.*] Videtur notare Quintil. quoddam tonsuræ genus, quod fiebat capillis gradatim sectis: hæc tonsura videtur appellari à Martiale *epaphæresis*. Turneb.

8 *Hæc invaserint civitatem.*] Vitia concipiunt ipsi & ea infundunt in civitatem. Cic. de legib. *Pithœus.*

1 *Lava-*

invaserint civitatem, non erit consuetudo, quia nihil horum caret reprehensione: at [1] *lavamus* & *tondemus* & *convivimus* ex consuetudine: sic in loquendo, non si quid vitiose multis insederit, pro regula sermonis accipiendum erit. Nam ut transeam quemadmodum vulgo imperiti loquuntur, tota sæpe theatra, & omnem Circi turbam exclamasse barbare scimus. [2] Ergo consuetudinem sermonis, vocabo consensum eruditorum: sicut vivendi, consensum bonorum.

1 *Lavamur.*] In vetustis codicibus legitur, *lavamus* & *tondemus*, quæ loquendi ratio & elegantior est, & Fabio aptior. *Turneb.*

2 *Ergo.*] Conclusio est epiphonematica, quæ quid consuetudinis nomine intelligat ostendit. *Idem.*

CAP. VII.

De Orthographia.

NUnc quoniam diximus quæ sit loquendi regula, di- 13
cendum quæ scribentibus custodienda: quod Græci ὀρθογραφίαν vocant, nos *recte scribendi scientiam* nominemus. [1] Cujus ars non in hoc posita est, ut noverimus quibus quæque syllaba literis constet (nam id quidem infra grammatici officium est) sed totam, ut mea fert opinio, subtilitatem in dubiis habet: [2] ut longis syllabis omnibus apponere [3] apicem, ineptissimum est, quia plurimæ natura ipsa verbi quod scribitur patent: sed interim necessarium, cum eadem litera alium atque alium intellectum, prout correpta vel producta est, facit, ut *malus*: utrum arborem significet, an hominem non bonum, apice distinguitur. *Palus* aliud priore

PRior grammaticæ pars, quæ appellatur *methodice*, complectitur ὀρθοέπειαν, id est recte loquendi formulam, de qua dictum est: & *orthographiam*, id est recte scribendi scientiam, de qua nunc agit. *Turneb.*

1 *Cujus ars.*] *Orthographiæ* ars non est posita in literis syllabarum, nisi cum docetur à literatore. nam grammaticus subtiliora quædam persequetur. *Idem.*

2 *Ut longis syll. &c.*] *Apicem* appellat Fab. *virgulam* extensam, quam Græci vocant μακρόν, qua non semper utendum est scribendo, nisi differentiæ & distinctionis causa. *Idem.*

3 *Apicem.*] Quando apicis appositio necessaria.

priore syllaba longa, aliud sequenti significat:[1] & cum eadem litera nominativo casu brevis, ablativo longa est, utrum sequamur, plerunque hac nota monendi sumus. [2] Similiter putaverunt illa quoque servanda discrimina, ut *ex* præpositionem si verbum sequeretur *specto*, adjecta secundæ syllabæ *s* litera, *exspecto*: sed si *pecto*, remota *s* scriberemus. Illa quoque servata est à multis differentia, ut *ad*, cum esset præpositio, *d* literam: cum autem conjunctio, *t* acciperet. Item *cum* si *tempus* significaret, per *q*: si *comitem*, per *c*: si vero *causam*, per *q*, [3] ac duas sequentes *u u*, scriberetur. Frigidiora his alia, ut quicquid, *c* quartam haberet, ne interrogare bis videremur. Et *quotidie*, non *cotide*, ut sit, quot diebus. [4] Verum hæc jam inter ipsas ineptias evanuerunt. Quæri solet in scribendo, præpositiones, sonum quem [5] junctæ efficiunt, an quem separatæ, observare conveniat, ut cum dico, *obtinuit*. secundam enim *b* literam ratio poscit, aures magis audiunt *p*. Et immunis, illud *n*, quod veritas exigit, sequentis syllabæ sono victum, *m* gemina commutatur. [6] Est etiam in dividendis verbis observatio, me-

1 *Et cum eadem.*] Non solum in diversis dictionibus est *apex* notandus, verum etiam in eadem, cum sub eadem terminatione syllabam modo longam, modo brevem habet, ut in nomine Musa. *Turneb.*

2 *Similiter putaverunt.*] *Ex* præpositio (ut scribit Priscianus) jungitur in compositione cum omnibus vocalibus, & quatuor consonantibus, *c*, *p*, *t*, *s*. Fab. tamen hic innuit nunquam cum *s* jungi, nisi differentiæ causa. *Idem.*

3 *Ac duas sequentes u u, scrib.*] Valla tamen non putavit opus esse *u u*, geminata, quod apud Latinos non soleat ea litera geminari & quotiens alia vocalis ponitur, ideo ponitur, quod aliquid facit, ut in *sequeris sequitur*; aut ne differre videatur ab aliis sui generis personis & alio numero, ut insequor, loquor, sequere, sequitur, sequimur. *Pithœus.*

4 *Verum hæc.*] Fab. non videtur approbare illis *orthographiæ* superstitiones, ac sentire videtur etiam *quotidie* optime scribi per *c*, &, *quicquid* per *d*, & quum per *c*. *Turneb. Verum hæc.*] Vide Vallam lib. 6. cap. 60.

5 *Junctæ efficiunt.*] *Ob* in compositione cum habet sequentes quasdam consonantes, ut *t*, illic *b* sonare videtur ut *p*: itaque quærit Fab. an scribere oporteat per *p*. *Turneb.*

6 *Est etiam in dividendis.*] Suadet Fab. in scribendo, ut cum venerimus ad finem versus, si verbum secare oporteat, spectemus ejus compositionem, & ad quam syllabam pertineant consonantes. quod item intelligendum est in dictionibus simplicibus hoc modo, ut si consonantes duas aut plures habeant, quæ aliam dictionem inchoare possint, eas scribendo complectamur: sin autem dictionem inchoare non poterunt, di-

vidamus.

mediam literam consonantem priori an sequenti syllabæ adjungas. *Aruspex* enim, quia pars ejus posterior à *spectando* est, *s*, literam tertiæ dabit: [1] *abstemius*, quia ex abstinentia temeti composita vox est, primæ relinquetur. [2] Nam *K*, quidem in nullis verbis utendum puto, nisi quæ significat, etiam ut sola ponatur. Hoc eo non omisi, quod quidam eam quoties *a* sequatur necessariam credunt: cum sit *c* litera, quæ ad omnes vocales vim suam perferat. Verum orthographia quoque consuetudini servit, ideoque sæpe mutata est. [3] Nam illa vetustissima transeo tempora, quibus & pauciores literæ, nec similes his nostris earum formæ fuerunt, & vis quoque diversa: [4] sicut apud Græcos *o* literæ, quæ interim longa ac brevis, ut apud nos: interim pro syllaba quam nomine suo exprimit, posita est: [5] ut Latinis veteribus *d* plurimis in verbis ultimam adjectam: quod manifestum est etiam ex [6] columna rostrata quæ est C. Duellio in foro posita. Interim *g* quoque, ut in pulvinari Solis qui colitur juxta ædem Quirini, *vesperug*: quod *vesperuginem* accipimus. [7] De mutatione etiam literarum, de qua supra

vidamus. appellaturque *diastasis* & *syllepsis*. *Idem.*

1 *Abstemius, &c.*] Vide Barthium Adversar. lib. 3. cap. 3. p. 108. Lexicon Philologic. Martinii.

2 *Nam K quidem.*] *K* Litera, ut testatur Prisc. est supervacua, tamen antiqui scribendi compendio utebantur, & hac litera sola *Calendas* significabant, & *caput*, ut ait Probus. *Turneb. Nam K quidem in nullis, &c.*] Auson. *Hæc tribus in Latio tantum addita nominibus K.* Karthago, Kalendæ, Kalumma. *Pithœus.*

3 *Nam illa vetustissima.*] Antiqui Latini duntaxat habuerunt sedecim literas, quas à Græcis mutuati sunt: ac certè Græcis literis figura non absimiles erant. Depravatissimus est hic locus. *Turnebus.*

4 *Sicut apud Græcos.*] Apud Græcos olim vocales omnes erant ancipites, postea Simonides adjecit *η* & *ω*. *Idem.*

5 *Ut Latinis veteribus.*] C. Duellius primus Carthaginenses bello navali superavit. ideo in victoriæ monumentum posita est columna cum rostris navium, cum hæc inscriptione, *Dicata columna Duellio fortitud. ergo.* nam antiqui ita verba scribendo corripiebant, ac forte in nonnullis ut scribebant pronunciabant. inde apud Ennium scribitur *volup.* Idem.

6 *Columna rostrata, quæ est C. Duellio.*] Scribe, *quæ est Duilio in foro posita.* Vide Just. Lipsium Antiq. Lection. l. 2. c. 14. p. 126. & 127. *Columna rostrata.*] C. Duillio, qui primus navalem triumphum egit de Pœnis, columna posita est. Plin. lib. 34. cap. 5. *Camerar.*

7 *De mutatione.*] Uno exemplo satis planum fieri posse arbitror, pronunciasse veteres compositas cum alia dictione præpositiones non integre; sed eo quas-

ſupra dixi, nihil repetere hîc neceſſe. Fortaſſe enim ſicut ſcribebant, etiam ita loquebantur. Semivocales non geminare, diu fuit uſitatiſſimi moris: atque è contrario uſque ad Accium & ultra, porrectas ſyllabas geminis, ut dixi, vocalibus ſcripſerunt. [1] Diutius duravit ut, *e*, *i*, jungendis, eadem ratione qua Græci ει, uterentur. ea caſibus numeriſque diſcreta ſunt, ut Lucillius præcipit, *Jam puerei venere*, *e* poſtremum facito, atque *i*.

Ut pueri plures fiant. ac deinceps idem,

Mendacei fureique addes e, cum dare furi Juſſeris.

Quod quidem cum ſupervacuum eſt, quia *i*, tam longæ quam brevis naturam habet: tum incommodum aliquando. Nam in iis quæ proximam ab ultima literam *e* habebunt, & *i* longa terminabuntur, illam rationem ſequentes utemur *e* gemina, qualia ſunt hæc, *aureei*, *argenteei*, & ſimilia. [1] idque iis præcipue qui ad lectionem inſtituentur, etiam impedimento erit: ſicut in Græcis accidit adjectione *i* literæ: quam non ſolum dativis caſibus in parte ultima aſſcribunt, ſed quibuſdam etiam interponunt, ut in λητῆι, quia etymologia ex diviſione inter [3] ſyllabas facta, deſideret eam literam. [4] αι ſyllabam, cujus ſecundam nunc *e* literam ponimus, varie per *a* & *i* efferebant, quidam ſemper ut Græci: quidam ſingulariter tantum, cum in dativum vel genitivum caſum incidiſſent, unde *pictai veſtis*, *& aquai*, [5] Virgilius amantiſſimus vetuſtatis, carminibus inſeruit. In iiſdem plurali numero

que ſono, quem ſequens litera deſideraret. Sic enim apud Plautum vocanti ſervus reſpondet: *Aſſum.* Tum ille; At ego elixus ſis volo. *Camerar.*

1 *Diutius duravit.*] In nominibus ſecundæ declinationis antiqui genitivum ſcribebant per *i*, nominativum pluralem per ει: in tertia vero declinatione dativum ſingularem per ει. nunc quoque pluralem nominativum & activum ſcribimus per ει. *Turneb.*

2 *Idque iis præcipue.*] Omnes dativi ſingulares quatuor priorum declinationum apud Græcos habent ι, & diphthongus quoque impropria interſeritur interdum dictioni, quæ olim non habebat ſubſcriptum ι, ſed adſcriptum. ut λητῆς. *Turneb.*

3 *Syllabas.*] In triſyllabis.

4 *Αι ſyllabam.*] Antiqui genitivos & dativos primæ declinationis per diphthongum αι efferebant: unde cum genitivus ſolvitur per diæreſin, ſcribitur αϊ. alioqui veteres in nominativo plurali ſcribebant αε. *Idem.*

5 *Virgilius.*] Æn. lib. 7. & 9. Vide Cœlium

numero *e* utebantur, *hi Syllæ*, *Galbæ*. Est in hac quoque parte Lucillii præceptum: quod quia pluribus explicatur versibus, si quis parum credat, apud ipsum in nono requirat. Quid quod Ciceronis temporibus, paulumque infra, fere quoties ſ litera media vocalium longarum, vel subjecta longis esset, geminabatur? *ut caussæ*, *cassus*, *divisiones:* quo modo & ipsum, & Virgilium quoque scripsisse, manus eorum docent. Atqui paulum superiores, etiam illud quod nos gemina ſ dicimus *jussi*, una dixerunt, *jusi*. [1] Etiam *optimus*, *maximus*, ut mediam *i* literam, quæ veteribus *u* fuerat, acciperent, C. primum Cæsaris inscriptione traditur factum. *Here*, nunc *e* litera terminamus: at veterum Comicorum adhuc libris invenio, *Heri ad me venit*. Quod idem [2] in epistolis Augusti, quas sua manu scripsit, aut emendavit, deprehenditur. Quid? non Cato Censorius, *dicam* & *faciam*, [3] *dicem* & *faciem* scripsit? eundemque in cæteris quæ similiter cadunt, modum tenuit? quod & ex veteribus ejus libris manifestum est, & à Messala [4] in libro de *S* litera positum. *Sibe* & *quase*, scriptum in multorum libris est: sed an hoc voluerint auctores, nescio: T. Livium ita his usum, ex Pediano comperi, qui & ipse eum sequebatur. hæc nos *i* litera finimus. Quid dicam *vortices*, & *vorsus*, cæteraque ad eundem modum, quæ primo Scipio Africanus in *e* literam secundam vertisse dicitur? [5] Nostri præceptores *cervom servomque*, *u* & *o* literis scripserunt, quia

Cœlium lib. 14. cap. 39. & Politianum Miscellan. c. 48.

1 *Etiam optimus.*] Apud antiquos, ubi scribimns in media dictione *i* breve, *u* scribebatur, ita tamen ut in pronunciatione medius sonus inter *i* & *u* audiretur. *Turneb.*

2 *In epistolis Augusti.*] Quæ per ea tempora in eruditorum manibus adhuc versabantur. Sueton. August. c. 87. Jan Rutgersius Var. lection. libro 2. p. 148.

3 *Dicem & faciem.*] Vett. *dicæ* & *faciæ*. Sex. Pomp. *Recipie* apud Catonem, pro *recipiam*, ut alia ejusmodi complura. *Pithœus.*

4 *In lib. de s litera.*] Messala Corvinus eximius orator etiam libros integros de singulis elementis scripsit. *Turn.*

5 *Nostri præceptores.*] Antiqui frequenter *o* pro *u* utebantur. ac Fabii præceptores cum scirent accusativum terminari in *um*, tamen cum præcedebat digamma Æolicum, mutabant alterum *u* in *o*. Idem.

quia ſubjecta ſibi vocalis, in unum ſonum coaleſcere, & confundi nequiret: nunc *u* gemina ſcribuntur, ea ratione quam reddidi: neutro ſane modo vox quam ſentimus, efficitur. Nec inutiliter [1] Claudius Æolicam illam ad hos uſus *F* literam adjecerat. [2] Illud nunc melius, quod, cui, tribus quas propoſui literis enotamus: in quo pueris nobis, ad pinguem ſane ſonum, [3] *qu* & *oi* utebantur, tantum ut ab illo *qui*, diſtingueretur. Quid, quæ ſcribuntur aliter quam enuntiantur? Nam & Gajus C litera notatur, [4] quæ inverſa Ɔ mulierem declarat: quia tam *Cajas* eſſe vocitatas, quam *Cajos*, etiam ex nuptialibus ſacris apparet. Nec *Cneus* eam literam in prænominis nota accipit, qua ſonat: [5] & columa exempta *n* litera, & *Conſules*, geminata *s* litera *Coss.* legimus: & [6] *Suburra* quum tribus literis notatur, *c* tertiam oſtendit. Multa ſunt generis hujus: ſed hæc quoque vereor ne modum tam parvæ quæſtionis exceſſerint. Judicium autem ſuum Grammaticus interponat his omnibus. Nam hoc valere plurimum debet. Ego (niſi quod conſuetudo obtinuerit) ſic ſcribendum quicque judico, quomodo ſonat. Hic

1 *Claudius.*] Suetonius tradit trium literarum figuras excogitaſſe Claudium, ex quibus Æolici digamma una, & ψ duplicis altera fuit, τὴν τρίτην ζητῶμεν. *Camerar. Claudius.*] Supra c.4.

2 *Illud nunc melius.*] Veteres *qui* ſcribebant in nominativo & dativo, ut ſcribit Terentianus: poſtea differentiæ cauſa dativus per *c* ſcriptus eſt. nonnulli tamen cum retinere vellent antiquum dativum, adjiciebant differentiæ cauſa *o*, ac dicebant *quoi*. Turneb.

3 *Qu & oi utebantur.*] Vide Polit. cap. 89. miſcel. *Geneus* Sexto Pompeio ſcribitur à *generando*.

4 *Quæ inverſa.*] Alludit Fab. ad conſuetudinem antiquam, cujus meminit in problematibus Plutarchus. *Nova etenim nupta cum ad ædes mariti venerat, dicebat, ubi tu Cajus?* ac veteres, ut Cic. notat in oratione pro Muræna, appellabant *Cajas mulieres illas quæ coëmptionem fecerant. i* in mariti manum convenerant. quod ductum eſt à *Caia* Cæcilia uxore Tarquinii Priſci, quæ optima fuit lanifica & opima materfamilias. *Turneb.*

5 *Et columa exempta n.*] Vel antiqui integrum nomen *columnam* abſque *n* ſcribebant, unde dicitur *columella*: vel cum notis ſcriberent, notabant duntavat colum, affixo puncto. *Idem.*

6 *Et Suburra.*] *Suburra* regio eſt urbis quæ dicitur à pago *Succuſano*, ut ait Varro: vel (ut alii volunt) à *ſuccurrendo*, quia illic ſemper erat ſtativum præſidium. itaque antiqui cum ſcriberent notis Suburram, etymologiam ſpectantes ſcribebant *Suc.* adpoſito puncto. *Turneb. Et Suburra cum tribus literis notatur.*] Nam cum literarum compendio ſcribebatur & tanquam notabatur *Suc* notatum *Suburam* ſignificabat. *Turneb.* Adverſ. lib.20. cap.35.

1 *Depoſi-*

Hic enim usus est literarum, ut custodiant voces, & velut [1] depositum reddant legentibus. itaque id exprimere debent, quod dicturi sumus. [2] Hæ fere sunt emendate loquendi scribendique partes: duas reliquas, significanter ornateque dicendi, non equidem grammaticis aufero: sed cum mihi officia Rhetoris supersint, majori operi reservo. Redit autem illa cogitatio, quosdam fore, qui [3] hæc quæ diximus, parva nimium, & impedimenta quoque majus aliquid agendi, putent. Nec ipse ad extremam usque anxietatem, & ineptas cavillationes descendendum, atque his ingenia concidi & comminui credo. Sed nihil ex grammatica nocuerit, nisi quod supervacuum est. An ideo minor est M. Tullius orator, quod idem artis hujus diligentissimus fuit, & in filio (ut in epistolis apparet) recte loquendi usquequaque asper quoque exactor? Aut vim C. Cæsaris fregerunt editi *de analogia* libri? Aut ideo minus Messala nitidus, quia quosdam totos libellos non de verbis modo singulis, sed etiam literis dedit? [4] Non obstant hæ disciplinæ per illas euntibus, sed circa illas hærentibus.

1 *Depositum reddant.*] Elegans est metaphora, sumpta à depositariis, quorum fidei res nostras committimus, ut eas postea recipiamus, quemadmodum & literis committimus voces & asservandas damus. *Turneb.*

2 *Hæ fere sunt.*] Epilogus. *Idem.*

3 *Hæ quæ.*] Lib. 8.

4 *Non obstat.*] Claudit epiphonemate hoc caput Fabius. *Turneb.*

CAP. VIII.

De lectione pueri.

[1] SUpereſt lectio, in qua puer ut sciat ubi suspendere spi- 14
ritum debeat, quo loco versum distinguere, ubi claudatur

ALteram Grammatices partem *Exegeticen* pertractat. ea autem est posita in poëtarum enarratione, sed tamen enarrationem præcedit emendata lectio: quocirca ab hac incepit. Faciunt huc quæ tractantur à Quintil. lib. XI. de *pronunciatione*. Turneb.

1 *Supereſt, &c.*] Artes lectionis Victorino & Diomedi. *Accentus*, ideſt, uniuscujusque syllabæ pronunciandæ in sono qualitas. *Distinctio*, confusarum significationum perplana significatio. *Pronuntiatio*, secundum personas accommodata similitudo. *Modulatio*, concinnati sermonis in jucundiorem dicendi sermonem artificialis flexus in declinabilem auditus formam conversus asperitatis atque imperitiæ vitandæ causa. *Pith.*

datur sensus, unde incipiat, [1] quando attollenda vel summittenda sit vox, quid quoque flexu, quid lentius, celerius, concitatius, lenius dicendum, demonstrari nisi in opere ipso non potest. Unum est igitur quod in hac parte præcipiam, ut omnia ista facere possit, intelligat. [2] Sit autem [3] in primis lectio virilis, & cum suavitate quadam gravis: & non quidem prosæ similis, quia carmen est, & se [4] poëtæ canere testantur: [5] non tamen in canticum dissoluta, nec [6] plasmate (ut nunc à plerisque fit) effœminata. de quo genere optime C. Cæsarem prætextatum adhuc accepimus dixisse: *Si cantas, male cantas: si legis, cantas.* [7] Nec prosopopœias, ut quibusdam placet, ad comicum morem pronuntiari velim, esse tamen flexum quendam, quo distinguantur ab iis in quibus poëta persona sua utetur. [8] Cætera admonitione magna egent: in primis, ut teneræ mentes, tra-

1 *Quando attollenda.*] Nihil enim potest deterius esse in lectione, quam ὁμοφωνία, quæ est par & æqualis vocis & spiritus intentio. itaque vox interdum flectenda est, interdum erigenda per ἄρσιν, interdum submittenda per θέσιν. *Turneb.*

2 *Sit autem.*] Etsi videbam cuivis facile apparere incuria librariorum, dictionem hanc *Poëtarum*, omissam: tamen nolui locum à nobis correctum non suffragantibus exemplaribus ullis, signare. Cæterum *plasma* significat vocis quasi colliquationem apud Persium, ipsum collyrium accipiunt: *Liquido cum plasmate guttur Mobile colluerit.* Camerar.

3 *In primis lectio.*] Poëtarum in primis lect. Vide Cœlium Rhodigin. l. 5. cap. 24.

4 *Poëtæ canere.*] Censorinus ait *musicæ* conjunctam esse *metricam*. itaque debemus obscuro quodam cantu carmina pronunciare, non tamen ut cantare videamur: nam & Cic. quoque rhetores Cariæ & Phrygiæ reprehendit quod in epilogis cantare videantur. *Turneb.*

5 *Non tamen in cantic. diss. nec plasmate.*] Hanc vocis mollitudinem, ut minime viro convenientem, acri etiam aceto diluit Persius, in hæc verba: --- *vocem Eliquat & tenero supplantat verba palato.* Vide ibi commentatores. ut & Ludovic. Cresollium vacat. Autum. lib. 3. p. 476. &c. quem consule, & Cœl. Rhodigin. Lect. Antiq. lib. 9. c. 4. & 5. p. 386. &c.

6 *Plasmate.*] *Plasma* interpretantur potionem quandam quæ faucium scabritiem tollat, & vocem liquidiorem reddat. Alii pro vocis mollitudine accipiunt, quæ dedita opera sic effingatur. *Turneb.*

7 *Nec prosopopœias.*] *Prosopopœias* hîc appellat Fab. cum poëta personis aliis orationem accommodat, nec ex sua persona loquitur. hoc autem fieri solet in poëtico dramatico & mixto. *Turnebus.*

8 *Cætera admonitione.*] Jam quinam ex poëtis legendi sint docet, nec solum habet eloquentiæ rationem, verum etiam probitatis morum. qua in re Platonem sequitur, qui vel poëtas non legendos putat, vel eos duntaxat qui honesta scribant. *Idem.*

tracturæque altius quicquid rudibus & omnium ignaris insederit, non modo, quæ diserta, sed vel magis quæ honesta sunt, discant: ideoque optime institutum est ut ab *Homero* atque *Virgilio* lectio inciperet: quanquam ad intelligendas eorum virtutes, firmiore judicio opus esset. sed huic rei supereſt tempus: neque enim semel legentur. [1] Interim & sublimitate heroici carminis animus assurgat: & ex magnitudine rerum spiritum ducat, & optimis imbuatur. Utiles *tragœdiæ*. Alunt & *lyrici*: [2] si tamen in his non auctores modo, sed etiam partes operis elegeris. Nam & Græci licenter multa, & *Horatium* in quibusdam nolim interpretari. *Elegia* vero, utique quæ amat, & [3] hendecasyllaba, quibus sunt commata [4] *sotadeorum* (nam de sotadeis ne præcipiendum quidem est) amoveantur, si fieri potest: si minus, certe ad firmius ætatis robur reserventur. *Comœdiæ*, quæ plurimum conferre ad eloquentiam potest, cum per omnes & personas & affectus eat, quem usum in pueris putem, paulo post suo loco dicam. Nam cum mores in tuto fuerint, inter præcipua legenda erit. de *Menandro* loquor: nec tamen excluserim alios. [5] Nam Latini quoque auctores afferent utilitatis aliquid. Sed pueris, quæ maxime ingenium alant, atque animum augeant, prælegenda:

1 *Interim & sublimitate.*] Fabius quoque ait à Poëtis duci in rebus *spiritum*, in verbis *sublimitatem*, in affectibus *motus* omnes, in personis *decorum*: & his de causis potissimum pueris prælegendos putat. *Idem.*

2 *Si tamen in iis.*] *Lyrici* novem sunt apud Græcos, sed cum illi multa lasciva & obscœna scripserint, totos poëtas non putat Fab. legendos, sed locos eorum honestiores.

3 *Hendecasyllaba.*] *Hendecasyllaba* appellantur carmina quæ undecim syllabis constant: sed hoc potissimum nomine complectimur versus Phalecios, quales conscripsit Catullus. *Turneb.*

4 *Sotadeorum.*] *Versus Sotadici* crebras habent cæsuras, & in sua vestigia retrorsum recurrunt, efficiuntque vel idem carminis genus vel diversum. horum exempla sunt apud Fabium libro nono. Sunt alii quoque versus *Sotadici trochaici acatalectici*. hi porro omnes res obscœnas tractant. *Idem.*

5 *Nam Latini quoque.*] Græcus sermo præcedit, Latinus subsequitur. Primum itaque legendi sunt pueris Græci, deinde Latini, atque ex his illi qui amplitudinem habebunt, ut *Epici* & *Tragici*. Fabius quoque poëtas in *novos* & *veteres* dividit: *in novis* plausibiliorem esse fatetur eloquentiam, *in veteribus* castiorem, & majorem quoque dispositionem. *Idem.*

1 *Occono-*

genda: cæteris quæ ad eruditionem modo pertinent, longa ætas spatium dabit. Multum autem veteres etiam Latini conferunt, quanquam plerique plus ingenio quam arte valuerunt. in primis copiam verborum, quorum in tragœdiis gravitas, in comœdiis elegantia, & quidam velut ἀττικισμὸς inveniri potest. [1] *Oeconomia* quoque in his diligentior, quam in plerisque novorum erit, qui omnium operum solam virtutem sententias putaverunt. Sanctitas certe, & ut sic dicam, virilitas ab his petenda, quando nos in omnia delitiarum genera vitiaque, dicendi quoque ratione defluximus. [2] Denique credamus summis oratoribus, qui veterum poëmata, vel ad fidem caussarum, vel ad ornamentum eloquentiæ assumunt. Nam præcipue quidem apud [3] Ciceronem, frequenter tamen apud Asinium etiam, & cæteros, qui sunt proximi, vidimus *Ennii*, *Accii*, *Pacuvii*, *Lucillii*, *Terentii*, *Cæcilii*, & aliorum inseri versus, summa non eruditionis modo gratia, sed etiam jucunditatis: cum poëticis voluptatibus aures [4] à forensi asperitate respirent. quibus accedit non mediocris utilitas, cum sententiis eorum velut quibusdam testimoniis, quæ proposuere [5] confirment. Verum priora illa ad pueros magis, hæc sequentia ad robustiores pertinebunt: cum grammatices amor, & usus lectionis, non scholarum temporibus, sed vitæ spatio terminentur. In prælegendo grammaticus & illa quidem minora præstare debebit, ut partes orationis reddi sibi soluto versu desideret, & [6] pedum proprietates: quæ adeo debent

1 *Oeconomia.*] *Oeconomia* hujusmodi est rerum distributio, ut omnia inter se quadrent, nec pugnent priora cum posterioribus. à Sulpitio Victore appellatur *dispositio artificiosa*, quæ à consilio poëtæ pendet. *Idem. Oeconomia.*] Id est, ordo & dispositio quædam argumenti. *Camerar.*

2 *Denique.*] Probat veteres præferendos novis auctoritate oratorum. *Turneb.*

3 *Ciceronem.*] Pro Cœlio, pro Cor. Balbo, in Antonium, in Pisonem.

4 *A forensi asperitate.*] Petronius: Sic forensibus ministeriis exercitati frequenter ad carminis tranquillitatem tanquam ad portum refugiunt. Vet. Comm. in Virg. Eclog. Alfenus Varus licet Jurisconsultus & successor Servii Sulpitii etiam carmina aliqua composuisse dicitur. *Pithœus.*

5 *Confirment.*] Hac de re libro quinto cap. de exemplis. *Turneb.*

6 *Pedum proprietates.*] Per pedum proprie-

debent esse notæ in carminibus, ut etiam in oratoria compositione desiderentur: deprehendatque quæ barbara, quæ impropria, quæ contra legem loquendi sunt posita: non ut ex his utique improbentur poëtæ, (quibus [1] quia plerunque metro servire coguntur, adeo ignoscitur, ut vitia ipsa aliis in carmine appellationibus nominentur. *metaplasmos* enim, & *schematismos*, & *schemata*, ut dixi, vocamus,[2] & laudem virtutis necessitati damus) sed ut commoneat artificialium, & memoriam agitet. Id quoque inter prima rudimenta non inutile, demonstrare quot quæque verba modis intelligenda sint. [3] Circa *glossemata* etiam, id est voces minus usitatas, non ultima ejus professionis diligentia est. Enimvero jam majore cura doceat *tropos* omnes, quibus præcipue non poëma modo, sed etiam oratio ornatur: *schemata* utraque, id est *figuras* quæque λέξεως, quæque διανοίας vocantur: quorum ego, sicut troporum tractatum, in eum locum differo, quo mihi de ornatu orationis dicendum erit. Præcipue vero illa infigat animis, quæ in œconomia virtus, quæ in [4] decoro rerum: quid personæ cuique convenerit: quid in sensibus laudandum, quid in verbis: ubi copia probabilis, ubi modus. His accedat enarratio historiarum, diligens quidem illa, non tamen usque ad supervacuum laborem occupata. Nam receptas, aut certe claris auctoribus memoratas exposuisse satis est. Persequi quidem

proprietates vel simpliciter intelligit ipsos pedes, vel (quod magis videtur) pedum naturam: nam ex his quidam sunt graviores, ut *spondeus*: quidam celeriores, ut *tribrachus*: quidam humiliores, ut *jambus*. Hoc autem in posterum puero conducet, cum pro horum pedum ratione orationem temperare debuerit. *Idem.*

1 *Quibus quia.*] Non imputatur poëtis *barbarismus* & *solœcismus*, ac in poëmate *barbarismus* appellatur *metaplasmus* id est, transformatio: *Solœcismus* vero *schematismus*, id est figuratio. *Idem.*

2 *Laudem virtutis.*] Supra cap. 5. de *virtutibus* & *vitiis* orationis.

3 *Circa glossemata.*] *Glossas* & *glossemata* appellant Græci voces quasdam reconditas, quæ in communi consuetudine non sunt, egentque interpretatione. inde *glossematarii* dicuntur, & *glossularii*. Turneb. *Circa glossemata.*] Glossematicum quid sit, copiose docet, Cœlius Rhodigin. Antiq. lection. l. 13. cap. 4. pag. 752. &c.

4 *Decoro rerum.*] *Decorum* est apta omnium convenientia cum idonea moderatione. ponitur autem tum in rebus, tum in personis. hujus meminit Fabius lib. XI. cap. de apte dicendo. *Turneb.*

1 *Nam*

dem quod quisque unquam vel contemptissimorum hominum dixerit, aut nimiæ miseriæ, aut inanis jactantiæ est: & detinet atque obruit ingenia, melius aliis vacatura. Nam qui omnes etiam indignas lectione schedas excutit, anilibus quoque fabulis accommodare operam potest. Atqui pleni sunt ejusmodi impedimentis grammaticorum commentarii, vix ipsis qui composuerunt, satis noti. [1] Nam *Didymo* quoque, quo nemo plura scripsit, accidisse compertum est, ut cum historiæ cuidam tanquam vanæ repugnaret, ipsius proferretur liber, qui eam continebat. Quod evenit præcipue in fabulosis usque ad deridicula, quædam etiam pudenda: unde improbissimo cuique pleraque fingendi licentia est, adeo ut de libris totis, & auctoribus, ut succurrit, mentiatur tuto, quia inveniri, qui nunquam fuere, non possunt. Nam in notioribus frequentissime deprehenduntur à curiosis. [2] Ex quo mihi inter virtutes grammatici habebitur, *aliqua nescire.*

1 *Nam Didymo.*] *Didymus* illustris grammaticus, Alexandrinus, salsamentarii filius, ad Augusti ætatem pervenit. Scripsisse traditur ter mille & quingentos libros. *Idem.*

2 *Ex quo.*] Paradoxum hoc esse videtur, sed tamen verum si recte intelligatur. nam quanquam grammaticus doctissimus esse debet, tamen inanes hujusmodi fabulas & historias cum ignorare satius est. *Idem.*

Cap. IX.

De officio grammatici, & quæ primordia sint dicendi.

15 Et finitæ quidem sunt partes duæ, quas hæc professio pollicetur, id est *ratio loquendi*, & *enarratio auctorum:* quarum illam *methodicen*, hanc *historicen* vocant. Adjiciamus tamen eorum curæ quædam dicendi primordia, quibus

Brevis est epilogus superiorum ad renovandam auditoris memoriam. Addit autem Fabius huic professioni quatuor progymnasmata, *fabulas, sententias, chrias:* nam *ethologia* chriæ species est) denum *narratiunculas* poëticas. nam, ut scribit Tranquillus, olim grammatici primas rhetoricæ institutiones pueris tradebant, ne illi ad rhetorem jejuni & aridi venirent. *Turneb.*

1 *Igitur*

bus ætates nondum rhetorem capienteis instituant. [1] Igitur, *Æsopi fabellas*, quæ fabulis nutricularum proxime succedunt, narrare sermone puro, & nihil se supra modum extollente, deinde eandem gracilitatem stylo exigere condiscant: Versus primo solvere, mox mutatis verbis interpretari: [2] tum paraphrasi audacius vertere, qua & breviare quædam, & exornare, salvo modo poëtæ sensu, permittitur. Quod opus, etiam consummatis professoribus difficile, qui commode tractaverit, cuicunque discendo sufficiet. [3] *Sententiæ* quoque & *chriæ* & *ethologiæ* subjectis dictorum rationibus apud grammaticos scribantur, quia initium ex lectione ducunt. Quorum omnium similis est ratio, forma diversa: quia *sententia* universalis est vox, *ethologia* personis continetur. [4] *Chriarum* plura genera traduntur. Unum simile sententiæ, quod est positum in voce simplici, *Dixit ille.* aut, *Dicere solebat.* Alterum, quod est in respondendo: *Interrogatus ille*, vel *Cum hoc ei dictum esset, respondit.* Tertium huic non dissimile, *cum quis non dixisset, sed aliquid fecisset.* Etiam in ipsis factis esse chriam putant: ut [5] *Crates cum*

1 *Igitur Æsopi.*] Fabulæ quæ *apologi* appellantur, primum ab Hesiodo inventæ sunt, ut scribit Fabius libro quinto. Sed tamen cum ab Æsopo sint celebratæ, usus obtinuit ut *Æsopicæ* appellentur. *Idem.*

2 *Tum paraphrasi.*] *Paraphrasis* est rei alicujus expositio, cum circa eosdem sensus, ut inquit Fabius libro decimo, æmulamur. Græci auctores ajunt esse *paraphrasin*, narrationis alicujus expositionem neque sublimiorem neque humiliorem: *Metaphrasin* vero expositionem uberiorem & copiosiorem, atque adeo ampliorem: *ecphrasin* autem, dilucidam & illustrem enarrationem. *Idem.*

3 *Sententiæ quoque.*] Hæc apud *grammaticos* aliter tractantur, aliter apud *rhetores.* nam apud rhetoras sua habent capita, ut apud Aphthonium: *Apud grammaticos* vero tractantur adjuncta ratione, & sententia ipsa ac ejus ratione per omnes casus & numeros variata, quemadmodum perscribit lib. 1. Diomedes. *Chria* est commemoratio vel dicti vel facti vel utriusque, quę ad certam personam refertur. *Ethologia* autem species est chriæ, quæ mores personæ alicujus indicat. *Turneb. Sententiæ quoque & Chriæ.*] Videatur Leopard. Emend. l. 3. cap. 7. p. 49. Quid Chria sit, docet Fabius lib. 1. c. 9. Casaub. lib. 1. cap. 1. Animadv. in Athenæum. Vossius Instit. Orat. lib. v. p. 426. Keckerman. Systema. Rhetor. lib. 11. p. 242. &c. Dresserus Rhetor. lib. 1. p. 60. &c. & 111. p. 649.

4 *Chriarum plura genera.*] Aphthonius chrias dividit in *verbales*, *activas*, *& mixtas*: Fabius *in verbales*, (quæ sunt vel in simplici enunciatione vel in responsione) & *in activas.* Turneb.

5 *Crates.*] Crates philosophus fuit Thebanus

cum indoctum puerum vidisset, pædagogum ejus percussit. Et aliud pene par ei, quod tamen eodem nomine appellare non audent, sed dicunt [1] χρειώδες; ut, [2] *Milo quem vitulum assueverat ferre, taurum ferebat.* In his omnibus & declinatio per eosdem ducitur casus, & tam factorum quam dictorum ratio est. [3] Narratiunculas à poëtis celebratas, notitiæ causa non eloquentiæ tractandas puto. Cætera majoris operis ac spiritus, Latini rhetores relinquendo, [4] necessaria grammaticis fecerunt: Græci magis operum suorum & onera & modum norunt.

Thebanus discipulus Diogenis Cynici. Hoc autem factum Aphthonius attribuit Diogeni, non Crateti. *Idem. Crates.*] Diogenes. transtulit ex Aphthonio Priscianus. Porro χρειώδες accipiendum est, *Chriæ simile.* Camerarius.

1 Χρειώδες] Χρειῶδες appellant, quod quanquam *chria* non est, tamen speciem chriæ præ se ferre videtur, ut exemplum quod subjicit Fabius, videtur esse *chria activa.* Turneb.

2 *Milo quem vitulum.*] Adi Franc. Pithœi collectanea ad Petron. pag. 152. Edit. Goldasti.

3 *Narratiunculas à poëtis celeb.*] Nam narrationes historicas relinquit Fabius rhetori. *Turneb.*

4 *Necessaria grammaticis.*] Fabius quoque conqueritur initio lib. 2. quod *rhetores* latini declamationes duntaxat judiciales & deliberativas sibi reservarint, ideoque grammatici cætera rhetorum officia occuparint. *Idem.*

Cap. X.

An oratori futuro necessaria sit plurium artium scientia.

16 Hæc de *Grammatica*, quam brevissime potui: non ut omnia dicerem sectatus, quod infinitum erat: sed ut maxime necessaria: nunc de cæteris artibus, quibus instituendos prius quam tradantur rhetori, pueros existimo, strictim subjungam, ut efficiatur [1] orbis ille doctrinæ, quam Græci

Conclusio est superioris tractationis, & transitus ad eas artes docendas, quibus puer antequam rhetori committatur, institui debet. hîc autem sequitur Platonem Fabius: ille enim statim post grammaticam ut pueri musica & geometria instituantur præscribit. *Idem.*

1 *Orbis ille doctrinæ, quam* ἐγκυκλοπαιδείαν, &c.] Hoc nomine *artes liberales* comprehenduntur sive nexus ille capacissimus omnium disciplinarum. Vide Schotti observat. poët. lib. 2. cap. 1. Lipsii manuduct. ad Stoïcam philosoph. lib. 1. Dissertat. 1. & 2. p. 1. &c. & Joh. Wouweren Tractat. de Polymathia, cap. 3. & 24. p. 22. 208. &c.

Ἐγκυ-

Græci [1] ἐγκυκλοπαιδείαν vocant. Nam iisdem fere annis aliarum quoque disciplinarum studia ingredienda sunt: quæ quia & ipsæ artes sunt, & [2] esse perfecta sine his orandi scientia non potest, nec rursus ad efficiendum oratorem satis valent solæ: an sint huic operi necessariæ, quæritur. Nam quid, inquiunt, ad agendam causam, dicendamve sententiam pertinet, scire quemadmodum in data linea constitui triangula æquis lateribus possint? Aut quo melius vel defendet reum, vel reget consilia, [3] qui citharæ sonos nominibus & spaciis distinxerit? Enumerent etiam fortasse multos, quamlibet utiles foro, qui nec geometrem audiverint, nec musicos nisi hac communi voluptate aurium intelligant. [4] Quibus ego primum hoc respondeo, quod & M. Cicero scripto ad Brutum libro frequentius testatur, non eum à nobis institui oratorem, qui sit, aut fuerit: sed imaginem quandam concepisse nos animo perfecti illius, ex nulla parte cessantis. [5] Nam & sapientem formantes eum, qui sit futurus consummatus undique, & (ut dicunt) mortalis quidam deus, non modo cognitione cœlestium vel mortalium putant instituendum; sed per quædam parva sane si ipsa demum æstimes, ducunt, sicut exquisitas interim ambiguitates: [6] non quia * *Ceratinæ* aut *Croco-*

1 Ἐγκυκλοπαιδείαν.] Ἐγκυκλοπαιδεία, quæ etiam dicitur ἐγκύκλιος, Id est *disciplina orbiculata*, quædam est disciplinarum series, quæ ostendit inter omnes artes esse *conjunctionem* quandam & *communionem*. Turbus.

2 *Esse perfecta.*] Alias, esse & perfectæ sine orandi scientia possunt, nec rursus, &c.

3 *Qui citharæ sonos, &c. distinxerit.*] Jan. Gebhard. Crepund. lib. 2. c. 3. p. 63. ex Mss. Palat. reponit: *Qui citharæ sonos nom. & spat. defixerit. Defigere*, figendo distribuere est, & non tam διαιρεῖν, quam certis quibusdam περιοδικαῖς & ἀφορισμοῖς figere. Vide Fabium lib. 5. cap. 10. *Nam ut cantus vocis, &c.*

4 *Quibus.*] *Anthypophora* est, & solutio opinionum, quibus opponit sententiam Cic. *Turneb.*

5 *Nam sapientem.*] Tuetur suum dogma Fabius auctoritate Stoicorum, qui suum sapientem omnium rerum cognitione instruunt, atque eum verum esse philosophum volunt, ut habeat cognitionem rerum humanarum & divinarum. *Idem.*

6 *Non quia.*] Ceratinas & Crocodilinas captiones dixerunt ab exemplis; ut illud de cornibus apud Gellium l. 16.

[1] *Crocodilinæ* possint facere sapientem, sed quia illum ne in minimis quidem oporteat falli. [2] Similiter oratorem (qui debet esse sapiens) non *geometres* faciet, aut *Musicus*, quæque his alia subjungam, sed hæ quoque artes ut sit consummatus juvabunt. Nisi forte antidotum quidem, atque alia quæ morbis aut vulneribus medentur, ex multis atque interim contrariis quoque inter se effectibus componi videmus, quorum ex diversis fit illa mistura una, quæ nulli earum similis est quibus constat, sed proprias vires ex omnibus sumit: & muta animalia mellis illum inimitabilem humanæ rationi saporem, vario florum ac succorum genere perficiunt: nos mirabimur, si oratio, qua nihil præstantius homini dedit providentia, pluribus artibus eget: quæ etiam cum se non ostendunt in dicendo, nec proferunt, vim tamen occultam suggerunt, & tacite quoque sentiuntur. Fuit aliquis sine his disertus: at ego oratorem volo. Non multum adjiciunt: sed æque non erit totum, cui vel parva deerunt: & optimum quidem hoc esse conveniet: cujus etiam si in arduo spes est, nos tamen præcipiamus omnia, ut saltem plura fiant. Sed cur deficiat animus? [3] Natura enim

cap. 2. & de Crocodilo, quod memorat Chrysippus apud Lucianum ὁ βίων πρᾶσις. *Camerar.*

* *Ceratinæ*] Stoici negant sapientem falli debere: hoc enim est stulti. itaque eum volunt esse peritum solvendorum paralogismorum, quorum solutionem quoque Arist. in Sophisticis Elenchis docet. *Ceratina*, *captio* est & syllogismus cornutus. nam Stoici ratiocinationes appellabant à materia quæ tractabatur. *Crocodilina* autem est problema ambiguum & omnino inexplicabile. ut cum crocodilus pollicitus esset mulieri se filium redditurum si illa verum dixisset, ait, non reddes filium. *Turneb. Ceratinæ.*] Sic arbitror appellatam à materia ipsa, qua uterentur verborum: sicut est apud Senecam lib. 5. Epistolar. ad Lucilium: *Sederem*, inquit, *otiosus & ejusmodi quæstiunculas ponens: Quod non perdidisti habes, Cornua non perdidisti, cornua ergo habes.* Cerata autem Græce dici cornua quis nescit. *Ang. Politian. Observat. & emend.* c. 54. p. 67.

1 *Crocodilinæ.*] Sophismatis parum explicabilis species est quo Dialectici veteres, potissimumque Stoïci uterentur. Quod genus eleganter Quintilianus exquisitas ambiguitates appellat. *Ang. Politian.* libro observat. cap. 55. *Crocodilinæ.*] Politian. Observ. cap. 55. pag. 68. Et probat *Crocodoliten*, sicuti & *Ceratinen*, sophismatos esse parum explicabilis speciem, quo Dialectici veteres, potissimumque Stoïci uterentur.

2 *Similiter oratorem.*] Politianus Miscell. cap. 54. & 55.

3 *Natura enim.*] Cicer. 3. de Oratore.

1 *Turpi-*

enim perfectum oratorem esse non prohibet:[1] *turpiterque desperatur, quicquid fieri potest.* [2] Atque ego vel judicio veterum poteram esse contentus. [3] Nam quis ignorat musicen (ut de hac primum loquar) tantum jam illis antiquis temporibus non studii modo, verumetiam venerationis habuisse, [4] ut iidem *musici*, & vates & sapientes judicarentur? mittam alios, *Orpheus* & *Linus:* quorum utrunque diis genitum, alterum vero, quod rudes quoque atque agrestes animos admiratione mulceret, non feras modo, sed saxa etiam sylvasque duxisse, posteritatis memoriæ traditum est. Et [5] Timagenes auctor est, omnium in literis studiorum antiquissimam *musicen* extitisse: & testimonio sunt clarissimi poëtæ, apud quos inter regalia convivia laudes heroum ac deorum ad citharam canebantur. Iopas vero ille Virg. nonne [6] canit: 17

---- errantem Lunam, Solisque labores? &c.

Quibus certe palam confirmat auctor eminentissimus, musicen cum divinarum etiam rerum cognitione esse conjunctam. Quod si datur, erit etiam oratori necessaria. Siquidem (ut diximus) hæc quoque pars quæ ab oratoribus relicta, à philoso-

1 *Turpiterque desperatur, &c.*] Columell. lib. XII. Nec Oratoria disciplina deseritur, quia perfectus oratornusquam repertus est. *Pithœus.*

2 Hoc capite de *Musica* tractat Fabius, quam primum generaliter laudat, & utilem probat, à veterum opinione: deinde etiam per relationem oratori necessariam ostendit, qui quidem est ordo naturalis. *Turneb.*

3 *Nam quis ignorat.*] *Musices* nomine antiqui omnem disciplinam complectebantur: & qui musici erant, cum suavibus illis modis rerum omnium peritiam conjungebant: unde Didymus in Odyss. Homeri *cantorem* accipit pro *philosopho.* Idem. *Nam quis, &c.*] Cic. 3. de Orator. & Strabo 1. de geogra. lib. 1. & 10. Virgil. eclog. 4. Horatius in art. Apud Homer. Achilles, & Phemius. Odyss. 1. Æneid. 1. & eclog. 4.

4 *Ut iidem musici, &c.*] Antiquitus si qui fidibus docti, pari cum philosophis in honore, habebantur. Videatur Joh. Meursii Commentar. ad Lycophron. p. 134.

5 *Timagenes.*] Suidas *Timagenem* quendam scribit fuisse historicum & rhetorem Milesium. scribit & alium Alexandrinum fuisse, qui Romæ tempore Augusti docuerit. *Turneb. Et Timagenes auctor.*] Jan. Gebhard. Crepund. lib. 1. cap. 1. p. 63. magni fecit Timaginem Fabius lib. 10. cap. 1.

6 *Canit errantem lunam.*] Hoc fecit Virgil. ad imitationem Homeri, apud quem in convivio Alcinoi inducitur *Phemius musicus* eodem modo cantans. *Turneb.*

philosophis est occupata, nostri operis fuit: ac sine omnium talium scientia non potest esse perfecta eloquentia. Atque claros nomine sapientiæ viros, nemo dubitaverit studiosos musices fuisse, quum [1] Pythagoras atque eum secuti, acceptam sine dubio antiquitus opinionem, vulgaverint, mundum ipsum ejus ratione esse compositum, [2] quam postea sit lyra imitata. Nec illa modo contenti dissimilium concordia, quam vocant ἁρμονίαν, sonum quoque his motibus dederunt. [3] Nam Plato cum in aliis quibusdam, tum præcipue in Timæo, ne intelligi quidem nisi ab iis, qui hanc quoque partem disciplinæ diligenter perceperint, potest. [4] Quid de philosophis loquor, quorum fons ipse Socrates jam senex institui lyra non erubescebat? Duces maximos & fidibus & tibiis ceciniſſe traditum, & exercitus [5] Lacedæmoniorum musicis accensos modis. Quid autem aliud in nostris legionibus cornua ac tubæ faciunt? quorum concentus quanto est vehementior, tanto Romana in bellis gloria cæteris præstat. [6] Non igitur frustra Plato civili viro, quem πολιτικὸν vocant, necessariam musicen credidit. Et ejus sectæ, quæ aliis severissima, aliis asperrima videtur, principes in hac fuere sententia, ut existimarent sapientum aliquos nonnullam operam his studiis accommodaturos. Lycur-

1 *Pythagoras.*] *Pythagoras* res omnes ad numeros & musicam retulit, ac orbem quoque harmonia quadam compositum dixit. quod idem intelligebat etiam de sphæris cœlestibus, quarum summam acutissimum sonum efficere scripsit, ultimam gravissimum. *Turnebus. Pythagoras.*] Vide Macrob. lib. 2. somnii Scipionis.

2 *Quam postea sit lyra imitata.*] Circuli septem planetarum *symphoniam* quandam efficiunt, quam postea est imitatus Mercurius in constructione lyræ, cui septem chordas dedit: tametsi postea chordarum numerus est auctus. *Turneb.*

3 *Nam Plato.*] Plato Pythagoræ disciplina imbutus, pleraque retulit ad numeros & musicam, animamque mundi musica quadam compositam esse dixit. *Turneb.*

4 *Quid de Philosophis.*] Cic. in Catone, Valer. lib. 2. tit. de instit. antiqui. & Gell. lib. 1. cap. 11.

5 *Lacedæmoniorum.*] Thucydides libro quinto, ubi describit conflictum Lacedæmoniorum & Argivorum, ait *Lacedæmonios tibia usos esse in committendis præliis.* Cretenses etiam tibiis utebantur, ut meminit Athenæus. *Turnebus.*

6 *Non igitur.*] Plato lib. 2. de legibus in primis præscribit ut *juvenes musica erudiantur*, quæ animorum motus temperet,

[1] Lycurgus duriſſimarum Lacedæmoniis legum auctor, muſices diſciplinam probavit. Atque eam natura ipſa videtur ad tolerandos facilius labores velut muneri nobis dediſſe. [2] Siquidem & remiges cantus hortatur: nec ſolum in iis operibus, in quibus plurium conatus præeunte aliqua jucunda voce conſpirat, ſed etiam ſingulorum fatigatio quamlibet ſe rudi modulatione ſolatur. Laudem adhuc dicere artis pulcherrimæ videor, nondum tamen eam oratori conjungere. Tranſeamus igitur id quoque, quod *grammatice* quondam ac *muſice* junctæ fuerunt. Siquidem Architas atque [3] Ariſtoxenus etiam ſubjectam grammaticen *muſicæ* putaverunt, & eoſdem utriuſque rei præceptores fuiſſe, cum [4] Sophron oſtendit mimorum quidem ſcriptor, ſed quem Plato adeo probavit, ut ſuppoſitos capiti libros ejus, cum moreretur habuiſſe credatur: tum Eupolis, apud quem Prodamus & *muſicen* & *literas* docet. [5] Et Maricas, qui eſt Hyperbolus, [6] nihil ſe ex muſicis ſcire niſi literas confitetur. [7] Ariſtophanes quoque non uno libro ſic inſtitui pueros antiquitus ſolitos eſſe demonſtrat. Et apud Menandrum in [8] *Hypobolimæo*, ſenex repoſcenti filium patri velut rationem impendiorum quæ in educationem contulerat, opponens, pſaltis

peret, & ad virtutis ſtudium accendat. *Turneb. Non igitur.*] Lib. 2. de leg. *Stoïcos* intellige.

1 *Lycurgus.*] Non quamlibet *muſicam* Lacedæmoniis permiſit Lycurgus, ſed duntaxat *ſeveram*: ut melos *caſtorium*, quo Lacedæmonii utebatur in congreſſibus præliorum. *Turneb.*

2 *Siquidem & remiges.*] Nam *celeuſma canebatur remigibus* vel per *aſſam vocem*, id eſt, humanam, vel per pueros *ſymphoniacos*. Hoc etiam quidam referunt ad claſſicum, cujus erat uſus in navibus ad remiges adhortandos in ναυμαχίᾳ. *Idem.*

3 *Ariſtoxenus.*] Ariſtoxenus optimus fuit muſicus, & omnia ad muſicam reducebat. *Idem.*

4 *Sophron oſtendit mimorum ſcriptor.*] Idem pœne ſcribit Diogenes Laërtius lib. 3. p. 107. Caſaubon. Valer. Maximus lib. 8. cap. 7.

5 *Et Maricas.*] Hyperbolus peſſimus fuit & flagitioſiſſimus civis, qui ex infimo loco Athenis tandem eſt ſummos honores adeptus. ab Eupolide appellatur *Maricas*, tanquam mollis & nihili. *Turneb.*

6 *Nihil ſe ex muſicis, &c.*] Apud Ariſtoph. in Equitib. ἐγὼ δ' οὐ μεσικὸς ἐπίσταμαι πῶλον γρόμμ' ἀφιέναι. Et in Nubibus. *Pithœus.*

7 *Ariſtophanes.*] Ariſtoph. in Nebul. In ἱππεῦσι.

8 *Hypobolimæo.*] Ita Menandri comœdia inſcribitur ab argumento. nam pater filium qui alteri ſuppoſitus fuerat, repetit. *Turneb.*

psaltis se & geometris multa dicit dediſſe. [1] Unde etiam ille mos, ut in conviviis poſt cœnam circunferretur lyra: cujus cum ſe imperitum Themiſtocles confeſſus eſſet, ut verbis [2] Ciceronis utar, *habitus eſt indoctior.* Sed veterum quoque [3] Romanorum epulis fides ac tibias adhibere moris fuit. Verſus quoque Saliorum habent carmen. Quæ cum omnia ſint à Numa rege inſtituta, faciunt manifeſtum, ne illis quidem qui rudes ac bellicoſi videntur, curam muſices, quantam illa recipiebat ætas defuiſſe. Denique in proverbium uſque Græcorum celebratum eſt, [4] *Indoctos à Muſis atque Gratiis abeſſe.* Verum quid ex ea proprie petat futurus orator, diſſeramus. [5] Numeros *muſice* duplices habet, in *vocibus*, & in *corpore.* utriuſque enim rei aptus quidam modus deſideratur. [6] *Vocis rationem* Ariſtoxenus muſicus dividit in ῥύθμον, [7] & μέλος ἔμμελες ον: quorum alterum *modulatione*, alterum *canore* ac ſonis conſtat. Num igitur non hæc omnia oratori neceſſaria? [8] quorum unum ad geſtum, alterum ad collocationem verborum, tertium ad flexus vocis, qui ſunt in agendo quoque plurimi, pertinet. [9] Niſi forte

1 *Unde etiam.*] Græci ſummam eruditionem putaverunt ſitam in fidium & tibiarum cantibus, unde Simon Athenienſis cum apud quendam libenter decantaſſet, prælatus eſt Themiſtocli. *Turneb.*

2 *Ciceronis utar.*] Tuſcul. 1.

3 *Romanorum.*] Nam veteres Romani, ut ſcribit Cato in Originibus, fortium virorum laudes ad tibiam decantabant. *Turneb.*

4 *Indoctos à muſis, &c.*] Nomine *muſices* Græci complectuntur omnem doctrinam, diſciplinam, elegantiam: & apud eos dicitur ἄμουσος, qui inelegans eſt & indoctus. *Turneb.*

5 *Numeros.*] *Numerus* hîc apta quædam eſt convenientia & modulata, quæ ſpectatur in vocis productione & proportione numeroſa, & per participationem in debita corporis conformatione. verbi cauſa, *ſi optimo geſtu orator movebitur, in ejus corpore dicetur eſſe numerus.* Idem.

6 *Vocis rationem.*] *Rhythmus*, id eſt, numerus, in vocis eſt productione: *Melos*, id eſt, modulus, in altitudine: *metrum* vero, certa ſyllabarum longarum & brevium inter ſe connexio. duas vero has partes inter ſe conjunxit Fabius, propterea quod *carmina modulis* quibuſdam decantantur, & *moduli cum carminibus* junguntur. *Idem.*

7 Et μέλος ἔμμελες ον.] Alii legunt, & μέλος, & μέτρον. Vide Gell. lib. 16. cap. 18. & Boëtium de Muſica lib. 8.

8 *Quorum unum.*] Nempe in corpore numeri. *Alterum.*] Ῥυθμός. *Tertium.*] Μέλος. *Camerar.*

9 *Niſi forte in carminibus.*] In vocum continuatione, inquit Cicero, debet eſſe collocatio quæ efficiat inoffenſum orationis curſum, & aptam vocum junctu-

ram,

forte in carminibus tantum & in canticis exigitur ſtructura quædam & inoffenſa copulatio vocum, in agendo ſupervacua eſt: aut non compoſitio & ſonus in oratione quoque varie pro rerum modo adhibetur, ſicut in muſice. Namque & *voce* & *modulatione* grandia elate, jucunda dulciter, moderata leniter canit: totaque arte conſentit cum eorum quæ dicuntur, *affectibus*. Atqui in orando quoque intentio vocis, remiſſio, flexus, pertinet ad movendos audientium affectus: aliaque & collocationis & vocis (ut eodem utar verbo) modulatione concitationem Judicum, alia miſericordiam petimus: cum etiam organis, quibus ſermo exprimi non poteſt, affici animos in diverſum habitum ſentiamus. [1] Corporis quoque decens & aptus motus, qui dicitur Εὐρυθμία eſt neceſſarius: nec aliunde peti poteſt: in quo pars actionis non minima conſiſtit: qua de re ſepoſitus nobis eſt [2] locus. [3] Age ſi habebit in primis curam vocis orator, quid tam *Muſices* proprium? Sed ne hæc quidem præſumenda pars eſt: [4] ut uno interim contenti ſimus exemplo C. Gracchi præcipui ſuorum temporum oratoris, cui concionanti conſiſtens poſt eum muſicus, [5] fiſtula quam [6] τονάριον vocant, modos quibus deberet intendi, miniſtrabat. Hæc ei cura inter turbidiſſimas actiones, vel terrenti optimates, vel jam timenti

eturam, debet eſſe etiam numerus, id eſt, melodia quædam & ſuavitas orationis, quibuſdam pedibus comprehenſa. *Turneb.*

1 *Corporis quoque.*] Εὐρυθμία dicitur in corpore, quando apto numero, convenienti geſtu & vultu orator decore pronunciat. Fabius tamen in oratione illud quod eſt Εὔρυθμον quadantenus culpat. *Turneb.*

2 *Locus.*] Lib. 11.

3 *Age.*] Antiqui magno ſtudio vocem exercuerunt, ac publice quoque magiſtri erant vocis exercendæ, qui appellabantur *phonaſci*: quibus plerunque etiam Nero utebatur. *Idem.*

4 *Ut uno interim contenti ſimus exemplo C. Gracchi, &c. cui concionanti, poſt eum conſiſtens muſicus, fiſtula quam tonarion dicunt, modos, &c.*] *Tonarion* fiſtulæ quoddam genus, quo vocis modos regebant ac temperabant muſici. *Salmaſius* 503. Cic. de Orat. & Gell. lib. 1. cap. 11.

5 *Fiſtula quam τονάριον voc.*] Alii *phtongarium* etiam appellant, ut in pneumaticis Hero. Vide Turneb. Adverſar. lib. 17. cap. 20. p. 574.

6 Τονάριον.] Τονάριον eſt fiſtula quæ tonos quibus uti debemus incinit. Gellius tamen falſum eſſe putat, quod ajunt Gracchum habuiſſe fiſtulatorem cujus modis intenderetur, cum præſertim vehemens ejus ingenium non intentione egeret, ſed remiſſione. *Turneb.*

timenti fuit. Libet propter quosdam imperitiores, etiam *crassiore*, ut vocant, *musa*, dubitationem hujus utilitatis eximere. Nam poëtas certe legendos oratori futuro concesserint: num igitur hi sine musice? At si quis tam cæcus animi est, ut de aliis dubitet: illos certe, [1] qui carmina ad lyram composuerunt. Hæc diutius forent dicenda, si hoc studium velut novum præciperem. [2] Cum vero antiquitus usque à Chirone atque Achille ad nostra tempora apud omnes, qui modo legitimam disciplinam non sint perosi, duraverit, non est committendum ut illa dubia faciam, defensionis solicitudine. [3] Quamvis autem satis jam ex ipsis quibus sum modo usus exemplis, credam esse manifestum, quæ mihi, & quatenus *musice* placeat: apertius tamen profitendum puto, non hanc à me præcipi, quæ nunc in scenis effœminata, & impudicis modis fracta, non ex parte minima, si quid in nobis virilis roboris manebat, excidit: [4] sed qua laudes fortium canebantur, quaque & ipsi fortes canebant, nec [5] *psalteria* & [6] *spadicas*, etiam virginibus probis recusanda: sed cognitionem rationis, quæ ad [7] movendos

1 *Qui carmina ad lyram.*] Boët. de Musica: Tria genera sunt quæ circa Musicam versantur. Unum est, quod instrumentis agitur: aliud fingit carmina: tertium, quod instrumentorum opus carmenque dijudicat. Et infra. Secundum vero Musicam agentium genus poëtarum quod non potius speculatione ac ratione quam naturali quodam instinctu fertur ad carmen. *Pithœus.*

2 *Cum vero.*] Chiron Centaurus Achillis fuit nutritius, & eum cum cæteras disciplinas, tum maxime *musicam* docuit. Unde apud Homerum Achilles *citharam pulsat*, & ita animi ægritudinem levat. *Turneb.*

3 *Quanvis autem.*] Post assertam musicam, ne auditoris electio fallatur, amphibologiam discutit, & quam potissimum musicam probet, ostendit. quo quidem loco cum Platone ac Cic. sentit, qui antiquam musicam probant, novam damnant & vituperant. *Idem.*

4 *Sed qua laudes fort. canebantur.*] Jan. Gebhard. Crepund. lib. 2. cap. 3. p. 64. Mss. Palatini ita concinnant hunc complexum orationis genuine: *Sed qua laudes fortium canebantur, quasque & ipsi fortes canebant: nec psalteria ipsa dicas etiam virginibus probis recusanda.* Sic Achilles apud Statium lib. 1. vers. 184. & seqq.

5 *Psalteria.*] *Psalterium* instrumentum est musicum decachordum, quod etiam *nablum* appellatur & *nablium*. Paulus jurisconsul. hoc instrumentum quoque damnat. *Turneb.*

6 *Spadicas.*] Julius Pollux onomastici lib. 4. *Spadices* inter instrumenta quæ pulsantur numerat. Raphaël cum hanc dictionem non intelligeret, substituit *sambucam*, quæ est ipsa quoque instrumentum musicum. *Idem.*

7 *Movendos.*] Cœlius lib. 5. c. 23.

1 *Nam*

dos leniendosque affectus plurimum valet. [1] Nam & Pythagoram accepimus, concitatos ad vim pudicæ domui afferendam juvenes, jussa mutare in *Spondeum* modos tibicina, composuisse: & [2] Chrysippus etiam nutricum quæ adhibentur infantibus [3] allectationi, suum quoddam carmen assignat. Est etiam non inerudite ad declamandum ficta materia, in qua ponitur tibicen qui sacrificanti [4] *Phrygium* cecinerat, acto illo in insaniam & per præcipitia delato, accusari, quod causa mortis extiterit. quæ si dici debet ab oratore, nec dici citra scientiam musices potest, quomodo non hanc quoque artem necessariam esse operi nostro vel iniqui consentiant? [5] In *geometria* partem fatentur esse 18
utilem teneris ætatibus. agitari namque animos, atque acui ingenia, & celeritatem percipiendi venire inde, concedunt: sed prodesse eam non ut cæteras arteis, cum perceptæ sint, sed cum discatur, existimant. Ea vulgaris opinio est. Nec sine causa summi viri etiam impensam huic scientiæ operam dederunt. Nam quum sit [6] *geometria* divisa in numeros atque formas: numerorum quidem notitia non oratori modo, sed cuicunque primis saltem literis erudito, necessaria est. [7] In causis vero vel frequentissime versari solet:

1 *Nam & Pythagoram.*] Boëtius scribit *Tauromenitanum* quendam juvenem concitatum Phrygio cantu, *spondeo* à Pythagora fuisse sedatum. Est enim *spondeus* gravis, moderatus, ac modestus. *Turneb.*

2 *Chrysippus etiam nutricum, &c.*] De nutricum næniis, vide Is. Casaub. ad Theophrast. notationes morum, cap. περὶ λαλιᾶς.

3 *Allectationi.*] Jan Gebhard. Crepund. lib. 2. cap. 3. p. 63. Forte *ablactationi*, hoc est, ἀπογαλακτισμῷ. Quod si placuerit, *Allectatio*, erit ἐπαγωγὴ & cantandi illecebra, qua soporem alliciunt odis illis lactentibus pueris & in cunis vagientibus.

4 *Phrygium cecinerat.*] *Phrygius modus* vehemens appellatur & violentus à Luciano, hominemque concitat, & in furorem accendit. Unde petitur hæc materia declamationis. De modis Musices vide Athenæum lib. 14. *Turneb.*

5 Hoc capite quorundam refutat opinionem, qui *Geometriam* oratori necessariam negabant. Porro Fab. *Geometriæ* nomine tres scientias complectitur, *Astrologiam* sive *Sphæricam*, *Arithmeticam*, & proprie dictam *Geometriam*, quæ versatur circa formarum delineationes. *Turneb.*

6 *Geometria divisa in numeros, &c.*] Videatur *Turnebus* Adverss. lib. 26. c. 1. p. 958. Cicer. in proœm. Tuscul. *Geometria.*] Arithmeticem sub Geometria comprehendit, ut paulo post Astrologiam.

7 *In causis vero.*] Alludit ad rationem

let: [1] in quibus actor non dico si circa summas trepidat, sed si [2] digitorum saltem incerto aut indecoro gestu à computatione dissentit, judicatur indoctus. [3] Illa vero linearis ratio, & ipsa quidem cadit frequenter in causas. nam de terminis mensurisque sunt lites: sed habet majorem quandam aliam cum arte oratoria cognationem. Jam primum ordo est *geometriæ* necessarius: nonne & *eloquentiæ?* [4] Ex prioribus geometria probat insequentia, & certis incerta: nonne id in dicendo facimus? Quid? illa propositarum quæstionum conclusio, non tota fere constat syllogismis? propter quod plures invenias qui dialecticæ similem, quam qui rhetoricæ fateantur hanc artem. Verum & orator, etiam si raro, non tamen nunquam probabit dialectice. Nam & syllogismis, si res poscet, utetur: & certe *enthymemate*, qui rhetoricus est syllogismus. [5] Denique probationum quæ sunt potentissimæ, γραμμικὰς ἀποδείξεις vulgo dicuntur. Quid autem magis oratio quam probationem petit? Falsa quoque verisimilia, *geometria* ratione deprehendit. Fit hoc & in numeris per quasdam quas [6] ψευδογραφίας vocant: quibus pueri ludere

supputandi antiquorum, quæ fiebat per articulos digitorum utriusque manus, ita ut siniſtra manu supputarent ad nonaginta, dextra supputarent centum & reliquos numeros. *Turneb.*

1 *In quibus actor, si digitorum, &c.*] Vide hac de re Ludov. Cresollium vacat. Autumn. lib. 2. p. 354.

2 *Digitorum.*] Nam digitorum gestibus numeros repræsentasse veteres constat, & ostenditur in XI. Fabii. *Camerarius.*

3 *Illa vero linearis.*] Jam de *Geometria* peculiariter appellata loquitur, quæ circa formarum descriptiones versatur, cujus pars quædam appellatur γεωδαισία, quæ docet terrarum mensurationem. *Turneb.*

4 *Ex prioribus.*] *Geometræ* optimo utuntur ordine, nimirum *naturali* & *systematico*. Nam primum axiomata, hypotheses, & postulata ponunt: ex quibus sequentia probant, quæ demum ut confessa ad aliorum probationem sumuntur. atque ita deinceps. *Turneb.*

5 *Denique probationem.*] *Apodixis* syllogismus est certissimus, qui necessariis constat. Eo plurimum utuntur *geometræ*, adhibitis interim descriptionibus linearum. Hinc factum est, ut probationes omnes certissimæ, appellarentur ἀποδείξεις γραμμικαί. *Turnebus. Denique.*] Aristotel. in poster. analyticis.

6 Ψευδογραφίας.] Ψευδογραφίαι, descriptiones sunt quædam tum in *Geometria* tum in *Arithmetica*, quæ quanquam in speciem veræ videntur, falsæ tamen sunt. hinc videtur Aristoteles in elench. sophisticis hausisse syllogismum pseudographum, qui fit ex principiis male intellectis. *Turnebus.* Ψευδογραφίας.] Accipio ψευδογραφίας à Fabio dici

ludere solebamus. Sed alia majora sunt. Nam quis non ita proponenti credat: [1] Quorum locorum extremæ lineæ eandem mensuram colligunt, eorum spatium quoque quod his lineis continetur, par sit necesse est? At id falsum est. Nam plurimum refert cujus sit formæ ille circuitus: [2] reprehensique à geometris sunt historici [3] qui magnitudines insularum satis significari navigationis ambitu crediderunt. Nam ut quæque forma perfectissima, ita capacissima est. Ideoque illa [4] *circumcurrens* si efficiet orbem: quæ forma est in planis maxime perfecta, amplius spatium complectetur, quam si quadratum paribus oris efficiat. Rursus *quadratæ triangulis*, triangula ipsa plus æquis lateribus quam inæqualibus. Sed alia forsitan obscuriora: nos facillimum etiam imperitis sequamur experimentum. [5] Jugeri mensuram, ducentos & quadraginta longitudinis pedes esse, dimidioque in latitudinem patêre, non fere quisquam est qui ignoret: & qui sit circuitus, & quantum campi claudat, colligere expeditum. At centeni & octogeni in quamque partem pedes, idem spatium extremitatis, sed multo amplius [6] divisæ quatuor lineis areæ faciunt. Id si computare quem piget, brevioribus numeris idem discat. nam deni in quadram pedes, quadraginta per oram, intra centum erunt.

At

dici fallacias in subductionibus rationum. Ex. g. Duodecim diebus singulis vini amphoræ quatuor. quot amphoræ debentur tribus: colliges de regula, unam deberi. *Camerar.*

1 *Quorum locorum.*] In planis geometriæ figuris circulus est perfectissimus & capacissimus, in solidis globus & sphæra. itaque reliquæ figuræ prout magis aut minus ad has formas accedunt; magis aut minus sunt capaces. non igitur solum ad ambitum respicere oportet, sed etiam ad figuræ rationem. *Turneb.*

2 *Reprehensique.*] In hoc quoque vitium pluribus locis incidit Plinius. ut lib. 4. cum scribit *Ithacam patere circuitu viginti quinque millia passuum: Cephaleniam vero quadraginta quatuor millia.* nam magnitudinem ex ambitu colligere non possis, nisi figuram teneas. *Turnebus.*

3 *Qui magnitudines insularum.*] Ex Polyb. lib. 9. Thucyd. lib. VI. Proclus comment. in 1. Euclid. Element. lib. 3. comment. 8. & lib. 4. comment. 11. *Pithœus.*

4 *Circumcurrens linea.*] Περιφερής.

5 *Jugeri mensuram.*] *Jugerum* complectitur duos actus quadratos, qui efficiunt ducentos quadraginta pedes longitudinis, centum viginti latitudinis. *Turneb.*

6 *Divisæ.*] Alii leg. *clausæ.*

1 *Nam*

At si quinideni per latera, quini in fronte sint: ex illo quod amplectuntur, quartam deducent eodem circumductu. Si vero porrecti utrinque undeviceni singulis distent, non plures intus quadratos habebunt, quam per quot longitudo ducetur: quæ circumibit autem linea, ejusdem spatii erit cujus ea quæ centum continet. Ita quicquid formæ quadrati detraxeris, amplitudini quoque peribit. Ergo etiam id fieri potest, ut majore circuitu minor loci amplitudo claudatur. Hoc in planis. [1] Nam in collibus vallibusque etiam imperito patet [2] plus soli esse quam cœli. [3] Quid quod se eadem geometria tollit ad rationem usque mundi? in qua cum siderum certos constitutosque cursus numeris docet, discimus nihil esse inordinatum atque fortuitum: quod ipsum nonnunquam pertinere ad oratorem potest. [4] An vero cum Pericles Athenienses *Solis obscuratione* territos, redditis ejus rei causis, metu liberavit: aut cum [4] Sulpitius ille Gallus in exercitu L. Pauli de [6] *Lunæ defectione* disseruit, ne velut prodigio divinitus facto militum animi terrerentur, non videtur esse usus oratoris officio? Quod si Nicias in Sicilia sciisset non eodem confusus metu pulcherrimum Athenienſium [7] exercitum perdidisset: sicut Dion, cum ad destruendam Dionysii tyrannidem venit, non est tali casu deter-

1 *Nam in collib.*] Collis cum sit conglobatus, tantum duntaxat cœli occupat, quantum complectitur diameter. si autem illa collis superficies globosa & illa rotundatio extenderetur, longe plus occuparet. *Turneb.*

2 *Plus soli esse quam cœli.*] Quoniam videtur duntaxat occupare quod est in dimetiente & latitudine rotunda. *Idem.*

3 *Quid quod se.*] *Astrologia* est *duplex*. nam altera versatur circa astrorum cursus, de qua loquitur Fabius: altera circa judicia quæ ab astris petuntur, quæ quidem legibus est interdicta. *Idem.*

4 *An vero.*] Cum Pericles bello Peloponnesiaco solvere è portu Athenienſi pararet, facta est *solis eclipsis*: sed reddita causa, Athenienses qui hoc in prodigium vertebant, metu liberavit. *Idem. An vero, &c.*] De Pericle Galloque Sulpitio exempla sunt apud Valerium lib. 8. cap. 11. De Nicia, Thucydides lib. 7. *Camerar. An vero.*] Plutarch. in vita Periclis. Plin. lib. 2. c. 12.

5 *Sulpitius.*] Pridie quam P. Æmilius cum Perse rege Macedoniæ confligeret, facta est *lunæ eclipsis*. Productus in concionem ab imperatore Sulpitius Gallus, defectus causas aperuit, & milites metu liberavit, postridieque superatus fuit Perses. *Turneb.*

6 *Lunæ defectione.*] Valer. libro 8. cap. 1.

7 *Exercitum.*] Thucyd. lib. 7. Plutar. in vita Dionis, & Marcelli.

1 *Archi-*

deterritus. Sint exempla licet usus bellici, transeamusque quod [1]Archimedes unus obsidionem Syracusarum in longius traxit: illud utique jam proprium est ad efficiendum quod intendimus, plurimas quæstiones, quarum difficilior alia ratione explicatio est, ut de ratione dividendi, [2] de sectione in infinitum, de celeritate augendi, linearibus illis probationibus solvi solere: ut si est oratori (quod proximus demonstrabit liber) de omnibus rebus dicendum, nullo modo sine *geometria* esse possit orator.

1 *Archimedes unus.*] Archimedes Syracusanus, optimus mathematicus, atque idem mechanicus. hic suis machinis solus exercitui Marcelli restitit, ut scribit Plutarchus & Livius. *Turneb.*

2 *De sectione in infinitum.*] Numerus amplificatione est infinitus, continuum vero divisione. nam quod continuum est, in aliud rursus continuum dividitur, atque ita deinceps in infinitum. *Idem.*

CAP. XI.

De prima pronuntiationis & gestus institutione.

[1] DAndum aliquid comœdo quoque, dum eatenus, qua pronuntiandi scientiam futurus orator desiderat. 19
Non enim puerum quem in hoc instituimus, aut fœmineæ vocis exilitate frangi volo, aut [2] seniliter tremere. Nec vitia ebrietatis effingat, [3] nec servili vernilitate imbuatur: nec amoris, avaritiæ, metus discat affectum: quæ neque oratori sunt necessaria & mentem præcipue in ætate prima teneram adhuc & rudem inficiunt. Nam frequens imitatio transit in mores. Ne gestus quidem omnis ac motus à comœdis petendus est. Quanquam enim utrunque eorum ad

1 D*Andum aliquid Comœdo.*] *Comœdus* actorem Comœdiæ significat. *Comœdi* porro peritissimi erant pronunciationis gestus. itaque ut oratoris gestus & vox ab illis formetur perscribit, ita tamen ut mediocritatem orator servet, nec more *Comœdi* personarum mores & gestus undique effingat. *Turneb.*

2 *Seniliter tremere.*] Hoc dicit propter *mimos ethologos*, qui personæ quam substinent, mores, verba, gestum imitantur. quod in oratore vitiosum est. *Idem.*

3 *Nec servili vernilitate imb.*] Senec. lib. 2. de Benefic. cap. 11. *Et hæc ipsa non verniliter; nec ea figura, &c.* Lipsius *verniliter* exponit blande & cum adulatione. quem vide.

1 *Excur-*

ad quendam modum præstare debet orator: plurimum tamen aberit à scenico, nec vultu, nec manu, nec [1] excursionibus nimius. Nam si qua in his ars est dicentium, ea prima est ne ars esse videatur. Quod est igitur in his doctoris officium? In primis [2] vitia si qua sunt oris, emendet: ut expressa sint verba, ut suis quæque literæ sonis enuntientur. Quarundam enim vel [3] exilitate vel pinguetudine nimia laboramus: [4] quasdam [5] velut acriores parum efficimus, & aliis non dissimilibus, sed quasi hebetioribus permutamus. Quippe ϱ litteræ, qua Demosthenes quoque laboravit, λ succedit: [6] quarum vis est apud nos quoque. [7] Et cum *c* ac similiter *t* non valuerunt, in *g* ac *d* molliuntur. Ne illas quidem circa *s* literam [8] delicias hic magister feret: nec verba [9] in faucibus patietur audiri, nec oris inanitate resonare: nec, quod minime sermoni puro conveniat, simplicem vocis naturam pleniore quodam sono circunlinire, quod Græci [10] καλαπτωλασμὸν dicunt. sic appellatur cantus tibiarum, quæ præclusis quibus claresçunt foraminibus, recto

1 *Excursionibus.*] Per *excursiones* intelligit quasdam procursiones, quas breves & raras debet efficere orator, ut discurrere non videatur. permittit quoque Fab. oratori ut aliquando ambulet. *Turneb.*

2 *Vitia, si qua sunt oris, emend.*] Qua de re scitu dignissima profert Cœl. Rhodigin. Antiq. Lect. lib. 13. cap. 1. p. 567. & Cic. lib. 1. de Orat. Dionys. Halicarnass. in arte.

3 *Exilitate.*] Significat ἰσχνότητα, quæ vocem exiliter pronunciat: & πλατυσμὸν cum diducto rictu pinguius & vastius enunciamus. *Turneb.*

4 *Quasdam velut acriores eff.*] Gebhard. Crepund. lib. 2. cap. 3. pag 64. MS. Palat. *Quasdam velut acriores parum efflamus.* Probo, nisi quis malit, *effamur.* Pareus.

5 *Velut acriores.*] Hoc vitium est τραυλότης. id est, *blæsitas*, cum literam aliquam pronunciare non possumus: huc referri debet Alcibiadis *lambdacismus.* Turneb.

6 *Quarum vis.*] Id dicit propterea quod Latini in quibusdam verbis, *r* mutarunt in *l*, unde *Pellucidus* dicitur pro *Perlucidus*: vel quod etiam nonnulli qui blæsi erant, *r* mutabant in *l.* Idem.

7 *Et cum C ac similiter T.*] Vel significat quosdam vitiose pronunciare, ut antea quoque: vel etiam innuit literas quasdam nonnunquam emolliri. ut cum dicimus *Cneus*, vel cum Græci τ prociant post ν, ut δ. *Idem.*

8 *Delicias.*] Innuit vitium quod appellatur *Polysigma*, cum *s* productiore sibilo enunciatur. *Idem.*

9 *In faucibus.*] Appellatur hoc vitium *gargarismus* & *laryngismus*, cum vox in ipso gurgulione & gula auditur. κοιλοστομίαν à Fabio dicitur, cum verba ex oris concavitate audiuntur. *Idem.*

10 Καλαπτωλασμένον.] Hujuscemodi vox efficitur, quando ore pene præclu-

cto modò exitu graviorem spiritum reddunt.[1] Curabit etiam ne extremæ syllabæ intercidant, ut par sibi sermo sit: [2] ut quoties exclamandum erit, laterum conatus sit ille, non capitis: ut gestus ad vocem, vultus ad gestum accommodetur. Observandum erit etiam, [3] ut recta sit facies dicentis: ne labra distorqueantur: ne immodicus hiatus rictum distendat: ne supinus vultus, ne dejecti in terram oculi, ne inclinata utrolibet cervix. Nam frons pluribus generibus peccat. [4] Vidi multos quorum supercilia ad singulos vocis conatus allevarentur, aliorum constricta: aliorum etiam diffidentia, cum altero in verticem tenderent, altero pene oculus ipse premeretur. Infinitum autem, ut mox dicemus, in his quoque rebus momentum est. [5] *Et nihil potest placere, quod non decet.* [6] Debet etiam docere comœdus quomodo narrandum, qua sit auctoritate suadendum: qua concitatione consurgat ira, qui flexus deceat miserationem. Quod ita optime faciet, si certos ex comœdiis elegerit locos, & ad hoc maxime idoneos, id est actionibus similes. Iidem autem non ad pronuntiandum, modo utilissimi, verum ad augendam quoque eloquentiam maxime accommodati erunt. Et hæc, dum infirma ætas majora

præcluso gravis & fusca vox erumpit, ut fieri solet in tibiis præclusis foraminibus. *Idem.*

1 *Curabit etiam.*] Reprehendit eos qui appellantur *colobotæ*, id est, decurtatores, qui extremas dictionum syllabas non patiuntur audiri, sed eas devorant & deglutiunt. *Idem.*

2 *Ut quoties, &c.*] Posteaquam de voce tractavit, alteram pronunciationis partem, quæ posita est in gestu & motu, persequitur sigillatim per omnes corporis partes. qua de re plura scripta sunt lib. 11. *Idem.*

3 *Ut recta sit facies dicentis, &c.*] Vide Lud. Cresollii Vacat. Autumn. lib. 2. sect. 3. pag. 3. & seqq.

4 *Vidi multos quorum supercilia.*] Vide Lud. Cresollii Vacat. Autumn. lib. 2. sect. 3. & 4. pag. 191. &c. & Joh. Savoronis Comment. ad Sidon. Apoll. lib. 9. Epist. 9. p. 558. Salmasii in Tertull. lib. de Pallio pag. 305. & 335.

5 *Et nihil potest placere, quod non decet.*] Lib. 11. cap. de pronuntiatione.

6 *Debet etiam.*] Nunc quoque docet Fab. quomodo pronunciatio debeat aptari singulis orationis partibus, & qua vocis inclinatione sit concitandus affectus aut sedandus. *Turneb. Debet etiam docere Comœdus.*] Apud veteres nobilium pueri statim ad Comœdum accedebant maturi consilii virum & in agendo exercitatum; à quo in infantiæ primis annis pronunciandi rationem capiebant. Cresollius Vacat. Autumn. Præluf.

1 *Ediscere*

majora non capiet. Cæterum cum legere orationes oportebit, cum virtutes earum jam sentiet, tum mihi diligens aliquis ac peritus assistat: neque solum lectione formet, verumetiam [1] edisсere electa ex his cogat, & ea dicere stantem clare, & quemadmodum agere oportebit: ut protinus [2] pronuntiatione vocem & memoriam exerceat. [3] Ne illos quidem reprehendendos putem, qui paulum etiam [4] *palæstricis* vacaverint. Non de his loquor, quibus pars vitæ [5] in oleo, pars in [6] vino consumitur, qui corporis cura mentem obruerunt (hos enim abesse ab eo quem instituimus, quam longissime velim) sed nomen est idem iis à quibus gestus motusque formantur. [7] ut recta sint brachia, [8] ne indoctæ rusticæve manus, ne status indecorus, [9] ne qua in proferendis pedibus inscitia, ne caput oculique ab alia corporis inclinatione dissideant. Nam nec hoc esse in parte pronuntiationis negaverit quisquam, nec ipsam pronuntiationem ab oratore secernet. Et certe quod facere oporteat, non indignandum est discere, cum præsertim hæc [10] *chironomia*, quæ est (ut nomine ipso declaratur) *lex gestus*, & ab

1 *Edisсere electa.*] Fab. quoque lib. 2. cap. de ediscendo, præcipit ut pueri electos ex oratoribus & historicis locos ediscant, tum ad vocis formationem, tum ad memoriæ confirmationem. *Turneb.*

2 *Pronuntiatione.*] Pronuntiationem.

3 *Ne illos quidem reprehend.*] Vide Fabium lib. 9. *Quos palæstritas esse nolumus, peritos tamen palæstræ esse volumus, non ἀπαλαίστους.* Vide Lud. Cresollium Præluſ. Vacat. Autumn.

4 *Palæstricis.*] *Palæstra* nonnunquam Latinis significat artem corpus exercendi, & luctandi, nonnunquam etiam significat eam artem quæ corporis gestum conformat, quam qui docent, appellantur *palæstrici*. hujus artis imperiti appellantur *apalæstri*. Turneb.

5 *In oleo.*] Alludit ad athletas, qui antequam luctarentur, *ceromate*, id est, oleo ungebantur, ac mox pulvere conspergebantur. *Idem.*

6 *Vino.*] Significat *victum athleticum*. nam athletæ cogebantur se saginare, ut major esset corporis moles. utebantur *coliphio*. Idem.

7 *Ut recta sint brachia, &c.*] Vide Lud. Cresollium Vacat. Autumn. lib. 2. cap. 1. pag. 365. & seqq.

8 *Ne indoctæ rusticæve manus.*] Jan. Gebhard. Crepund. lib. 2. cap. 3. MS. vetustiss. *Ut recta sint brachia, ne inductæ rustice manus.*

9 *Ne qua in proferendis pedib.*] Vide infra lib. 2. cap. 3. Ludovic. Cresoll. Vacat. Autumn. lib. 2. cap. 12. sect. 6. p. 391.

10 *Chironomia.*] *Chironomia*, gestus est saltationis gesticulatricis. est etiam lex gestus & motus, quæ nomen sortitur *à manuum lege*, propterea quod illic maxima pars gestus est posita. *Turnebus.*

1 *A sum-*

& ab illis temporibus heroicis orta sit, & [1] à summis Græciæ [2] viris, & ab ipso etiam [3] Socrate probata, [4] à Platone quoque in parte civilium posita virtutum, & à Chrysippo in præceptis de liberorum educatione compositis non omissa. Nam Lacedæmonios quidem etiam [5] saltationem quandam, tanquam ad bella quoque utilem, habuisse inter exercitationes accepimus. Neque id [6] veteribus Romanis dedecori fuit: argumentum est, sacerdotum nomine ac religione durans ad hoc tempus saltatio: & illa *in tertio Ciceronis de oratore libro* verba Crassi, quibus præcepit ut orator utatur laterum [7] inclinatione forti ac virili, non à scena & histrionibus, sed ab armis, aut etiam à palæstra: cujus etiam disciplinæ usus in nostram usque ætatem sine reprehensione descendit. A me tamen nec ultra pueriles annos retinebitur, nec in his ipsis diu. Neque enim gestum oratoris componi ad similitudinem saltationis volo, sed subesse aliquid ex hac exercitatione puerili, [8] unde nos non id agentes furtim decor ille discentibus traditus prosequatur.

CAP.

1 *A summis.*] Nam Epaminondas, optime saltavit, ut refert Æmilianus Probus. *Turn.*

2 *Viris.*] Odyss. 3. & 8. Iliad. 17.

3 *Socrate.*] Socrates in Symposio Xenophontis etiam fatetur se domi saltasse. *Turneb. Socrate.*] Lib. 3. de Rep. & de legib. 7.

4 *A Platone.*] Plato in lib. de Rep. & de legibus, multa de exercitatione corporis & saltatione scribit, & hac ut pueri instituantur præscribit. *Turneb.*

5 *Saltationem quandam.*] Vel intelligit *Pyrrhichen*, quæ saltatio erat armata & bellica: vel *dipodiam*, quæ (ut scribit Pollux) erat saltatio Laconica, siebatque apto pedum motu & gestu. *Idem. Saltationem quandam, tanquam.*] Vide Cœl. Rhodigin. lib. 5. cap. 4. p. 201. & seqq. Joh. Meurs. Comment. in Lycophron. p. 159.

6 *Veteribus Romanis.*] Nam tempore Ciceronis & Fabii probrosum erat *saltare*. Turneb.

7 *Inclinatione.*] Inflexione, habet Cicero.

8 *Unde nos non id agentes.*] Locus ex illo Tibulliano planissime adumbratus lib. 4. Carm. 2. ℣. 8.

Illam, quicquid agit, quoquo vestigia flectit,
Componit furtim subsequiturque decor.

Cap. XII.

An plura eodem tempore doceri prima ætas possit.

Quæri solet, an etiam si discenda sint hæc, eodem tempore tamen tradi omnia & percipi possint. Negant enim quidam quia confundatur animus ac fatigetur tot disciplinis in diversum tendentibus, ad quas nec mens, nec corpus, nec diesipse sufficiat: [1] & si maxime patiatur hæc ætas robustior, tamen pueriles annos onerari non oporteat. [2] Sed non satis perspiciunt quantum natura humani ingenii valeat: [3] quæ ita est agilis & velox, sic in omnem partem, ut ita dixerim, spectat, ut ne possit quidem aliquid agere tantum unum: in plura vero, non eodem die modo, sed eodem temporis momento vim suam [4] impendat. [5] An vero citharœdi non simul & memoriæ, & sono vocis & pluribus flexibus serviunt, cum interim alios nervos dextra [6] percutiunt, alios læva trahunt, continent, probant, [7] ne pes quidem ociosus, certam legem temporum servat, & hæc pariter omnia? Quid? nos agendi subita necessitate deprehensi, nonne alia dicimus, alia providemus, cum pariter inventio rerum, electio verborum, compositio gestus, pronuntiatio, vultus, motusque desiderentur? [8] Quæ si velut

Fabius optimo ordine & naturali, postea quam quæstionem, an sit, simpliciter tractavit, tractat nunc eam ex relatione. Ac primum more suo aliorum contradictiones ponit, quas deinde multis rationibus, similitudinibus, exemplis confutat: ac demum colligit, etiam uno tempore multa esse discenda. *Turneb.*

1 *Et si maxime.*] Confirmatio est rationis à comparatione. *Idem.*

2 *Sed non satis.*] Ἀνθυπόφασις est, id est, contraria propositio: ac primum illam partem solvit, quæ objiciebat mentem humanam non sufficere tot disciplinis discendis. *Idem.*

3 *Quæ ita est agilis.*] *Epicherema* ab adjunctis. *Idem.*

4 *Impendat.*] Alii: *intendat.*

5 *An vero.*] *Citharœdi* sunt, qui & citharam pulsant & accinunt: *citharistæ* autem, qui duntaxat pulsant, non etiam accinunt. solent autem *dextra* plectrum tenere, & eo nervos percutere, quod appellant *foris canere*: *sinistra* autem chordas carpere, quod vocant *intus canere*. Turneb.

6 *Percutiunt.*] Alii leg. *percurrunt.*

7 *Ne pes quidem ociosus.*] De pedum ictu & percussione apud veteres in pronuntiandis versibus, vide Lud. Cresollium Vacat. Autumn. lib. 2. cap. 12, sect. 5. pag. 388. &c.

8 *Quæ si velut sub uno conatu, &c.*] Vide

si velut sub uno conatu tam diversa parent simul; cur non pluribus horis diversa partiamur, cum præsertim reficiat animos ac reparet [1] varietas ipsa, contraque sit aliquanto difficilius in labore uno perseverare? ideoque & stylus lectione requiescit, & ipsius lectionis tædium vicibus levatur. Quamlibet multa egerimus, quodam tamen modo recentes sumus ad id quod incipimus. Quis non obtundi possit, si per totum diem cujuscunque artis unum magistrum ferat? Mutatione recreabitur. [2] sicut in cibis, quorum diversitate reficitur stomachus, & pluribus minore fastidio alitur. Aut dicant isti mihi, quæ sit alia ratio discendi? [3] Si *grammatico* soli deserviamus, deinde *geometræ* tantum? omittamus interim quod didicimus, mox transeamus ad *musicum*, excidant priora? & quum *Latinis* studebimus literis, non respiciamus ad *Græcas*? & ut semel finiam, nihil faciamus nisi noviſſimum? [4] Cur non idem suademus agricolis, ne arva simul & vineta, & oleas, & arbustum colant? ne pratis & pecoribus, & hortis, & alvearibus accommodent curam? Cur ipsi aliquid forensibus negotiis, aliquid desideriis amicorum, aliquid rationibus domesticis, aliquid curæ corporis, nonnihil voluptatibus quotidie damus? quarum nos una res quælibet nihil intermittentes fatiget. Adeo facilius est multa facere, quam diu. [5] Illud quidem minime verendum est, ne laborem studiorum pueri difficilius tolerent. neque enim ulla ætas minus fatigatur. Mirum sit forsitan, sed experimentis deprehendas. Nam & [6] dociliora sunt ingenia priusquam obduruerunt. Id vel hoc argumento patet, quod intra biennium

Vide Jan. Gebhard. Crepund. lib. 1. c. 7. p. 19. & lib. 2. cap. 4. p. 66.

1 *Varietas.*] Varietas suavissima.

2 *Sicut in cibis.*] Parabolam addit ad comprobationem loci. *Turneb.*

3 *Si Grammatico.*] Argumentatur per hypothesin, & colligit incommodum. *Idem.*

4 *Cur non.*] Tres agriculturæ partes simul est complexus, eam quæ circa terram versatur, *pecuariam, & pastiones villaticas.* Idem.

5 *Illud quidem minime verendum est.*] Aliam refutationis partem aggreditur, quæ dixerat, corpus puerorum & mentem laborem pati non posse. *Idem.*

6 *Dociliora sunt ingenia, &c.*] Vide Gebhard. Crepund. lib. 2. cap. 4. p. 66.

nium quam verba recta formare potuerunt, quanvis nullo instante, omna fere loquuntur: [1] at novitiis nostris, per quot annos sermo Latinus repugnat? Magis scias, si quem jam robustum instituere literis cœperis, non sine causa [2] dici παιδομαθεῖς eos, qui in sua quidque arte optime faciant. Et patientior est laboris natura pueris quam juvenibus. Videlicet ut corpora infantium nec casus quo in terram toties deferuntur, tam graviter affligit: nec [3] illa per manus & genua reptatio, nec post breve tempus continui lusus, & totius diei discursus, quia pondus illis abest, nec se ipsi gravant: sic animi quoque credo, quia minore conatu moventur, nec suo nisu studiis insistunt, sed formandos se tantummodo præstant, non similiter fatigantur. Præterea secundum aliam ætatis illius facilitatem, velut simplicius docenteis sequuntur, nec quæ jam egerint, metiuntur. Abest illis etiam adhuc laboris judicium. Porro, ut frequenter experti sumus, minus afficit sensus fatigatio, quam cogitatio. [4] Sed ne temporis quidem unquam plus erit: quia his ætatibus omnis in audiendo profectus est. Cum ad stylum secedet, cum generabit ipse aliquid atque componet, tum inchoare hæc studia vel non vacabit, vel non libebit. [5] Ergo cum grammaticus totum diem occupare non possit, nec debeat ne discentis animum tædio avertat: [6] quibus potius studiis

1 *At novitiis.*] *Novitii servi* sunt recenter empti, qui veteratoribus opponuntur. hi enim diutius servierunt, & sæpius divenditi sunt. *Turneb.*

2 *Dici* Παιδομαθεῖς.] Vide Horat. lib. 1. Sat. 10. ℣. 21. in *seros studiorum* Turneb. Adversar. lib. 14 cap. 19. p. 510. Agellius lib 11. cap. 8. Torrentius *seros studiorum* vocari malit, qui tardi in studiis sunt, qui nullos adhuc progressus fecerunt. Παιδομαθεῖς.] Proverbio græco probat, facilius artes discere pueros. qui enim in arte aliqua sunt consummati, παιδομαθεῖς appellantur, quasi artem à pueritia didicerint, è diverso Græci appellant ὀψιμαθεῖς, eos qui sero didicerunt, qui plerunque sunt imperiti & rudes, nec temere ad artis perfectionem perveniunt. *Turneb.*

3 *Illa per manus & genua reptatio.*] Vide Barthii Adversar. lib. 19. cap. 7. p. 767. Papin Statii Sylv lib. 5. Epicedio in Filium vers. 81. & seqq.

4 *Sed ne temporis.*] Ex abundanti præter dissolutas objectiones, etiam hoc tempus esse idoneum disciplinis discendis ostendit. *Turneb.*

5 *Ergo cum Grammaticus.*] Complexio. *Idem.*

6 *Quibus potius studiis hæc temporum, &c.*] Gebhard. Crepund. lib 2. cap. 4. p. 67. Et pro *subsidia* lege *subcidia* vel *succidia*.

ſtudiis [1] hæc temporum velut ſubſidia [2] donabimus? [3] Nam nec ego conſumi ſtudentem in his artibus volo: nec ut moduletur, aut muſicis modis cantica excipiat, nec utique ad minutiſſima geometriæ opera deſcendat. Non comœdum in pronuntiando, nec ſaltatorem in geſtu facio: quæ ſi omnia exigerem, ſuppeditabat tamen tempus. Longa eſt enim quæ diſcit ætas, & ego non de tardis ingeniis loquor. Denique cur in his omnibus, quæ diſcenda oratori futuro puto, eminuit [4] Plato? qui non contentus diſciplinis quas præſtare poterant Athenæ, non [5] Pythagoreorum, ad quos in Italiam navigaverat: Ægypti quoque ſacerdotes adiit, atque eorum arcana perdidicit. *Difficultatis patrocinia præteximus ſegnitiæ.* Neque enim nobis operis amor eſt: nec quia ſit honeſta, atque pulcherrima rerum eloquentia, petitur ipſa, [6] ſed ad vilem uſum & ſordidum lucrum accingimur. Dicant ſine his in foro multi, & acquirant, dum ſit locupletior aliquis ſordidæ mercis negotiator, & plus voci

ſuccidia. Ita vocat eleganter ſucciſivum illud tempus quod à melioribus occupationibus ſupereſt, & vice lucri quaſi ſucciſum. Iſidorus lib. 15. cap. 13.

1 *Hæc temporum ſubſidia.*] A page *ſuccidias* Gebhardi. Si quid corrigendum, *ſubſeciva* ſcribendum foret. non *ſucciſiva, ſubciſiva, ſucceßiva.* Sed ſi ſcripti firmant, quod editum video, nihil mutari velim. Videtur enim petiſſe ſermonem ab exercitu præliante, quem ſolebant antiqui dividere in *aciem*, vel *frontem*, vel *prima ſigna* & *ſubſidia:* quæ etiam *principia* & *poſt principia* dicebantur. Vide 4. Obſerv. 10. & pag. 429. Ex quibus priores ſtatim miſcebant manus, poſteriores quieti reſervabantur ad alterum caſum, ſi iſti pellere hoſtem non potuiſſent. Horum memor auctor conſiderat ordinaria ſtudiorum tempora & juſtas præſentibus horas, quaſi quædam *principia* hujus militiæ puerorum; quæ ſuperſunt (totum enim diem occupare, ſub quo nunc exercitus, Grammaticum non vult) quaſi *ſubſidia.* Quod quam ſuave atque elegans mihi ad aures accidat, ſentire magis quam explicare poſſum. *Gronovius.*

2 *Donabimus.*] Donare Fabio noſtro ſignificat ἐπιμετρέω. cumuli loco inſuper dare.

3 *Nam nec ego conſumi ſtudentem.*] Gebhard. Crepund. lib. 2. cap. 3. p. 65. ex MS. Palat. leg. *Nam nec ego comminui ſtudentem, &c. aut muſ. notis cantica expediat, &c.*

4 *Plato?*] Plato. Cic. 4. Tuſc. & 5. Finium.

5 *Pythagoreorum.*] Plato cum audiſſet Socratem, poſt ejus mortem ſe contulit in Italiam ad Archytam & cæteros Pythagoreos: mox in Ægyptum navigavit, & ab Ægyptiorum prophetis *aſtrologiam* & *artem numerandi* & *ſcientiam theologicam* didicit. *Turneb.*

6 *Sed ad vilem uſum.*] Invehitur in quoſdam qui eloquentiam vænalem faciebant, & quæſtus amore abſolutam illam eloquentiam contemnebant. *Turnebus.*

voci ſuæ debeat præco: ne velim quidem lectorem dari mihi, quid ſtudia referant computaturum. Qui vero imaginem ipſam eloquentiæ divina quadam mente conceperit, quique illam (ut ait non ignobilis [1] tragicus) [2] reginam rerum orationem ponet ante oculos, fructumque non ex ſtipe advocationum, ſed ex animo ſuo, & contemplatione ac ſcientia petet, perpetuum illum, nec fortunæ ſubjectum, facile perſuadebit ſibi, ut [3] tempora quæ ſpectaculis, [4] campo, teſſeris, ocioſis denique ſermonibus, ne dicam ſomno, & conviviorum mora conterunt, geometræ potius ac muſico impendat, quanto plus delectationis habiturus, quam ex illis ineruditis voluptatibus? Dedit enim hoc providentia hominibus munus, ut honeſta magis juvarent. Sed nos hæc ipſa dulcedo longius duxit. [5] Hactenus ergo de ſtudiis, quibus antequam majora capiat, puer inſtituendus eſt: proximus liber velut novum ſumet exordium, & ad rhetoris officia tranſibit.

1 *Tragicus.*] Euripides in Hecuba, unde & Pacuvius apud No. Marcel. tranſtulit. vide Cicero 2. de Orat. circa medium.

2 *Reginam rerum.*] Hæc ſententia ducta eſt ex Hecuba Euripidis. illic enim ait, Pitho, id eſt, *flexanimam habere inter homines tyrannidem.* Turneb.

3 *Tempora quæ ſpectaculis, campo, &c.*] Vide Fabium lib. 10. cap. 11. & lib. 12. cap. 11. lib. 2. c. 12. Tum & Gebhard. Crepund. lib. 1. cap. 9. pag. 26. Fr. Jureti notas ad Symmach. lib. 2. Epiſt. 32. p. 71. & Gaſp. Gevartii ad Papin. Stat. lib. 3. Sylv. 5. verſ. 60. p. 388.

4 *Campo.*] *Martio.* nam illic exercebantur juvenes Romani. *Turneb.*

5 *Hactenus.*] Epilogus eſt cum tranſitu. *Idem.*

M. Fab.

M. Fab. Quintiliani De Institutione Oratoria Liber Secundus.

Cap. I.

Quando sit rhetori tradendus puer.

1 Tenuit consuetudo, quæ quotidie magis invalescit, ut præceptoribus eloquentiæ, Latinis quidem semper, sed etiam Græcis interim, discipuli serius quam ratio postulat, traderentur. Ejus rei duplex est causa: quod & rhetores utique nostri suas partes omiserunt, & grammatici 2 alienas occupaverunt. Nam & illi declamare modo, & scientiam declamandi ac facultatem tradere, officii sui ducunt, idque intra deliberativas judicialesque materias: nam cætera ut professione sua minora despiciunt: & hi non satis credunt excepisse quæ relicta erant (quo nomine gratia quoque his est habenda) 3 sed ad *prosopopœias* usque, & ad *suasorias*, in quibus onus dicendi vel maximum est, irrumpunt. Hinc ergo accidit, ut quæ alterius artis prima erant opera, facta sint alterius novissima: & ætas altioribus jam disciplinis debita, in schola minore subsideat, ac rhetoricen apud gram-

Secundus liber complectitur prima apud rhetorem elementa, & ea quæ de substantia rhetorices quæruntur. *Turneb.*

1 *Tenuit.*] Hac præfatione quærit quo tempore sit rhetori tradendus puer, quod dici non potest, nisi distinctis grammatices ac rhetorices finibus. Nam *grammatici partes* quasdam rhetorum occupaverunt. est itaque principium ἐξεταστικὸν, quod ad eam conjecturam pertinet quæ exquirit rerum causas. *Idem.*

2 *Alienas occupaverunt.*] Nam grammatici occuparunt *progymnasmata*, id est, prima rhetorices elementa, & materias demonstrativas. *Idem.*

3 *Sed ad prosopopœias.*] *Prosopopœias* hic appellat Fabius orationes suasorias, quæ non ex nostra persona, sed ex aliena apte dicuntur. in his autem (ut inquit Fabius libro tertio) ad difficultatem suasionis accedit *personæ difficultas*. hujuscemodi sunt *suasiones* apud Livium & cæteros historicos. *Idem.*

grammaticos exerceat. Ita quod est maxime ridiculum, non ante ad declamandi magistrum mittendus videtur puer, quam declamare jam sciat. [1] Nos suum cuique professioni modum demus. Et *grammatice* (quam in Latinum transferentes, [2] *literaturam* vocaverunt) fines suos norit, præsertim tantum ab hac appellationis suæ paupertate, intra quam primi illi constitêre provecta. Nam tenuis à fonte, assumptis poëtarum historicorumque viribus, pleno jam satis alveo fluit: cum præter rationem rectè loquendi, non parum alioqui copiosam, prope omnium [3] maximarum artium scientiam amplexa sit. Et [4] rhetorice, cui nomen vis eloquendi dedit, officia sua non detrectet, nec occupari gaudeat pertinentem ad se laborem: quæ dum operæ cedit, jam pene possessione depulsa est. [5] Nec inficiabor, ex iis aliquem qui *grammaticen* profitentur, eousque scientiæ progredi posse, ut ad hæc quoque tradenda sufficiat: sed cum id aget, rhetoris officio fungetur, non suo. [6] Nos porro quærimus, quando iis quæ *rhetorice* præcepit, percipiendis puer maturus esse videatur. In quo quidem non id est æstimandum, cujus quisque sit ætatis, sed quantum in studiis jam effecerit. Et ne diutius differam quando sit rhetori tradendus, sic optime finiri credo, [7] cum poterit. Sed hoc ipsum ex superiore pendet quæstione. Nam si grammatices munus usque ad suasorias (quæ [8] sunt apud rhetorem materiæ inter rudimenta dicendi) prorogatur, tardius rhetore

1 *Nos suum cuique.*] Subjicit *distributionem* & *distinctionem* finium utriusque artis, ut inde colligat ecquando rhetori sit puer tradendus. *Idem.*

2 *Literaturam.*] *Grammatici* initio duntaxat primas litteras docuerunt, mox assumpserunt bene loquendi & scribendi scientiam, demum poëtarum & historicorum enarrationem occuparunt. *Idem.*

3 *Maximarum artium.*] Politianus quoque *in Lamia* annotat grammaticum esse debere omnium artium peritum, ut sit in eo *encyclopædia.* Idem.

4 *Rhetorice.*] Cicero in Oratore.

5 *Nec inficiabor.*] Prolepsis est, quam solvit per *paradiastolen.* Turneb.

6 *Nos porro quærimus.*] Hoc caput est totius hujus quæstionis. Quando autem puer tradendus sit rhetori, non ætate, sed profectu metitur. *Idem.*

7 *Cum poterit.*] More suo Fabius arguto noëmate sententiam suam perstringit. *Idem.*

8 *Sunt, &c.*] Hæc parenthesis non est in vetustis codicibus scriptis.

tore opus est. Si rhetor prima operis sui officia non recusat, [1] à narrationibus statim, & laudandi vituperandique opusculis cura ejus desideratur. An ignoramus antiquis hoc fuisse ad augendam eloquentiam genus exercitationis, ut [2] theses dicerent, & communes locos, & cætera circa complexum rerum personarumque, quibus veræ fictæque controversiæ continentur? Ex quo palam est quam turpiter deserat eam partem rhetorices institutio, [3] quam & primam habuit, & diu solam. Quid autem est ex iis de quibus supra dixi, quod non tum in alia quæ sunt rhetorum propria, tum certe in illud judiciale causæ genus incidat? An non in foro narrandum est? qua in parte nescio an sit vel plurimum. Non *laus* ac *vituperatio* certaminibus illis frequenter inseritur? Non *communes loci?* sive qui sunt in vitia directi, quales legimus à [4] Cicerone compositos: seu quibus quæstiones generaliter tractantur, quales sunt editi à Quinto quoque Hortensio: ut, sitne parvis argumentis credendum, & pro testibus, & in testes, in mediis litium medullis versantur. Arma sunt hæc quodammodo præparanda semper, ut his, cum res poscet, utaris. Quæ qui pertinere ad oratorem non putabit, is ne statuam quidem inchoari credet, cum ejus membra fundentur. Neque hanc (ut aliqui putabunt) festinationem meam sic quisquam calumnietur, tanquam eum qui sit rhetori tradendus, abducendum protinus à Grammaticis putem. Dabuntur illis tum quoque tempora sua: neque erit verendum, ne [5] binis præceptoribus oneretur

1 *A narrationibus.*] *Narrationes fabulosas.* Quintilianus *grammaticis* reliquit libro primo: *historicas* autem & civiles hîc *rhetori* reservat. *Turneb.*

2 *Theses, & communes locos.*] *Theses* Fabius appellat quæstiones infinitas, quæ in utranque partem probabiliter tractantur. hoc genere exercitationis utebantur Ciceronis ætate: ac tum appellabant *theses*, ut inquit Seneca, quas nunc appellamus *declamationes*. *Communes* autem *loci* interdum generales sunt tractatus de virtutibus & vitiis; interdum generales formulæ quæ affirmative & negative disputantur: interdum quoque ita appellantur *loci inartificiales.* Idem.

3 *Quam & primam habuit, &c.*] Suetonius enim tradit, antiquos rhetores duntaxat circa *progymnasmata* esse versatos. *Idem.*

4 *Cicerone.*] Ut in paradoxis.

5 *Binis.*] Pro *duobus.*

retur puer. Non enim creſcet, ſed dividetur qui ſub uno miſcebatur labor: & erit ſui quiſque operis magiſter utilior: quod adhuc obtinent Græci, à Latinis omiſſum eſt: & fieri videtur *excuſate*, quia ſunt qui labori iſti ſucceſſerunt.

Cap. II.

De moribus & officiis præceptoris.

2 Ergo cum ad eas in ſtudiis vires pervenerit puer, ut quæ prima eſſe præcepta rhetorum diximus, mente conſequi poſſit, tradendus ejus artis magiſtris erit. Quorum in primis [1] inſpici mores oportebit. Quod ego non idcirco potiſſimum in hac parte tractare ſum aggreſſus, quia non in cæteris quoque doctoribus idem hoc examinandum quam diligentiſſime putem, ſicut teſtatus ſum [2] libro priore: ſed quod [3] magis neceſſariam ejus rei mentionem facit ætas ipſa diſcentium. Nam & adulti fere pueri ad hos præceptores transferuntur, & apud eos juvenes etiam facti perſeverant, ideoque major adhibenda tum cura eſt: ut & teneriores annos ab injuria ſanctitas docentis cuſtodiat, & ferociores à licentia gravitas deterreat. Neque vero ſatis eſt ſummam præſtare abſtinentiam, niſi diſciplinæ ſeveritate convenientium quoque ad ſe mores adſtrinxerit. [4] Sumat igitur ante omnia parentis erga diſcipulos ſuos animum, ac ſuccedere ſe in eorum locum à quibus ſibi liberi traduntur, exiſti-

Quemadmodum libro primo grammatici mores & officium eſt executus, ita nunc quoque qualem eſſe oporteat rhetorem docet: à quo primum morum probitatem exigit, docetque quo ſeſe pacto erga diſcipulos gerere debeat. eſt itaque hoc caput totum paræneticum. *Turneb.*

1 *Inſpici mores.*] Juſtinianus quoque præcipit ut doctores artium primum bene morati ſint, deinde facundi. & hoc nomine Socratis ſchola fuit infamata, quod obeſſe bonis moribus videretur. *Idem.*

2 *Sed quod.*] Cap. 1. & 2.

3 *Magis neceſſariam ejus rei.*] Nam jam grandiores committuntur rhetori, cum ætas eſt maxime in lubrico, & (ut ait Xenophon) eo tempore vel vitii vel virtutis iter capeſſere ſolent. *Turneb.*

4 *Sumat igitur.*] *Paræneſes* ſunt, id eſt, *admonitiones*, quibus inſtructus eſſe debet præceptor ut recte doceat. eo autem animo fuit Ariſtotel. in diſcipulum Alexandrum: & Alexander quoque non minus debere ſe Ariſtoteli fatebatur, quam patri, cum ab hoc vitam, ab altero rectam vitam accepiſſet. *Idem.*

1 Non

existimet. Ipse nec habeat vitia, nec ferat. [1] Non austeritas ejus tristis, non dissoluta sit comitas: ne inde odium, hinc contemptus oriatur. Plurimus ei de *honesto* ac *bono* sit sermo. Nam quo sæpius monuerit, hoc rarius castigabit. Minime iracundus: nec tamen eorum quæ emendanda erunt, dissimulator, simplex in docendo, patiens laboris, assiduus potius quam immodicus. Interrogantibus libenter respondeat, non interrogantes percontetur ultro. In laudandis discipulorum dictionibus nec malignus, nec effusus: quia res altera tædium laboris, altera securitatem parit. [2] In emendando quæ corrigenda erunt, non acerbus, minimeque contumeliosus. nam id quidem multos à proposito studendi fugat, quod quidam sic objurgat, quasi oderit. Ipse aliquid, imo multa quotidie dicat, quæ secum audita referant. Licet enim satis exemplorum ad imitandum ex lectione suppeditet, [3] tamen *viva illa*, ut dicitur, *vox alit plenius*, [4] *præcipueque præceptoris, quem discipuli, si modo recte sunt instituti, & amant, & verentur.* Vix autem dici potest, quanto libentius imitemur eos quibus favemus. Minime vero permittenda pueris, ut fit apud plerosque, assurgendi exultandique in laudando licentia: quinetiam juvenum modicum

1 *Non austeritas.*] *Enthymema* est secundo modo, id est, sententia cum ratione. significat autem præceptorem debere severitatem quadam comitate temperare. *Idem.*

2 *In emendando.*] Hujusmodi fuit *Orbilius Horatii* præceptor, non solum acerbus in antisophistas, verum in discipulos omnes, adeo ut vix esset tolerabilis. *Idem.*

3 *Tamen viva illa.*] *Viva vox*, dicitur vivida & efficax, & ab ore pronunciantis percepta, ad differentiam scripturæ & librorum, qui appellantur *magistri muti.* unde Gellius, *quoniam*, inquit, *vivæ* (ut dicitur) *vocis penuria erat, ex mutis* (quod ajunt) *magistris cognoscerem.* Idem. *Tamen Viva illa.*] Ζώσης φωνῆς μείζων ἐνέργεια, ajunt Græci, estque apud Cic. 2. Ep. ad Attic. *Camer. Viva illa vox alit plenius.*] Sic Plin. l. 2. Epist. 3. *serio hortatur Nepotem suum, ut Isæum summa facultate, copia & ingenii ubertate præditum, auditum veniat, quum viva vox magis afficiat.* D. Hieronym. in Epist. ad Paulinum: Habet, inquit, nescio quid latentis energiæ VIVA VOX. Plutachus libello περὶ ἀκροάσεως. Keckerman. Præcognit. Philisoph. p. 57. Seneca Epist. 6. *Viva illa, ut dicitur vox.*] Cicer. lib. 2. Epistol. ad Attic. *Pithœus.*

4 *Præcipueque præceptoris.*] Ms. Palat: *Præcipueque ejus præceptoris.* Gebhard. Crepund. libro 2. capite 9. p. 81.

1 *Illa*

dicum esse, cum audient, testimonium debet. Ita fiet, ut ex judicio præceptoris discipulus pendeat, atque id se dixisse recte, quod ab eo probabitur, credat. [1] Illa vero vitiosissima, quæ jam *humanitas* vocatur, invicem qualiacunque laudandi, cum est indecora & theatralis, & severe institutis scholis aliena, tum studiorum pernicioſissima hostis. Supervacua enim videtur cura, ac labor, parata, quicquid effuderint, laude. Vultum igitur præceptoris intueri, tam qui audiunt, debent, quam ipse qui dicit. Ita enim probanda atque improbanda discernet: [2] sic stylo facultas continget, auditioni judicium. At nunc proni atque succincti [3] ad omnem clausulam non exsurgunt modo, verumetiam excurrunt, & cum indecora exultatione conclamant. Id mutuum est, & ibi declamationis fortuna. Hinc tumor & vana de se persuasio, usque adeo, ut illo condiscipulorum tumultu inflati, si parum à præceptore laudentur, ipsi de illo male sentiant. Sed se quoque præceptores intente ac modeste audiri velint. Non enim judicio discipulorum dicere debet magister, sed discipuli magistri. Quin, si fieri potest, intendendus animus in hoc quoque, ut perspiciat quæ quisque & quomodo laudet: & placere quæ bene dicet, non suo magis quam eorum nomine delectetur, qui recte judicabunt.

Pueros adolescentibus sedere permistos, non placet mihi. Nam etiamsi vir talis, qualem esse oportet studiis moribusque præpositum, modestam habere potest etiam juventutem, tamen vel infirmitas à robustioribus separanda est: [4] & *carendum non solum crimine turpitudinis, verumetiam suspi-*

1 *Illa vero.*] *Humanitas* significat dexteritatem quandam qua erga homines afficimur. tempore etiam Fabii in malam accipiebatur partem, significabatque propensiorem in laudando & approbando facilitatem, quæ pene adulatoria erat. *Turneb.*

2 *Sic stylo facultas continget.*] Hinc fiet ut & qui declamat, stylum suum formare possit, & facultatem dicendi adipisci, & qui audiunt, non temere judicent & approbent. *Idem.*

3 *Ad omnem clausulam.*] Vel *clausulam* accipere debemus pro sententia arguta, quæ in fine sermonis adjicitur: vel etiam pro *conclusione.* Idem.

4 *Et carendum non solum, &c.*] Alludit ad Cæsaris apophthegma, qui cum uxorem

suspicione. Hæc notanda breviter existimavi. Nam ut absit ab ultimis vitiis ipse præceptor, ac schola, ne præcipiendum quidem credo. Ac si quis est qui flagitia manifesta in deligendo filii præceptore non vitet, jam hinc sciat cætera quoque quæ ad utilitatem juventutis componere conamur, esse sibi hac parte omissa supervacua.

uxorem Pompejam repudiaret, quod ea à Clodio adulterata fuisset, neque rem certo sciret, dixit *Cæsaris domum non solum crimine, sed etiam criminis suspicione carere debere.* Idem.

CAP. III.

An protinus præceptore optimo sit utendum.

NE illorum quidem persuasio silentio transeunda est, qui etiam cum idoneos rhetori pueros putaverunt, non tamen continuo tradendos eminentissimo credunt, sed apud minores aliquandiu detinent: tanquam instituendis artibus magis sit apta mediocritas præceptoris, [1] cum ad intellectum atque imitationem facilior, tum ad suscipiendas elementorum molestias minus superba. Qua in re mihi non arbitror diu laborandum, ut ostendam quanto sit melius optimis imbui, quantaque in eluendis quæ semel insederint vitiis, difficultas consequatur: [2] cum geminatum onus succedentes premat, & quidem dedocendi gravius ac prius quam docendi. [3] Propter quod Timotheum clarum in arte tibiarum, ferunt [4] *duplices ab iis quos alius instituisset, solitum*

Postquam de moribus egit, nunc de eruditione disputat, ac thesin qualitatis ex comparatione tractat: & refutatis aliorum opinionibus, colligit optimo rhetori statim esse committendos pueros. *Turneb.*

1 *Cum ad intellectum.*] *Intellectus* præstat cognitionem faciliorem theorematum artis: *imitatio* vero, quæ habet adjunctam exercitationem, suppeditat praxin. *Idem.*

2 *Cum geminatum onus succedentes.*] MS. Palat. *Dedocendi gravius plus quam docendi. Succedere* hic ἀναδέχεσθαι. Sic Agellius lib. 7. cap. 8. Gebhard. Crepund. lib. 2. c. 9. p. 82.

3 *Propter quod Timotheum.*] *Timotheus Milesius*, tempore Philippi & Alexandri, optimus fuit musicus. Hic addidit lyræ decimam & undecimam chordam. *Turneb.*

4 *Duplices ab iis, &c.*] Sic Liv. l. VII. quicquid hinc aut illinc communis Mars bello aufert multiplex quam pro numero damnum est. *Pith. Duplices.*] Pro *duplo majores.*

1 *Bene*

solitum exigere mercedes, quam si rudes traderentur. Error tamen est in re duplex. Unus, quod interim sufficere illos minores existimant: & [1] bono sane stomacho contenti sunt. Quæ quanquam & ipsa reprehensione digna securitas, tamen esset utcunque tolerabilis, si ejusmodi præceptores minus docerent, non pejus. Alter, ille etiam frequentior, quod eos qui ampliorem dicendi facultatem sunt consecuti, non putant ad minora descendere: idque interim fieri, quia fastidiant præstare hanc inferioribus curam: interim, quia omnino non possint. [2] Ego porro eum qui nolit, in numero præcipientium non habeo: posse autem maxime, si velit optimum quenque contendo. Primum, quod eum qui eloquentia cæteris præstet, illa quoque per quæ ad elōquentiam pervenitur, diligentissime percepisse credibile est: Deinde, quia plurimum in præcipiendo [3] valet ratio, quæ doctissimo cuique planissima est. Postremo, quia nemo sic in majoribus eminet, ut eum minora deficiant. [4] Nisi forte [5] Jovem quidem *Phidias* optime fecit, illa autem quæ in ornamentum operis ejus accedunt, alius melius elaborasset: aut orator loqui nesciet: aut leviores morbos curare non poterit medicus præstantissimus. Quid ergo? non est

1 *Bono sane stomacho.*] Metaphora est à cibis ducta. nam quemadmodum qui optimo sunt stomacho, delectum ciborum non habent; contra qui malum, *eustomacha* quærunt & concoctu facilia: ita quoque parentes, filiorum ingenio freti delectum præceptorum non habent. *Turneb.*

2 *Ego porro.*] Refutat causas per *enstasin.* Idem.

3 *Valet ratio.*] Videtur Fabius nomine *rationis* intelligere methodum, quam Latini modo esse *rationem*, modo *viam artis* vertunt. Significat igitur doctum præceptorem magis esse μεθοδικὸν, indoctum contra magis ἀμέθοδον. *Idem.*

4 *Nisi forte.*] *Phidias Athenienſis* fuit, statuarius excellentissimus. is Jovem Olympium ex ebore & auro fecit, quæ statua primatum tenet. Per ea autem quæ ad ornamentum adduntur, intelligit περίεργα, quæ adjiciuntur præter opus: cujusmodi sunt *flores*, *opus topiarium*, *animalcula*, & cætera hujusmodi. *Idem.*

5 *Jovem quidem Phidias.*] Magna fuit in admiratione hoc Phidiæ opus, quod & ipsi auctori, valdè placuisse apparet: interrogatus enim quo fuisset exemplo usus in exprimenda divina illa majestate, pronuntiasse Homericos versus dicitur ex Iliad. α. *Camerarius. Phidias.*] Vide Pausaniam Heliacôn primo.

1 *Tinnæ-*

est quædam eloquentia major quam ut eam intellectu consequi puerilis infirmitas possit? Ego vero confiteor: sed hunc disertum præceptorem, prudentem quoque & non ignarum docendi esse oportebit, summittentem se ad mensuram discentis: ut velocissimus quisque si forte iter cum parvulo faciat, det manum, & gradum suum minuat, nec procedat ultra quam comes possit. Quid si plerunque accidit ut faciliora sint ad intelligendum, & lucidiora multo, quæ à doctissimo quoque dicuntur? Nam & prima est eloquentiæ virtus, *perspicuitas*, & quo quisque ingenio minus valet, hoc se magis attollere & dilatare conatur: ut statura breves, in digitos eriguntur, & plura infirmi minantur. Nam tumidos, & corruptos, & [1] tinnulos, & quocunque alio [2] cacozeliæ genere peccantes, certum habeo non virium, sed infirmitatis vitio laborare: ut corpora non robore, sed valetudine inflantur: & [3] recto itinere lapsi, plerunque divertunt. Erit ergo obscurior etiam quo quisque deterior. Non excidit mihi, scripsisse me in [4] libro priore, cum potiorem in scholis eruditionem esse quam domi dicerem, libentius se prima studia teneroque profectus ad imitationem condiscipulorum, quæ facilior esset, erigere. quod à quibusdam sic accipi potest, tanquam hæc, quam nunc tueor, sententia priori diversa sit. Id à me procul aberit. nanque ea causa vel maxima est cur optimo cuique præceptori sit tradendus puer, quod apud eum discipuli quoque melius instituti, aut dicent quod inutile non sit imitari: aut si quid erraverint, statim corrigentur: at indoctus ille etiam probabit fortasse vitiosa, & placere audientibus judi-

1 *Tinnulos.*] *Tinnuli* sunt, qui exiliter & deducte sonantes dictiones venantur. Sic Tacitus appellat *Gallionis tinnitus.* quanquam hoc etiam ad pronunciationem referri potest. *Turneb.*

2 *Cacozeliæ.*] Pravæ imitationis: ut si quis in oratione horrorem vetustatis Salustianæ: in carmine similiter asperitatem Catullianam, aut Propertii incompositos versus dicat se imitari. *Camerar.*

3 *Recto itinere lapsi pler. div.*] *Rectum* iter, est via illa tendens recta linea ac ducens ad propositum terminum sine ambiguitate atque errore. sic inf. eodem libro cap. 17. & lib. 2. cap. 13. lib. 3. c. 6. Gebhard. Crepund. l. 1. c. 1. pag. 58.

4 *Libro.*] Cap. 2.

judicio ſuo coget. [1] Sit ergo tam eloquentia quam moribus præſtantiſſimus, qui ad [2] Phœnicis Homerici exemplum dicere ac facere doceat.

1 *Sit ergo.*] Generalis eſt concluſio utriuſque capitis. *Turneb.*

2 *Phœnicis Homerici.*] Libro nono Iliados in legatione ad Achillem Phœnix Achillis pædagogus ait ſe illi dictum eſſe à Peleo ut eum efficeret & verborum oratorem & rerum actorem. *Turneb. Phœnicis Homerici.*] Hoc Cic. de Oratore 3. Ut ille apud Homerum Phœnix. *Camerar.*

Cap. IV.

De primis apud rhetorem exercitationibus.

4 Hinc jam quas primas in docendo partes rhetorum putem, tradere incipiam: dilata parum per illa, [1] quæ ſola vulgo vocatur, *arte rhetorica*. Ac mihi opportunus maxime videtur ingreſſus ab eo cujus aliquid ſimile apud grammaticos puer didicerit. [2] Et quia narrationum, excepta qua in cauſſis utimur, tres accipimus ſpecies: *fabulam*, quæ verſatur in tragœdiis atque carminibus, non à veritate modo, [3] ſed etiam à forma veritatis remotam: *argumentum*, quod falſum, ſed vero ſimile comœdiæ fingunt: *hiſtoriam*, in qua eſt geſtæ rei expoſitio: grammaticis autem poëticas dedimus: [4] apud rhetorem initium ſit hiſtoria, tanto robuſtior, quanto verior. Sed narrandi quidem quæ nobis optima ratio videatur, tum demonſtrabimus, cum de judiciali parte

De *progymnaſmatis* quæ ſunt prima apud Rhetorem elementa, ante juſtum declamationis opus agit, primumque de narratione, non illa quidem civili, quæ pars eſt inventionis, ſed hiſtorica. nam fabuloſas narrationes grammaticis libro primo dedit, atque ita rhetorum officia cum officiis grammatici conjungit. *Turneb.*

1 *Quæ ſola.*] Accipio de præceptionibus Rhetoricis. Nam illas *artem* vocare ſolemus. *Camer.*

2 *Et quia narrationem.*] Fabius hoc loco ſequi videtur eum qui ſcripſit *Rhetoricam ad Herennium.* nam cum ille diviſerit narrationem in civilem, digreſſoriam, & illam quæ remota eſt à cauſis civilibus, hanc poſtremam in tres has partes diduxit. *Turneb.*

3 *Sed etiam à forma.*] Ut fabula Atrei & Thyeſtis, Medeæ, Iphigeniæ, & totæ narrationes μεταμορφόσεων. Cicero Rhetor. 1. *Camer.*

4 *Apud Rhetorem initium ſit hiſtoria.*] Vide Caſauboni Commentar. ad Perſii Sat. 1. pag. 113.

1 *Interim*

parte dicemus. [1] Interim admonere illud satis est, ut sit ea neque arida prorsus atque jejuna: ([2] nam quid opus erat tantum studiis laborem impendere, si res nudas atque inornatas indicare satis videretur?) neque rursus sinuosa, & accersitis descriptionibus, in quas plerique imitatione poëticæ licentiæ ducuntur, lasciva. [3] Vitium utrunque: pejus tamen illud quod ex inopia, quam quod ex copia venit. Nam in pueris oratio perfecta nec exigi nec sperari potest: melior autem est indoles læta, generosique conatus, & vel plura justo concipiens interim spiritus. [4] Nec unquam me in his discentis annis offendat si quid superfuerit. Quin ipsis doctoribus hoc esse curæ velim, ut teneras adhuc mentes more nutricum mollius alant, & satiari velut quodam jucundioris disciplinæ lacte patiantur. Erit illud plenius interim corpus, quod mox adulta ætas adstringat. Hinc spes roboris. [5] Maciem nanque & infirmitatem in posterum minari solet protinus omnibus membris expressus infans. Audeat hæc ætas plura, & inveniat, & inventis gaudeat, sint licet illa non satis interim sicca & severa. [6] *Facile remedium est ubertatis, sterilia nullo labore vincuntur.* Illa mihi in pueris natura minimum spei dabit, in qua ingenium [7] judicio præsu-

1 *Interim admonere illud.*] Aphthonius narrationem habere debere ait, *claritatem, brevitatem, persuasionem, & verborum electionem:* Fabius paulo locupletiorem esse vult, quoniam (ut scribit libro quarto) satius est narrationi aliquid supereſſe quam deesse, præsertim in pueris, quos minime aridos esse convenit. *Turneb.*

2 *Nam quid opus erat tantum studiis laborem.*] Mss. Palat. *Tantum studiis laboris impendere.* Et inf. lib. eodem c. 6. Gebhard. Crepund. lib. 2. cap. 8. p. 79.

3 *Vitium utrunque.*] Utitur egressione Fabius, ac vitium jejunitatis & copiæ inter se comparat, aitque in puero potiorem esse copiam quam ariditatem. *Turneb.*

4 *Nec unquam.*] *Stylus* hic est quem Cicero Sophistis tribuit, qui acutus sententiis & metaphoris floridis abundat: in quo eminet Isocrates. *Idem.*

5 *Maciem nanque.*] Infantes esse solent vulgo humidiores & corpulentiores, ideoque membris minus expressis & formatis, sed paulatim ætate adolescente incipiunt membra figurari. quod si initio bene figurata fuerint, cum crescent exilia reddentur & imbecilla. *Idem.*

6 *Facile remedium ubertatis.*] Sic Seneca lib. 4. Controvers. 25. quem vide.

7 *Judicio præsumitur.*] Quemadmodum Fabius libro primo *præcox ingenium* damnabat, ita nunc quoque præcox judicium, quòd de ingenii fertilitate aliquid resecet. Intelligi etiam hoc modo locus poterit, cum aliquis non ingenii

præsumitur. [1] Materiam esse primum volo vel abundantiorem, atque ultra quam oporteat fusam. [2] Multum inde decoquent anni, multum ratio limabit, aliquid velut usu ipso deteretur, sit modo unde excîdi possit, & quod exculpi. erit autem, si non ab initio tenuem nimium laminam duxerimus, & quam cœlatura altior rumpat. Quod me de his ætatibus sentire minus mirabitur, qui apud [3] Ciceronem legerit, *Volo enim se efferat in adolescente fœcunditas.* Quapropter in primis evitandus, & in pueris præcipue, magister aridus, non minus, quam teneris adhuc plantis siccum & sine humore ullo solum. Inde fiunt humiles statim, & velut terram spectantes, qui nihil supra quotidianum sermonem attollere audeant. [4] Macies illis pro sanitate & judicii loco infirmitas est: & dum satis putant vitio carere, in id ipsum incidunt vitium, quod virtutibus carent. Quare mihi ne maturitas quidem ipsa festinet, nec musta in lacu statim austera sint: sic & [5] annos ferent, & vetustate proficient. [6] Ne illud quidem quod admoneamus indignum est, *ingenia puerorum nimia interim emendationis severitate deficere:* nam & desperant, & dolent, & noviſſime oderunt: &, quod maxime nocet, dum omnia timent, nihil conantur. [7] Quod etiam rusticis [8] notum est, qui frondibus teneris non

dexteritate, sed judicii præsumptione & conceptione nititur. *Turneb. Judicio præsumitur.*] Hoc est, ubi ingenium judicio constat seu concipitur. Ingenii enim naturalis est vis, judicium studio paratur. *Camerar.*

1 *Materiam, &c. fusam.*] Metaphora ducta est à fusoribus & excusoribus, qui per conflationem opera ex metallis conficiunt.

2 *Multum inde decoquent anni, &c.*] *Decoquere*, est minuere, detrahere. Ita & docti scripta sua, ubi semel illa effuderunt, diligenter castigant, plurima detrahendo. Vide Casaub. ad Pers. pag. 159. &c.

3 *Ciceronem.*] II. De Orat.

4 *Macies illis.*] Quia graciliter dicunt & humiliter, neque sermonem attollere audent, hujusmodi infirmitatem dicendi esse optimam putant, optimumque judicant vitio copiæ carere. *Turneb.*

5 *Annos ferent.*] *Vinum dicitur annos ferre*, quod invereratum & diutius asservatum non degenerat. contrario modo dicitur *vinum fugere*, quod ætati cedit, & sensim vapescit. *Idem.*

6 *Ne illud.*] Hoc paræneticum est, admonetque ne præceptor in emendando sit severior. *Idem.*

7 *Quod etiam rusticis.*] Collumella quoque præcipit, cum erunt teneræ plantæ, vel teneri etiam turiones vitium, si quid auferendum sit, *pampinetur manu, non etiam ferro.* Idem.

8 *Notum est.*] Virgil. Georg. 2.

1 *Totas*

non putant adhibendam esse falcem, quia reformidare ferrum videntur, & cicatricem nondum pati posse. Jucundus ergo tum maxime debet esse præceptor, ut remedia, quæ alioqui natura sunt aspera, molli manu leniantur: laudare aliqua, ferre quædam, mutare etiam, reddita cur id fiat ratione: illuminare, interponendo aliquid sui. Nonnunquam hoc quoque erit utile, [1] totas ipsum dictare materias, quas & imitetur puer, & interim tanquam suas amet. At si tam negligens ei stylus fuerit, ut emendationem non recipiat: expertus sum prodesse, quoties [3] eandem materiam rursus à me tractatam, scribere de integro juberem: posse enim eum adhuc melius. quatenus nullo magis studia quam spe gaudent. Aliter autem alia ætas emendanda est, & pro modo virium exigendum, & corrigendum opus. Solebam ego dicere pueris aliquid ausis licentius aut lætius, laudare illud me adhuc, venturum tempus quo idem non permitterem. ita & ingenio gaudebant, & judicio non fallebantur. [2] Sed ut eo revertar, unde sum egressus: *Narrationes* stylo componi quanta maxima possit adhibita diligentia volo. Nam ut primo cum sermo instituitur, dicere quæ audierint, utile est pueris ad loquendi facultatem, ideoque & retro agere expositionem, & à media in utranque partem discurrere sane merito cogantur, sed ad præceptoris gremium, & dum aliud non possunt, & dum res ac verba connectere incipiunt, ut protinus memoriam firment: [4] ita cum jam formam rectæ atque emendatæ orationis accipient,

1 *Totas ipsum dictare materias.*] *Materias* appellat Fabius, quæ Græci appellant *themata*, nos etiam *argumenta* & *proposita* dicimus. totas præceptor materias dictat, cum argumentum ita fuse explicat, ut nihil relinquat quod ad rei tractationem pertineat. *Turneb.*

2 *Eandem materiam rursus à me tractatam.*] Vide Gebhard. Crepund. libro 2. cap. 9. qui ex MS. Palat. leg. *retractatam.*

3 *Sed ut eo revertar.*] *Epanodos* est ad rem propositam. Porro diligentiam styli in narrationibus exigit', quod cum hoc progymnasma nos præparet ad narrationes civiles, eas oportet esse diligenter compositas, ut nihil judicem lateat. alioqui enim, ut ait Fabius, confirmationi hoc oberit. *Turneb.*

4 *Ita cum jam.*] Fabius ita præcipit, ut pueri primum loqui discant, & verba connectere: deinde recte & emendate loqui: postremo ex tempore dicere. *Idem.*

cipient, extemporalis garrulitas, nec expectata cogitatio & vix surgendi mora, circulatoriæ vere jactationis est, [1] Hinc parentum imperitorum inane gaudium, ipsis vero contemptus operis, & inverecunda frons, & consuetudo pessime dicendi, [2] & malorum exercitatio, &, quæ magnos quoque profectus frequenter perdidit, arrogans de se persuasio innascitur. Erit suum [3] parandæ facultati tempus, nec à nobis negligenter locus iste transibitur. Interim satis est si puer omni cura, & summo quantum ætas illa capit, labore, aliquid probabile scripserit: in hoc assuescat, hujus rei naturam sibi faciat. Ille demum in id quod quærimus, aut ei proximum poterit evadere, qui ante discet recte dicere, quam cito. [4] Narrationibus non inutiliter subjungitur [5] opus destruendi confirmandique eas, quod ἀναασκευὴ & κατασκευὴ vocatur. Id porro non tantum in fabulosis & carmine traditis fieri potest, verum etiam in ipsis annalium monumentis: ut si quæratur an sit credibile super caput [6] Valerii pugnantis sedisse corvum, qui os oculosque [7] hostis Galli rostro atque alis everberaret: sit in utranque partem ingens ad dicendum materia. ut de serpente [8] quo Scipio

1 *Hinc par. imperit. inane gaud.*] Sed ut *inania* quædam gaudia, sic etiam sunt *vera & solida:* ut Seneca docet Epist. 59. lib. 8. & Fr. Juretus ad Symmachi l. 1. Epist. 25. p 24.

2 *Et malorum exercitatio.*] Gebhard. Crepund. lib. 2. cap. 9. p. 82. ex MS. legit: *malorum exortatio.*

3 *Parandæ facultati.*] *Facultatem* appellat Fabius, extemporalem dicendi facilitatem. de qua aget libri decimi capite septimo *Turneb. Facultati.*] Al. *Facilitati.*

4 *Narrationibus non inutiliter.*] De confirmatione & refutatione loquitur, ut sunt *progymasmata*, non inventionis partes. locum habent, inquit Aphthonius, non in rebus vel manifestissimis, vel falsissimis, sed in ambiguis & dubiis. *Turneb.*

5 *Opus destruendi.*] Satis ipse explicat Fabius cujusmodi sit opus & ἀναασκευῆς, quæ est refutatio, & κατασκευῆς, quæ est assertio. Vide & Gellium lib. 9. cap. XI. *Camerar.*

6 *Valerii pugnantis.*] Liv. dec. 1. lib. 7.

7 *Hostis Galli.*] Valerius tribunus in exercitu Camilli persequentis Gallos Senones, provocatorem Gallum singulari certamine superavit, adjutus à Corvo. Unde *Corvinus* est appellatus. *Turneb.*

8 *Quo Scipio traditur genitus.*] Ajunt matrem Africani diu sterilem fuisse, & cum ea aliquando visum serpentem, ex quo genitum Scipionem fama distulit. Idem scribitur de Olympiade matre Alexandri. idem de Accia matre Augusti Cæsaris. Gel. lib. 7. cap. 1. Liv. dec. 3. lib. 6. & dec. 1. lib. 10. *Idem.*

1 *Nam*

Scipio traditur genitus, & lupa Romuli, & Ægeria Numæ. [1] Nam Græcis hiſtoriis plerunque poëticæ ſimilis eſt licentia. Sæpe etiam quæri ſolet de tempore, de loco, quo geſta res dicitur. [2] Nonnunquam de perſona quoque, ſicut Livius frequentiſſime dubitat, & alii ab aliis hiſtorici diſſentiunt. [3] Inde paulatim ad majora tendere incipiet, laudare claros viros, & vituperare improbos: quod non ſimplicis utilitatis opus eſt. Nanque & ingenium exercetur multiplici variaque materia, & animus contemplatione recti pravique formatur, & multa inde cognitio rerum venit: exempliſque, quæ ſunt in omni genere cauſſarum potentiſſima, jam tum inſtruitur, cum res poſcet uſurus. [4] Hinc illa quoque exercitatio ſubit *comparationis*, uter melior, uterve deterior: quæ quanquam verſatur in ratione ſimili, tamen & duplicat materiam, & virtutum vitiorumque non tantum naturam, ſed etiam modum tractat. Verum de ordine laudis, contraque, quoniam tertia hæc rhetorices pars eſt, [5] præcipiemus ſuo tempore. [6] Communes loci (de iis loquor quibus citra perſonas in ipſa vitia moris eſt perorare, ut in *adulterum*, *aleatorem*, *petulantem*) ex mediis ſunt judiciis, & ſi reum adjicias, accuſationes: quanquam hi quoque ab illo generali tractatu ad quaſdam deduci

1 *Nam Græcis hiſt.*] De Latinis non diſſimiles quæſtiones: ut de Romuli aſcenſione in cœlum, apud Cic. lib. 1. de legibus. Fl. Vopiſcus in Aureliano. Neminem ſcriptorum quod ad hiſtoriam attinet non eſſe mentitum. *Pith.*

2 *Nonnunquam de perſona.*] Sic ſtatim libro primo ab urb. dubitat Livius an *Aſcanius* ſit filius Æneæ ex Creuſa an ex Lavinia. & an *Lucius Tarquinius* ſit Tarquinii Priſci filius, an nepos, dubitatur, quia diverſa ſcribunt Livius & Dionyſius. *Turneb.*

3 *Inde paulatim.*] Aliud eſt progymnaſma, *laus* & *vituperatio*: quod non ſolum in perſonis, ſed in aliis quoque rebus exerceri ſolet: in perſonis tamen frequentiſſime, idque bifariam, vel ſimpliciter, vel ex comparatione. *Idem.*

4 *Hinc illa quoque.*] *Comparationem* Aphthonius ſejungit à laudatione & vituperatione, ſub his tamen eam complectitur Fabius: ac nihil eſt omnino aliud quam laus aut vituperatio duplicata. *Idem.*

5 *Præcipiemus.*] Libro 3.

6 *Communes loci.*] Communes formulæ quæ dicunturper amplificationem in virtutes aut vitia, aut ſeorſum tractantur, ut progymnaſmata, aut in orationum epilogis ponuntur, idque dupliciter, vel illo generali ambitu, vel addita circunſcriptione. quanquam ubique eſt theſis. *Turneb.*

deduci ſpecies ſolent, ut ſi ponatur *adulter cæcus*, *aleator pauper*, *petulans ſenex*. Habent autem nonnunquam etiam defenſionem. [1] Nam & pro *luxuria*, & pro *amore* dicimus, & leno interim paraſituſque defenditur: ſic ut non homini patrocinemur, ſed crimini. [2] Theſes autem quæ ſumuntur ex rerum comparatione, ut [3] *ruſticanane vita* an *urbana* potior, [4] *juriſperiti* an *militaris viri laus major*, mire ſunt ad exercitationem dicendi [5] ſpecioſæ atque uberes: quæ vel ad ſuadendi officium, vel etiam ad judicium diſceptationemque juvant plurimum. Nam poſterior ex prædictis locus, in cauſſa Muræna copioſiſſime à Cicerone tractatur. [6] Sunt & illæ pene totæ [7] ad deliberativum pertinentes genus, *ducendane uxor*, *petendine ſint magiſtratus*. Nanque hæ perſonis modo adjectis ſuaſoriæ erunt. [8] Solebant præceptores mei, neque inutili, & nobis etiam jucundo genere exercitationis, præparare nos conjecturalibus cauſſis, cum quærere atque exequi juberent, [9] cur *armata apud Lacedæmonios Venus*: & quid ita crederetur *Cupido puer*, ac *volucer*, & *ſagittis ac face armatus*, & ſimilia: in quibus ſcrutabamur voluntatem, cujus in controverſiis frequens quæſtio eſt: quod genus chriæ

1 *Nam & pro luxuria.*] Sunt hæ materiæ quas appellat Gellius *infames & inopinabiles*: quibus libenter ſe exercebat Phavorinus, quod crederet hujuſmodi materias ingenium expergefacere. *Idem.*

2 *Theſes autem.*] *Theſes* aut ſimplices ſunt aut comparatæ. comparatæ majorem quærunt laborem, cum illic omnia duplicentur. *Idem.*

3 *Ruſticane vita.*] Hanc theſin tractat Varro libro ſecundo *de re ruſtica*, ac potiorem oſtendit ruſticam. *Idem.*

4 *Juriſperiti an militaris.*] Hæc theſis tractatur à Cicerone in oratione pro Muræna adverſus Servium Sulpitium juriſconſultum. *Idem.*

5 *Specioſæ.*] Al. *Spatioſæ.*

6 *Sunt & illæ.*] Quanquam plerunque in deliberatione tota theſis tractatur, tamen deliberandi principium non ſolet dare theſis, ſed hypotheſis, quæ poſtea revocatur ad theſin. *Turneb.*

7 *Ad deliberativum pertinentes genus*] MS. elegantius: *Pertingentes*. Vide Gebhard. Crepund. lib. 2. c. 9. pag. 82.

8 *Solebant præceptores mei.*] Hoc progymnaſma videtur omiſſum eſſe & ab Hermogene, & ab Aphthonio, niſi forte ſub chria complecti velis, uti quæratur, *quare apud Lacedæmonios ſtatua Veneris erat armata*. Turneb.

9 *Cur armata apud Lac. Venus.*] Lactantius lib. Inſtit. 1. cap. 20. p. 78. &c. deſcribit Venerem calvam & armatam. Exſtat & lib. 5. Epiſt. p. 185. Epigramma Ang. Politiani in Venerem armatam. *Armata apud Lacedæmonios Venus.*] Extat Auſonii carmen de Venere armata ex Græco. Cupidinis autem picturæ cauſas Propertius libro II. reddit. *Camerar.*

1 *Nam*

chriæ videri potest. [1] Nam locos quidem, quales sunt de testibus *semperne his credendum*: & de argumentis, *an habenda etiam parvis fides*: adeo manifestum est ad forenses actiones pertinere, ut quidam nec ignobiles in officiis civilibus, scriptos eos, memoriæque diligentissime mandatos, in promptu habuerint, ut quoties esset occasio, extemporales eorum dictiones his velut [2] *emblematis* exornarentur. Quo quidem (nec enim ejus rei judicium differre sustineo) summam videbantur mihi infirmitatem de se confiteri. Nam quid hi possint in causis, quarum varia ac nova semper est facies, proprium invenire, quomodo propositis ex parte diversa respondere, [3] altercationibus velociter occurrere, testem rogare, qui etiam in iis quæ sunt communia, & in plurimis causis tractantur, vulgatissimos sensus verbis nisi tanto ante præparatis, prosequi nequeant? Necesse est his, cum eadem judiciis pluribus dicunt, aut fastidium moveant, velut frigidi & repositi cibi: aut pudorem deprehensa toties audientium memoria infelix supellex: quæ, sicut apud pauperes ambitiosos, [4] pluribus & diversis officiis conteratur: [5] cum eo quidem, quod vix ullus est tam communis locus, qui possit cohærere cum causa, nisi aliquo propriæ quæstionis vinculo copulatus: appareatque eum non tam insertum, quam applicitum; vel quod dissimilis est cæteris, vel quod plerunque assumi etiam parum apte solet, non quia desideratur, sed quia paratus est. [6] ut quidam

1 *Nam locos quidem.*] Alios tractat locos communes, qui appellantur à Rhetoribus *inartificiales*, quorum inventio caret arte, tractatio artificiosa est. *Turnebus.*

2 *Emblematis.*] Immissuras dicamus. *Camerar.*

3 *Altercationibus.*] *Altercationes* appellat Fabius, cum non habetur oratio continua & perpetua, sed utrinque interrogationibus & responsionibus interrupta. *Turneb.*

4 *Plurib. & diversis off. conteratur.*] MSS. Palat. *Pluribus & divisis officiis.* Vide Gebhard. Crepund. lib. 2. c. 9.

5 *Cum eo quidem.*] Locus communis cum absumitur cum proprio themate, apte debet conjungi, ut videatur illuc immigrasse sponte, non accersitus fuisse. Hi autem nihil habent pensi quo modo inseratur, dum aliquo modo applicetur. *Turneb.*

6 *Ut quidam.*] Quosdam reprehendit, qui allecti sententiis quibusdam plausibilibus excurrunt in locos communes spacioses, idque præpostere:

dam ſententiarum gratia verboſiſſimos locos arceſſunt, [1] cum ex locis debeat naſci ſententia. Ita ſunt autem ſpecioſa hæc & utilia, ſi oriuntur ex cauſſa. Cæterum quamlibet pulchra locutio, niſi ad victoriam tendit, utique ſupervacua, ſed interim etiam contraria eſt. Verum hactenus evagari ſatis fuerit. [2] *Legum laus & vituperatio* jam majores ac prope ſummis operibus ſuffecturas vires deſiderant: quæ quidem ſuaſoriis magis an controverſiis accommodata ſit exercitatio, conſuetudine & jure civitatum differt. [3] Apud Græcos enim lator earum ad judicem vocabatur: Romanis pro concione ſuadere ac diſſuadere moris fuit. Utroque autem modo pauca de his, & fere certa dicuntur. [4] Nam & genera ſunt tria, *ſacri, publici, privati juris.* Quæ diviſio ad laudem magis ſpectat, ſi quis eam per gradus augeat, quod *lex*, quod *publica*, quod *ad religionem deûm comparata ſit.* Ea quidem de quibus quæri ſolet, communia omnibus. [5] Aut enim de jure dubitari poteſt ejus qui rogat, ut *de* [6] *P. Clodii*, qui [7] non rite creatus tribunus arguebatur. Aut de ipſius rogationis, quod eſt varium, [8] ſive non trino forte

nam ex locis debent oriri ſententiæ, non ex ſententiis loci. *Idem.*

1 *Cum ex locis debeat naſci ſent.*] Gebhard. Crepund. lib. 2. c. 9. pag. 83.

2 *Legum laus & vituperatio.*] Progreſſus eſt Fabius à facilioribus ſenſim ad difficiliora, ac ultimo loco *progymnaſma maximum* poſuit, quod appellatur *nomotheſia.* efficit autem apud Romanos *genus deliberativum*, quia lex ſuadetur vel diſſuadetur, ut in oratione contra Rullum. Apud Græcos vero *genus judiciale*, quia legiſlator accuſatur παρανόμων. id eſt, quod ſciverit aliquid contra leges: ut in oratione Æſchinis contra Cteſiphontem. *Turneb.*

3 *Apud Græcos.*] Exempla poſſunt eſſe Demoſthenis orationes πρὸς Λεπτίνην, καὶ Μιδοκράτες. *Camerar.*

4 *Nam & genera.*] Hæc exercitatio tractatur in univerſum, citra perſonæ complexum: alioqui enim jam eſſet cauſa, & non progymnaſma. Loci petuntur *à jure*, quod (ut ait Ulpianus) aut *privatum* eſt aut *publicum*. *Publicum* aut in ſacris & cerimoniis, quod *pontificium* appellatur: aut in cætero reipub. ſtatu, quod appellatur *civile*. Turneb.

5 *Aut enim de jure.*] Hoc caput eſt *paragraphicum.* non cadit autem in progymnaſma, ſed in cauſam. *Idem.*

6 *P. Clodii.*] Suet. in Cæſar. & Cic. in orat. pro domo ſua.

7 *Non rite creatus Tribunus.*] *Tribunus* eſſe nullus poteſt, niſi *plebeius*, cum autem tranſiret à Patritiis ad plebem Clodius, ſervatum eſt de cœlo à Bibulo conſule, quæ res legem irritam faciebat. *Turneb.*

8 *Sive non trino.*] Nundinis ait Macrobius, ſolitas ruſticas tribus in urbem venire, mercium cauſſa. Itaque leges & conſulta tertiis nundinis promulgabantur, quas dixere *trinundinûm* & *trium*

no forte [1] nundino promulgata, [2] sive non idoneo die, sive contra intercessiones, vel [3] auspicia, aliudve quid quod legitime obstet, dicitur *lata esse vel ferri*, sive alicui manentium legum repugnare. Sed hæc ad illas primas exercitationes non pertinent. Nam sunt hæ citra complexum personarum, temporum, causarum. Reliqua eadem fere vero fictoque certamine hujusmodi tractantur. [4] Nam vitium aut *in verbis* est, aut *in rebus*. In verbis quæritur, *an satis significent*, *an sit in his aliquid ambiguum*. In rebus, *an lex sibi ipsa consentiat*, an *in populum ferri debeat*, *an in singulos homines*. Maxime vero commune est quærere, *an sit honesta*, *an utilis*. [5] Nec ignoro, plures fieri à plerisque partes: sed nos justum, pium, religiosum, cæteraque his similia, *honesto* complectimur. [6] *Justi* tamen species non simpliciter excuti solet. Aut enim de re ipsa quæritur, ut *dignane pœna vel præmio sit*: Aut de modo præmii, pœnæve, *qui* tam *major* quam *minor* culpari potest. [7] Utilitas quoque interim *natura* discernitur, interim *tempore*. Quædam an obtineri possint, ambigi solet. Ne illud quidem ignorare oportet, leges aliquando totas, aliquando ex parte reprehendi solere, cum [8] exemplum rei utriusque nobis claris orationibus præbeatur.

trium nundinûm. Video accepisse quosdam pro loco, quod tribus in locis promulgationes fieri solerent, pro quibus Fabius facere videri possit.

1 *Nundino.*] *Nundinæ institutæ* fuerant ut nono quoque die rustici in urbem ad mercatum & leges accipiendas venirent: quæ idcirco trinis nundinis promulgabantur, ac deinde in ærario asservabantur, ac ratæ habebantur. *Turnebus.*

2 *Promulgata.*] Vide Macrobium libro 1. Satur. cap. 19.

3 *Auspicia.*] Jove tonante aut fulgente omnia dirimebantur, ac obnunciatio auguris vel magistratus omnia tollebat. *Turneb.*

4 *Nam vitium.*] Hoc caput nascitur ex statibus legitimis, qui scripto continentur. *Idem.*

5 *Nec ignoro.*] Quatuor efficit partes Aphthonius, *legitimum*, *justum*, *utile*, *possibile*: Fabius *honestum* & *utile*, quanquam postea etiam aget *de possibili*, quem esse locum putat generis deliberativi, libro tertio. *Idem.*

6 *Justi tamen.*] Legis est virtus *imperare*, *permittere*, *vetare*, *punire*, adjectis interim pœnis vel præmiis quæ ex justitia expenduntur. Ita Favorinus apud Gellium libro vigesimo, quasdam leges duodecim tabularum culpat, quod interim graviores, interim leviores inferant pœnas. *Idem.*

7 *Utilitas.*] Cicer. in orat. pro lege agraria.

8 *Exemplum rei utriusque.*] Hujusmodi potest esse exemplum oratio Æschinis in Ctesiphontem, & Demosthenis *de corona*. Turneb.

tur. Nec me fallit eas quoque leges esse, quæ non in perpetuum rogentur, [1] sed de honoribus aut imperiis, qualis *Manilia* fuit, de qua Ciceronis oratio est. Sed de his nihil hoc loco præcipi potest. Constant enim propria rerum de quibus agitur, non communi qualitate. His fere veteres facultatem dicendi exercuerunt, assumpta tamen à dialecticis argumentandi ratione. Nam [2] fictas ad imitationem fori consiliorumque materias apud Græcos dicere, circa *Demetrium Phalerea* institutum fere constat. An ab ipso id genus exercitationis sit inventum ([3] ut alio quoque libro sum confessus) parum comperi: sed ne ii quidem hoc fortissime affirmant, ullo satis idoneo auctore nituntur. Latinos vero dicendi præceptores extremis L. Crassi temporibus cœpisse, [4] Cicero auctor est: quorum insignis [5] maxime *Plotius* fuit.

1 *Sed de honoribus.*] Ut lex fuit, qua Scipio Africanus ante ætatem adeptus est consulatum, legibus solutus. & Manilia, quæ lata est à Manilio trib. pleb. de imperio Cn. Pompeio adversus Mithridatem demandando. *Turneb.*

2 *Fictas ad imitationem fori, &c.*] Videndus hac de re Joh. à Wouweren Animadv. in Petronium p. 379. & 380. Edit. Goldasti.

3 *Ut alio quoque libro.*] Credo de causis corruptæ eloquentiæ. *Pith.*

4 *Cicero auctor est.*] Lib. 3. de Oratore.

5 *Maxime Plotius.*] Sueton. de claris Rhetor. Gallus Euseb. in Chronic. M. Senec. libro 2. Declamation. *Pithœus. Plotius.*] De hoc Plotio vide Tranquillum in libro de claris Rhetoribus. *Turnebus.*

Cap. V.

De lectione oratorum & historicorum apud rhetorem.

5 Sed de oratione declamandi [1] post paulo: interim, quia prima rhetorices rudimenta tractamus, non omittendum videtur id quoque ut moneam, quantum sit collaturus ad profectum discentium rhetor, si quemadmodum à grammaticis exigitur poëtarum enarratio, ita ipse quoque

Prælegendos esse pueris historicos & oratores docet, observatis eorum virtutibus ac vitiis. has enim res magis conducere ad eloquentiam, quam ullam *technologiam* aut artis præceptionem scribit. *Turneb.*

1 *Paulo.*] Cap. 11. infra.

1 *Histo-*

que [1] historiæ, atque etiam magis orationum lectione susceptos à se discipulos instruxerit: quod nos in paucis, quorum id ætas exigebat, & parentes utile esse crediderant, servavimus. Cæterum sentientibus jam tum optima, duæ res impedimento fuerunt, quod & longa consuetudo aliter docendi fecerat legem, & robusti fere juvenes, nec hunc laborem desiderantes, exemplum nostrum sequebantur. Nec tamen etiam si quid novi vel sero invenissem, præcipere in posterum puderet. Nunc vero scio id fieri apud Græcos, sed magis per [2] adjutores: quia non videntur tempora suffectura, si legentibus singulis præire semper ipsi velint. [3] Et hercle prælectio, quæ in hoc adhibetur, ut facile atque distincte pueri scripta oculis sequantur, etiam illa quæ vim cujusque verbi, si quod minus usitatum incidat, docet, multum infra rhetoris officium existimanda est. At demonstrare virtutes, vel, siquando ita incidat, vitia, id professionis ejus atque promissi, qui se magistrum eloquentiæ pollicetur, maxime proprium est: eo quidem validius, quod non utique hunc laborem docentium postulo, [4] ut ad gremium [5] revocatis, cujus quisque eorum velit libri lectioni deserviant. Nam mihi cum facilius, tum etiam multo magis videtur utile, facto silentio unum aliquem (quod ipsum imperari per vices optimum est) constituere lectorem, ut protinus pronuntiationi quoque assuescant:

1 *Historiæ.*] Quanquam historiam occupaverunt grammatici, tamen cum sit hoc totum opus oratorium maxime, ejus lectionem suscipere debet rhetor observatione virtutum, non annotatione verborum. *Turneb.*

2 *Adjutores.*] *Adjutores* vocat, quos Græci ὑποδιδασκάλους, quasi subpræceptores dicas, qui labores didascali, id est, *præceptoris* adjuvant. *Idem.*

3 *Et hercle prælectio.*] Triplex est prælectio: quædam qua prælegimus verba, ut eadem apte pronuncient pueri: quædam est in glossematum explicatione, quædam in virtutum observatione. duæ priores sunt *grammatici*, posterior *rhetoris*. Idem.

4 *Ut ad gremium.*] Metaphora est ducta à matribus, & nutriculis indulgentioribus, quæ infantes in gremio molliter educant. hac autem ratione Fabius prælectionis molestiam detrahit, & expeditam rationem docet: quoque pacto expendendæ sint virtutes, tanquam exemplo subjicit. *Idem.*

5 *Revocatis.*] Id est, non jubeo ut magister prælegat singulis eos libros quos attulerint. ut astruas *revocatis*, ad *deserviat*. Camerar.

1 *Quodque*

scant: tum exposita caussa in quam scripta legetur oratio (nam si clarius quæ dicentur, intelligi poterunt) nihil otiosum pati, [1] quodque in *inventione*, quodque in *elocutione* annotandum erit: quæ in proœmio conciliandi judicis ratio: quæ narrandi lux, brevitas, fides: quod aliquando consilium, & quam occulta calliditas. Namque ea sola in hoc ars est, quæ intelligi nisi ab artifice non possit. Quanta deinceps in dividendo prudentia, quam subtilis & crebra argumentatio: quibus viribus inspiret, [2] qua jucunditate permulceat: quanta in maledictis asperitas, in jocis urbanitas. ut denique dominetur in affectibus, atque in pectora irrumpat, animumque judicum simílem iis quæ dicit, efficiat. Tum in ratione eloquendi, quod verbum proprium, ornatum, sublime: ubi amplificatio laudanda, [3] quæ virtus ei contraria. quid speciose translatum, quæ figura verborum, quæ lenis & [4] quadrata: sed virilis tamen compositio. Ne id quidem inutile, etiam corruptas aliquando & vitiosas orationes, quas tamen plerique judiciorum pravitate mirantur, legi palam pueris, ostendique in his quam multa impropria, obscura, tumida, humilia, sordida, lasciva, effœminata sint: quæ non laudantur modo à pleriſque, sed (quod pejus est) propter hoc ipsum quod sunt prava, laudantur. Nam sermo rectus, & secundum naturam enuntiatus, nihil habere ex ingenio videtur: illa vero quæ utcunque deflexa sunt, tanquam exquisitiora miramur:

1 *Quodque in inventione.*] Quanquam quinque sunt rhetorices partes, tamen in orationum explicatione *memoria* & *pronunciatio* excuti non possunt, utpote quæ in sola sint actione dicentis. *inventio* autem & *dispositio* & *elocutio* veniunt in dispositionem, sed sub inventione *dispositionem* est complexus Fabius. *Turnebus.*

2 *Qua jucunditate permulceat.*] Hæc de affectibus sunt intelligenda, qui duplices sunt, *minores* & *majores*. quo ex genere est etiam δείνωσις. id est, oratio quæ gravitatem & dignitatem addit rebus amplificatione maxima. *Idem.*

3 *Quæ virtus ei contraria.*] *Amplificatio*, quæ αὔξησις dicitur, rem efficit majorem: *extenuatio*, quæ μείωσις, efficit minorem. *Idem.*

4 *Quadrata.*] *Quadratam* appellat *compositionem*, lenem & æquabiliter profluentem. Solent etiam Latini *quadratum* usurpare *pro perfecto*, *absoluto*, & bene composito. atque inde dicitur *statura quadrata*, bona corporis habitudo. *Idem.*

1 *Non*

miramur: [1]non aliter quam distortis, & quocunque modo prodigiosis corporibus apud quosdam majus est pretium, quam iis quæ nihil ex communis habitus bonis perdiderunt: atque etiam qui specie capiuntur, vulsis, lævatisque, & inustas comas acu comentibus, & non suo colore nitidis, plus esse formæ putant, quam possit tribuere [2]incorrupta natura: ut pulchritudo corporis venire videatur ex malis moribus. Nec solum hæc ipse debebit docere præceptor, sed frequenter interrogare & judicium discipulorum experiri. Sic audientibus securitas aberit, nec quæ dicentur, perfluent aures: simulque ad id perducentur, quod ex hoc quæritur, ut inveniant ipsi, & intelligant. *Nam quid aliud agimus docendo eos, quam ne semper docendi sint?* Hoc diligentiæ genus ausim dicere plus collaturum discentibus, quam omnes omnium artes, quæ juvant sine dubio multum: [3]sed latiore quadam comprehensione, per omnes quidem species rerum quotidie pene nascentium ire qui possunt? Sicut de re militari quamquam sunt tradita quædam præcepta communia, magis tamen proderit scire, qua ducum quisque ratione, in quali loco, tempore, sit usus sapienter, aut contra. Nam in omnibus fere minus valent *præcepta*, quam *experimenta*. An vero declamabit quidem præceptor, ut sit exemplo suis auditoribus, non plus contulerint lecti Cicero ac Demosthenes? Corrigetur palam siquid in declamando discipulus erraverit: non potentius erit emendare orationem? quinimo etiam jucundius. Aliena enim vitia quisque reprehendi mavult, quam sua. Nec deerant plura quæ dicerem: sed neminem hæc utilitas fugit:

1 *Non aliter quam distortis.*] Heliogabalus distortis corporibus gaudebat. unde gibbosis & cæcis sæpe solebat cœnam apponere. vide Lampridium. *Idem. Non aliter quam distortis, &c.*] Sic Quintilian. declamat. CCXCVIII. Sueton. August. c. 83. Adi Casaubon. Animadvers. in Sueton. p. 166.

2 *Incorrupta natura.*] Naturalis pulchritudo. Propert. lib. 1. Eleg. 2. ℣. 5. vocat *Naturæ decus*, ad Cynthiam.

3 *Sed latiore.*] Constat *artes omnes acquiri ratione & experientia. rationem suppeditat ars, experientiam exercitatio.* altera generalia præcepta complectitur, nec ad singularia descendit: altera in singularibus occupatur, & veram praxin suppeditat. *Turneb.*

1 Confecta

git: atque utinam tam non pigeat facere istud, quam non
6 displicebit. [1] Quod si potuerit obtineri, non ita difficilis supererit quæstio, qui legendi sint incipientibus. Nam quidam illos minores, quia facilior eorum intellectus videbatur, probaverunt: alii [2]floridius genus, ut ad alenda primarum ætatum ingenia magis accommodatum. Ego optimos quidem & statim & semper, sed tamen eorum candidissimum quemque, & maxime expositum velim: ut Livium à pueris magis quam [3] Sallustium: [4] & hic historiæ majoris est auctor: ad quem tamen intelligendum jam profectu opus sit. [5] Cicero, ut mihi quidem videtur, & jucundus incipientibus quoque & apertus est satis: nec prodesse tantum, sed etiam amari potest, tum (quemadmodum Livius præcipit) ut quisque erit [6] Ciceroni simillimus. [7] Duo autem genera maxime cavenda pueris puto: Unum, ne quis eos, antiquitatis nimius admirator, in Gracchorum, Catonisque,& aliorum similium lectione durescere velit. Fient enim horridi atque jejuni. Nam neque vim eorum adhuc intellectu consequentur: & elocutione,quæ tum sine dubio erat optima, sed nostris temporibus aliena, contenti, quod est pessimum, [8] similes sibi magnis viris videbuntur.

1 Confecta quæstione An sit, quæstionem qualitatis exequitur, aitque optimos esse statim historicos & oratores legendos. *Idem.*

2 *Floridius genus.*] *Floridum* appellat *genus*, sententiis argutum, verbis elegans, & metaphoris crebrum. in hac autem videtur esse sententia Cicero, qui quidem *Epidicticum* genus, quod floridum est & sophisticum, eloquentiam nutrire scribit. *Idem.*

3 *Sallustium.*] Nam Sallustius brevis est & antiquarius, ac verba prisca ex Originibus Catonis est sufluratus. *Idem.*

4 *Et hic historiæ majoris, &c.*] Vide Barthium Adversar. libro 48. cap. 19. p. 2175.

5 *Cicero.*] Livius historicus in epistola quadam ad filium ait primos esse legendos *Ciceronem* & *Demosthenem*, tum demum ut quisque vel Ciceroni vel Demostheni esset simillimus. cujus judicium Fabius sequitur. Qui sint autem simillimi Ciceroni, docebit lib. XI. *Turneb.*

6 *Ciceroni.*] In epist. ad filium: cujus meminit lib. 10. cap. 1.

7 *Duo autem genera.*] Ne labamur in *cacozeliam* veretur: quocirca nec antiquos esse pueris legendos putat, nec recentiores, sed eos qui circa Ciceronis ætatem vixerunt. *Turneb.*

8 *Similes sibi magnis.*] Hac de re Fab. loquitur lib. x. scribitque antiquos juvare posse sententiarum pondere & argumentorum, non tamen perinde phrasi. *Idem.*

tur. Alterum, quod huic diversum est, ne recentis hujus lasciviæ floscŭlis capti, voluptate quadam prava deliniantur,[1] ut prædulce illud genus, & puerilibus ingeniis hoc gratius, quo propius est, adament. Firmis autem judiciis, jamque extra periculum positis, suaserim & antiquos legere, ex quibus si assumatur solida ac virilis ingenii vis, detersо rudis seculi squalore, [2] tum noster hic cultus clarius enitescet: & novos quibus & ipsis multa virtus adest. Nec enim nos tarditatis natura damnavit: sed dicendi mutavimus genus, & ultra nobis, quam oportebat, indulsimus. ita non tam ingenio illi nos superarunt, quam proposito. Multa ergo [3] oportebit eligere: sed curandum erit, ne iis quibus permista sunt, inquinentur. [4] Quosdam vero etiam quos totos imitari oporteat, [5] & fuisse nuper & nunc esse quidem, libenter non concesserim modo, verumetiam contenderim. Sed hi qui sint, non cujusque est pronuntiare. Tutius circa priores vel erratur: ideoque hanc novorum distuli lectionem, ne imitatio judicium antecederet.

CAP.

1 *Ut prædulce illud genus.*] Fabius taxat sui temporis *eloquentiam*, ut lib. quoque x. quæ delicias quasdam ad oblectationem consectatur, & orationis quandam luxuriam. *Idem. Ut prædulce illud genus, &c.*] Vide Gebhard. Crepund. lib. 2. cap. 13. p. 89. & Rutgers. Var. lect. lib. 3. cap. 3. p. 199. 200.

2 *Tum noster.*] Miscet Fabius genus antiquum dicendi cum novo. nam illud sententiis valebat, hoc dictionis elegantia. est autem *optimus character*, qui sententiarum habet pondera & verborum ornamenta. *Turneb.*

3 *Oportebit.*] Alii *licebit.*

4 *Quosdam vero.*] Hoc intelligere videtur de Plinio majore, & Cornelio Tacito, qui tempore Fabii vixerunt. illorum enim permultæ sunt virtutes. *Turneb.*

5 *Et fuisse nuper & nunc.*] Vide Gebhard. Crepund. lib. 2. c. 13. p. 89. & 90. *Nuper.*] Alii *semper.*

Divisio-

Cap. VI.

De divisione.

7 [1]Fuit etiam in hoc diversum præcipientium propositum, quod eorum quidam materias quas discipulis ad dicendum dabant, non contenti divisione dirigere, latius dicendo prosequebantur: [2]nec solum probationibus implebant, sed etiam affectibus. Alii cum [3] primas modo lineas duxissent, post declamationes, quid omisisset quisque tractabant; quosdam vero locos non minore cura, quam cum ad dicendum ipsi surgerent, excolebant. Utile utrunque: & ideo neutrum ab altero separo: sed si facere tantum alterum necesse sit, plus proderit demonstrasse rectam protinus viam, quam revocare ab errore jam lapsos. Primum, quia emendationem auribus modo accipiunt, divisionem vero ad cogitationem etiam & stylum perferunt: deinde, quod libentius præcipientem audiunt, quam reprehendentem. Si qui vero paulo sunt vivaciores, in his præsertim moribus, etiam irascuntur admonitioni, & taciti repugnant. Nec ideo tamen minus vitia aperte coarguenda sunt. Habenda enim ratio cæterorum, qui recta esse quæ præceptor non emendaverit, credent. [4]Utraque autem ratio

Divisionum appellat, *partitionem* thematis & materiæ in sua capita, quæ eadem dicitur παρεγχείρησις, quod thema suis locis & partibus partiamur, & tanquam in articulos manus mittamus. hujusmodi sunt divisiones Senecæ, & partitiones quæstionum Sopatri. *Turneb.*

1 *Fuit etiam in hoc, &c.*] M. Senec. lib. VII. Controvers. Raro totam controversiam implebat: Non posses dicere divisionem esse: non posses declamationem. tanquam declamationi multum deerat, tanquam divisioni multum supererat. *Pith.*

2 *Nec solum probationibus.*] Sequentibus his capitibus quædam Fabius complectitur, quæ ante declamationem fieri debent, aut fiebant. hic porro duas inventionis est persecutus partes, *fidem* & *motum*, ut nihil discipulorum inventioni relinqueretur. *Turneb.*

3 *Primas modo lineas.*] Metaphora est ducta à pictura quæ μονόγραμμος dicitur, quæ primum lineis ducitur, deinde postea coloribus corporatur. *Idem*

4 *Utraque autem ratio.*] Putat Fabius hac in re profectus esse rationem habendam, ut si discipuli sint rudiores, fusius thema explicemus & diligentius dividamus: sin literatiores, leviter tantum exponamus, & in quosdam suos locos dividamus, interdum vero simpliciter exponamus sine locis. *Idem.*

1 Præ-

ratio miscenda est, & ita tractanda, ut ipsæ res postulabunt. Namque incipientibus danda erit velut [1] præformata materia secundum cujusque vires. At cum satis composuisse se ad exemplum videbuntur, brevia quædam demonstranda vestigia: quæ persecuti, jam suis viribus sine adminiculo progredi possint. [2] Nonnunquam credi sibi eos oportebit: ne mala consuetudine semper alienum laborem sequendi, nihil per se conari & quærere sciant. Quod si satis prudenter dicenda viderint, jam prope consummata fuerit præcipientis opera. Si quid erraverint adhuc, erunt ad ducem reducendi. Cui rei simile quiddam facientes aves cernimus, quæ teneris infirmisque fœtibus cibos ore suo collatos partiuntur: at cum visi sunt adulti, paulum egredi nidis, & circunvolare sedem illam præcedentes [3] ipsæ docent: tum expertas vires, libero cœlo, suæque ipsorum fiduciæ permittunt.

1 *Præformata materia.*] Metaphora est ducta ab architectis, qui vel *sciographia*, *ichnographia*, vel *orthographia* opus præformant. *Idem.*

2 *Nonnunquam credi sibi.*] *Creditur sibi discipulus*, cum thema aliquod tractat sine ulla præceptoris divisione, & sine ullo ejus auxilio. *Idem.*

3 *Ipsæ docent.*] Matres ac dominæ nidi. Idem Fab. lib. 2. cap. 2. Adi Jan. Gebhard. Crepund. lib. 1. c. 9. p. 28.

CAP. VII.

De ediscendo.

ILlud ex consuetudine mutandum prorsus existimo in his 8
de quibus nunc differimus ætatibus, ne omnia quæ scripserint, ediscant, & certa, ut moris est, die dicant: quod quidem maxime patres exigunt: atque ita demum studere liberos suos, si quam frequentissime declamaverint, credunt: cum profectus præcipue diligentia constet. Nam ut scribere pueros, plurimumque esse in hoc opere plane velim:

ERasmus studium ad verbum ediscendi non probat, ut nimii laboris & nullius prope fructus. Fabius ediscendos putat illustres locos ex orationibus vel historiis. ea res enim & memoriam firmabit & elocutionem augebit. *Turneb.*

velim: sic ediscere electos ex orationibus vel historiis, aliove quo genere dignorum ea cura voluminum locos, multo magis suadeam. Nam & exercebitur acrius memoria, aliena complectendo, quam sua: & qui erunt in difficiliore hujus generis labore versati, sine molestia, quæ ipsi composuerunt, jam familiarius animo suo affigent, & assuescent optimis, semperque habebunt intra se, quod imitentur: etiam non sentientes, formam orationis illam quam mente penitus acceperint, expriment. [1] Abundabunt autem copia verborum optimorum, & compositione, ac figuris jam non quæsitis, sed sponte & ex reposito velut thesauro se offerentibus. [2] Accedit his & jucunda in sermone bene à quoque dictorum relatio, & in causis utilis. Nam & plus auctoritatis afferunt ea quæ non præsentis gratia litis sunt comparata, & laudem sæpe majorem, quam si nostra sint, conciliant. Aliquando tamen permittendum, quæ ipsi scripserint, dicere, ut laboris sui fructum etiam ex illa quæ maxime petitur laude, plurimum capiant. Verum id quoque tum fieri oportebit, cum aliquid commodius elimaverint: ut eo velut præmio studii sui donentur, ac se meruisse ut dicerent, gaudeant.

1 *Abundabunt autem.*] *Elocutio* aut in simplicibus est verbis aut in compositis. *simplicia*, aut propria sunt, aut tropo mutata, aut figura exornata: *composita*, collocata & numerosa. his omnibus generibus abundabit ediscendo locos electos. *Idem.*

2 *Accedit his.*] Fab. lib. 5. aliorum dicta auctoritatem exempli & testimonii habere dixit. huc etiam pertinent *Chriæ*. Idem.

Cap. VIII.

An secundum sui quisque ingenii docendus sit naturam.

9 Virtus præceptoris haberi solet, nec immerito diligenter in iis quos erudiendos susceperit, notare discrimina

Hoc caput *de natura* est, in qua tanquam fundamento ars nititur. itaque Fab. docet optimam cujusque naturam esse præceptis & exercitatione augendam: si quid desit naturæ, studio diligenti esse supplendum: si quid refragetur, esse emendandum. *Turnebus.*

1 *Quam*

mina ingeniorum, & quo quemque natura maxime ferat scire. Nam est in hoc incredibilis quædam varietas: *nec pauciores animorum pene* [1] *quam corporum formæ*. Quod intelligi etiam ex ipsis [2] oratoribus potest, qui tantum inter se distant genere, ut nemo sit alteri similis: quamvis plurimi se ad eorum quos probabant, imitationem composuerint. [3] Utile deinde plerisque visum est ita quenque instituere, ut propria naturæ bona doctrina foverent, & in id potissimum ingenia quo tenderent, adjuvarentur: ut si quis palæstræ peritus, cum in aliquod plenum pueris gymnasium venerit, expertus eorum omnimodo corpus, animumque, discernat cui quisque certamini sit præparandus: ita præceptorem eloquentiæ, cum sagaciter fuerit intuitus, cujus ingenium presso limatoque genere dicendi, cujus acri, gravi, dulci, aspero, nitido, urbano, maxime gaudeat; ita se commodaturum singulis, ut in eo quo quisque eminet, provehatur: quod & adjuta cura natura magis evalescat: & qui in diversa ducatur, nec in iis quibus minus aptus est, satis possit efficere: & ea in quæ natus videtur, deferendo faciat infirmiora. [4] Quod mihi (libera enim vel contra receptas persuasiones rationem sequenti, sententia est) in parte verum videtur. Nam proprietates ingeniorum dispicere prorsus necessarium est. In his quoque certum studiorum facere delectum nemo dissuaserit. [5] Namque erit alius historiæ magis idoneus, alius [6] compositus ad carmen, alius utilis

1 *Quam corporum formæ.*] Plinius lib. 7. ait, in tanta hominum multitudine vix duo reperiri corpora indiscretæ figuræ. quanquam idem similitudines corporum indiscretas quodam cap. l. 7. persequitur. *Idem.*

2 *Oratoribus.*] Cicer. de opt. dicendi genere, & de clar. oratoribus.

3 *Utile.*] Cicer. in Bruto & 1. de Offic.

4 *Quod mihi.*] Sententiam suam Fabius, ut inusitatam, præmunitione tegit, ac superiorum opinionem partim probat, partim improbat. *Turneb.*

5 *Namque erit alius.*] Putat Fabius ex naturali ingenii propensione studia esse deligenda. sic Isocrates *Ephoro* & *Theopompo* suasit ut se ad historiam scribendam conferrent, quod à forensibus causis abhorrentes illuc vergerent. *Idem.*

6 *Compositus ad carmen.*] Ut Ovidius, qui semper à causis agendis abhorruit. nam *quicquid tentabat dicere, versus erat.* Idem.

utilis ſtudio juris, ut nonnulli rus fortaſſe mittendi. [1] Sic diſcernet hæc dicendi magiſter, quo modo [2] palæſtricus ille curſorem faciet, aut [3] pugilem, aut luctatorem, aliudve quid ex iis quæ ſunt [4] ſacrorum certaminum. [5] Verum ei qui foro deſtinabitur, non in unam partem aliquam, ſed in omnia quæ ſunt ejus operis, etiam ſi qua difficiliora diſcenti videbuntur, elaborandum eſt. Nam & omnino ſupervacua erat doctrina, ſi natura ſufficeret. [6] An ſi quis ingenio corruptus ac tumidus, ut plerique ſunt, inciderit, in hoc eum ire patiemur: aridum atque jejunum non alemus, & quaſi veſtiemus. Nam ſi quædam detrahere neceſſarium eſt, cur non ſit adjicere conceſſum? [7] Neque ego contra naturam pugno. Non enim deſerendum id bonum, ſiquod ingenitum eſt, exiſtimo, ſed augendum, addendumque quod ceſſat. An vero clariſſimus ille [8] præceptor Iſocrates, quem non magis libri bene dixiſſe, quam diſcipuli bene docuiſſe teſtantur, cum de Ephoro atque Theopompo ſic judicaret, [9] *ut alteri frænis, alteri calcaribus opus eſſe* diceret: aut in illo lentiore tarditatem, aut in hoc pene præcipiti concitationem adjuvandam docendo exiſtimavit, cum alterum alterius natura miſcendum arbitraretur? Imbecillis tamen ingeniis ſane ſic obſequendum ſit, ut tantum in

1 *Sic.*] De his Ariſtotel. lib. 1. Rhet. & Cælius lib. 7. cap. 51. Antiquit.

2 *Palæſtricus.*] Id eſt, gymnaſtes. Nam *palæſtram* gymnaſium dixere. Sunt autem gymnica agoniſmata, ſtadium, πένταθλον, διαυλος, δολιχὸς, ὁπλίτης. *Camerar.*

3 *Pugilem.*] *Pugil* appellatur, qui cæſtibus aut pugnis decertat. *Turneb.*

4 *Sacrorum certaminum.*] Quatuor ſunt *certamina* ſacra *Græciæ*, *Nemea*, *Olympia*, *Iſthmia*, *Pythia:* in quibus omne genus exercitationis fiebat. *Idem.*

5 *Verum ei.*] *Enſtaſi* poſteriorem partem inficiatur, atque ſi quid naturæ deeſt, illud addendum: ſiquid parvum ineſt, auferendum. *Idem.*

6 *An ſi quis.*] Ante artis cognitionem ſubeſſe oportet *naturæ fælicitatem*, & *ſtudii aſſiduitatem:* in quibus ſi quid peccabitur, arte erit emendandum. *Idem.*

7 *Neque ego.*] Hac occupatione reſpondet ultimæ rationi eorum qui fovendum duntaxat unumquemque putabant in eo ſtudio cui aptus eſſet. *Idem.*

8 *Præceptor Iſocrates.*] Cic. 3. de Orator.

9 *Ut alteri frenis.*] Exemplo ab Iſocratis dogmate ſumpto, dogma ſuum Fabius tuetur, quo ſignificavit Ephorum eſſe incitandum, Theopompum vero reprimendum. Quod idem judicium fuit Platonis de Ariſt. & Xenocrate. *Turneb.*

1 *Natura.*]

in id quo vocat natura, ducantur. Ita enim quod solum possunt, melius efficient. Si vero liberalior [1] natura contigerit, & in qua merito ad spem oratoris simus aggressi, nulla dicendi virtus omittenda est. Nam licet sit aliquam in partem pronior ut necesse est, cæteris tamen non repugnabit, atque ea cura paria faciet iis in quibus eminebat: sicut ille (ne ab eodem exemplo recedamus) exercendi corpora peritus, non [2] si docendum *pancratiasten* susceperit, pugno ferire vel calce tantum, aut nexus modo, atque in his certos aliquos docebit, sed omnia quæ sunt ejus certaminis. Erit qui ex his aliqua non possit? In id maxime quod poterit incumbet. Nam sunt hæc duo vitanda prorsus: *Unum* ne tentes quod effici non possit. *Alterum*, ne ab eo quod quis optime facit, in aliud cui minus est idoneus, transferas. At si fuerit qui docebitur, ille quem adolescentes senem vidimus, [3] Nicostratus, omnibus in eo docendi partibus similiter utetur: efficietque illum, qualis hic fuit, luctando pugnandoque (quorum utroque certamine iisdem diebus coronabatur) invictum. Et quanto id magis oratoris futuri magistro providendum erit? Non enim satis est dicere presse tantum, aut subtiliter, aut aspere: non magis quam [4] phonasco acutis tantum, aut mediis, aut gravibus sonis, aut horum etiam particulis excellere. Nam sicut cithara,

1 *Natura.*] Leg. *materia.*

2 *Si docendum Pancratiasten.*] Eodem exemplo sæpius utitur, ut facili & imperitis etiam cognito. appellatur porro *Pancratiastes*, qui omni nixu corporis & contentione adversarium calce, pugnoque ferit, & nexibus illigat: quod genus exercitationis appellatur *Pancratium.* Hermolaus tamen in Plinium *Pancratiasten* putat esse *Pentathlum.* Turnebus.

3 *Nicostratus.*] *Nicostratus*, ut meminit Pausanias, *Pancratiastes fuit fortissimus*, qui eodem sacro certamine victoriam & luctæ & pugilatus est adeptus. *Idem. Nicostratus.*] Nicostratus ὁ Πρυμνήστε τ᾽ Φρυγίας, Isodoti filius, quem septimum ponit Pausanias in eorum numero, qui iisdem diebus vicerint παγκράτιον καὶ πάλιν, Eliacῶν primo. Hoc loco observabis interpretatum esse Fabium παγκράτιον *pugnam.* Quod certamen quale fuerit, paulo ante descripsit. Ne igitur dixeris pugiles τὰς παγκρατιαστὰς, qui sunt πυκτεύ. *Camerar.*

4 *Phonasco.*] Phonascum autem vocat magistrum vocalitatis, in qua mirum in modum elaborasse Græcos, intelligi etiam ex Ciceronis lib. potest de Oratore primo. *Camerar.*

thara, ita oratio perfecta non est, nisi ab imo ad summum omnibus intenta nervis consentiat.

Cap. IX.

De officio discipulorum.

10 PLura de officiis docentium locutus, discipulos id unum interim moneo: *ut præceptores suos non minus quam ipsa studia ament: & parentes esse* [1] *non quidem corporum sed mentium credant.* Multum hæc pietas confert studio. nam ita & libenter audient, & dictis credent, & esse similes concupiscent: in ipsos denique cœtus scholarum læti & alacres convenient, emendati non irascentur, laudati gaudebunt. ut sint charissimi, studio merebuntur. Nam ut illorum officium est docere, sic horum præbere se dociles. alioqui neutrum sine altero sufficiet. [2] Et sicut hominis ortus ex utroque gignentium confertur, & frustra sparseris semina, nisi illa præmollitus foverit sulcus: ita eloquentia coalescere nequit, [3] nisi sociata tradentis accipientisque concordia.

DIdascalicum opus docente constat & discente. cum igitur antea de officio præceptoris sit locutus, merito quod sit etiam discipulorum officium subdit. Estque totum hoc caput paræneticum. *Turneb.*

1 *Non quidem corporum.*] Huc pertinet *apophthegma Alexandri*, qui Aristotelem ut parentem suspiciebat, à quo accepisset bene vivere, cum à patre tantum vivere. *Idem.*

2 *Et sicut.*] Confirmat parabola. *Idem.*

3 *Nisi sociata.*] Duo tantum à discipulis officia exigit Fabius, *pietatem & observantiam erga præceptorem, & docilitatem.* Ex his enim duobus cætera pendent. *Idem.*

Cap. X.

De utilitate & ratione declamandi.

11 IN his primis operibus, quæ non ipsa parva sunt, sed majorum quasi membra atque partes, bene instituto, ac satis

METhodus est compositionis, ab elementis ad ea quæ ex his conficiuntur. hic autem utilitatem declamationis docet, si modo similis erit causis forensibus & deliberativis. & quosdam rhetoras reprehendit, qui monstrosa quædam themata à consuetudine causarum abhorrentia proponebant. *Turneb.*

1 *Novissime*

satis exercitato, jam fere tempus appetet aggrediendi *suasorias judicialesque materias*: quarum antequam viam ingredior, pauca mihi de ipsa declamandi ratione dicenda sunt: quæ quidem ut ex omnibus [1] novissime inventa, ita multo est utilissima. Nam & cuncta illa de quibus diximus, in se fere continet, & veritati proximam imaginem reddit: ideoque ita est celebrata, ut plerisque videretur ad formandam eloquentiam vel sola sufficere. Neque enim virtus ulla [2] perpetuæ duntaxat orationis reperiri potest, quæ non sit cum hac dicendi meditatione communis. Eo quidem res ista culpa docentium recidit, ut inter præcipuas quæ corrumperent eloquentiam causas, *licentia* atque *inscitia declamantium* fuerit. Sed eo quod natura bonum est, bene uti licet. Sint ergo & ipsæ materiæ quæ fingentur, quam simillimæ veritati: & declamatio inquantum maxime potest, imitetur eas actiones in quarum exercitationem reperta est. [3] Nam *magos* & [4] *pestilentiam*, & *responsa*, & *sæviores tragicis* [5] *novercas*, aliaque magis adhuc fabulosa frustra inter [6] sponsiones & interdicta quæremus. Quid ergo?

1 *Novissime inventa.*] *Declamatio* inventa est Cicerone puero. nam Seneca lib. primo declamationum, ait ante Ciceronem exercitationes rhetorum fuisse *theses*, non declamationes. Cic. quoque in Bruto rem novam esse ita testatur, Commentabar declamans, sic enim loquuntur, sæpe cum Marco Pisone & Q. Pompejo, vel cum alio quotidie. *Idem.*

2 *Perpetuæ duntaxat orationis.*] *Perpetuam orationem* appellat continentem, neque ullo modo interruptam: ad differentiam altercationis, in qua vices sunt interrogandi & respondendi. *Idem.*

3 *Nam magos.*] Translatitia sunt hæc & vulgaria rhetorum themata, quæ à consuetudine communi causarum abhorrent, ideoque Fabio non probantur. *Idem. Magos & pestilent. & responsa.*] An, *Nam magos, & in pestilentiam responsa.* Ita enim loqui amat Petron. Sat. p. 48. Vide Barthii Racemat. in Petron. p. 488. & Joh. à Wouweren Animadvers. in Petron. p. 38. & Goldasti symbola ad Petron. p. 527. Curt. Pichen. Not. ad Tacitum de Orat. num. 44.

4 *Pestilentiam.*] Ut consultum oraculum est ut sedaretur pestis: respondit *cædendam esse virginem*, & privatus quidam pater filiam interficit, ac in jus vocatur. *Turneb.*

5 *Novercas.*] Ut apud Fabium *in pariete palmato*, & *in cæco in limine.* Idem.

6 *Sponsiones & interdicta.*] *Sponsio* actio quædam est, quæ fit interposita stipulatione certæ pecuniæ, quam is perdat qui judicio superatus fuerit. *Interdictum* vero formula est & conceptio qua prætor aliquid fieri vel jubet vel vetat: estque plerunque de possessione. *Idem.*

ergo? Nunquam hæc ſupra fidem, & poëtica (ut vere dixerim) themata, juvenibus pertractare permittemus, ut expatientur, & gaudeant materia, & quaſi [1] in corpus eant? Erat optimum: ſed certe ſint grandia & tumida, non ſtulta etiam, & acrioribus oculis intuenti ridicula: ac ſi jam cedendum eſt, impleat ſe declamator aliquando, dum ſciat, ut quadrupedes cum viridi pabulo diſtentæ ſunt, ſanguinis detractione curantur, & ſic ad cibos viribus conſervandis idoneos redeunt: ita ſibi quoque tenuandas adipes, & quicquid humoris corrupti contraxerit, [2] emittendum, ſi eſſe ſanus ac robuſtus volet. Alioqui tumor ille inanis primo cujuſque veri operis conatu deprehendetur. [3] Totum autem declamandi opus qui diverſum omnino à forenſibus cauſſis exiſtimant, ii profecto ne rationem quidem qua iſta exercitatio inventa ſit, pervident. Nam ſi foro non præparat: aut ſcenicæ oſtentationi, aut furioſæ vociferationi ſimillimum eſt. [4] Quid enim attinet judicem præparare, qui nullus eſt? narrare quod omnes ſciant falſum? probationes adhibere cauſſæ, de qua nemo ſit pronuntiaturus? Et hæc quidem ocioſa tantum: affici vero, & ira vel luctu permovere, cujus eſt ludibrii, [5] niſi quibuſdam pugnæ ſimulacris ad verum diſcrimen aciemque juſtam conſueſcimus? Nihil ergo inter forenſe genus dicendi, atque hoc declamatorium intererit? Si profectus gratia dicimus, nihil. Utinamque adjici ad conſuetudinem poſſet, ut [6] nominibus

1 *In corpus eant.*] Metaphora eſt à jumentis ducta, quæ pabuli multitudine ſaginantur, & corpulentiora fiunt. tranſtulit autem ad orationis nimiam ubertatem. *Idem. In corpus eant.*] Σωμασθῆναι. Græci dicunt.

2 *Emittendum.*] Metaphoram duxit à veterinariis, qui equorum plethoram, nimio pabulo contractam, phlebotomia curant. *Idem.*

3 *Totum autem.*] Quoſdam rhetores carpit, qui declamationem eſſe cauſis forenſibus diſſimilem putabant, ideoque abſurda & diverſa à conſuetudine proponebant themata, & quaſi voluptatem ſolam auditorum ſequebantur: quod taxat Fab. l. 5. *Idem.*

4 *Quid enim.*] Abſurdum colligit ex horum opinione, qui declamationem diverſam à cauſis forenſibus putant. *Idem.*

5 *Niſi quibuſdam.*] Metaphora ducta eſt à *decurſionibus*, & *Troja*, quam vulgo ſolent ludere, ad ſimilitudinem & meditationem præliorum. *Idem.*

6 *Nominibus uteremur.*] Valla annotat

minibus uteremur, & perplexæ magis, & longioris aliquando actus controversiæ fingerentur, & verba in usu quotidiano posita minus timeremus, & jocos inferere moris esset: quæ nos, quamlibet per alia in scholis exercitati sumus, tyrones in foro inveniunt. [1] Si vero in ostentationem comparetur declamatio, sane paululum aliquid inclamare ad voluptatem audientium debemus. Nam & iis actionibus quæ in aliqua sine dubio veritate versantur, sed sunt ad popularem aptatæ delectationem, quales legimus [2] panegyricos, totumque hoc demonstrativum genus, permittitur adhibere plus cultus, omnemque artem (quæ latere plerunque in judiciis debet) non confiteri modo, sed ostentare etiam hominibus in hoc advocatis. Quare declamatio, quoniam est judiciorum consiliorumque imago, similis esse debet veritati: quoniam autem aliquid in se habet [3] ἐπιδεικτικὸν, nonnihil sibi nitoris assumere. Quod faciunt actores comici: qui nec ita prorsus, ut nos vulgo loquimur, pronuntiant, quod esset sine arte: nec procul tamen à natura recedunt, quo vitio periret imitatio: sed morem communis hujus sermonis decore quodam scenico exornat. Sic quoque aliqua nos incommoda ex his quas finxerimus materiis, consequentur, in eo præcipue, quod multa in his [4] relinquuntur incerta, [5] quæ sumimus ut videntur *ætates*, *facultates*, *liberi*, *paren-*

tat olim cautum fuisse ne quis in poëmate aut ullo scripto nominatim infamaretur. quocirca declamatores propriis nominibus destituti, ad generalia recurrebant: ut *magos*, *adulteros*, *medicos*. Idem. *Nominibus uteremur.*] Nominibus, intellige propriis.

1 *Si vero.*] Duplici ratione declamamus, vel ut omnino causas forenses imitemur, quod genus est severius: vel ad ostentationem & delectationem, ubi major est libertas. *Turneb.*

2 *Panegyricos.*] *Panegyrici orationes sunt laudatoriæ*, aut etiam suasoriæ, quæ olim in Græciæ conventibus ad ingenii ostentationem habebantur. *Idem.*

3 Ἐπιδεικτικὸν.] Ἐπιδεικτικὸν appellatur genus quod comparatum est ad ostentationem ingenii, versaturque potissimum *in causis demonstrativis*: interdum etiam *deliberativis*. hoc genere sunt nisi sophistæ. *Idem.*

4 *Relinquuntur incerta.*] In veris causis certæ sunt circunstantiæ, quas pro voluntate non possit orator immutare: in declamationibus vero incertæ. his itaque declamator ad utilitatem abutitur. *Idem.*

5 *Quæ sumimus.*] Id est, quæ pro nostro arbitrio ponimus. *Camerar.*

parentes, *urbium ipsarum*, *vires*, *jura*, *mores*, aliaque his similia. Quin aliquando etiam argumenta ex ipsis positionum vitiis ducimus. Sed hæc suo quæque loco. Quamvis enim omne propositum operis à nobis destinati eo spectet, ut orator instituatur: tamen ne quid studiosi requirant, si quid erit quod ad scholas pertineat proprie, in transitu non omittemus.

Cap. XI.

An artis hujus necessaria cognitio sit.

12 Jam hinc ergo nobis inchoanda est ea pars artis, ex qua capere initium solent qui priora omiserunt: quamquam video quosdam in ipso statim limine obstaturos mihi, qui nihil egere hujusmodi præceptis eloquentiam putent: [1] sed natura sua, & vulgari modo, & scholarum exercitatione contenti, rideant etiam diligentiam nostram, exemplo magni quoque nominis professorum, quorum aliquis, ut opinor, interrogatus quid esset χῆμα & [2] νόημα, nescire se quidem, sed si ad rem pertineret, esse in sua declamatione respondit. Alius percontanti, *Theodoreus*, an *Apollodoreus* esset, Ego, inquit, [3] parmularius sum. Nec sane potuit urbanius ex confessione inscitiæ suæ elabi. [4] Porro hi, quia & bene-

Elementis traditis artem aggreditur, priusquo quæstionem tractat *conjecturalem*, an necessaria sit *rhetorice*, nonnulli enim naturam solam & exercitationem citra artis præceptiones oratorem efficere putabant. *Turneb.*

1 *Sed natura sua, &c.*] In hac fere videtur esse opinione Antonius apud Ciceronem, qui *rhetoricam* esse putat *quandam exercitationem*. Idem.

2 Νόημα.] Νόημα generaliter *intellectum* significat: sed tamen potissimum ea intelligitur sententia, quæ hujusmodi est, ut aliud intelligatur quam verba præ se ferant. Significavit autem hic rhetor ignarum se esse præceptorum, illis tamen se bene uti. *Idem.*

3 *Parmularius sum.*] *Theodorus* & *Apollodorus* eximii fuerunt rhetorices professores, ab hisque emanarunt sectatores *Theodorei* & *Apollodorei*. Jocatus est autem rhetor, deflexo aliorsum responso ad eludendum, ac se *parmularium* dixit. ita enim appellatur gladiator, qui parmula pugnat: quem etiam appellant *Thracem*. vide Festum. *Idem.*

4 *Porro hi.*] Accingit se ad hujus opinionis ἀναίρεσιν, quæ nititur quorundam exemplo qui diserti quadantenus evaserunt naturæ beneficio, idcircoque plurimos habent imitatores. *Idem.*

1 *Aperi-*

& beneficio ingenii præstantes sunt habiti, & multa etiam memoria digna exclamaverunt: plurimos habent similes negligentiæ suæ, pauciſſimos naturæ. Igitur impetu dicere se, & viribus uti gloriantur. Nec enim opus esse probatione aut dispositione in rebus fictis: sed (cujus rei gratia plenum sit auditorium) sententiis grandibus, quarum optima quæque [1] à periculo petatur. Quin etiam in cogitando nulla ratione adhibita, aut tectum intuentes, magnum aliquid quod ultro se offerat, pluribus sæpe diebus expectantes, aut murmure incerto [2] velut classico instincti, concitatissimum corporis motum non enuntiandis, sed quærendis verbis accommodant. [3] Nonnulli certa sibi initia priusquam sensum invenerint destinant, quibus aliquid diserti subjungendum sit: eaque diu secum ipsi clareque meditati, desperata connectendi facultate, deserunt: & ad alia deinceps, atque inde alia non minus communia atque nota divertunt. Qui plurimum videntur habere rationis, non in causſas tantum laborem suum, sed in locos intendunt: atque in his non corpori prospiciunt, sed abrupta quædam, ut forte ad manum venêre, jaculantur. Unde fit, ut dissoluta & ex diversis congesta oratio cohærere non possit, similisque [4] commentariis puerorum sit, in quos ea quæ aliis declamantibus laudata sunt, regerunt: magnas tamen sententias, & res bonas (ita enim gloriari solent) elidunt, nam & bar-

1 *A periculo petatur.*] Notat genus dicendi sui temporis, ut aliis in locis, quod effusum erat in sententias. dixit autem à periculo petitas, quæ ex tempore dicuntur, cum scilicet periclitatur dicentis ingenium. *Idem.*

2 *Velut classico instincti.*] Graphice depingit Fabius illorum rhetorum in rerum & verborum inventione ineptam rationem, quia arte destituuntur, ut inde colligat artem esse necessariam. *Idem.*

3 *Nonnulli certa, &c.*] Fab. lib. 3. ait non esse eandem rationem cogitandi, & dicendi. nam in cogitando primum intueri oportet quæstionem, deinde quid confirmandum, quid refutandum, postea quo modo narrandum, demum quo modo exordiendum, hi contra præpostere exordia prius excogitant, quam sententiam invenerint. *Idem.*

4 *Commentariis puerorum.*] Solebant pueri, ut scribit Tacitus, cum ad scholas declamatorias venerant, sententias venustiores & locos illustriores declamationis per colonias & provincias quasdam in libellis suis scribere, & domum referre. *Idem.*

1 *Et*

& barbari & servi: [1] & si hoc sat est, nulla est ratio dicendi.

1 *Et si hoc sat est.*] Hoc dictum est *enthymematice*, & ex contrario colligit satis non esse, ideoque esse opus arte. *Idem.*

Cap. XII.

Quare ineruditi ingeniosiores vulgo habeantur.

13 Ne hoc quidem negaverim, sequi plerunque hanc opinionem ut fortius dicere videantur indocti. Primum vitio male judicantium, qui majorem habere vim credunt ea quæ non habent artem: ut *effringere*, quam aperire: *rumpere*, quam solvere: *trahere*, quam ducere, putant robustius. Nam & gladiator [1] qui armorum inscius in pugnam ruit, & luctator qui totius corporis nisu in id quod semel invasit, incumbit, fortior ab his vocatur: cum interim & hic frequenter suis viribus ipse prosternitur, & illum vehementis impetus, excipit adversarii [2] mollis articulus. sed sunt in hac parte quæ imperitos etiam naturaliter fallant. Nam & *divisio* cum plurimum valeat in causis, speciem virium minuit: & rudia politis majora, & sparsa compositis numerosiora creduntur. Est præterea quædam virtutum vitiorumque vicinia, qua maledicus pro *libero*, temerarius pro *forti*, effusus pro *copioso* accipitur. [3] Maledicit autem ineruditus apertius, & sæpius vel cum periculo suscepti litigatoris, frequenter etiam suo. Affert & ista res opinionem, quia libentissime homines audiunt ea quæ dicere ipsi noluis-

Quadam consecutione alteram tractat quæstionem, quare ingeniosior & virilior esse populo videatur imperiti oratio. Cujus rei varias affert Fabius rationes. hoc porro si verum esset, non solum supervacuus esset artis tractatus, verum etiam obesset. *Turnebus.*

1 *Qui armorum inscius in pug.*] Vide Jan. Gebhardi Crepund. lib. 1. cap. 16. pag. 53.

2 *Mollis articulus.*] Eleganter *mollem articulum* appellavit lenem corporis inflexionem, qua armorum periti adversariorum eludunt petitionem. nam articulis membra flectuntur. *Turneb.*

3 *Maledicit autem.*] Quæ longe lateque distant, nemini possunt imponere: at quæ vicina sunt, à prudentibus duntaxat & artificibus discerni possunt. quo fit ut populus *vicina vitia* plerunque *pro virtutibus* accipiat. *Idem.*

1 *Noluis-*

[1] noluissent. Illud quoque alterum quod in elocutione ipsa periculum, minus vitat, conaturque perdite: unde evenit nonnunquam, ut aliquid grande inveniat, qui semper quærit quod nimium est: verum & raro evenit, & cætera vitia non pensat. [2] Propter hoc quoque interdum videntur indocti copiam habere majorem, quod dicunt omnia: doctis est & electio, & modus. His accedit, quod à cura docendi quod intenderint, recedunt. [3] Itaque illud quæstionum & argumentorum apud corrupta judicia [4] frigus evitant: nihilque aliud quam quo vel pravis voluptatibus aures assistentium permulceant, quærunt. *Sententiæ* quoque ipsæ, quas solas petunt, magis eminent, cum omnia circa illas sordida & abjecta sunt: ut *lumina non inter umbras* (quemadmodum Cicero dicit) *sed plane in tenebris clariora sunt.* Itaque *ingeniosi* vocentur ut libet, dum tamen constet, contumeliose sic laudari disertum. Nihilominus confitendum est etiam detrahere doctrinam aliquid, ut *limam rudibus*, & *cotes hebetibus*, & *vino vetustatem*: sed vitia detrahit: [5] atque eo solo minus est quod literæ perpolierunt, quo melius. [6] Verum hi pronuntiatione quoque famam dicendi fortius quærunt. Nam & clamant ubique, [7] & omnia *levata* (ut ipsi

1 *Noluissent.*] Alii leg. *voluissent.*

2 *Propter hoc quoque.*] *Indocti* nihil supprimunt, *docti* vero habent verborum & rerum delectum, & in his quoque mediocritatem servant: quorum alterum est *qualitatis*, alterum *quantitatis*. Turneb.

3 *Itaque illud, &c.*] A docendo, quod maxime proprium est oratoris, ad delectationem transeunt, egressionesque faciunt in locos amœnos, ut populo placeant. nam quæstionum & argumentorum tractatio ut difficilior & asperior est, ita populo molestior. *Idem.*

4 *Frigus.*] Budæus in commentariis linguæ græcæ hunc locum citat, ac *frigus* interpretatur, quod ingratum est, & absurdum videtur, minimeque plausibile. *Idem.*

5 *Atque eo solo.*] Doctrina nimiam orationis copiam coërcet: quanquam tamen detrahit, illa diminutio est optima, atque oratio eo est melior quam prius, quo minor est quam antea fuerat. *Idem.*

6 *Verum hi.*] Alia etiam causa est, sed multo potentissima, ab eorum actione tumultuosa petita, quæ populo placet, Fabio tamen libro undecimo displicet.

7 *Et omnia (ut ipsi vocant manu, &c.*] Vide Jan. Gebhard. Crepund. libro 1. cap. 13. pag. 42. Joh. Lininel. Not. in Propert. pag. 77. & Lud. Cresoll. Vacat. Autumn. lib. 2. cap. 1. sect. 4. pag. 117. cap. 3. sect. 2. p. 15. & seqq. cap. 9. sect. 9. p. 316. cap. 12. sect. 2. p. 378. cap. 13. sect. 1. p. 396. lib. 3. cap. 8. sect. 1. pag. 494.

ipsi vocant) *manu*, emugiunt, multo discursu, anhelitu, jactatione, gestu, motu capitis furentes. [1] Jam *collidere manus*, *terræ pedem incutere*, *femur*, *pectus*, *frontem cædere*, mire ad [2] pullatum circulum facit: cum ille eruditus, ut in oratione multa summittere, variare, disponere, ita etiam in pronuntiando suum cuique eorum quæ dicet, colori accommodare actum sciat: & si quid sit perpetua observatione dignum, modestus & esse & videri malit. At illi hanc *vim* appellant, quæ est potius *violentia*: cum interim non actores modo aliquos invenias, sed (quod est turpius) præceptores etiam, qui brevem dicendi exercitationem consecuti, omissa ratione, ut tulit impetus, passim tumultuentur, eosque qui plus honoris literis tribuerunt, & ineptos, & jejunos, & trepidos, & infirmos, ut quodque verbum contumeliosissimum occurrit, appellant. Verum illis quidem gratulemur, sine labore, sine ratione, sine disciplina disertis: nos quando & præcipiendi munus etiam pridem deprecati sumus, [3] & in foro quoque dicendi, quia honestissimum finem putabamus: desinere dum desideraremur, [4] inquirendo scribendoque talia consolemur ocium nostrum, quæ futura usui bonæ mentis juvenibus arbitramur, nobis certe sunt voluptati.

Cap.

1 *Jam collidere manus.*] Hoc gestu utendum putat Fabius duntaxat in contentionibus. *Turneb.*

2 *Pullatum circulum.*] *Circulus pullatus* appellatur turba populi & corona, vestibus pullis utentis, nam his vestibus plebs Romana utebatur, ut apparet ex Tranquillo in Augusto. *Idem.*

3 *Et in foro quoque.*] Fabius libro duodecimo ait oratorem quoque debere finem causarum agendarum mature facere, & ad otium se conferre. *Idem.*

4 *Inquirendo scribendoque, &c.*] Fabius quoque lib. 12. suadet ut orator cum finem agendi fecerit, cum alia studia tractet, tum etiam aliquid componat. *Idem.*

Generale

CAP. XIII.

Quis modus sit in arte.

NEmo autem à me exigat id præceptorum genus, 14
quod est à plerisque scriptoribus artium traditum, ut quasi quasdam leges immutabili necessitate constrictas studiosis dicendi feram: [1] utique *proœmium*, & id quale: proxima huic *narratio*: quæ lex deinde narrandi: *propositio* post hanc, vel, ut quibusdam placuit, [2] *excursio*: tum *certus ordo quæstionum*, cæteraque quæ velut si aliter facere fas non sit, quidam tanquam jussi sequuntur. Erat enim rhetorice res prorsus facilis ac parva, si uno & brevi præscripto contineretur: sed mutantur pleraque *causis, temporibus, occasione, necessitate.* [3] Atque ideo res in oratore præcipua consilium est, quia varie & ad rerum momenta convertitur. [4] Quid si enim præcipias imperatori, quoties aciem instruet, dirigat frontem, cornua utrinque promoveat, equites pro cornibus locet? Erit hæc quidem rectissima fortasse ratio, quoties licebit: sed mutabitur natura loci, *si mons occurret, si flumen obstabit, si collibus, sylvis*, asperitate alia *prohibebitur.* Mutabit hostium genus, mutabit præsentis conditio discriminis. nunc *acie directa*, nunc [5] *cuneis*, nunc *auxiliis*, nunc *legione*

GEnerale caput ante artis ingressum tractat, docetque *rhetorices* præcepta non esse semper necessaria, sed plerunque rei utilitate & oratoris consilio immutari. reprehendit autem *technicos* quosdam, qui præcepta conscripserant, ut leges quasdam immutabiles. *Turnebus.*

1 *Utique proœmium.*] *Technici* certum partium numerum præscribunt & certum ordinem: Fabius non semper totidem partibus esse opus putat, & artificiosam dispositionem plerunque mutari existimat. *Idem.*

2 *Excursio.*] Notat sui temporis oratores, qui (ut scribit libro quarto) post narrationem egredi solebant in locum amœnum. *Idem.*

3 *Atque ideo.*] Fabius libro sexto de *judicio* & *consilio* verba facit, quibus orator utitur ad dispositionem & inventionem rerum verborumque. ex horum præscripto immutari posse præcepta scribit. *Idem.*

4 *Quid si enim, &c.*] Vegetius scribit, plerunque ita aciem instrui ut frons directa sit, quam utrinque cornua muniant. hæc tamen ratio non est perpetua. *Idem.*

5 *Cuneis.*] *Cuneus* est multitudo militum, ita digesta ut initio sit angusta, & paulatim dilatetur. *Cuneo* utuntur, cum perrumpere volunt hostium aciem. *Idem.*

1 *Simu-*

legione pugnabitur: nonnunquam terga etiam dediſſe [1] ſimulata fuga proderit. [2] Ita *proœmium* neceſſarium, an ſupervacuum: [3] breve, an longius: ad judicem omni ſermone directo, [4] an aliquando averſo per aliquam figuram, dicendum ſit: conſtricta an latius fuſa *narratio*, [5] continua an diviſa, recta an ordine permutato: cauſſæ docebunt. Itemque de *quæſtionum ordine*, [6] cum in eadem controverſia aliud alii parti prius quæri frequenter expediat. [7] Neque enim rogationibus plebiſve ſcitis ſancta ſunt iſta præcepta, ſed hoc quicquid eſt, utilitas excogitavit. [8] Non negabo autem ſic utile eſſe plerunque, alioqui nec ſcriberem: verum ſi eadem illa nobis aliud ſuadebit utilitas, hanc relictis magiſtrorum auctoritatibus ſequemur. Equidem id maxime præcipiam, ac repetens iterum iterumque [9] monebo. [10] Res duas in omni actu ſpectet orator, *quid deceat*, *quid expediat*. Expedit autem ſæpe mutare ex illo conſtituto traditoque ordine aliqua, & interim decet, ut in ſtatuis atque picturis videmus, variari habitus, vultus, ſtatus. Nam recti quidem corporis vel minima gratia eſt. Nempe enim [11] adverſa ſit

1 *Simulata fuga.*] Significat *ſtratagemata* quæ fiunt ab aſtuto & vafro ducis conſilio. *Idem.*

2 *Ita proœmium.*] Fabius libro quarto docet *proœmio* non eſſe utendum, ſi judex ſatis præparatus eſt, aut cauſa præparatione non eget. *Idem.*

3 *Breve an longius.*] Si cauſa ſimplex eſt, breviori eſt opus proœmio; ſin perplexa aut multiplex, productiore. *Idem.*

4 *An aliquando averſo.*] Nonnulli præcipiunt, in exordio dirigendum ſemper eſſe ſermonem ad judicem: Fabius tamen libro quarto docet, illic optime fieri interdum *apoſtrophen*. Idem.

5 *Continua an diviſa.*] Fabius libro quarto docet interdum narrationem interrumpi poſſe: quod fecit Cicero in narratione pro Cluentio. *Idem.*

6 *Cum in eadem contr.*] Hac de re Fabius tractabit copioſe lib. ſeptimo, cap. de diſpoſitione. *Idem.*

7 *Neque enim.*] Probat à fine, perpetua non eſſe præcepta. nam cum inventa ſint cauſa utilitatis, illi debent cedere. *Idem.*

8 *Non negabo autem.*] Præcepta ſcribuntur aut de his quæ ſemper ita fiunt, aut de his quæ plurimum fiunt: ut in artibus opinabilibus & conjecturalibus, cujuſmodi eſt rhetorica. *Idem.*

9 *Monebo.*] Virgil. Æneidos 3.

10 *Res duas in omni actu, &c.*] Ut pluribus in locis Cicero, ita quoque Fabius præcipit, ut videamus *quid deceat & quid expediat*. alterum ad decorum pertinet, *ut omnia rebus & perſonis debite aptentur*: alterum ad cauſæ utilitatem. hos itaque duos ſcopos ſibi proponat orator in cauſa ſua diſponenda & agenda. *Turneb.*

11 *Adverſa ſit facies.*] Appellat *faciem adverſam*, è directo oppoſitam, & in neutram partem inclinatam. *Idem.*

1 *Actum.*]

sit facies, & demissa brachia, & juncti pedes, & à summis ad ima rigens opus: flexus ille, & ut sic dixerim, motus, dat [1] actum quendam effictis. Ideo nec ad unum modum formatæ manus, & in vultu mille species. Cursum habent quædam & impetum, sedent alia, vel incumbunt. nuda hæc, illa velata sunt: quædam mista ex [2] utroque. Quid tam distortum & elaboratum, quam est ille *Discobolos* [3] *Myronis*? Si quis tamen ut parum rectum improbet opus, nonne ab intellectu artis abfuerit, in qua vel præcipue laudabilis est illa ipsa novitas, ac difficultas? Quam quidem gratiam & delectationem afferunt figuræ, quæque in sensibus, quæque in verbis sunt. Mutant enim aliquid à recto, atque hanc præ se virtutem ferunt, quod à consuetudine vulgari recesserunt. Habet in pictura speciem tota facies: Apelles tamen imaginem [4] *Antigoni* latere tantum altero ostendit, ut [5] amissi oculi deformitas lateret. Quid? non in oratione operienda sunt quædam, sive ostendi non debent, sive exprimi pro dignitate non possunt? [6] ut fecit *Timanthes*, ut opinor, *Cithnius*, in ea tabula qua Colotem Tejum vicit. Nam cum in *Iphigeniæ* immolatione pinxisset tristem *Calchantem*, tristiorem *Ulyssem*, addidisset *Menelao* quem summum poterat ars efficere mœrorem: consumptis affectibus, non reperiens quo digne modo patris vultum posset exprimere, velavit ejus caput, & suo cuique animo dedit æstimandum. Nonne huic simile est illud [7] Sallustianum, *Nam de Carthagine tacere satius puto, quam parum dicere?*

1 *Actum.*] Aliàs, *actum quendam, & factum.*

2 *Utroque.*] Plin. lib. 34. cap. 8.

3 *Myronis.*] Myro optimus statuarius *discobolum* fecit, id est discum jacientem, qua in statua mire expressit nixum & conatum hominis discum jacere molientis. *Turneb.*

4 *Antigoni.*] Plin. lib. 35. cap. 10.

5 *Amissi oculi deformitas.*] Antigonus, Philippo Perinthum obsidente, catapultæ sagitta oculum amisit. hoc exemplum significat artis præcepta immutari ex ratione decori. *Turneb.*

6 *Ut fecit Timanthes.*] Scribit Plinius in Timanthis operibus non solum spectandam fuisse artem, verumetiam ingenium. Porro quemadmodum olim in certaminibus publicis committebantur poëtæ, ita quoque pictores, ut colligere licet ex multis locis Plinii. *Idem. Timanthes.*] Cicer. in Orat. Plin. lib. 15. cap. 10. & Valerius lib. 8. cap. 12.

7 *Sallustianum.*] In Jugurtha.

cere? [1] Propter quæ mihi semper moris fuit, quamminime alligare me ad præcepta quæ [2] καθολικὰ vocant, id est (ut dicamus quomodo possumus) *universalia*, vel *perpetualia*. Raro enim reperitur hoc genus, ut non labefactari parte aliqua, aut subrui possit. Sed de his plenius suo quicque loco tractabimus. [3] Interim nolo se juvenes satis instructos, si quem ex his qui breves plerunque circunferuntur, artis libellum edidicerint, & velut decretis technicorum tutos putent. *Multo labore, assiduo studio, varia exercitatione, pluribus experimentis, altissima prudentia, præsentissimo consilio constat ars dicendi.* Sed adjuvatur his quoque, si tamen rectam viam, non unam orbitam monstrent: à qua declinare qui crediderit nefas, patiatur necesse est illam per funes ingredientium tarditatem. [4] Itaque & [5] stratum militari labore iter sæpe deserimus compendio ducti: & si rectum limitem rupti torrentibus pontes inciderint, circumire cogemur: & si janua tenebitur incendio, per parietem exibimus. Late fusum opus est, & multiplex, & prope quotidie novum, & de quo nunquam dicta erunt omnia. Quæ sunt tamen tradita, quid ex his optimum, & si quid mutari, adjici, detrahi melius videbitur, dicere experiar.

Cap.

1 *Propter quæ.*] Ex superioribus demum colligit, universalia artis præcepta non esse semper observanda, sed omnia referenda esse *ad decorum & utilitatem.* Turneb.

2 Καθολικὰ.] Catholicis præceptis non semper insistendum, & quibus præter illa constet ars dicendi.

3 *Interim nolo.*] Ad extremum utitur commonitione, ne quis ex præceptis technicorum se satis putet instructum ad eloquentiam. *Technicos* autem appellat illos qui præcepta artis scripserunt, & universales præceptiones tradiderunt. *Turneb.*

4 *Itaque.*] Docet Fabius artis præcepta ampla esse debere, & quasi libera, non (ut *technici* volunt) stricta & immutabilia. alioqui enim obessent eloquentiæ, non prodessent. *Idem.*

5 *Stratum militari labore iter, &c.*] *Compendium* sive compendiaria, est via contractior, quam quis ambagibus relictis sectans, lucrum quasi lassitudinis facit. Vide Gebhard. Crepund. lib. 2. cap. 1. pag. 59.

Quosdam

CAP. XIV.

Rhetorices etymon, & totius operis divisio.

RRetoricen in Latinum transferentes, tum *oratoriam*, tum *oratricem* nominaverunt. Quos equidem non fraudaverim debita laude, quod copiam Romani sermonis augere tentaverint. Sed non omnia nos ducentes ex Græco sequuntur, [1] sicut ne illos quidem quoties suis utique verbis signare nostra voluerunt. Et hæc interpretatio non minus dura est, quam illa [2] Plauti [3] *essentia* atque *entia*: sed ne propria quidem. Nam oratoria sic efferetur, ut *elocutoria*: oratrix ut *elocutrix*. Illa autem de qua loquimur *rhetorice*, talis est, qualis *eloquentia*: nec dubie apud Græcos quoque duplicem intellectum habet. Nanque uno modo fit appositum, *ars rhetorica*, ut *navis piratica*: [4] altero nomen rei, qualis est *philosophia*, *amicitia*. Nos ipsam nunc volumus significare substantiam, ut grammatice literatura est, non *literatrix*, quemadmodum *oratrix*: nec *literatoria*, quemadmodum *oratoria*. Verum in rhetorice non sic. Ne pugnemus igitur, cum præsertim plurimis alioqui Græcis sit utendum. Nam certe si & [5] *physicos*, & *musicos*, & *geometras* dicam: nec vim afferam his nominibus indecora in Latinum sermonem mutatione. Denique cum M. Tullius etiam ipsis librorum quos hac de re primum scripserat, titulis Græco nomine utatur, profecto non est verendum ne temere videa- 15

QUosdam reprehendit, qui *rhetorices* appellationem in Latinum male verterunt, aitque nomine Græco esse utendum ut Latino. deinde *rhetoricen* partitur *in præcepta*, *oratorem*, *& oratic-nem*. Turneb.

1 *Sicut ne illos quidem.*] Nam quædam propria sunt linguæ Romanæ, quæ quidem Græcis inaudita fuerant: idcirco apud illos carent appellatione, ut *dictator*, *emancipatio*. Idem.

2 *Plauti.*] Alias, *Flavii*, ut & infra lib. 3. cap. 6. de statu. & lib. 8. cap. 3. de ornatu.

3 *Essentia atque entia.*] Duo hæc nomina *essentia* & *entia* significant *substantiam*, quæ dicitur Græcis οὐσία. *Turnebus.*

4 *Altero nomen rei.*] Nomina *substantiva* rem simpliciter significant, *adjectiva* vero adjunctionem quandam & appositionem, & quasi adhæsionem. *Idem.*

5 *Physicos.*] Philosophos.

videamur oratori maximo de nomine artis suæ credidisse. [1] Igitur *Rhetorice* (jam enim sine metu cavillationis utemur hac appellatione) sic, ut opinor, optime dividetur, [2] ut *de arte*, de *artifice*, de *opere* dicamus. *Ars* erit, quæ disciplina percipi debet: ea est bene dicendi scientia. *Artifex* est, qui percipit hanc artem, id est orator, cujus est summa bene dicere. *Opus*, quod efficitur ab artifice, id est bona oratio. Hæc omnia rursus diducuntur in species. Sed illa sequentia suo loco, nunc quæ de prima parte tractanda sunt, ordiar.

1 *Igitur Rhetorice.*] Hæc Fabii divisio consentit cum Ciceronis partitione, qua distribuit doctrinam dicendi, in *vim oratoris*, *orationem & quæstionem.* nam vis oratoris complectitur artem & artificem, oratio opus. operi porro & arti admixta est materia, quæ appellatur quæstio. *Idem.*

2 *Ut de arte.*] Uberrime totam facultatem est complexus, cum de arte dicat, & de oratore in quo est ars, & de oratione quæ ex artis præceptis ab oratore efficitur: perinde ac si diceret de *qualitate*, *de subjecto*, *& de effectu.* Idem.

Cap. XV.

Quid sit rhetorice, & quis ejus finis.

16 Ante omnia, quid sit *rhetorice:* quæ finitur quidem varie, sed quæstionem habet duplicem. [1] aut enim *de qualitate ipsius rei*, aut *de comprehensione verborum* dissensio est. Prima ac præcipua opinionum circa hoc differentia, [2] quod alii malos quoque viros posse oratores dici putant: alii (quorum nos sententiæ accedimus) nomen hoc, artemque de qua loquimur, bonis demum tribui volunt. Eorum autem qui dicendi facultatem à majore ac magis expetenda vitæ laude secernunt, quidam rhetoricen *vim* tantum, quidam

Varias ponit rhetorices definitiones, varios quoque fines, quibus improbatis demum colligit rhetorices esse finitionem, *scientiam bene dicendi:* finem vero, *bene dicere.* Turneb.

1 *Aut enim de qualitate.*] In definitionibus interdum quæritur verumne hoc an falsum, quod ad qualitatem est referendum: ut an rhetorice bona est, an mala, interdum vero plusne complectatur an minus, quod ad comprehensionem verborum referri debet. *Idem.*

2 *Quod alii malos.*] Hunc locum Fabius exequitur fusius cap. 1. lib. 12. *Idem.*

1 Καιρ-

dam *scientiam*, sed non virtutem, quidam *usum*, quidam *artem* quidem, sed à scientia & virtute sejunctam, quidam etiam *pravitatem* quandam *artis*,[1] id est κακοτεχνίαν nominaverunt. Hi fere aut *in persuadendo* aut *in dicendo appositè* ad persuadendum positum orandi munus sunt arbitrati. Id enim fieri potest ab eo quoque, qui vir bonus non sit. Est igitur frequentissimus finis rhetorices, *vis persuadendi*. Quod ego *vim* appello, plerique *potestatem*, nonnulli *facultatem* vocant: quæ res ne quid afferat ambiguitatis, vim dico τὴν δυνάμιν. Hæc opinio[2] originem ab Isocrate (si tamen re vera ars quæ circunfertur ejus est) duxit. Qui cum longe sit à voluntate infamantium oratoris officia, finem artis temere comprehendit, dicens esse rhetoricen *persuadendi opificem*, id est πειθῦς δημιουργόν. Neque enim mihi permiserim eadem uti declinatione, qua Ennius M. Cethegum[3] *Suadæ medullam*[4] vocat.[5] Apud Platonem quoque *Gorgias* in libro qui nomine ejus inscriptus est, idem fere dicit: sed hanc Plato illius opinionem vult accipi, non suam. [6] Cicero pluribus locis scripsit, oratoris officium esse, *dicere appositè ad persuadendum*. In rhetoricis etiam, quos sine dubio ipse [7] non probat, finem facit *persuadere*. [8] Verum & pecunia persuadet, & gratia, & auctoritas dicentis, & dignitas, & postremo aspectus etiam ipse sine voce, quo vel recordatio meritò-

1 Κακοτεχνίαν.] Κακοτεχνίαν appellamus eam artem, quæ non ad bonum, sed ad malum est comparata: cujusmodi est ars magica. Porro nonnulli *rhetorica* ad hominum perniciem abutuntur. *Idem.*

2 *Originem ab Isocrate duxit.*] Cicero negat se quicquam vidisse scriptum de rhetorica ab Isocrate: cujus opinionem sequi videtur Fabius. negat enim eum libellum, qui ejus nomine ferebatur, ab eo scriptum. *Idem.*

3 *Suadæ medullam.*] Ennii versus est de Cethego, *Flos delibatus populi, Suadæque medulla.* Nomen hoc autem ut durum reformidat Fabius. itaque non vertit, *opificem Suadæ*, sed persuadendi. *Idem.*

4 *Vocat.*] Cicero in Bruto & Catone.

5 *Apud Platonem quoque.*] Apud Platonem Gorgias ait rhetorices esse finem, in quocunque cœtu persuadere auditori. *Turneb.*

6 *Cicero.*] De Orat. 1.

7 *Non probat.*] Nam libro primo de Oratore ait libros illos sibi rudes & impolitos excidisse. *Turneb.*

8 *Verum & pecunia.*] Superiores finitiones & fines rhetorices improbat, cum sint in communitate, non in proprietate. *Idem.*

meritorum cujuſque, vel facies aliqua miſerabilis, [1] vel formæ pulchritudo ſententiam dictat. Nam & [2] *M. Aquilium* defendens Antonius quum ſciſſa veſte cicatrices quas is pro patria pectore adverſo ſuſcepiſſet, oſtendit, non orationis habuit fiduciam, ſed oculis populi Romani vim attulit: quem illo ipſo aſpectu maxime motum in hoc ut abſolveret reum, creditum eſt. [3] Sergium quidem Galbam miſeratione ſola, qua non ſuos modo liberos parvulos in concionem produxerat, ſed Galli etiam Sulpitii filium ſuis ipſe manibus circuntulerat, elapſum eſſe, cum aliorum monumentis, tum Catonis oratione teſtatum eſt. [4] Et *Phrynem* non Hyperidis actione, quanquam admirabili, ſed aſpectu corporis, quod illa ſpecioſiſſimum alioqui, diducta nudaverat tunica, putant periculo liberatam. Quæ ſi omnia perſuadent, non eſt hic de quo locuti ſumus, idoneus finis. Ideoque diligentiores viſi ſunt ſibi, qui cum de rhetorice idem ſentirent, exiſtimaverunt eam [5] vim dicendo perſuadendi. Quem finem Gorgias in eodem, de quo ſupra diximus libro, velut coactus à Socrate facit. à quo non diſſentit [6] Theodectes, ſive ipſius id opus eſt quod de rhetorice nomine ejus inſcribitur: [7] ſive, ut creditum eſt, Ariſtotelis:

1 *Vel formæ pulchritudo ſent. dictat.*] Adeundus Lud. Creſoll. Vacat. Autumnal. lib 3. cap. 29. ſect. 3. p. 647.

2 *M. Aquilium.*] M. Aquilius in Sicilia bellum ſervile confecit: is tamen poſtea repetundarum eſt accuſatus, quod ſocios expilaſſet. quem cum defenderet Antonius, nudavit *diloricata veſte*. Turnebus. *M. Aquilium defendens.*] Cicero 2. de Orat. & 7. in Verrem act. Valer. lib. 8. tit. 1.

3 *Sergium quidem Galbam.*] Sergius Galba prætor in Hiſpania Luſitanorum manum fide publica interpoſita interemit. ideo accuſatus eſt à Libone trib. pl. ſubſcriptore etiam Catone. *Turneb.*

4 *Et Phrynen.*] Athenæus in Dipnoſophiſtis. ait, cum accuſata fuiſſet *Phryne meretrix* rei capitalis, & ab Hyperide defenderetur, cum ejus oratio judices non flecteret, ab ipſo Hyperide diductam eſſe ejus tunicam, atque ita evaſiſſe. *Turneb. Phrynen.*] Phrynen meretricem Theſpienſem capitis ream factam ab Euthina, defendit Hyperides. Qui cum ſenſiſſet oratione ſua non permoveri Judices; productæ in medium veſtem diſcidit, & pectus nudavit: tum omni oratione ad miſerationem converſa, extorſit Judicibus abſolutionem. *Camerar.*

5 *Vim dicendo perſuadendi.*] Hæc etiam fuit Ciceronis ſententia in rhetoricis, ut videatur Fabius cavillatorem egiſſe. *Turneb.*

6 *Theodectes.*] Vide Valer. lib. 8. c. 15.

7 *Sive Ariſtotelis.*] Librum de rhetorice donavit diſcipulo *Theodecti* Ariſtoteles.

ſtotelis: in quo eſt finem eſſe rhetorices, *ducere homines dicendo in id quod actor velit.* Sed ne hîc quidem ſatis eſt comprehenſum. perſuadent enim dicendo, vel ducunt in id quod volunt, alii quoque, ut *meretrices*, *adulatores*, [1] *corruptores.* At contra non perſuadet ſemper orator: ut interim non ſit proprius hic finis ejus: interim ſit communis cum iis qui ab oratore procul abſunt. Atqui non multum ab hoc fine abeſt [2] Apollodorus, dicens judicialis orationis primum & ſuper omnia eſſe *perſuadere judici, & ſententiam ejus ducere in id quod velit.* Nam & ipſe oratorem fortunæ ſubjicit: ut ſi non perſuaſerit, nomen ſuum retinere non poſſit.

Quidam receſſerunt ab eventu, ſicut [3] Ariſtoteles, qui dicit, *rhetorice eſt vis inveniendi omnia in oratione perſuaſibilia.* Qui finis & illud vitium de quo ſupra diximus, habet & inſuper, quod nihil niſi inventionem complectitur, quæ ſine elocutione non eſt oratio. [4] Hermagoræ qui finem ejus eſſe ait *perſuaſibiliter dicere*, & aliis qui eandem ſententiam non eiſdem tantum verbis explicant, ac finem eſſe demonſtrant dicere quæ oporteat omnia ad perſuadendum: ſatis reſponſum eſt cum *perſuadere* non tantum oratoris eſſe convicimus.

Addita ſunt his alia varie. [5] Quidam enim *circa res omnes*, quidam *circa civiles* modo verſari [6] *rhetoricen* putaverunt. quorum verius utrum ſit, in eo loco qui hujus quæſtionis proprius

ſtoteles, qui ſub *Theodectis* etiam nomine eſt emiſſus: eum tamen ut ſuum Ariſtoteles poſtea aſſeruit. *Turneb.*

1 *Corruptores.*] *Perductores.* Pith.

2 *Apollodorus.*] Anguſtiorem præſcripſit finem Apollodorus, & judicialibus duntaxat cauſis comprehenſum. nam eas ſolas in arte tractavit, ut docet Fab. lib. 3. *Turneb.*

3 *Ariſtoteles.*] Lib. 1. Rhetoric.

4 *Hermagoræ.*] Scribit Fortunatianus Hermagoram non ſimpliciter pronunciaſſe finem rhetorices eſſe, *perſuaſibiliter dicere*, ſed ut vitaret cavillationes addidiſſe, *quoad pateretur rei natura & perſonæ conditio:* ut hîc videatur Fabius agere ſophiſtam. & alioqui ſuperiores fines ſi recte intelligantur, nihil peccant. *Turneb.*

5 *Quidam enim circa.*] Hac de re Fabius tractabit in fine lib. 2. nam hoc non ad finem pertinet, ſed ad materiam. *Idem.*

6 *Rhetoricen putaverunt.*] Cap. 21. hujus lib. de materia rhet.

proprius est, dicam. Omnia subjeciſſe oratori videtur Ariſtoteles, cum dixit, [1] *vim esse dicendi quid in quaque re possit esse persuasibile.* Et Patrocles, qui non quidem adjicit, *in quaque re:* sed nihil excipiendo, idem ostendit. *Vim* enim vocat *inveniendi quod sit in oratione persuasibile.* qui fines & ipsi solam complectuntur inventionem. Quod vitium fugiens Theodorus, *vim putat inveniendi & eloquendi cum ornatu credibilia in omni oratione.* Sed cum eodem modo credibilia quo persuasibilia etiam non orator inveniat: adjiciendo, in omni oratione, magis quam superiores concedit scelera quoque persuadentibus, pulcherrimæ rei nomen. [2] Gorgias apud [3] Platonem, persuadendi se artificem in judiciis & aliis cœtibus esse ait: de justis quoque & injustis tractare: cui Socrates *persuadendi* non *docendi* concedit facultatem. Qui vero non omnia subjiciebant oratori, solicitius ac verbosius, ut necesse erat, adhibuerunt discrimina: quorum fuit Ariston Critolai Peripatetici discipulus, cujus hic finis est *scientia videndi & agendi in* [4] *quæstionibus civilibus per orationem popularis persuasionis.* Hic *scientiam*, quia Peripateticus est, [5] non ut Stoici, virtutis loco ponit: *popularem* autem comprehendendo *persuasionem*, etiam contumelioſus est adversus artem orandi, quam nihil putat doctis persuasuram. Illud de omnibus qui circa civiles demum quæstiones oratorem judicant versari, dictum sit, Excludi ab his plurima oratoris officia: illam certe *laudativam totam*, quæ est rhetorices pars

1 *Vim esse dicendi.*] Apparet hic pro *dicendi*, legendum esse *inveniendi*, ut antea: & alioqui postea hunc finem dixit solam complecti inventionem. forte tamen *Videndi* legi possit. legitur enim apud Aristotelem, τῦ θεωρῆσαι. *Turnebus.*

2 *Gorgias apud Platonem.*] Gorgias dicit oratorem persuadere in foro judicibus, in senatu senatoribus, in concione auditoribus, & in cæteris quoque cœtibus, quod illi concedit Socrates. *Idem.*

3 *Platonem.*] Vide Joah. Camerarium hic.

4 *Quæstionibus civilibus.*] Hermogenes *quæstionem civilem* finit, controversiam quæ vel à legibus vel à consuetudinibus oriatur, in qua tractetur *de opinato vel justo, vel honesto, vel utili.* Turnebus.

5 *Non ut Stoici.*] *Peripateticis* scientia tam bona est quam mala: *Stoicis* vero duntaxat bona, qui alioqui (ut scribit Cicero 2. de Orat.) rhetoricam virtutem ponunt & sapientiæ partem. *Idem.*

1 *Cautius*

pars tertia. [1] Cautius Theodorus Gadareus, ut jam ad eos veniamus qui *artem* quidem esse eam, sed *non virtutem*, putaverunt. Ita enim dicit (ut ipsis eorum verbis utar qui hoc ex Græco transtulerunt) *Ars inventrix, & judicatrix, & enuntiatrix decente ornatu secundum mentionem ejus quod in quoque potest sumi persuasibile in materia civili.* [2] Itemque Cornelius Celsus, qui finem rhetorices ait, *dicere persuasibiliter in dubia, & civili materia.* Quibus sunt non dissimiles, qui ab aliis traduntur, qualis est ille, [3] *Vis dicendi & eloquendi de rebus civilibus subjectis sibi, cum quadam persuasione, & quodam corporis habitu, & eorum quæ dicet pronuntiatione.* Mille alia, sed aut eadem, aut ex eisdem composita: quibus item cum de materia rhetorices dicendum erit, respondebimus. Quidam eam neque *vim*, [4] neque *scientiam*, neque *artem* putaverunt: sed Critolaus *usum dicendi:* nam hoc τριβὴν significat. [5] Athenæus *fallendi artem.* [6] Plerique autem dum pauca ex Gorgia Platonis, à prioribus imperite excerpta, legere contenti, neque hoc totum, neque alia ejus volumina evolvunt, in maximum errorem inciderunt: creduntque eum in hac esse opinione: [7] ut *rhetoricen non artem, sed peritiam quandam gratiæ ac voluptatis* existimet: & alio loco, *civili-*

1 *Cautius Theodorus.*] *Theodorus Gadareus* à Gadaris urbe Judææ est appellatus, qui tamen se Rhodium dici maluit, quia diu Rhodi erat professus. *Idem.*

2 *Itemque Cornelius.*] Celsum reprehendit Fabius libro tertio cap. 5. quod scripserit, oratorem duntaxat dicere de re dubia. orator quoque non solum in negotiis civilibus, sed extra negotia versatur. *Idem.*

3 *Vis dicendi & eloquendi.*] Forte melius loco *Dicendi*, legeretur *Videndi*, quod refertur ad inventionem. *Idem.*

4 *Neque scientiam neque artem.*] *Scientia certissima* est, & acquiritur per ἀπόδειξιν, id est demonstrationem: *ars* verò constat præceptionum comprehensione tendentium ad unum scopum. *Idem.*

5 *Athenæus.*] Athenæus, ut inquit Strabo, philosophus fuit Peripateticus, qui tempore Augusti Cæsaris Romæ aliquandiu vixit. *Idem.*

6 *Plerique autem.*] Auctoritatem Platonis, quæ objiciebatur, ac majoris erat momenti, diligentius Fabius excutit, & adhibita distinctione ostendit Platonem voluisse ut *rhetor bene diceret, & justus esset.* Idem.

7 *Ut Rhetoricen.*] Sunt hæc verba Socratis apud Platonem, quibus respondet Polo. *Turnebus. Rhetoricen.*] Rhetorice κακοτεχνία falso ex Platone.

[1] *civilitatis particulæ ſimulacrum*, [2] & *quartam partem adulationis:* quod [3] duas partes civilitatis corpori aſſignet, *medicinam*, & quam interpretantur [4] *exercitatricem* duas animo, *legalem*, atque *juſtitiam: Adulationem* autem medicinæ vocet coquorum artificium: & exercitatricis, [5] *mangonum*, qui colorem fuco, & verum robur inani ſagina mentiantur: *legalis*, cavillatricem: *juſtitiæ*, rhetoricen. Quæ omnia ſunt quidem ſcripta in hoc libro, dictaque à Socrate, cujus perſona videtur [6] Plato ſignificare quid ſentiat: [7] ſed alii ſunt ejus ſermones ad coarguendos qui contra diſputant compoſiti, quos ἐλεγκτικοὺς vocant, alii ad præcipiendum, qui δογματικοὶ appellantur. [8] Socrates autem, ſeu Plato, eam quidem quæ tum exercebatur rhetoricen, talem putavit. nam & dicit his verbis τοῦτον τὸν τρόπον, ὃν ὑμεῖς πολιτικὸν. Non veram autem & honeſtam intelligit. Itaque diſputatio illa contra Gorgiam ita clauditur, ἀνὴρ ἀνάγκη τὸν ῥητορικὸν δίκαιον εἶναι, τὸν δὲ δίκαιον βούλεσθαι δίκαια καὶ πράττειν. Ad quod ille quidem conticeſcit, ſed ſermonem ſuſcipit Polus juvenili calore inconſideratior: contra quem illa de ſimulacro & adu-

1 *Civilitatis particulæ.*] *Civilitatem* appellat *politicen*, quæ quidem eſt ars bene conſtituendæ & gerendæ Reip. Partes ejus ſunt legalis, & juſtitia. juſtitiam porro in ſpeciem æmulatur rhetorica. *Idem.*

2 *Et quartam partem adulationis.*] Appellat Plato *adulationem*, ſimulachrum quoddam fucatum rei veræ & genuinæ: quemadmodum *ſophiſtica ars* imitatur legalem, *ars mangonum* gymnaſticam. *Idem.*

3 *Duas partes.*] Paulo diverſius Plato. ait enim nos corpore animoque conſtare, ac utrique parti ſuam præeſſe artem, *animo* civilem, *corpori* quandam quæ nomine careat, duas tamen habeat ſpecies, *medicinam* & *gymnaſticen*. civilem autem dividit in *nomotheticam* & *juſtitiam*. Idem.

4 *Exercitatricem.*] *Gymnaſtice* ars eſt, quæ bonam habitudinem, quam appellat εὐεξίαν, corpori humano præſtat idoneis cibis & exercitationibus. *Idem.*

5 *Mangonum.*] *Mangones*, qui & *venalitiarii* appellantur, ſunt qui mancipia vendunt: quorum corpora fucant, ut ſpecioſiora videantur. *Idem.*

6 *Plato.*] Plato in Gorgia, lib. 24.

7 *Sed alii ſunt, &c.*] Reſpondet objectioni per diaſtolen. appellat autem *dialogos* quoſdam *confutatorios*, quibus ſententiam eorum quibuſcum Socrates diſputat, refutat: ex quibus vera Platonis ſententia erui non poteſt: hujuſcemodi eſt *Gorgias:* Quoſdam rurſus *præceptorios*, in quibus ſua dogmata & placita conſtituit Plato. *Idem.*

8 *Socrates autem.*] Veram rhetoricam non exagitat in *Gorgia* Plato, ſed fucatam & pravam, qualem exercebant ſophiſtæ tempore Platonis. Polus ſophiſta fuit Agrigentinus, Gorgiæ diſcipulus. *Idem.*

1 *Adhuc*

adulatione dicuntur. Tum Callicles adhuc concitatior, qui tamen ad hanc perducitur clausulam, τὴν μέλλουσαν ὀρθῶς ῥητορικὴν ἔσεσθαι, δίκαιον ἄρα δεῖ εἶναι καὶ ἐπιστήμονα τὸν δικαίων. ut appareat Platoni non rhetoricen videri malam, sed eam veram nisi justo ac bono non contingere.[1] Adhuc autem in Phædro manifestius facit *hanc artem consummari citra justitiæ quoque scientiam non posse*: cui opinioni nos quoque accedimus. An aliter defensionem Socratis, & [2] eorum qui pro patria ceciderant, laudem scripsisset? quæ certe sunt oratoris opera. Sed in illud hominum genus quod facultate dicendi male utebatur, invectus est. Nam & [3] Socrates inhonestam sibi credidit orationem, quam ei Lysias reo composuerat: & tum maxime [4] scribere litigatoribus quæ illi pro se ipsi dicerent, erat moris: atque ita juri, quo non licebat pro altero agere, [5] fraus adhibebatur. [6] Doctores quoque ejus artis parum idonei Platoni videbantur qui *rhetoricen* à justitia separarent, & veris credibilia præferrent: nam id quoque dicit in Phædro. Consensisse autem illis superioribus videri potest etiam Cornelius Celsus, cujus hæc verba sunt, *Orator simile tantum veri petit.* Deinde paulo post, *Non enim bona conscientia, sed victoria, litigantis est præmium.* Quæ si vera essent, pessimorum hominum foret, hæc tam pernitiosa nocentissimis moribus dare instrumenta, & nequitiam

1 *Adhuc autem in Phædro.*] Opponit aliam Platonis auctoritatem, quæ sumpta est à dialogo dogmatico. illic autem Socrates insectans sophistas, *eloquentem* scribit esse debere *justum*, & rerum cognitione instructum. *Idem.*

2 *Eorum qui pro patria ceciderant.*] Scripsit epitaphium Plato Athenienſium quorundam, qui in bello perierant. quæ oratio ita placuit (ut inquit Cicero) ut quotannis in concione certo die recitaretur. *Idem.*

3 *Socrates.*] Cicer. 1. de orat. Valer. lib. 6. tit. 4. & Laërt.

4 *Scribere litigatoribus.*] Lex erat Athenis, ne quis suæ causæ ergò patronum adhiberet: oratores tamen solebant litigatoribus orationes scribere, quas ediscebant, & coram judice pronunciabant. *Turneb.*

5 *Fraus adhibebatur.*] Nam salvis legis verbis, legis sententia circunveniebatur, & fiebat contra legis voluntatem. *Idem.*

6 *Doctores quoque ejus artis parum idonei, &c.*] Excutit & investigat Platonis voluntatem Fabius, ut superiorum objectionem solvat. nam taxavit sophistas qui dicendi peritiam à bene faciendo sejunxissent, ut docuit in præfatione libri primi. *Idem.*

1 *Scientiæ*

quitiam præceptis adjuvare. Sed illi rationem opinionis suæ viderint. Nos autem ingressi formare perfectum *oratorem*, quem in primis esse *virum bonum* volumus, ad eos qui de hoc opere melius sentiunt, revertamur. *Rhetoricen* autem quidam eandem *civilitatem* esse judicaverunt: Cicero [1] *scientiæ civilis partem* vocat. *Civilis* autem *scientia* idem quod *sapientia* est. Quidam etiam philosophiæ, quorum est [2] Isocrates. Huic ejus substantiæ maxime convenit finitio, *Rhetoricen esse bene dicendi scientiam.* Nam & orationis omnes virtutes semel complectitur, & protinus mores etiam oratoris, cum bene dicere non possit nisi vir bonus. Idem valet Chrysippi finis ille ductus à Cleanthe, *scientia recte dicendi.* [3] Sunt plures ejusdem, sed ad alias quæstiones magis pertinent. Idem sentiret finis hoc modo comprehensus, *Persuadere quod oporteat:* nisi quod artem ad exitum alligat. [4] Bene Areus, *Dicere secundum virtutem orationis.* Excludunt à rhetorice malos & illi qui scientiam civilium officiorum eam putaverunt, si scientiam virtutem judicant: sed anguste intraque civiles quæstiones coërcent. Albutius non obscurus professor atque auctor *scientiam bene dicendi* esse consentit: sed exceptionibus peccat, adjiciendo, *circa civiles quæstiones, & credibiliter.* quarum jam utrique responsum est. Probabilis & illi voluntatis, qui *recte sentire & dicere*, rhetorices finem putaverunt. Hi sunt fere fines maxime illustres, & de quibus præcipue disputatur. Nam omnes

1 *Scientiæ civilis partem.*] Cicero in rhetoricis eos reprehendit, qui facultatem civilem ajunt esse posse citra rhetoricen. rursus illos arguit qui credunt in rhetorices artificio totam civilitatem esse positam. *Civilis facultas* interdum pro morali scientia usurpatur, quæ per excellentiam appellatur *sapientia:* aliquando vero ars est constituendarum rerumpublicarum, quæ pars est scientiæ moralis, quo etiam modo *sapientia* dicetur. *Idem.*

2 *Isocrates.*] In vetustis codicibus, *Socrates* legitur. nam & Socrates in Phædro Platonis, ab oratore rerum cognitionem flagitat, quod est philosophiæ. & hoc alioqui repugnat cum superiori Isocratis opinione. *Idem.*

3 *Sunt plures ejusdem, sed, &c.*] Nam interdum ducuntur finitiones à materiali causa; vel ab accidentium & proprietatum enumeratione: sed non pertinet ad hunc locum. *Idem.*

4 *Bene Areus.*] Areus rhetor fuit, cujus meminit Fabius initio lib. 3. *Idem.*

1 *Vel*

omnes quidem persequi, nec attinet, nec possum: cum pravum quoddam (ut arbitror) studium circa scriptores artium extiterit, nihil eisdem verbis quæ prior aliquis occupasset, finiendi: quæ ambitio procul aberit à me. Dicam enim non utique quæ invenero, sed quæ placebunt: sicut hoc, *rhetoricen esse bene dicendi scientiam:* cum reperto quod est optimum, qui quærit aliud, pejus velit. His approbatis, simul manifestum est illud quoque, quem finem, [1] vel quid summum & ultimum habeat rhetorice, quod τέλος dicitur, ad quod omnis ars tendit: nam si est ipsa bene dicendi scientia, finis ejus & summum est bene dicere.

1 *Vel quid summum & ultimum.*] Hoc adjecit ut distingueret ambiguitatem. nam & finis significat finitionem & causam finalem, de qua nunc agit. *Idem.*

CAP. XVI.

An utilis sit rhetorice.

SEquitur quæstio, an utilis [1] *rhetorice.* Nam quidam vehementer in eam invehi solent: &, quod sit indignissimum, [2] in accusationem orationis utuntur orandi viribus: *Eloquentiam esse quæ pœnis eripiat scelestos, cujus fraude damnentur interim boni: consilia ducantur in pejus: nec seditiones modo turbæque populares, sed bella etiam [3] inexpiabilia excitentur: cujus denique tum maxime sit usus, cum pro falsis contra veritatem valet.* [4] Nam & Socrati objiciunt comici, *docere eum quomodo pejorem caussam meliorem faciat:* & [5] contra Tisiam & Gorgiam 17

QUæ rhetoricæ insunt tractat, quæstionemque qualitatis proponit: ac improbatis quorundam sententiis, statuit *nihil* esse *sermone homini utilius à deo datum.* Turneb.

1 *Rhetorice.*] Ut Picus Mirandula adversus Hermolaum.

2 *In accusationem orationis utuntur orandi viribus.*] Sic Cicero libro primo de Oratore ait Platonem in Gorgia in oratoribus irridendis sese maximum oratorem præstitisse. hæc quæstio tractatur à Cicerone libro primo de Oratore, & libro primo de Inventione. *Turn.*

3 *Inexpiabilia.*] Inexpugnabilia.

4 *Nam & Socrati.*] Aristophanes in Nebulis objicit Socrati, quod inferiorem causam polliceretur se facere superiorem: quæ fuit arrogans etiam professio sophistarum, ut docet Cicero *in Bruto.* Turneb.

5 *Contra Tisiam.*] Locus supra positus ex

giam similia dicit polliceri Plato. Et his adjiciunt exempla Græcorum Romanorumque, [1] & enumerant qui pernicioſa non ſingulis tantum, ſed rebus etiam publicis uſi eloquentia turbaverint civitatum ſtatus, vel everterint: eoque & [2] Lacedæmoniorum civitate expulſam: [3] & Athenis quoque, [4] ubi actor *movere affectus* vetabatur, velut reciſam orandi poteſtatem. Quo quidem modo nec duces erunt utiles, nec magiſtratus, nec medicina, nec ipſa denique ſapientia. Nam & dux [5] Flaminius, & Gracchi Saturnini [6] Glauciæ magiſtratus, & in medicis venena, & in iis qui philoſophorum nomine male utuntur, graviſſima nonnunquam flagitia deprehenſa ſunt. Cibos aſpernemur, attulerunt ſæpe valetudinis cauſſas. Nunquam tecta ſubeamus, ſuper habitantes aliquando procumbunt. Non fabricetur militi gladius, poteſt uti eodem ferro latro. Quis neſcit ignes, aquas, ſine quibus nulla ſit vita, & (ne terrenis immorer) Solem Lunamque præcipua ſiderum, aliquando etiam nocere? Num igitur negabitur deformem Pyrrhi pacem [7] cæcus ille [8] Appius dicendi viribus diremiſſe?

tus ex Phædro. De Socrate notum eſt ex Nubibus Ariſtophanis. Græci autem hoc ita dicunt, τὸ ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν. *Camerar.*

1 *Et enumerant qui pernicioſa, &c.*] Sic apud Ciceronem libro primo de Oratore Scævola malos oratores permultos enumerat, ut pernicioſam doceat eloquentiam. *Turneb.*

2 *Lacedæmoniorum civitate expulſam.*] Præſcripſit tamen Lycurgus, ut Spartani pueri honeſtam orationem docerentur, ſed tamen brevem. *Idem.*

3 *Et Athenis quoque.*] Hoc fiebat potiſſimum in Areopago: quod inſtitutum eſt ob judicium *Phrynes meretricis*, quæ miſeratione judicium evaſit. *Idem.*

4 *Ubi actor movere.*] Athenæus 13. Abſoluta Phryna, ſcitum factum eſt, ne cui dicenti pro altero, miſeratione uti liceret, neve reum aut ream in judicio aſpici fas eſſet. *Camerar.*

5 *Flaminius.*] Flaminius conſul ad Thraſimenum lacum victus ab Hannibale, inſignes pop. Rom. copias perdidit. Liv. dec. 3. lib. 2. *Turneb.*

6 *Glauciæ.*] Glaucia, ut inquit Cicero in Bruto, homo pernicioſus, ex infimis ſordibus ad præturam pervenit, conſulque factus eſſet, niſi cum Saturnino interfectus fuiſſet. *Idem.*

7 *Cæcus ille Appius.*] Pyrrhus rex Epirotarum, militaris diſciplinæ peritiſſimus, in Italiam trajecit cum exercitu, multiſque detrimentis pop. Rom. affecit, conditioneſque pacis demum iniquas obtulit, quibus Patres aſſentiebantur: Appius tamen Claudius oratione ſua Patribus diſſuaſit. *Idem.*

8 *Appius.*] Hiſtoriam annotavit Florus ex 13. lib. Livii. *Camerar.*

se? Aut non divina M. Tullii eloquentia & contra [1] leges Agrarias popularis fuit? [2] & Catilinæ fregit audaciam? & supplicationes, qui maximus honor victoribus bello ducibus datur, in toga meruit? Nonne perterritos militum animos frequenter à metu revocat orator? & tot pugnandi pericula ineuntibus, laudem vita potiorem esse persuadet? Neque vero me Lacedæmonii atque Athenienses magis moverint, quam pop. Romanus, apud quem summa semper [3] oratoribus dignitas fuit. [4] Equidem nec urbium conditores reor aliter effecturos fuisse, ut vaga illa multitudo coiret in populos, nisi docta voce commota: nec legum repertores sine summa vi orandi consecutos, ut se ipsi homines ad servitutem juris adstringerent. Quin ipsa vitæ præcepta, etiam si natura sunt honesta, plus tamen ad formandas mentes valent quoties pulchritudinem rerum claritas orationis illuminat. Quare etiam si in utranque partem valent arma facundiæ, *non tamen est æquum id haberi malum, quo bene uti licet.* [5] Verum hæc apud eos fortasse quærantur, qui summam rhetorices ad persuadendi vim retulerunt. Si vero est *bene dicendi scientia*, quem nos finem sequimur, ut sit *orator* in primis *vir bonus:* utilem certe eam esse confitendum est. [6] Et hercle deus ille princeps parens rerum,

1 *Leges Agrarias.*] Servilius Rullus trib. pleb. legem tulit de agris populo dividundis, coloniisque deducendis. eam legem Cicero consul dissuasit. Plin. lib. 7. cap. 30. *Turnebus.*

2 *Et Catilinæ fregit audaciam.*] Nam Ciceroni in Senatu respondere non ausus est Catilina, ut docet Cicero in Bruto. *Idem.*

3 *Oratoribus dignitas fuit.*] Cicero testatur, post imperatores maximam obtinuisse dignitatem oratores Romæ, eorumque majorem fuisse gloriam quam jurisconsultorum. *Idem.*

4 *Equidem nec urbium conditores.*] Hoc sumptum est ex libro primo de inventione, ubi Cicero *eloquentiæ principium* urbium conditoribus tribuit. *Idem. Equidem.*] L. tamen Crassus censor magistros dicendi sustulit. Cicero 3. de orat. & Suet. de claris rhetorib.

5 *Verum hæc.*] Ex constitutione superioris dogmatis exceptionem ducit, quæ summovet objectionem adversariorum, & *eloquentiæ* præstantiam laudat. *Turneb.*

6 *Et hercle.*] Galenus quoque in protreptico ad bonas artes, scribit hominem sermone magis à brutis differre quam ratione, cum rationis quadantenus exortia non sint, quod dicere videtur Fabius. estque hic locus ex Ciceronе sumptus. *Idem.*

1 *Nam*

rerum, fabricatorque mundi, nullo magis hominem seperavit à cæteris, quæ quidem mortalia essent, animalibus, quam *dicendi facultate.* [1] Nam corpora quidem magnitudine, viribus, firmitate, patientia, velocitate præstantiora in illis mutis, videmus eadem minus egere acquisita extrinsecus opis. Nam & ingredi citius, & pasci, & tranare aquas citra docentem natura ipsa sciunt. Et pleraque contra frigus ex suo corpore vestiuntur, & arma his ingenita quædam, & ex obvio fere victus: circa quæ omnia multis hominibus labor est. Rationem igitur nobis præcipuam dedit, ejusque nos socios esse cum diis immortalibus voluit. [2] Sed ipsa ratio neque tam nos juvaret, neque tam esset in nobis manifesta, nisi quæ concepissemus mente, promere etiam loquendo possemus: quod magis deesse cæteris animalibus, quam intellectum & cogitationem quandam videmus. Nam & moliri cubilia, & nidos texere, & educare fœtus, & excludere, quinetiam reponere in hyemem alimenta, opera quædam nobis inimitabilia, qualia sunt cerarum & mellis, efficere, nonnullius fortasse rationis est: sed quia carent sermone quæ id faciunt, [3] *muta* atque *irrationabilia* vocantur. Denique homines quibus negata vox est, quantulum adjuvat animus ille cœlestis. [4] Quare si nihil à diis oratione melius accepimus, quid tam dignum cultu ac labore ducamus, aut [5] in quo malimus præstare hominibus, quam quo ipsi homines cæteris animalibus præstant? Eo quidem magis, quod nulla in parte plenius labor gratiam

1 *Nam corpora quidem, &c.*] Ideo Epicurus dicebat *omnia fortuna facta esse, hominique naturam fuisse novercam, belluis benignam parentem:* quod refutat Lactantius in libello de opificio Dei. *Idem.*

2 *Sed ipsa ratio.*] Donavit nos Deus *ratione*, ideoque etiam *sermone*, ne ratio nostra inclusa torpesceret. *Idem.*

3 *Muta atque irrationabilia.*] Videtur alluisse ad etymologiam verbi græci. nam ἄλογον non solum significat *irrationale*, verumetiam *mutum.* aut sensus est, animalia non prorsus esse irrationabilia, sed quia sermone carent, idcirco & *muta* & *irrationabilia* vocari. *Idem.*

4 *Quare si nihil, &c.*] Hanc sententiam est mutuatus à Cicerone Fabius. sic enim ille loquitur libro primo de Orat. de Inventione. *Idem.*

5 *In quo malimus præstare hominibus.*] Vid. Cicer. lib. 1. Offic. ut & Sidonium lib. 4. Epist. 17.

1 *Fulgu-*

gratiam refert. Id adeo manifestum erit, si cogitaverimus, unde, & quousque jam provecta sit orandi facultas, & adhuc augeri potest. Nam ut omittam, *defendere amicos, regere consilio senatum, populum, exercitum in quæ velit ducere, quam sit utile, conveniatque bono viro:* nonne pulchrum vel hoc ipsum est, ex communi intellectu, verbisque quibus utuntur omnes, tantum assequi laudis & gloriæ, ut non loqui & orare, sed quod Pericli contigit, [1] *fulgurare ac tonare* videaris?

1 *Fulgurare ac tonare videaris?*] Cic. Orat. ex Aristophane.

CAP. XVII.

An rhetorice sit ars.

FInis non erit, si expatiari parte in hac, & indulgere voluptati velim. Transeamus igitur ad eam quæstionem quæ sequitur, [1] an *rhetorice ars sit.* Quod quidem adeo ex iis qui præcepta dicendi tradiderunt, nemo dubitavit, ut etiam ipsis liberorum titulis testatum sit scriptos eos *de arte rhetorica*: [2] Cicero vero etiam quæ *rhetorice* vocetur esse artificiosam eloquentiam dicat. Quod non oratores tantum vindicarunt, ut studiis aliquid suis præstitisse videantur: sed cum his philosophi & [3] Stoici & Peripatetici plerique consentiunt. Ac me dubitasse confiteor, an hanc partem quæstionis tractandam putarem. nam quis est adeo non ab eruditione modo, sed à sensu remotus hominis, ut fabricandi 18

quidem,

HAnc quæstionem appellant dialectici, *qualis sit:* quæ tractanda est post quæstionem, *An sit*, & *Quid sit*, ac si naturam esset secutus Fabius, non connectendi commoditatem, hoc caput superiori præposuisset: quanquam hoc caput à superiori imperite est divulsum. *Turneb.*

1 *An rhetorice ars sit.*] Hac de re disputatur apud Ciceronem ab Antonio & Crasso libro primo de Oratore. *Idem.*

2 *Cicero vero.*] Cicero libro primo de Inventione ait civilis rationis partem esse artificiosam eloquentiam, quam *rhetoricen* vocant. *Idem.*

3 *Stoici & Peripatetici.*] Principes Stoïcorum de *rhetorica* scripserunt, ut Zeno, Chrysippus, Cleanthes, Diogenes. principes item Peripateticorum, ut Aristoteles, Theophrastus, Critolaus, qui testantur *rhetoricam esse artem.* Idem.

quidem, & texendi, & è luto vasa ducendi *artem* putet, *rhetoricen* autem, maximum ac pulcherrimum (ut supra diximus) opus, in tam sublime fastigium existimet, *sine arte* venisse? Equidem illos qui contra disputarunt, non tam id sensisse quod dicerent, quam exercere ingenia [1]materiæ difficultate credo voluisse: [2]sicut Polycratem cum Busirim laudaret, & Clytemnestram: quanquam is, quod his dissimile non esset, composuisse orationem quæ est habita contra Socratem, dicitur. Quidam naturalem esse rhetoricen volunt, & tamen adjuvari exercitatione non diffitentur: ut in libris Ciceronis de [3]Oratore dicit Antonius *observationem* quandam esse, *non artem*. Quod non ideo, ut pro vero accipiamus, est positum; sed ut Antonii persona servetur, qui dissimulator artis fuit. Hanc autem opinionem habuisse Lysias videtur: cujus sententiæ talis defensio est, quod indocti & barbari & servi pro se cum loquuntur, aliquid dicant simile principio, *narrent*, *probent*, *refutent*, & (quod vim habeat epilogi) *deprecentur*. Deinde adjiciunt [4]illas verborum cavillationes, *Nihil quod ex arte fiat, ante artem fuisse:* atqui dixisse homines pro se, & in alios semper: doctores artis, sero jam & circa Tisiam & Coraca primum repertos. orationem igitur ante artem fuisse, eoque artem non esse. Nos porro quando cœperit hujus rei doctrina, non laboramus exquirere: quamquam apud Homerum, & præceptorem [5]Phœnicem tum agendi tum etiam

1 *Materiæ difficultatem.*] Solent docti sibi proponere materias infames & inopinabiles, ut amplius exerceant ingenium illic, quam in re probabili. *Idem.*

2 *Sicut Polycratem.*] Polycrates Athenienſis fuit, qui inopia coactus est in Cypro sophistam agere. *Laudavit Busirim:* quam orationem Isocrates in Busiride damnat, ac Polycrati exemplum præscribit, quod in laudando Busiride sequi debeat. *Idem.*

3 *Oratore.*] Libro 1.

4 *Illas verborum cavillationes.*] *Cavillationes* appellat argumenta sophistica quæ fallunt & imponunt, cujusmodi est hoc. nam in oratione est homonymia, sitne scilicet ea pro quacunque locutione accipienda, an vero pro artificiosa. quocirca distinguet Fabius. *Turneb.*

5 *Phœnicem.*] Lib. 9. Iliados in trium ducum legatione ad Achillem, Phœnix se fatetur esse Achillis præceptorem & eloquendi & agendi. *Idem.*

etiam loquendi, & [1] oratores plures, & omne in tribus ducibus orationis genus, & certamina quoque proposita eloquentiæ [2] inter juvenes, invenimus: quin in cælatura [3] clypei Achillis & lites sunt, & actores. Illud admonere satis est, *omnia quæ ars consummaverit*, [4] *à natura initia duxisse:* aut tollatur *medicina* quæ ex observatione salubrium atque his contrariorum reperta est, & ut quibusdam placet, [5] tota *constat experimentis.* Nam & vulnus deligavit aliquis antequam hæc ars esset: & febrem quiete & abstinentia, non quia rationem videbat, sed quia id valetudo ipsa coëgerat, mitigavit. Nec *fabrica* sit *ars:* casas enim primi illi sine arte fecerunt. Nec *musica:* cantatur ac saltatur per omnes gentes aliquo modo. Ita si *rhetorice* vocari debet sermo quicunque fuisse eam antequam esset *ars*, confitebor. Si vero non quisquis loquitur, orator est, & tum non tanquam oratores loquebantur: necesse est *oratorem factum arte*, nec ante artem fuisse fateantur. Quo illud quoque excluditur quod dicunt, non esse artis id quod faciat qui non didicerit: dicere autem homines & qui non didicerunt. Ad cujus rei confirmationem afferunt [6] Demadem remigem [7] & Æschinem hypocritem oratores fuisse falso. Nam neque orator esse qui non didicit, potest: & hos sero potius quam nunquam didicisse quis dixerit: quanquam Æschines ab initio sit versa-

1 *Oratores plures.*] Ut Iliados 3. Lampum, Clytium, Antenorem scribit oratores esse Homerus. *Idem.*

2 *Inter juvenes.*] Ut de Thoante, quem Homerus scribit in certaminibus & litibus apud Ætolos nullis inferiorem fuisse. *Idem.*

3 *Clypei Achillis.*] Homerus lib. 18. Iliados Clypeum Achillis describit, quem Vulcanus fecit: in cujus cælatura cum alia pleraque sculpta fuisse dicit, tum actores de pecunia pro cæde pendenda litigantes. *Idem.*

4 *A natura initia duxisse.*] Hæc res tractatur à Platone in Menone, & à Rodolpho Agr. cap. 5. lib. 2. *Idem.*

5 *Tota constat experimentis.*] Serapion sola putavit experientia medicinam constare citra rationem: quem multi secuti sunt, qui vocati sunt *Empirici.* Idem. *Tota constat experimentis.*] Corn. Celsus, in præfat. lib. de med.

6 *Demadem remigem.*] Demades orator Athenienſis, nautæ filius fuit, nec à patre ad rhetores est missus, sed remex factus. *Turneb.*

7 *Et Æschinem hypocritem.*] Æschines filius Atrometi literatoris, primum *hypocrita* fuit, postea *scriba*, postremo *rhetor.* Idem.

versatus in literis, [1] quas pater ejus etiam docebat: Demadem neque non didicisse certum sit, & continua dicendi exercitatio potuerit tantum, quantuscunque postea fuit, fecisse. Nam id potentissimum discendi genus est. Sed præstantiorem, si didicisset futurum fuisse dicere licet. [2] Neque enim orationes scribere est ausus ut eum multum valuisse in dicendo sciamus. [3] Aristoteles, ut solet, quærendi gratia, quædam subtilitatis suæ argumenta excogitavit in Gryllo: sed idem & *de arte rhetorica* treis libros scripsit, & in eorum primo non artem solum eam fatetur, [4] sed ei particulam civilitatis, [5] sicut Dialecticis, assignat. Multa Critolaus contra, multa Rhodius [6] Athenodorus. Agnon quidem detraxit sibi inscriptione ipsa fidem, qua rhetorices accusationem professus est. Nam de Epicuro, qui disciplinas omnes fugit, nihil miror. Hi complura dicunt, sed ex paucis locis ducta. Itaque potentissimis eorum breviter occurram, ne in infinitum quæstio evadat. Prima his argumentatio *ex materia* est. Omnes enim artes ajunt habere *materiam*, quod est verum: rhetorices *nullam* esse *propriam*: quod esse falsum in sequentibus probabo. Altera est calumnia, [7] nullam artem falsis assentiri opinionibus, quia constitui

1 *Quas pater ejus.*] Atrometes. hoc exprobrat Æschini Demosthenes, Demades autem nautæ filius fuit, & ipse nauta primum, mox rhetor, quem negat orationem ullam scriptam emittere voluisse. *Camerar.*

2 *Neque enim orationes.*] Demades extemporali facultate multum valuit, cum Demosthenes nihil unquam diceret nisi præmeditatus. Demadem tamen nihil scripsisse testatur Cicero. *Turnebus.*

3 *Aristoteles.*] Aristoteles singularem librum *de rhetorica*, nomine *Gryllum*, scripsit, à Gryllo filio Xenophontis. illic conatur probare, *rhetoricam* non esse artem. *Idem.*

4 *Sed ei particulam civilitatis.*] Vide Gebhard. Crepund. libro 2. capite 13. pag. 90.

5 *Sicut Dialecticis.*] Legendum est, *sicut dialectices.* nam Aristoteles cum scribat artificiales probationes aut morales esse, aut patheticas, aut rationales: & illas rhetoricam ait à civilitate mutuari, has vero à dialectica, atque ita rhetoricam esse particulam civilitatis & dialectices. *Turneb.*

6 *Athenodorus.*] Suspicor Athenodorum hunc philosophum fuisse Stoïcum, qui tempore Augusti Cæsaris floruit, & Romæ aliquandiu dixit, ut scribit Suidas. *Idem.*

7 *Nullam artem falsis assentiri, &c.*] Artes comparatæ sunt ad verum inveniendum, ut item *rhetorice:* quæ quanquam interdum fallit, nunquam tamen fallitur, sed veritatem tenet. *Idem.*

1 *Ut*

stitui sine præceptione non possit, quæ semper vera sit: *rhetoricen* assentiri falsis: non esse igitur artem. Ego *rhetoricen* nonnunquam dicere falsa pro veris confitebor, sed non ideo in falsa quoque esse opinione concedam: quia longe diversum est, ipsi quid videri, & ut alii videatur, efficere. nam & imperator falsis utitur sæpe: [1] ut Hannibal, cum inclusus à Fabio, sarmentis circa cornua boum deligatis, incensisque, per noctem in adversos montes agens armenta, speciem hosti abeuntis exercitus dedit: sed illum fefellit, ipse quid verum esset, non ignoravit. Nec vero [2] Theopompus Lacedæmonius, cum permutato cum uxore habitu è custodia ut mulier evasit, falsam de se opinionem habuit, sed custodibus præbuit. Item orator cum falso utitur pro vero scit esse falsum, eoque se pro vero uti: non ergo falsam habet ipse opinionem, sed fallit alium. [3] Nec Cicero cum se tenebras offudisse judicibus in causa Cluentii gloriatus est, nihil ipse vidit. Et pictor cum vi artis suæ efficit ut quædam eminere in opere, quædam recessisse credamus, ipse ea plana esse non nescit. [4] Ajunt etiam, *omnes artes habere finem aliquem propositum, ad quem tendant*: hunc modo nullum esse in rhetorice, modo non præstari eum qui promittatur, mentiuntur. Nos enim esse finem jam ostendimus, & quis esset diximus. Præstabit hunc semper orator, semper enim bene dicet. Firmum autem hoc quod opponitur, adversus eos fortasse sit qui persuadere finem putaverunt. Noster orator arsque à nobis finita, non sunt posita in eventu. Tendit quidem ad victoriam qui dicit: sed

1 *Ut Hannibal.*] Hannibal inter oppidum Casilinum & Calliculam montem à Fabio Maximo inclusus, hoc stratagemate evasit, & præsidium Fabii fugavit. *Idem. Ut Hannibal.*] Liv. lib. 3. tertiæ Decadis.

2 *Theopompus.*] De Minyis hoc scribit Herodot. in Melpomene. Et est exemplum apud Valer. lib. 4. cap. 6. *Camerar.*

3 *Nec Cicero.*] Hoc fit per ἀπόφασιν. id est, *aberrationem*, quæ est hujusmodi dicendi ratio, qua differendo, obscurando, tergiversando judicem in errorem trahimus. quod Cic. facit in causa Cluentii, qui reus erat veneficii. *Turneb.*

4 *Ajunt etiam, &c.*] Hoc argumentum dissolutu est facile, præsertim statuenti *finem esse rhetorices, bene dicere.* nam orator semper bene dicit. *Idem.*

sed cum bene dixit, etiam si non vincat, id quod arte continetur, effecit. Nam & gubernator vult salva nave in portum pervenire: si tamen tempestate fuerit abreptus, non ideo minus erit gubernator, dicetque notum illud, [1] *Dum clavum rectum* [2] *teneam.* [3] Et medicus sanitatem ægri petit: si tamen aut valetudinis vi, aut intemperantia ægri, aliove quo casu summa non contingit, dum ipse omnia secundum rationem fecerit, medicinæ fine non excidit. Ita oratori bene dixisse *finis est.* Nam est *ars* ea, ut post [4] paulum clarius ostendemus, [5] *in actu* posita, *non in effectu.* Ita falsum erit illud quoque quod dicitur, *Artes scire quando sint finem consecutæ, rhetoricen nescire.* Nam se quisque bene dicere intelligit. Uti etiam vitiis rhetoricen, quod ars nulla faciat criminantur: quia & falsum dicat, & affectus moveat. Quorum neutrum est turpe, cum ex bona ratione proficiscitur: ideoque nec vitium. [6] Nam & mendacium dicere, etiam sapienti aliquando concessum est: & affectus, si aliter ad æquitatem perduci judex non poterit, necessario movebit orator. [7] Imperiti enim judicant, & qui frequenter in hoc ipsum fallendi sunt, ne errent. [8] Nam si mihi sapientes judices dentur, sapientum conciones, atque omne concilium, nihil invidia valeat, nihil gratia, nihil opinio præsumpta, falsique testes perquam sit exiguus eloquentiæ locus,

1 *Dum clavum rectum teneam.*] Ajunt esse hemistichium versus Enniani, *Dum clavum rectum teneam, navimque gubernem.* Significat autem paroemia, *neminem esse culpandum, modo officio suo fungatur*, & qui præstet quod ars promittit. *Idem.*

2 *Teneam.*] Eras. in Chiliad.

3 *Et medicus sanitatem.*] *Sanitas* simpliciter medicinæ finis non est, sed quatenus ars valet sanitatem tueri, est finis medicinæ. *Turneb.*

4 *Paulum.*] Cap. seq.

5 *In actu posita.*] Ars est posita in actu, quæ in actione consistit, & post actionem opus non relinquit: in effectu vero, quæ post actionem relinquit opus consummatum. *Idem.*

6 *Nam & mendacium.*] Plato in Hippia sive de mendacio, licere ait aliquando mentiri, dum res contra virtutem & honestatem non sit. à qua opinione non abhorret Origenes & Hieronymus, *dum mendacium sit officiosum*, & à pietate proficiscatur. *Idem.*

7 *Imperiti.*] Docet Fab. plerunque rura judices mittere in centurias. *Idem.*

8 *Nam si mihi, &c.*] Tacitus quoque in dialogo ait, si bene forent institutæ Resp. tum eloquentiæ locum in illis non futurum, ut apud Lacedæmonios & Cretenses. *Idem.*

1 *Plurima*

locus, qui prope in sola delectatione ponatur. Sin & audientium mobiles animi, & tot malis obnoxia veritas: arte pugnandum est: & adhibenda quæ prosunt. Nec enim qui recta via depulsus est, reduci ad eam nisi alio flexu potest. [1] Plurima vero ex eo contra *rhetoricen* cavillatio est, quod ex utraque caussæ parte dicatur. Inde hæc, *Nullam esse artem sibi contrariam*, rhetoricen esse contrariam sibi. *Nullam artem destruere quod effecerit*: accidere hoc rhetorices operi. Item, *Aut dicenda eam docere aut non dicenda*: itaque vel per hoc non esse artem, quod non dicenda præcipiat: vel per hoc, quod cum dicenda præceperit etiam contraria his doceat. [2] Quæ omnia apparet de ea rhetorice dici, quæ sit à bono viro atque ab ipsa virtute sejuncta: alioqui ubi injusta caussa est, ibi rhetorice non est: adeo ut vix [3] ex admirabili quodam casu possit accidere, ut ex utraque parte orator, id est vir bonus dicat. Tamen quoniam hoc quoque in rerum naturam cadit, ut duos sapientes aliquando justæ caussæ in diversum trahant, quando etiam pugnaturos eos inter se, si ratio ita duxerit, credunt. respondebo propositis. [4] atque ita quidem, ut appareat hæc adversus eos quoque frustra excogitata, qui malis moribus nomen oratoris indulgent. Nam *rhetorice non est contraria sibi*. Caussa enim cum caussa, [5] non illa secum ipsa componitur. Nec si pugnent inter

1 *Plurima vero.*] Plures simul contradictiones congerit Fabius, quod ab eodem principio manant. ita enim ars præscribit. porro quod *rhetoricam* ajunt esse sibi contrariam, falsum est. nam quanquam contrariorum est eadem disciplina & ars, non tamen sequitur artem esse contrariam. Hæc eadem argumenta valent adversus dialecticam, si probare velis eam non esse artem, cum in ea ex utraque parte dicatur. *Idem.*

2 *Quæ omnia, &c.*] Ante justam argumentorum solutionem, utitur remotione, atque hæc argumenta ad suum dogma nihil pertinere docet. nam ut malus orator utranque causam, tum justam tum injustam, susceperus sit, non tamen bonum oratorem esse susceperum nisi justam causam. *Idem.*

3 *Ex admirabili quodam casu.*] Hoc duntaxat accidere potest in causis ambigui utrinque juris & controversi ex æquo: alioqui ab altera tantum parte dicet orator, id est, *vir bonus*. Idem.

4 *Atque ita quidem.*] Superiores objectiones Stoïcorum fere erant, quorum est etiam hoc dogma, posse sapientes opinionibus inter se dissidere: & si justa utrinque causa fuerit, posse pugnare: quod multo magis est oratori concedendum. *Idem.*

5 *Non illa secum ipsa componitur.*] Metaphora est ducta à compositionibus gladiatorum, quando gladiatorum pa-

inter se qui idem didicerunt: idcirco ars, quæ utrique tradita est, non erit. Alioqui nec armorum, quia sæpe gladiatores sub eodem magistro eruditi, inter se componuntur. Nec gubernandi, quia navalibus præliis gubernator est gubernatori adversus. Nec imperatoria, quia imperator cum imperatore contendit. Item non evertit opus rhetorice quod efficit. neque enim positum à se argumentum solvit orator, sed ne rhetorice quidem: quia apud eos qui in persuadendo finem putant, aut si quis (ut dixi) casus, duos inter se bonos viros composuerit, verisimilia quærentur. [1] Non autem siquid est altero credibilius, id ei contrarium est, quod fuit credibile. Nam ut *candido candidius* & dulci dulcius *non est adversum*, ita *nec probabili probabilius*. Nec præcipit unquam non dicenda, nec dicendis contraria, sed quæ in quaque causa dicenda sunt. [2] Non semper autem etiamsi frequentissime, tuenda veritas erit, sed aliquando exigit communis utilitas, ut etiam falsa defendantur. Ponuntur hæ quoque in secundo Ciceronis de oratore libro contradictiones, *Artem earum rerum esse quæ sciantur*, oratoris omnem actionem [3] opinione, non scientia contineri: quia & apud eos dicat qui nesciant, & ipse dicat aliquando quod nesciat. Ex his alterum, id est an sciat judex de quo dicatur, nihil ad oratoris artem alteri respondendum, *Ars earum rerum est, quæ sciuntur*. Rhetorice ars est bene dicendi, bene autem dicere scit orator. Sed nescit an verum sit quod dicit. [4] Ne hi quidem qui ignem aut aquam, aut quatuor elementa

ria inter se committuntur & comparantur, ut in arena decertent. *Idem.*

1 *Non autem siquid, &c.*] Contraria non sunt in intentione, aut in eo quod est magis aut minus, sed in tota naturæ diversitate. itaque si actor verisimiliter dixerit, defensor verisimilius, hæc non sunt contraria, nec se destruunt. *Idem.*

2 *Non semper autem, &c.*] Quoniam *dicenda* dupliciter accipi possunt, ut ad utilitatem causæ referantur, aut ad honestatem, subjunxit etiam licere interdum falsa defendi. *Idem.*

3 *Opinione, non scientia.*] *Opinio* est assensus formidolosus & dubius: *scientia* vero certa & indubitabilis, qualis esse debet in arte. *Idem.*

4 *Ne hi quidem qui ignem.*] Heraclitus ignem rerum omnium esse principium posuit, & aliquando mundum in ἐκπύρωσιν, id est, *conflagrationem* desiturum. *Idem.*

1 *Corpora*

elementa aut [1] corpora insecabilia esse, ex quibus res omnes initium duxerunt, tradunt: nec qui intervalla siderum, & mensuras solis ac terræ colligunt: disciplinam tamen suam, *artem* vocant. Quod si ratio efficit, ut hæc opinari, sed propter vim probationum scire videantur: eadem ratio idem præstare oratori potest. Sed an caussa vera sit, nescit. Ne medicus quidem an dolorem capitis habeat qui se pati dicet: curabit tamen tanquam id verum sit, & erit ars medicina. [2] Quid quod *rhetorice non utique propositum habet semper vera dicendi, sed semper verisimilia?* scit autem esse verisimilia quæ dicit. Adjiciunt his qui contra sentiunt, quod sæpe quæ in aliis litibus impugnarunt actores caussarum, eadem in aliis defendant. Quod non artis, sed hominis est vitium. Hæc sunt præcipua quæ contra rhetoricen dicantur: alia & minora, & tamen ex his fontibus derivata. Confirmatur autem eam *esse artem*, breviter. Nam sive (ut Cleanthes voluit) *ars est* [3] *potestas viam ac ordinem efficiens:* esse certe viam atque ordinem in bene dicendo nemo dubitaverit: sive ille ab omnibus fere probatus finis observatur, [4] artem constare ex præceptionibus consentientibus & coëxercitatis ad finem vitæ utilem: jam ostendimus nihil non horum in rhetorice inesse. Quid quod & [5] inspectione & exercitatione, ut artes cæteræ, constat? Nec potest ars non esse, si ars est dialectice, quod fere constat: [6] cum ab ea specie magis quam

1 *Corpora insecabilia.*] Hæc opinio fuit Leucippi & Democriti, quam postea arripuit Epicurus. *Idem.*

2 *Quid quod Rhetorice, &c.*] Videtur hoc pugnare cum superioribus. nam Celsum reprehendebat Fabius, quod dicebat *oratorem simile tantum veri quærere.* sed solutu hoc est facile. nam vera pleraque sunt etiam verisimilia. *Idem.*

3 *Ars est potestas viam ac ordinem.*] In vetustis quibusdam codicibus & scriptis & impressis legitur, *potestas via, id est ordine efficiens.*

4 *Artem constare ex præceptionibus, &c.*] Hæc definitio ex Græco est translata, ideoque durioribus verbis enunciata, quanquam non *præceptionibus*, sed *perceptionibus* legendum videtur, ut antea quoque. *Turneb.*

5 *Inspectione & exercitatione.*] Duæ sunt partes omnium artium: *inspectio*, quæ est rerum perpensio & *contemplatio*: & exercitatio, quæ est ipsa actio. *Idem.*

6 *Cum ab ea specie.*] Nam species sunt *rhetorica* & *dialectica*, logices, id est, artis sermocinalis: quocirca genere sunt eadem. & alioqui, ut docet Aristote-

quam genere differat. [1] Sed nec illa omittenda sunt, qua in re alius se inartificialiter, alius artificialiter gerat, in ea esse artem: & in eo quod qui didicerit, melius faciat, quam qui non didicerit, esse artem. Atqui non solum doctus indoctum, sed etiam doctior doctum in rhetorices opere superabit, neque essent ejus aliter tam multa præcepta, tamque magni qui docerent. Id quod cum omnibus confitendum est, tum nobis præcipue qui rationem dicendi à bono viro non separamus.

les, utriusque eadem est materia, ut duntaxat peculiari quadam re differant. *Idem.*

1 *Sed nec illa.*] Hoc argumentum sumptum est ex initio Rhetorices ad Theodecten. *Idem.*

CAP. XVIII.

Generalis artium divisio, & ex quibus sit rhetorica.

19 CUM sint autem artium aliæ positæ in inspectione, id est cognitione & æstimatione rerum, [1] qualis est *Astrologia*, nullum exigens actum sed, ipso rei, cujus studium habet, intellectu contenta, quæ θεωρητικὴ vocatur: [2] Aliæ in agendo, quarum in hoc finis est, & ipso actu perficitur, nihilque post actum operis, relinquit quæ πρακτικὴ dicitur, qualis est *saltatio:* Aliæ in effectu, quæ operis quod oculis subjicitur, [3] consummatione finem accipiunt, quam ποιητικὴ appellamus, qualis est *pictura:* fere judicandum est *rhetoricen* in actu consistere. Hoc enim quod est officii sui perficit. atque ita ab omnibus dictum est. Mihi autem videtur etiam ex

CONstituto genere, ex arte est genus in differentias partiri, ut scias sub qua specie sit collocandum id de quo quæras. itaque colligit *rhetoricam* artem esse activam, nonnihil tamen reliquis artibus assumere. *Turneb.*

1 *Qualis est Astrologia.*] Ita denominantur artes à majori parte: alioqui si propius inspicias, in omnibus intelliges esse *speculationem* & *actionem.* Idem.

2 *Aliæ in agendo.*] Rodolphus Agr. dividit artes in *theoreticas, practicas, & logicas:* ac sub practica complectitur & ποιητικὴν. Galenus vero quartam etiam efficit artem, quam appellat κλητικὴν, quæ non est in opere, sed in rei alicujus adeptione, cujusmodi est *venatoria.* Idem.

3 *Consummatione finem accipiunt.*] In script. codicib. legitur, *consummationem non finem accipiunt.*

1 *In*

ex illis cæteris artibus multum assumere. Nam & potest aliquando ipsa res inspectione esse contenta. Erit enim *rhetorice* [1] in oratore etiam tacente: & si desierit agere, vel proposito vel aliquo casu impeditus, non magis desinet esse orator, quam Medicus, qui curandi fecerit finem. Nam est aliquis, ac nescio an maximus etiam ex secretis studiis fructus, ac tum pura voluptas literarum, cum ab actu, id est opera recesserunt, [2] & contemplatione sui fruuntur. Sed effective quoque aliquid simile scriptis orationibus, vel historiis ([3] quod ipsum opus in parte oratoria merito ponimus) consequetur. Si tamen una ex tribus artibus habenda sit, quia maximus ejus usus actu continetur, atque est in eo frequentissima, dicatur *activa*, vel *administrativa*. Nam & hoc ejusdem rei nomen est.

1 *In oratore etiam tacente.*] Nulla est ars, quantunvis in actu posita, quæ non aliquid habeat speculationis. & certe cum artes sint positæ in habitu potius quam actu, orator etiam tacens rhetoricen habebit. *Turneb.*

2 *Et contemplatione sui fruuntur.*] Nam ipse actus potius ad corpus refertur, contemplatio vero & commentatio ad animum: inde porro opus manat: quare maxima artis portio in contemplatione est. *Idem.*

3 *Quod ipsum opus, &c.*] Cic. lib. 2. de orat. imprimis oratorium esse censet, eleganter historiam scribere. quod etiam tradit lib. primo de Legibus. *Idem.*

CAP. XIX.

Utra plus conferat eloquentiæ, ars, an natura.

SCIO quæri etiam, *naturane* plus ad eloquentiam conferat, *an doctrina*. Quod ad propositum quidem nostri operis nihil pertinet: nec enim consummatus orator nisi ex utraque fieri potest: plurimum tamen referre arbitror, quam esse in hoc loco quæstionem velimus. [1] Nam si parti utrilibet

Quæstio hæc ex superioribus pendet. nam cum refutarit eos qui in natura ponebant, probavitque necessariam esse artis cognitionem, postquam rhetoricam esse artem probavit, merito hac de re quærit. de qua ita statuit, ut mediocres oratores plus naturæ deberent, consummati plus doctrinæ. *Turnebus.*

1 *Nam si parti.*] Hæc quæstio tractatur à Cicer. lib. primo de orat. & à Platone in Phædro. hanc porro sententiam Fab. duxit ex oratione Cic. pro Archia. *Idem.*

utrilibet omnino alteram detrahas, *natura etiam sine doctrina multum valebit, doctrina nulla esse sine natura poterit.* Sin ex pari coëant, in mediocribus quidem utrisque majus adhuc naturæ credam esse momentum, consummatos autem plus doctrinæ debere quam naturæ putabo, sicut terræ nullam fertilitatem habenti, nihil optimus agricola profuerit: è terra uberi utile aliquid etiam nullo colente nascetur. At in solo fœcundo plus cultor quam ipsa per se bonitas soli efficiet. Et si Praxiteles signum aliquod ex molari lapide conatus esset exclupere, [1] Parium marmor mallem rude: at si illud idem artifex expolisset, plus in manibus fuisset, quam in marmore. [2] Denique *natura materiæ, ars doctrinæ est. hæc fingit, illa fingitur.* Nihil ars sine materia: materiæ etiam sine arte pretium est. *Ars summa, materia optima melior.*

1 *Parium marmor.*] *Paros* insula est in Ægæo mari, quæ candidissimum habet marmor, quod *lychnium* appellant, quia ad lucernam effoditur. *Idem.*

2 *Denique natura.*] *Naturam* cum materia comparamus, *doctrinam* cum forma, quæ materiæ addit expolitionem, & materia est nobilior. *Idem.*

CAP. XX.

An virtus sit rhetorice.

21 ILla quæstio est major, an ex mediis artibus, quæ neque laudari per se, neque vituperari possunt, sed utiles aut secus secundum mores utentium fiunt, habenda sit rhetorice: an sit, ut compluribus etiam philosophorum placet, [1] virtus. Equidem illud quod in studiis dicendi plerique exercuerunt & exercent, aut *nullam artem*, quæ [2] ἀτεχνίαν nomi-

HÆc etiam quæstio ex cap. decimo septimo & decimooctavo pendet. nam plerique malam esse rhetoricam putarunt. colligit tamen Fabius ex Stoïcorum opinione *rhetoricam esse virtutem.* Turneb.

1 *Virtus.*] Duplices sunt Aristoteli virtutes, *intellectivæ*, quæ in veri cognitione rerumque effectione versantur, quo modo rhetorica virtus est, cum sit ars: Aliæ vero *morales*, quæ sunt in voluntate & appetitu probisque actionibus, quo modo *virtutem esse rhetoricam* probat Fabius. *Idem.*

2 Ἀτεχνίαν,] Arist. lib. 6. eth. ἀτεχνίαν arti contrariam esse ait, esseque habitum qui falsa ratione aliquid hoc modo agendum suadeat: qualis fuit in quibusdam rhetoribus, quorum Fab. meminit cap. 12. lib. 2. *Idem.*

1 *Quam*

nominatur, puto (multos enim video, sine ratione, sine literis, qua vel impudentia vel fames duxit, ruentes) aut *malam* quasi *artem* [1] quam κακοτεχνίαν dicimus. Nam & fuisse multos, & esse nonnullos existimo, qui facultatem dicendi ad hominum perniciem converterunt. [2] Μαλθακοτεχνία, quoque est quædam, id est supervacua artis imitatio, quæ nihil sane nec boni nec mali habeat, sed vanum laborem: qualis illius fuit qui grana ciceris ex spatio distante missa, in acum continuo & sine frustratione inserebat: [3] quem cum spectasset Alexander, donasse dicitur ejusdem leguminis modio. Quod quidem præmium fuit illo opere dignissimum. [4] His ergo comparandos existimo, qui in declamationibus, quas esse veritati dissimillimas volunt, ætatem multo studio ac labore consumunt. Verum hæc quam instituere conamur, & cujus imaginem animo concepimus, quæ bono viro convenit, quæque est vera rhetorice, virtus erit. Quod philosophi quidem [5] multis & acutis conclusionibus colligunt: mihi vero etiam planiore ac proprie nostra probatione videtur esse perspicuum. Ab illis hæc dicuntur, Si consonare sibi in faciendis ac non faciendis, virtutis est, quæ pars ejus [6] *prudentia* vocatur, eadem in dicendis

1 *Quam* κακοτεχνίαν *dicimus.*] Sunt hæc tria vitia veris artibus oppositа: quocirca ea Fabius removet à rhetorica. κακοτεχνία fuit, si Platoni credimus, in sophistis. Eadem est in calumniatoribus, prævaricatoribus, quadruplatoribus, rabulis. *Idem.*

2 Μαλθακοτεχνία.] Cum prudentia, sit (ut inquit Cic.) in veri cognitione, eadem præscribit ne in rebus obscuris, nimium difficilibus, non necessariis, nos occupemus, quod est μαλθακοτεχνίας. hoc vitio laborant qui se in nugis sophisticis hodie exercent. *Idem.*

3 *Quem cum spectasset Alexander.*] Hæc chria est, qua Alexander significavit *vanam esse artem ex præmii vanitate.* Idem.

4 *His ego.*] Fabius hos declamatores reprehendit cap. undecimo, ubi statuit declamationes veris causis debere esse quam simillimas. idipsum etiam reprehenditur à Dionysio Halicarnasseo in cap. *de vitiis declamationis.* Idem.

5 *Multis & acutis conclusionibus.*] Appellat Fabius *conclusiones*, argumentationes syllogisticas, quæ propositis duabus propositionibus inferunt complexionem: talia erant consectaria Stoicorum, ut vocat Cicer. lib. 4. de finibus. *Idem.*

6 *Prudentia.*] Est enim in delectu agendorum & non agendorum. Porro virtus omnis constantia quædam est, ut probat Cic. in Tuscul. *Idem.*

1 *Et si*

dicendis ac non dicendis erit. [1] Et si virtutes sunt, ad quas nobis etiam ante quam doceremur, initia quædam ac semina sunt concessa natura, ut ad justitiam, cujus rusticis quoque ac barbaris apparet aliqua imago: nos certe sic esse ab initio formatos, ut possemus orare pro bonis, etiam si non perfecte, tamen ut inessent quædam (ut dixi) semina ejus facultatis, manifestum est. Non eadem autem his natura artibus est, quæ à virtute sunt remotæ. [2] Itaque cum duo sint genera [3] orationis, altera *perpetua*, quæ *rhetorice* dicitur: altera *concisa*, quæ *Dialectice*: quas quidem Zeno adeo conjunxit, ut hanc compressæ in pugnum manus, illam explicitæ diceret similem, etiam [4] disputatrix virtus erit: adeo de hac, quæ speciosior atque apertior est, nihil dubitabitur. Sed plenius hoc idem atque apertius intueri ex ipsis operibus volo. [5] Nam quid orator *in laudando* faciet, nisi honestorum ac turpium peritus? aut *in suadendo*, nisi utilitate proposita & perspecta? aut *in judiciis*, si justitiæ sit ignarus? Quid? non fortitudinem postulat res eadem, cum sæpe contra turbulentas populi minas, sæpe cum periculosa potentium offensa, nonnunquam, [6] ut in judicio Miloniano, inter circunfusa militum arma dicendum sit: ut si virtus non est, ne perfecta quidem esse possit oratio. [7] Quod si ea

1 *Et si virtutes sunt.*] Stoïci & Academici dicebant nobis semina virtutum à natura innata esse, quæ si pateremur adolescere, ipsa natura ad beatam vitam nos perduceret. *Idem.*

2 *Itaque cum duo sint, &c.*] Rodolphus Agricola asserit & perpetuam orationem & concisam esse dialectici & rhetoris, cum etiam rhetores utantur altercationibus: differre tamen putat probabilitate & ornatu dialectici orationem ab oratione rhetoris. *Idem.*

3 *Orationis.*] Vide Cicer. 2. de finib. in Orat. & in Partit.

4 *Disputatrix virtus.*] Fabius cap. 15. eos reprehendebat, qui *rhetoricam* verterent *oratricem*: in quod tamen vitium videtur incidisse, cum dialecticam vertat *disputatricem*. sed hoc obiter factum est, ut potius res exprimeretur latine, quam vera vis nominis redderetur. *Turneb.*

5 *Nam quid orator.*] A locis finalibus trium causarum, *virtutem* probat *rhetoricam*. nam generis demonstrativi finis est *honestas*, suasorii *utilitas*, judicialis *æquitas*. Idem.

6 *Ut in judicio Miloniano.*] Judicio Miloniano Pompejus templa omnia præsidiis munivit, & omnes fori aditus: atque inter arma Ciceroni dicendum fuit. *Idem.*

7 *Quod si ea.*] Hoc argumentum non est satis efficax: constat enim *homony-*

mia.

si ea in quoque animalium est virtus, qua præstat cætera vel pleraque, ut in leone *impetus*, in equo *velocitas*: hominem porro *ratione* atque *oratione* [1] *excellere* cæteris certum est: cur non tam in eloquentia quam in ratione virtutem ejus esse credamus? Rectèque hoc apud Ciceronem disserit Crassus. Est enim *eloquentia una quædam de summis virtutibus*. Est ipse [2] Cicero in sua persona, cum ad Brutum in epistolis, [3] tum aliis etiam locis, virtutem eam appellat. At procœmium aliquando & narrationem dicit malus homo, & argumenta, sic, ut nihil sit in his requirendum. Nam & latro pugnabit acriter, virtus tamen erit fortitudo: & tormenta sine gemitu feret malus servus, tolerantia tamen doloris laude sua non carebit. *Multa fiunt eadem, sed aliter*. Sufficiant igitur hæc, quia de utilitate supra tractavimus.

mia. nam virtus naturalis est potentia in animalibus, in homine vero habitus.

1 *Excellere.*] Aristot. Politicorum 1. cap. 2.

2 *Cicero.*] Cic. 1. de Orat.

3 *Tum aliis etiam locis.*] Ut *in Partitionibus*, ubi dicit comitem esse sapientiæ & ministram rhetoricam, neque eam haberi posse sine scientia morali. *Turneb.*

CAP. XXI.

Quæ sit materia rhetorices.

MAteriam rhetorices quidam dixerunt esse *orationem:* 22
[1] quam sententiam ponit apud Platonem Gorgias. Quæ si ita accipitur ut sermo quacunque de re compositus, dicatur *oratio*, non materia, sed opus est: ut statuarii, *statua*. nam & oratio efficitur arte, sicut statua. [2] Sin hac appellatione verba ipsa significari putamus, nihil hæc sine rerum

MAteria dupliciter dicitur. aut enim est id circa quod cura est & consideratio artium, ut si diceres *orationem rhetorices esse materiam:* est etiam id in quod ars opus suum explicat: quo significatu hic accipi debet. ac certe Fab. colligit materiam rhetorices esse, res omnes ei ad dicendum subjectas. *Turneb.*

1 *Quam sententiam ponit apud Platonem.*] Vide Jan. Gebhard. Crepund. lib. 2. c. 13. p. 90.

2 *Sin hac appellatione.*] Distinguit *Fabius* vocem græcam ambiguam. nam λόγος *orationem* significat & *verbum*. utroque tamen modo falsa est opinio Gorgiæ. *Turneb.*

rum substantia faciunt. Quidam *argumenta persuasibilia:* quæ & ipsa in parte sunt operis, & arte fiunt, & materia egent. Quidam *civiles quæstiones*: quorum opinio non qualitate, sed modo erravit. Est enim hæc materia rhetorices, sed non sola. Quidam, quia virtus sit rhetorice, *materiam ejus totam vitam vocant.* [1] Alii, quia non omnium virtutum materia sit tota vita, sed pleræque earum versentur in partibus, sicut *justitia, fortitudo, continentia*, propriis officiis & suo fine intelliguntur: rhetoricen quoque dicunt in una aliqua parte ponendam: eique locum in ethice [2] *negotialem* assignant, id est, πραγματικόν. Ego (neque id sine auctoribus) materiam esse rhetorices judico, *omnes res quæcunque ei ad dicendum subjectæ erunt.* Nam Socrates apud Platonem dicere [3] Gorgiæ videtur, *non in verbis esse materiam, sed in rebus.* Et in Phædro palam non in judiciis modo & concionibus, sed in rebus etiam privatis ac domesticis rhetoricen esse demonstrat. Quo manifestum est hanc opinionem ipsius Platonis fuisse. Et [4] Cicero quodam loco materiam rhetorices vocat *res quæ subjectæ sunt ei*, sed certas demum putat esse subjectas. Alio vero, de omnibus rebus oratori dicendum arbitratur, his quidem verbis, *Quanquam vis oratoris, professioque ipsa bene dicendi, hoc suscipere ac polliceri videatur, ut omni de re, quæcunque sit proposita, ornate ab eo copioseque dicatur.* Atque adhuc alibi, [5] *Verum enim oratori, quæ sunt in hominum vita (quandoquidem in ea versatur orator, atque ea est ei subjecta materia) omnia quæsita, audita, lecta, disputata, tractata, agitata esse debent.* [6] Hanc autem quam nos *materiam* voca-

1 *Alii, quia non, &c.*] Variæ sunt vitæ rationes, quæ proprias quasdam habent virtutes & peculiares: ut alia virtus est religiosi, alia secularis. dividamus igitur *vitam in monasticam, œconomicam, & politicam:* in parte politices negotiali rhetoricam, cum virtus sit, collocabimus. *Idem.*

2 *Negotialem.*] Partem *negotialem* vocat, quæ circa lites, causas forenses & civiles versatur. *Idem.*

3 *Gorgiæ.*] *In Gorgia.*

4 *Cicero.*] I. De Orat.

5 *Verum enim, &c.*] I. De Orat.

6 *Hanc autem.*] Quosdam obiter refutat, qui materiam hujusmodi propriam esse rhetorices negabant. appellat autem *rhetoricam circumcurrentem*, quia ambitu illius materiæ *Encyclopædiam* complecti videtur, per quæ omnes artes irent. *Turn.*

1 *Et*

vocamus, id est, res subjectas, quidam modo infinitam, modo non propriam rhetorices esse dixerunt: eamque artem *circuncurrentem* vocaverunt, quod in omni materia diceret. Cum quibus mihi minima pugna est. Nam de omni materia dicere eam fatentur: propriam habere materiam, quia multiplicem habeat, negant. Sed neque infinita est, etiam si est multiplex: & aliæ quoque artes minores habent multiplicem materiam, velut *architectonice*. Nanque ea in omnibus quæ sunt ædificio utilia, versatur. [1] Et *cælatura*, quæ auro, argento, ære, ferro, opera efficit. Nam *sculptura* etiam lignum, ebur, marmor, vitrum, gemmas, præterea quæ supra dixi, complectitur. Neque protinus non est materia rhetorices, si in eadem versatur & alius. Nam si quæram quæ sit *materia statuarii*, dicetur *æs*: si quæram quæ sit excusoris, id est, ejus fabricæ quam Græci [2] χαλκουργὸν vocant, similiter *æs* esse respondeant. Atqui plurimum à statuis differunt vasa. Nec medicina ideo non erit ars, quia unctio & exercitatio cum palæstrica, ciborum vero qualitas etiam cum coquorum ei sit arte communis. Quod vero *de bono*, utili, justo differere, philosophiæ officium esse dicunt, non obstat. Nam cum philosophum dicunt, hoc accipi volunt, virum bonum. [3] Cur igitur oratorem, quem à bono viro non separo, in eadem materia versari mirer? cum præsertim primo libro jam ostenderim, philosophos omissam hanc ab oratoribus partem occupasse, quæ rhetorices propria semper fuisset, ut illi potius in nostra materia versentur. Denique cum sit *dialectices materia* de rebus subjectis disputare, sit autem dialectices oratio concisa, cur non eadem perpetuæ quoque materia videatur? Solet à quibus-

1 *Et cælatura.*] *Cælatura* ars est quæ vasa aut suppellectilem ex metallis conflatam per cœlum insculpit. *Turneb. Et cælatura, &c.*] De hac nominum differentia videndus Joh. Brodæus Miscell. lib. 6. cap. 30. pag. 568. Lamp. Critic. part. 2.

2 Χαλκουργὸν vocat.] Χαλκουργὸν Græcis plerunque significat *artem ferrariam*: nam æris nomine ferrum quoque appellant. Est etiam *excusoria*, quæ ex ære vel per conflationem vel per fabricam vasa conficit. *Turneb.*

3 *Cur igitur.*] In procœmio lib. 1.

quibuſdam & illud poni, *Omnium igitur artium peritus erit orator, ſi de omnibus ei dicendum eſt.* [1]Poſſem hîc Ciceronis reſpondere verbis, apud quem hoc invenio, *Mea quidem ſententia nemo eſſe poterit omni laude cumulatus orator, niſi erit omnium rerum magnarum atque artium ſcientiam conſecutus:* ſed mihi ſatis eſt ejus eſſe oratorem rei de qua dicet non inſcium. Neque enim omnes cauſſas novit, & debet poſſe de omnibus dicere. De quibus ergo dicet? de quibus didicit. Similiter de artibus quoque, de quibus dicendum erit, interim diſcet: & de quibus didicerit, dicet. Quid ergo? non aut faber de fabrica melius, aut de muſice muſicus? Si neſciat orator quid ſit de quo quæritur, plane melius. Nam & litigator ruſticus illiteratuſque de cauſſa ſua melius quam orator qui neſcit quid in lite ſit, dicet: ſed accepta à muſico, à fabro, ſicut à litigatore, melius orator quam ipſe qui docuerit. Verum & *faber* cum *de fabrica*, & *muſicus* cum *de muſica*, ſiquid confirmationem deſideraverit, dicet: non erit quidem orator, ſed faciet illud quaſi orator: ſicut cum vulnus imperitus deligabit, non erit medicus, ſed faciet ut medicus. An hujuſmodi res nec in laudem, nec in deliberationem, nec in judicium veniunt? Ergo cum de faciendo [2]portu Hoſtienſi deliberatum eſt, non debuit dicere ſententiam orator? Atqui opus erat ratione architectorum. Livores & tumores in corpore, [3]crudelitatis an veneni ſigna ſint, non tractat orator? At eſt id ex ratione medicinæ. [4]Circa menſuras & numeros non verſabitur? Dicamus has

1 *Poſſem hic Ciceronis, &c.*] Nonnihil ex ſuperioris materiæ ambitu conſtringit, quod Ciceronis imitatione facit: qui cum res omnes oratori ſubjeciſſet, permiſit ut ſiquis vellet, aliquid circuncideret & amputaret ex infinita materia. *Turneb. Cicero.*] De orat. 1.

2 *Portu Hoſtienſi.*] Julius Cæſar de conſtruendo Hoſtiæ portu ſæpe deliberavit, ſed magnitudine operis eſt deterritus. Claudius demum Cæſar jactis magnis molibus, & ſubmerſa maxima navi ad fundamenta jacienda, illic pulcherrimum portum extruxit. *Turnebus. Portu.*] Illum facere diſtinaverat Jul. Cæſ. perfecit Claud. Imper.

3 *Cruditatis an veneni ſigna.*] Cic. in oratione pro Cluentio hunc locum tractavit. eſt autem *cruditas, concoquendi debilitas.* Turneb.

4 *Circa menſuras.*] Socrates in Gorgia ſe irriſum fuiſſe dicit, quod ſuffragiorum calculos numerare non potuerit. hac de re egit Fab. in cap. de geometria. *Idem.*

1 *Gor-*

has Geometriæ esse partes. Equidem omnia fere posse credo casu aliquo venire in officium oratoris: quod si non accidet, non erunt ei subjecta. Ita sic quoque recte diximus *materiam rhetorices esse omnes res ad dicendum ei subjectas*, quod quidem probat etiam sermo communis. Nam cum aliquid de quo dicamus accepimus, positam nobis esse materiam frequenter etiam præfatione testamur. [1] Gorgias quidem adeo rhetori de omnibus putavit esse dicendum, ut se in auditoriis interrogari pateretur, qua quisque de re vellet. [2] Hermagoras quoque dicendo materiam esse in caussa & in quæstionibus, omnes res subjectas erat complexus. Sed quæstiones si negat ad rhetoricen pertinere, dissentit à nobis: si autem ad rhetoricen pertinent, ab hoc quoque adjuvamur. Nihil est enim quod non in caussam aut quæstionem cadat. [3] Aristoteles tres faciendo partes orationis, *judicialem*, *deliberativam*, *demonstrativam*, pene & ipse oratori subjecit omnia. nihil enim non in hæc cadit. Quæsitum à pauciſſimis etiam de instrumento est. *Instrumentum voco, sine quo formari materia, & in id quod velimus effici opus non possit.* Verum hoc ego non artem credo egere, sed artificem. Neque enim scientia desiderat instrumentum, quæ potest esse consummata, etiam si nihil faciat: sed ille opifex, ut cælator cælum, & pictor penicilla. [4] Itaque hæc in eum locum quo *de oratore* dicturi sumus, differamus.

1 *Gorgias.*] Cic. 1. & 3. de Orator. item de finibus.

2 *Hermagoras.*] Cujus sententiam citat lib. primo de Invent. Cic. & tamen arguit. *Turneb.*

3 *Aristoteles.*] In rhetoricis ad Alexandrum & ad Theodecten: adeoque ferunt eum hujus divisionis esse inventorem. *Idem.*

4 *Itaque hæc.*] Instrumenta sunt oratoris, *lingua expedita, apta pronunciatio, optima latera:* de quibus aget Fab. libro undecimo & duodecimo. *Idem.*

M. Fab. Quintiliani De Institutione Oratoria Liber Tertius.

Cap. I.

De scriptoribus artis rhetoricæ.

1 Quoniam in libro secundo quæsitum est quid esset *Rhetorice*, & quis *finis* ejus: *artem* quoque eam esse, & utilem, *& virtutem*, ut vires nostræ tulerunt, ostendimus: *materiamque* ei res omnes de quibus dicere oporteret, subjecimus: [2] jam hinc, unde cœperit, quibus constet, quo quæque in ea modo invenienda atque tractanda sint, exequar: [3] intra quem modum plerique scriptores artium constiterunt, adeo ut Apollodorus contentus solis judicialibus fuerit. [4] Nec sum ignarus, hoc à me præcipue quod hic liber inchoat opus, studiosos ejus desideraſſe, ut inquisitione opinionum,

Deinceps veram artem aggreditur, & quemadmodum præcipiunt, primum *de origine* agit, & post notionem finis (quem posuit l. 2.) artem in partes tribuit: deinde *materiam* quam delinearat verius quam expresserat lib. 2. hîc fusius explicat: mox à generali tractatu ad specialem descendit, ac *genus demonstrativum* describit, *deliberativum*, & *judiciale*, cui sequentes quatuor libri subserviunt. *Turneb.*

1 *Quoniam in libro secundo.*] Huc pertinet hæc anacephalæosis, ut auditorum & lectorum memoria renovetur, & sequentia prioribus adnectantur, more transitionis. *Idem.*

2 *Jam hinc, unde cœperit, &c.*] Respexit ad generalem præfationis primi libri divisionem. se enim quinque his libris pollicitus est dicturum de *inventione*, in cujus partes veniret *dispositio*: quatuor sequentibus *de elocutione*, cui subjicitur *memoria* & *pronunciatio*. *Idem.*

3 *Intra quem modum.*] Commendat institutum suum, quod uberius *de rhetorica* tractarit quam cæteri: qui cum artem scriberent, *inventione dispositionis* atque *elocutionis* partibus contenti fuerunt. Angustius vero etiam tractavit Apollodorus quam cæteri, qui partes eas in *judicialibus* duntaxat causis sit executus, omisso *demonstrativo* genere & *deliberativo*. Idem.

4 *Nec sum ignarus.*] *Procatascene* est ad sequentium præmunitionem: quæ quanquam utilitatem sunt habitura, tamen voluptati non sunt futura: nos autem plerunque studiorum voluptatem sequimur. *Idem.*

nionum, quæ diversissimæ fuerunt, longè difficillimum, ita nescio an minime legentibus futurum voluptati: quippe quod prope nudam præceptorum traditionem desideret. In cæteris enim admiscere tentavimus, aliquid nitoris, non jactandi ingenii gratia (namque in id eligi materia poterat uberior) sed ut hoc ipso alliceremus magis juventutem ad cognitionem eorum quæ necessaria studiis arbitramur, si ducti jucunditate aliqua lectionis, libentius discerent ea, quorum ne jejuna atque arida traditio averteret animos, [1] & aures præsertim tam delicatas raderet, verebamur. [2] qua ratione se Lucretius dicit præcepta philosophiæ carmine esse complexum: nanque hac, ut est notum, similitudine utitur:

[3] *Ac veluti pueris absinthia tetra medentes*
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Aspirant mellis dulci flavoque liquore, [4] & quæ sequuntur. [5] Sed nos veremur ne parum hic liber mellis, & absinthii multum habere videatur, sitque salubrior studiis quam dulcior. Quin etiam hoc timeo, ne ex eo minorem gratiam ineat, quod pleraque non inventa per me, sed ab aliis tradita, continebit: habeat etiam quosdam qui contra sentiant & adversentur, propterea quod plurimi auctores quanvis eodem tenderent, [6] diversas tamen vias munierunt, atque in

1 *Et aures præsertim tam delic. raderet.*] Imitatus videtur illud ex Satyr. 1 Persii: *teneras mordaci radere vero Auriculas.* Pith.

2 *Qua se ratione Lucretius.*] Authoritas Lucretii non tam ad *confirmationem* quam ad *exornationem* additur. Scribit porro Lucretius se philosophiæ præcepta, Romanis incognita & subamara, suavitate carminis condire. *Absinthium* herba est insigni amaritie prædita, sed eadem tamen est salubris. Foliis est incanis, multipliciter fissis: vulgo *aluinam* dicimus ejus speciem, quam appellant, *absinthium ponticum.* Turneb.

3 *Ac velut, &c.*] Versus hi Lucretiani exstant l. 1. ℣ 93. &c. & l. 4. ℣ 11. & seqq. Videatur & Goldastus in notis suis ad Columbanum p. 155. &c. & Rittersh. Comment. ad LXXIII. de reg. Jur. p. 18.

4 *Et quæ sequuntur.*] Ita ego, inquit Lucretius, philosophiæ austeritatem volui carminis lepôre condire, ne tu ô Memmi ab ea abhorreres. *Turneb.*

5 *Sed nos veremur, &c.*] Opportunè capta occasione ex versibus Lucretianis, verborum intellectum in allegoriam detorsit. per *absinthium* autem significavit *molestiam*, sed tamen salubrem. nam hæc herba saluberrima est, ejusque succum victor latinis feriis bibebat sanitatis argumentum. *Idem.*

6 *Diversas tamen vias munierunt.*]

in ſuam quiſque induxit ſequentes. Illi autem probant qualecunque ingreſſi ſunt iter: nec facile inculcatas pueris perſuaſiones mutaveris, quia *nemo non didiciſſe mavult, quam diſcere.* Eſt autem, ut procedente libro patebit, infinita diſſenſio auctorum, primo ad ea quæ rudia atque imperfecta adhuc erant, adjicientibus quod inveniſſent ſcriptoribus: mox, [1] ut aliquid ſui viderentur afferre, etiam recta mutantibus. [2] Nam primus poſt eos [3] quos poëtæ tradiderunt, moviſſe aliqua circa rhetoricen [4] Empedocles dicitur. Artium autem ſcriptores antiquiſſimi, [5] Corax & Tiſias Siculi: quos inſecutus eſt vir ejuſdem inſulæ [6] Gorgias Leontinus, Empedoclis (ut traditur) diſcipulus. Is beneficio longiſſimæ ætatis (nam centum & novem vixit annos) [7] cum multis ſimul floruit: ideoque & illorum de quibus ſupra dixi, fuit æmulus, & ultra Socratem uſque duravit. [8] Thraſymachus [9] Chalcedonius cum hoc, & [10] Prodicus Cejus,

Non aliter quam in philoſophia diverſæ ſunt ſectæ, ita quoque diverſæ fuerunt in rhetorica. hinc nonnulli *Apollodorei* appellati ſunt, nonnulli *Theodorei*. Idem.

1 *Ut aliquid ſui viderentur afferre.*] Eraſmus lib. 2. Eccleſiaſtæ, maximam ait doctrinarum eſſe labem, cum pleraque ſcribuntur ad ingenii magis oſtentationem quam ad uſum accommoda, potiſſimum hac in parte & rhetorices traditione. *Idem.*

2 *Nam primus poſt.*] Auctorum tum Græcorum, tum Latinorum elenchus docet, quo pacto ſenſim *rhetorica* in artem ſit redacta. hic quoque oſtendit Fabius mirum ingenii ſui candorem, qui eos nominet per quos profecerit: ac indicat quoque ſe poſt eos *de rhetorica* ſcribere poſſe. *Idem.*

3 *Quos poëtæ tradiderunt.*] Ut erant *Neſtor, Ulyſſes, Phœnix*, qui Achillis præceptor erat & agendi & loquendi optimus: & quos facit in cælatura clypei Achillis de eloquentia certantes Homerus. *Idem.*

4 *Empedocles.*] *Agrigentinus*, Parmenidis auditor: & qui (ut ait Ariſtotel.) πρῶτ' ἐρε τὼ ῥητορικήν. *Idem.*

5 *Corax & Tiſias.*] Primus *Corax* & ejus diſcipulus *Tiſias* præcepta ſcripſerunt de exordio, narratione, cæteriſque partibus: quæ tamen erant aliquanto impolitiora. Vide Cicer. in lib. de clar. orat. *Idem.*

6 *Gorgias Leontinus.*] A *Leontio* Siciliæ oppido. Hunc Philoſtratus ait veteris ſophiſticæ inventorem fuiſſe, primumque extemporali facultate eſſe uſum, cum fama *Prodici* moveretur. de hoc fuſius vide apud Cic. *Idem.*

7 *Cum multis.*] Quos Plato in Gorgia enumerat. *Idem.*

8 *Thraſymachus.*] Philoſtratus *Thraſymachum* negat annumerandum eſſe ſophiſtis: quod ex Platone probat. fuit autem ex Chalcedone Aſiæ urbe, oppoſita Conſtantinopoli. hujus fuſiſſime meminit *Plato* in Phædro, Gorgia, & alibi. *Idem.*

9 *Chalcedonius.*] Vide Gellium lib. 5. cap. 10.

10 *Prodicus Cejus.*] Hujus meminerunt *Plato*,

jus, & Abderites [1] Protagoras, à quo [2] decem millibus denariorum didiciſſe artem quam edidit, [3] Euathlus dicitur: & [4] Hippias Eleus, & quem *Palamedem* Plato appellat, [5] Alcidamus Eleates. [6] Antiphon quoque & orationem primus omnium ſcripſit, & nihilominus artem ipſe compoſuit, & pro ſe dixiſſe optime eſt creditus: etiam [7] Polycrates, à quo ſcriptam in Socratem diximus orationem: & [8] Theodorus Byzantius, ex iis & ipſe quos [9] Plato appellat [10] λογοδαιδάλους. Horum, primi [11] communes locos tractaſſe dicuntur, Protagoras, Gorgias, Prodicus, & Thraſymachus. [12] Cicero in Bruto negat ante Periclem ſcriptum quicquam

Plato, Cicero, Philoſtratus, Suidas, ab inſula Jovis quæ κέως, à qua gentile κεῖος. diſcipulus hic fuit Protagoræ, & ob corruptam inſtitutionem Athenis cicutam bibere coactus eſt. *Turneb.*

1 *Protagoras Abderites.*] Ab *Abdera* Thraciæ urbe, cujus copioſe meminit Plato, & Cic. 1. de orat. *Idem. Protagoras, Euathlus.*] Vide Agellium lib. 5. c. 3. & 10. Moſellan. p. 122. & Joh. Baptiſt. Pium Annotat. cap. 83. p. 482. Lamp. Critic. part. 1.

2 *Decem millibus denariorum.*] Philoſtratus refert *Protagoram* primum mercede artem docere cœpiſſe. Porro *denarius* valet quaternos caroleos & binos turonicos. hæc igitur ſumma efficit mille aureos coronatos. Vide Gellium lib. 2. c. 17. & Apuleium Floridorum 2. *Turneb.*

3 *Euathlus dicitur, &c.*] Vide Joh. Bapt. Pii Annotat. poſter. cap. 73.

4 *Hippias Eleus.*] Ab *Elide* Peloponneſi urbe, cujus gentile *Eleus*. Hic, ut ait Philoſtratus, rhetor fuit & philoſophus, ſermonibuſque ſuis admiſcuit *geometriam, muſicam, aſtrologiam*, cæteraſque artes. hujus meminit Plato in Phædro & Protagora. *Turneb.*

5 *Alcidamas Eleates.*] Ab *Elea* urbe Aſiæ, quem Plato vocat *Palamedem* in Phædro. *Idem.*

6 *Antiphon.*] *Rhamnuſius* nobilis & doctus, Periclis & Socratis Thucydidiſque præceptor, ut ait *Plato in Menexemo.* Meminit hujus & *Cicero* in Bruto. hunc primum ſcribit orationem ſcripſiſſe, vel quod ſuperiores ſophiſtæ locos duntaxat illuſtres de virtutibus & vitiis erant complexi, vel quod hic primus orationem *judicialem* ſcripſit, cum Gorgias verſatus eſſet *in demonſtrativo* duntaxat genere. *Idem.*

7 *Polycrates.*] *Polycrates Athenienſis* ob paupertatem coactus eſt ſophiſticam exercere in Cypro. ſcripſit, ut lib. 2. ait Fab. laudem *Buſiridis & Clytæmneſtræ*, & in Socratem delatoriam orationem. Quem *in laude Buſiridis* reprehendit Iſocrates. *Idem.*

8 *Theodorus Byzantius.*] Hic artem ſcripſit, quam ut jejunam & aridam exagitat *Plato* in Phædro. *Idem.*

9 *Plato.*] Lib. 2. cap. 17. in Phædro & Cicer. in Orat.

10 Λογοδαιδάλους.] Plato in Phædro ita *ſophiſtas* appellat, quod orationem nimis picturarent & expolirent, & quædam verſiculis ſimilia ſcriberent. ductum eſt à *Dædalo*, à quo quicquid eſt elaboratum & affabre factum, Dædalæum appellatur. *Idem.*

11 *Communes locos.*] Id eſt, illuſtres *de vitiis & virtutibus* diſputationes: ut teſtatur Cic. in Bruto, & Ariſt. in fine elenchorum: quod eis vitio dat. *Idem.*

12 *Cic. in Bruto.*] Item & ad *Q. fratrem* ait antiquiſſimos eſſe quorum ex-

quam quod ornatum oratorium habeat: ejus aliqua ferri. Equidem non reperio quicquam tanta eloquentiæ fama dignum: ideoque minus miror esse qui nihil ab eo scriptum putent: hæc autem quæ feruntur, ab aliis esse composita. His successere multi, sed clarissimus Gorgiæ auditorum, [1] Isocrates, quanquam de præceptore ejus inter auctores non convenit. nos autem Aristoteli credimus. [2] Hinc velut diversæ secari cœperunt viæ. Nam & Isocratis præstantissimi discipuli fuerunt in omni studiorum genere: eoque jam seniore (octavum enim & nonagesimum implevit annum) [3] pomeridianis scholis Aristoteles præcipere artem oratoriam cœpit, noto quidem illo (ut traditur) versu [4] ex Philocteta frequenter usus,

Αἰσχρὸν σιωπᾷν μὲν, καὶ Ἰσοκράτην ἐᾷν λέγειν.

Turpe esse tacere, & Isocratem pati dicere.

Ars est utriusque, sed pluribus eam libris [5] Aristoteles com-

tent opera, *Periclem* & *Alcibiadem*. Quanquam Fab. à Cicerone dissentiat, hac potissimum ratione, quod non habeant ea fulmina quæ illi etiam cum reprehendunt, tribuunt priscæ Comœdiæ auctores *Eupolis* & *Aristophanes*, quorum ille impressos aculeos reliquisse dicit: hic, totam Græciam miscuisse fulminando. *Idem.*

1 *Isocrates.*] De quo sic Dionysius, ἐγένετο δ' ἀκουστὴς προδικοῦ τοῦ κείου καὶ γοργίου τοῦ λεοντίνου, καὶ τισίου συρακουσίου, ὡς ἤ τινες ἱστοροῦσι καὶ θεραμένους τοῦ ῥήτορος. Unde colligas non omnes de præceptore ejus consentire, eademque tradere. *Aristoteles*, qui cum hoc vixit, Gorgiæ discipulum facit, ideoque tutius in ejus ire sententiam. annos vixit 98. secundum Dionysium, & Philostratum. Cic. in dubium relinquit, prope centum vixisse scribens, in Bruto. *Idem.*

2 *Hinc velut diversæ, &c.*] Nam alii secuti sunt hæresin *Isocratis*, alii hæresin *Arist.* qui de rhetorica etiam scripsit. Id quod elegantissime Cic. 3. de orat. enarrat. *Idem.*

3 *Pomeridianis scholis.*] Aristotel. ἀκροαματικὰ, id est auscultatoria mane docebat: ἐξωτηρικὰ vero, id est externa, pomeridiano tempore. hoc eleganter Cicero tertio de Oratore fusius enarrat. *Scholas* autem dicit dissertationes, disputationes, & præceptiones. *scholas* enim Græci proprie dicunt, non tam ludum literarium quam disputationes, prælectionesque, & id genus alia, ut ex 1. Tuscul. Cicer. manifestum est. *Idem.*

4 *Ex Philocteta.*] Annotant hunc versum *in Philocteta* esse Sophoclis, cum illic nusquam reperiatur. Porro in illa tragœdia ait Philoctetes *sibi turpe esse tacere, cum barbari loquantur.* Qui versus παρῳδικῶς & ex alio sensu in hunc deflexus est, paucis immutatis: αἰσχρὸν σιωπᾷν μὲν, καὶ Ἰσοκράτην ἐᾷν λέγειν. Quem vertisse Fabium non putarim. *Idem.*

5 *Aristoteles.*] Tres libros scripsit *de Rhetorica*, item ad Alexandrum, & Gryllum. *Idem.*

1 *Comple-*

[1] complexus est. Eodem tempore Theodectes fuit, de cujus opere supra dictum est. [2] Theophrastus quoque Aristotelis discipulus de *rhetorice* diligenter scripsit: atque hinc vel studiosius philosophi quam rhetores, præcipueque [3] Stoicorum ac [4] Peripateticorum principes. Fecit deinde velut propriam [5] Hermagoras viam, quam plurimi sunt secuti: cui maxime par atque æmulus videtur [6] Athenæus fuisse. Multa post [7] Apollonius Molon, multa [8] Areus, multa [9] Cæcilius & Halicarnasseus Dionysius. Præcipue tamen in se converterunt studia [10] Apollodorus Pergamenus, qui præceptor Apolloniæ Cæsaris Augusti fuit: & [11] Theodorus Gadareus, qui se dici maluit Rhodium: quem studiose audisse, cum in eam insulam secessisset, dicitur Tiberius Cæsar.

1 *Complexus.*] Lib. 2. cap. 15.

2 *Theophrastus.*] Qui auctore Laërt. περὶ τῆς ῥητορικῆς α, καὶ περὶ τῶν τεχνῶν ῥητορικῶν εἴδη ια, scripsit. hunc nonnunquam etiam in rhetoricis præceptis citat Dionysius Halicarnasseus. *Turneb.*

3 *Stoïcorum.*] Ut Chrysippus, Cleanthes, Zeno, Diogenes. *Idem.*

4 *Peripateticorum.*] Aristoteles, Theophrastus, Demetrius Phalereus, cujus nomine circunfertur hodie libellus *de interpretatione oratoria*, sed nescio an tanto viro dignus. *Idem.*

5 *Hermagoras.*] Hic *Hermagoras* est senior, cujus præcepta imitatus est Cicero in libro *de Inventione.* Turnebus.

6 *Athenæus.*] Hic Athenæus Peripateticus fuit philosophus, qui Romæ tempore Augusti vixit, & *cum Muræna in Augustum conjuravit:* postea collapsu ædium interfectus est. vide Strabonem libro 14.

7 *Apollonius Molon.*] Cui se Cicero recoquendum dedit. Meminit hujus Cic. multis locis. *Idem. Apollonius Molon.*] Sueton. in Cæsarib. lib. XI. cap. 6. At Strabo lib. XIV. duos *Apollonios* facere videtur, *Mollem* & *Molonem.* Et *Mollem* quidem sive μαλακὸν Alabandensem: unde Cicero ipse doctorem suum oriundum fuisse testatur, non *Molonem.* Pithœus.

8 *Areus.*] Hujus miminit *Fabius* libro 2. *Turneb.*

9 *Cæcilius.*] *Cæcilius* ex Calantide fuit urbe, vixit tempore Augusti Cæsaris, Romæque rhetoricam professus est. eum citat aliquoties *Dionysius Halicarnassius.* prius Δεκάλογος dictus, sed nomen Romanum assumpsit. *Idem. Cæcilius.*] Hic est Cæcilius Rhetor Siculus, qui Romæ floruit, æqualis & amicus Dionys. Halicarnasseo. Vide Casauboni Animadv. in Athenæum lib. 6. cap. 21.

10 *Apollodorus Pergamenus.*] *A Pergamis* Phrygiæ. *Idem. Apollodorus Pergamenus.*] Vide Strabonem lib. 17.

11 *Theodorus Gadareus.*] *A Gadara* Syriæ urbe. *Turn. Theodorus Gadareus.*] Dictus *Gadareus*, à *Gadaribus*, civitate Syriæ, quam Judæi sibi vendicarunt. De hoc Theodoro intellexit Juvenalis illo versu: *Artem scindens Theodori.* Philipp. Beroald. Annotat. p. 240. Lamp. Critic. Part. 1. Stephanus *Gadarenus* legendum censet, à *Gadara* civitate Palæstinæ. *Pareus.*

Cæsar. [1] Hi diversas opiniones tradiderunt, appellatique inde *Apollodorei* & *Theodorei*, ad morem certas in philosophia sectas sequendi. Sed Apollodori præcepta magis ex discipulis cognoscas: quorum diligentissimus in tradendo Latine fuit C. Valgius, Græce [2] Atticus. Nam ipsius sola videtur ars edita [3] ad Matium, quia cæteras missa ad Domitium epistola non agnoscit. Plura scripsit Theodorus, cujus auditorem [4] Hermagoram sunt qui viderint. Romanorum primus (quantum ego quidem sciam) condidit aliqua in hac materia. M. Cato ille Censorius, post [5] M. Antonius inchoavit. Nam hoc solum opus ejus, atque id ipsum imperfectum manet. Secuti minus celebres, quorum memoriam si quo loco res poscet, non omittam. Præcipuum vero lumen sicut eloquentiæ, ita præceptis quoque ejus dedit unicum apud nos specimen orandi, docendique, oratorias artes, M. Tullius: post quem tacere modestissimum foret, nisi & rhetoricos suos ipse adolescenti [6] sibi elapsos diceret, & in oratoriis [7] hæc minora, quæ plerique desiderant, sciens

1 *Hi diversas.*] Apollodorus pauca scripsit *de rhetorica*, quanquam sub ejus nomine nonnulli ferebantur libri. ejus igitur placita, discipuli literis mandarunt. Hujus Valgii meminit *Macrobius* in Satur. & Fabius 5. cap. lib. 3. Male *Evalgius* legit Sabellicus. *Turneb.*

2 *Atticus.*] Hujus meminit *Suidas*, & *rhetorem* vocat. *Idem.*

3 *Ad Matium.*] Eam artem ad Matium Latine interpretatus est *Valgius.* Idem.

4 *Hermagoram.*] Hic alter est *Hermagoras* junior, qui sub Augusto floruit, cum Cæcilio rhetore, diuque postea (ut dicit *Suidas*) vixit. quocirca nonnulli senes tempore Fabii superstites eum videre potuerant. *Idem. Hermagoram.*] Aper in *Dialogo de Oratorib.* Hermagoræ & Apollodori libros aridissimos vocat. Videtur Fabius hoc loco duos *Hermagoras* facere: priorem, qui velut propriam sibi viam in arte fecit, cui postponit *Apollonium*: & alterum Theodori Gadaræi discipulum, de quo Suidæ locus accipiendus; qui eum sub Augusto vixisse scribit. Sane eum cujus in Oratore Cic. meminit antiquiorem fuisse verosimilius est. Vide infra lib. 7. cap. 5. 75. 36. Strabon. lib. XIII. *Pithœus.*

5 *M. Antonius.*] Antonius orator exilem, ut *Cicero* inquit, libellum de arte dicendi scripsit: quem librum Antonius sibi excidisse dicit. *Turneb.*

6 *Sibi elapsos diceret.*] Cicero libro primo *de Oratore*, suos rhetoricos appellat rudes & impolitos commentarios. venuste autem dicit, *eos sibi elapsos*, ducta metaphora ab his quæ nobis imprudentibus excidunt, & ad manus hominum veniunt. *Idem.*

7 *Hæc minora.*] Cicero in epistola ad Lentulum ait, in libro de Oratore se abhorruisse à communi præceptorum ratione, & Aristotelica ac Isocratica se complexum esse. *Idem.*

1 *Corni-*

sciens omisisset. Scripsit de eadem materia non pauca [1] Cornificius, aliqua Stertinius, nonnihil [2] pater Gallio: accurate vero priores Gallione Celsus & Lenas, & ætatis nostræ [3] Virginius, [4] Plinius, [5] Rutilius. [6] Sunt & hodie clari ejusdem operis auctores: qui si omnia complexi forent, consuluissent labori meo: sed parco nominibus viventium, [7] veniet eorum laudi suum tempus: *ad posteros enim virtus durabit, non perveniet invidia.* Non tamen post tot ac tantos auctores pigebit meam quibusdam locis posuisse sententiam. [8] Neque enim me cujusquam sectæ, velut quadam superstitione imbutus, addixi: & electuris quæ volent facienda copia fuit, sicut ipse plurium in unum confero inventa, ubicunque ingenio non erit locus, curæ testimonium meruisse contentus.

CAP.

1 *Cornificius.*] Cornificii oratoris meminit *Cicero lib.* 12. *epist. famil.* Hic est qui scripsit *rhetoricam ad Herennium*, ut apparet ex Fabio, ubi agit *de traductione, gradatione, & licentia*, & aliis quoque locis. *Idem.*

2 *Pater Gallio.*] Cornelius Tacitus *Gallionem oratorem* numerat, cujus tinnitum taxat. idem *de rhetorica* scripsit. fuit & ejus filius orator. *Idem.*

3 *Virginius.*] *Virginium* deinceps crebro citabit Fabius. hic autem periit sub Trajano, quo tempore nonnulli editum à Fabio hoc opus ajunt. *Idem.*

4 *Plinius.*] Qui reliquit 36. libros in sex libros divisos & contractos propter amplitudinem, in quibus oratorem ab incunabulis instituit & perfecit. *Idem.*

5 *Rutilius.*] Hunc sæpe in figuris citat *Fabius*, ejusque ad nos *de schematibus* libellus pervenit. *Idem.*

6 *Sunt & hodie.*] Valla hoc *de Aquila Romano* intelligendum esse putat. Alii *de Plinio* juniore hæc intelligunt, aut *de Tacito*, qui dialogum de Oratore composuit. *Idem.*

7 *Veniet eorum laudi suum tempus.*] *Post cineres enim*, ait poëta, *gloria certa venit:* &, *Majus ab extincto nomen in ora venit.* Idem.

8 *Neque enim me.*] Cicero docet nihil tam contrarium esse & adversum veritati inveniendæ, quam certam opinionem & sectam sectari. quocirca commendat Academicos, qui hac superstitione liberati, de rebus libere judicabant & disceptabant. *Idem.*

Ea quæ

Cap. II.

Quod initium Rhetorices.

2 Nec diu nos moretur quæstio, quæ *rhetorices* origo sit. Nam cui dubium est, quin sermonem ab ipsa rerum natura geniti protinus homines acceperint? (quod certe principium est ejus rei) huic studium & [1] incrementum dederit *utilitas*, summam *ratio* & *exercitatio*? [2] Nec video quare curam dicendi putent quidam inde cœpisse, quod ii qui in discrimen aliquod vocabantur, accuratius loqui defendendi sui gratia instituerint. Hæc enim ut honestior caussa, ita non utique prior est: cum præsertim *accusatio* præcedat *defensionem*: nisi quis dicit etiam gladium fabricatum ab eo prius qui ferrum in tutelam sui, quam qui in perniciem alterius comparavit. *Initium* ergo *dicendi dedit natura: initium artis, observatio.* Homines enim sicut in medicina cum viderent alia salubria, alia insalubria, ex observatione eorum effecerunt artem: ita cum in dicendo alia utilia, alia inutilia deprehenderent, notarunt ea ad imitandum vitandumque, & quædam [3] secundum rationem eorum [4] adjecerunt ipsi quoque: hæc confirmata sunt usu: tum quæ sciebat quisque, docuit.

Cicero

EA quæ solet ars consummare, initium ducunt *à natura*, ut rhetorice *à sermone naturali*, cujus facultas à sermone fluxit, deinde *cura* & *studio* amplificata est. ars vero ex observatione (quam *rationem* Fabius vocat) & *experientia*: demum *exercitatione* est amplificata & consummata. Aliam affert originem Aristides in defensione eloquentiæ contra Platonem, sed nostro proposito non convenientem, à Jove per Mercurium rhetoricam hominibus esse datam. *Turneb.*

1 *Incrementum dederit utilitas.*] *Utilitas* quæ comparatur ex causarum actione, fecit ut homines studiosius loquerentur. jam studium peperit *rationem* & *observationem*, à qua manat ars, cui addita *exercitatio* omnia consummavit, quæ ab aliis *usus* dicitur, optimusque loquendi artifex, dicendique magister. *Idem.*

2 *Nec video.*] Confutat eorum opinionem qui existimarunt *dicendi curam* & *eloquentiam* ab iis prius sumpsisse initium, qui accusati sui tutandi gratia accuratius loquerentur. quod similitudine subjecta comprobat. *Idem.*

3 *Secundum rationem.*] Κατὰ τὸν ἀναλογίαν.

4 *Adjecerunt ipsi quoque.*] Cicero quoque testatur, non *eloquentiam* ex artificio, sed *artificium* ex eloquentia ortum esse, cum ea quidam observarent quæ diserti homines in causis facerent. *Turneb.*

[1] Cicero quidem initium orandi conditoribus urbium ac legum latoribus dedit: in quibus fuisse vim dicendi necesse est: cur tamen hanc primam originem putent, non video, cum sint adhuc quædam vagæ & sine urbibus ac sine legibus gentes, & tamen qui sunt in his nati, & legationibus fungantur, & accusent aliqua ac defendant, & denique alium alio melius loqui credant.

1 *Cicero quidem.*] Hic Cicero non tam anxie tribuit legum & urbium conditoribus *eloquentiæ* originem, quam per eam leges urbesque conditas esse vult. quod ad eloquentiæ laudem non parum videbat pertinere. *Idem. Cicero quidem.*] In prologo rhetoricorum veterum.

CAP. III.

Quinque esse partes Rhetoricæ.

ONNIS autem *orandi ratio*, ut plurimi maximique auctores tradiderunt, *quinque partibus constat, inventione, dispositione, elocutione, memoria, pronuntiatione sive actione*: [1] utroque enim modo dicitur: [2] Omnis vero sermo, quo quidem [3] voluntas aliqua enuntiatur, habeat necesse est & *rem*, & *verba*. [4] Ac si est brevis, & una conclusione finitus, nihil fortasse ultra desideret: at oratio longior plura exigit. Non enim tantum refert, quid, & quomodo dicamus, sed etiam quo loco: opus ergo est *dispositione*. Sed neque omnia quæ res postulat, dicere, neque suo quæque loco poterimus, nisi adjuvante *memoria*. quapropter ea quo-

3

HOC capite secundam propositionis partem exequitur, ac numerum partium asserit quibus constet omnis ratio dicendi. eos qui plures aut pauciores quam quinque ponunt, reprehendit: eos item arguit, *qui rhetorices* opera, & opera *oratorum*, elementaque eloquentiæ esse dicebant. vide Erasm. l. 2. Ecclesiastæ. *Turneb.*

1 *Utroque enim modo.*] *Actio*, à motu corporis: *pronunciatio*, à voce. *Idem.*

2 *Omnis vero sermo.*] *Confirmatio* est partium per methodum compositivam, quæ ab elementis proficiscitur, & tandem omnes componit partes. *Idem.*

3 *Voluntas aliqua enunciatur.*] Hoc dicit propter orationes imperfectas, quæ voluntatem & sensum non aperiunt, ut, *Socrates cum Platone.* Perfectæ vero voluntatem enunciant: ut, *Socrates ambulat.* Idem.

4 *Ac si est brevis.*] Quemadmodum apud dialecticos est enunciatio quæ nomine & verbo constat: ut, *Socrates currit, Voluptas non est summum bonum.* Idem.

1 *Albu-*

ea quoque pars quarta erit. Verum hæc cuncta corrumpit ac propemodum perdit indecora vel voce vel gestu *pronuntiatio*. Huic quoque igitur tribuendus est necessario quintus locus. Nec audiendi quidam, quorum est [1] Albutius, qui treis modo primas esse partes volunt, quia [2] *memoria* atque *actio* natura, non arte contingat: quarum nos præcepta suo loco dabimus: licet Thrasymachus quoque idem *de actione* crediderit. His adjecerunt quidam sextam partem, ita ut inventioni *judicium* subnecterent, quia primum esset *invenire*, deinde *judicare*. Ego porro ne inveniſse quidem credo eum, qui non judicavit. nec enim contraria, communia, stulta, inveniſse dicitur quisquam, sed non vitasse. [3] Et Cicero quidem in Rhetoricis judicium subjecit inventioni: mihi autem adeo tribus primis partibus videtur esse permistum, ([4] nam neque *dispositio* sine eo, neque *elocutio* fuerit) ut *pronuntiationem* quoque vel plurimum ex eo mutuari putem. Quod hoc audacius dixerim, quod in partitionibus oratoriis ad easdem de quibus supra dictum est, quinque pervenit partes. Nam cum dupliciter primum divisisset,

1 *Albutius.*] *Albutius Novariensis* imperante Augusto Romam venit, ac in contubernium Planci est receptus, scholamque Romæ aperuit, & *rhetoricam* illic est professus. meminit hujus Seneca in declamationibus & controversiis. *Idem.*

2 *Memoria atque actio natura.*] Cic. de Orat. *Memoriam* & *actionem* maxime naturales esse putat, *artem* tamen adhiberi. Itaque *duplex* est *memoria*, *naturalis*, & *artificialis*, quam Simonides reperit, constatque locis & imaginibus. Itidem *duplex* est *pronunciatio*, naturalis, & ea quæ artificio comœdi, palæstrici, phonasci nobis accedit. *Idem.*

3 *Et Cicero quidem.*] Id est, sub illo complectitur, ut in *lib.* 1. *de Oratore:* Nam & *invenire* & *judicare* quid dicas, magna illa quidem sunt, tanquam animi instar de corpore: sed propria magis *prudentiæ* quam *eloquentiæ*. Et paulo post, *Judicium* ergo adhibebit: nec inveniet solum quid dicat: sed etiam expendet. Ex quibus apparet *inventionem* & *judicium* tanquam sibi invicem esse subjecta, aut potius in unum corpus coaluisse: ut male sentiant qui hic, *Topicis*, reponant, quod ibi dicat Cicero, omnis ratio diligens differendi duas habet partes, unam *inveniendi*, alteram *judicandi*, &c. cum hic non de numero partium disputet, sed longe aliud agat. Nomine autem *judicii* quid intelligamus, fuse Rodolphus Agricola exponit. *Idem.*

4 *Nam nec dispositio sine eo.*] Quod & Cicero testatur libro primo *de Orat.* de his quinque partibus loquens, ut deberet reperire primum quid diceret, deinde inventa non solum ordine, sed etiam momento quodam atque judicio dispensare atque disponere. *Idem.*

1 *Dion.*]

set, in inventionem atque elocutionem: res ac dispositionem inventioni, verba & pronuntiationem elocutioni dedit: quintamque constituit communem, ac velut custodem omnium, *memoriam*. Idem in oratore, quinque rebus constare eloquentiam dicit: in quibus postea scriptis certior ejus sententia est. Non minus mihi cupidi novitatis alicujus videntur fuisse, qui adjecerunt *ordinem*, cum dispositionem dixissent: quasi aliud sit dipositio, quam rerum ordine quamoptimo collocatio. [1] Dion inventionem modo & dispositionem tradidit, sed utranque duplicem, rerum, ac verborum, ut sit elocutio inventionis, pronuntiatio dispositionis: his quinta pars *memoria* accedat. Theodorei fere inventionem duplicem, *rerum*, atque *elocutionis*, deinde treis cæteras partes. Hermagoras, judicium, partitionem, ordinem, quæque elocutionis sunt, [2] subjicit *œconomiæ*, quæ Græce appellata ex cura rerum domesticarum, & hîc [3] per abusionem posita, nomine Latino caret. [4] Est & circa hoc quæstio, quod memoriam in ordine partium quidam *inventioni*, quidam *dispositioni* subjunxerunt: nobis quartus ejus locus maxime placet. Non enim inventa tantum

1 *Dion.*] *Dion hic est Brusieus*, qui à divina eloquentia *Chrysostomus* est appellatus, idem philosophus & rhetor insignis. vixit fere ætate Fabii, & jam senior à Trajano honoratus est, ut videatur hoc opus editum esse Trajano imperante, non Domitiano. *Idem.*

2 *Subjicit œconomiæ.*] *Oeconomia* domus significat dispensationem, sed per catachresin in oratione & poëmate significat aptam quandam dispositionem & consonam, quæ efficit ut priora cum posterioribus quadrent. Sulpitius tamen Victor *œconomiam* appellat, dispositionem artificialem, *ordinem* vero dispositionem naturalem. *Idem.*

3 *Per abusionem.*] Κατὰ τὴν περὶ ἀλήθειαν.

4 *Est etiam circa.*] Pars est altera totius capitis, qua breviter monet, quo ordine partes hæ sibi succedant. Cicero *in Part.* quintam facit *memoriam*: atque hanc videtur secutus rationem, quod etiam meditemur quo modo decora pronunciatione utamur: sin autem ultimum oratoris officium respiciamus, postrema actio erit *pronunciatio*. atque hanc sequitur rationem *Fabius*, quæ naturalis est. Cicero in aliis libris variat: in *primo de Oratore* nunc quartam nunc ultimam constituit. Et certe si *pronunciatio* est ultima actio, jure postrema erit. Si vero est id quod ad actionem decoram excogitaveris & memoriæ mandaveris, merito præcedet. Itaque mihi videtur aliquid habere quod memoriæ committas, & rursus aliquid in ore & membris, quod sit memoria posterius. Sic *Jacobus Lodoicus* hunc locum ut nos discussit. *Turneb.*

1 *Fecerunt*

tum tenere ut disponamus, nec disposita ut eloquamur, sed etiam verbis formata memoriæ mandare debemus. Hac enim omnia quæcunque in orationem collata sunt, continentur. [1] Fuerunt etiam in hac opinione non pauci, ut has non *Rhetorices* partes esse existimarent, sed opera oratoris: ejus enim esse invenire, disponere, eloqui, & cætera. Quod si accipimus nihil arti relinquemus. Nam *bene dicere est oratoris:* Rhetorice tamen est bene dicendi scientia: vel, ut alii putant, artificis est persuadere: vis autem persuadendi, artis. Ita *invenire* quidem & *disponere*, oratoris: *inventio* autem & *dispositio*, Rhetorices propria videri potest. In eo plures dissenserunt, utrumne hæ partes essent Rhetorices, an ejusdem opera, an (ut Athenæus credit) [2] elementa quæ vocant στοιχεῖα. Sed neque *elementa* recte quis dixerit: alioqui tantum initia erunt, ut mundi vel humor, vel ignis, vel materia, vel corpora insecabilia: nec operum recte nomen accipient, quæ non ab aliis perficiuntur, sed aliud ipsa perficiunt. Partes igitur. Nam cum sit ex his rhetorice, fieri non potest, ut totum ex partibus constet, nisi sint partes totius, ex quibus constet. Videntur autem mihi qui hæc opera dixerunt, eo quoque moti, quod in alia rursus divisione nollent in idem nomen incidere. Partes enim rhetorices esse dicebant *laudativam*, *deliberativam*, *judicialem*. [3] Quæ si partes sunt, materiæ sunt potius quam artis. Nanque

1 *Fuerunt etiam.*] Accedit ad partem tertiam, quæ erat de nomine partium rhetorices, *opera artis*, an *officia*, an *elementa* recte vocentur. hic occurit Fabius prius illato incommodo, deinde ambiguum distinguit, colligit alio & alio intellectu partes & officia dici posse. In hac etiam sententia est *Fortunatianus*, qui partes appellat officii oratoris. possunt autem dupliciter accipi, vel ut rationes sunt quæ *inveniendi* & *disponendi*, &c. præceptiones docent, ac tum artis Partes sunt: vel ut in quodam sunt actu, ac tum sunt *officia oratoris*. Idem.

2 *Elementa.*] *Elementum* rem tantum inchoat, non etiam absolvit, & consummat, cum præsertim sit tanquam quædam materia: at *inventio* & *dispositio* totam conficiunt artem & absolvunt. *Idem.*

3 *Quæ si partes sunt.*] Cum sit rhetoricæ materia, *res* de qua dicere potest, quæ continetur *laudationibus*, *deliberationibus*, *judiciis*, merito sunt hæ partes materiæ, non artis, & circa singulas artem explicat orator, quemadmodum circa materiam statuarius. Nam tota rhetorica

que in his singulis rhetorice tota est, quia & inventionem, & dispositionem, & elocutionem, & memoriam, & pronuntiationem quæcunque earum desiderat. Itaque quidam [1] genera ea tria rhetorices dicere maluerunt: optime autem ii, quos [2] secutus est Cicero, qui genera caussarum.

rhetorica & ejus quinque partes sunt in quaque earum, nec ulla sine his tractari potest. *Idem.*

1 *Genera tria rhetorices.*] Hæc est opinio Arist. libro primo ad Theod. ubi ait, tria esse τῆς ῥητορικῆς εἴδη, hoc est *species* seu *formas*, ut vulgo dicimus Absinthii tria esse genera. ibidem & alibi γένη quoque dicit. quanquam in rhetorica ad Alexandrum *tria genera orationum* appellat, non ut Philelphus transtulit, tria genera civilium causarum. *Idem.*

2 *Secutus est Cicero.*] In Top. Partit. & lib. 1. de Orator. cujus tandem auctoritate hanc comprobatam inscriptionem relinquit. *Idem.*

CAP. IV.

Tria esse genera caussarum.

SED tria an plura sint, ambigitur. Nec dubie prope 4
omnes utique summæ apud antiquos auctoritatis scriptores [1] Aristotelem secuti, qui nomine tantum alio *concionalem* pro deliberativa appellat, hac partitione contenti fuerunt. Verum & tum leviter est tentatum, cum apud Græcos quosdam, tum [2] apud Ciceronem in libris de oratore, & nunc [3] *maximo* temporum nostrorum auctore pro-

pe

Materiam definit lib. 2. quam nunc partitur: positisque variis opinionibus demum concludit tria esse causarum genera. Itaque initium sumit ab explicatione quæstionis, quasi post nominis dissectionem sola numeri restaret contentio. *Turneb.*

1 *Aristotelem secuti.*] Aristoteles hujus divisionis primus fuit auctor. in rhet. ad Alexandrum, τρία, inquit, ἐστὶ γένη τῶν πολιτικῶν λόγων, τὸ μὲν δημηγορικὸν, τὸ δὲ ἐπιδεικτικὸν, τὸ δὲ δικανικόν: quæ eadem est divisio in primo rhet. nisi quod pro δημηγορικῷ συμβουλευτικὸν ponit. appellat porro genus concionale, *deliberativum*, quia cum esset apud Athenienses *democratia*, id est, populi potestas & dominatio, deliberationes fiebant in concionibus populi: quanquam interim in senatu quoque, ac tum apppellatur συμβουλευτικὸν, id est, *consultatorium*. Idem.

2 *Apud Ciceronem.*] Cicero *libro secundo de Orat.* Antonium inducit contendentem duo esse debere solum genera causarum, *deliberativum* & *judiciale*. genus *demonstrativum* tollit, propterea quod raro per se tractatur in causis civilibus. *Idem.*

3 *Maximo temporum nostrorum auctore.*] *Plinium* opinor intelligit, qui, ut ait Plinius junior epistola quadam, sex

pe impulsum, ut non modo plura hæc genera, sed etiam pene innumerabilia videantur. [1] Nam si *laudandi* ac *vituperandi* officium in parte tertia ponimus: in quo genere versari videbimur [2] cum *quærimur*, *consolamur*, *mitigamus*, *concitamus*, *terremus*, *confirmamus*, *præcipimus*, *obscure dicta interpretamur*, *narramus*, *deprecamur*, *gratias agimus*, *gratulamur*, *objurgamus*, *maledicimus*, *describimus*, *mandamus*, *renuntiamus*, *optamus*, *opinamur*, & plurima alia? ut mihi in illa vetere persuasione permanenti, velut petenda sit venia: quærendumque quo moti priores, rem tam late fusam, tam breviter adstrinxerint. Quos qui erasse putant, hoc secutos arbitrantur, quod in his fere versari tum oratores videbant. Nam & *laudes* ac *vituperationes* scribebantur, & [3] ἐπιτάφιος dicere erat moris, & plurimum in consiliis ac judiciis insumebatur operæ, ut scriptores artium pro solis comprehenderint frequentissima. [4] Qui vero defendunt, [5] tria faciunt

libros studiosorum scripsit, in quibus oratorem informabat. *Idem.*

1 *Nam si laudandi.*] Erasmus in lib. de componendis epistolis, apte has species in tria causarum genera reducit. & alioqui cum non sint in tota oratione, sed in parte duntaxat, ad genus orationis in qua erunt reducentur. *Idem.*

2 *Cum querimur, consol.*] Hæc omnia ideo *causarum genera* non sunt, quod suos fines intra fines causarum inclusos habeant, neque stent per se, sed cum aliis immisceantur. *Idem.*

3 Ἐπιτάφιος.] Sic appellantur *orationes funebres*, quod ad sepulchra & monumenta dicantur. Harum præcepta tradit Halicarnassæus in arte. Menander rhetor porro scribit consuetudinem fuisse Athenis, ut quotannis oratio funebris in laudem mortuorum diceretur. quod abunde testatur Menexemus Platonis sive ἐπιτάφιος, in quo Periclem excelluisse ait, & Aspasiam rhetoricæ magistrum. Et Aristotel. 1. *rhetor.* Periclem summum Græcorum principem inducit ἐπιτάφιον dicentem. & apud Mausoleum Cariæ regis Mausoli sepulcrum, epitaphiis dicendis certarunt nobilissimi rhetores, Theodectes, Theopompus, ac junior Isocrates, auctore Gellio *libro decimo cap.* 18. quanquam Gellius quod dicat majorem Socratem in hoc certamen descendisse, error est ex amphibolia nominis, ut constat Suidam legenti. *Idem.*

4 *Qui vero defendunt.*] Hactenus oppugnavit eam opinionem, quæ tribus caussarum generibus universam materiam concluſit: nunc quibus ea confirmari possit argumentis edocet, quæ valentiora sunt, & partim sua, partim aliena. *Idem.*

5 *Tria genera auditorum.*] Hæc divisio prima ex Aristotele est 1. *Rhetor.* ἔστι γὰρ τῆς ῥητορικῆς εἴδη τρία τὰ ἀριθμόν. τοσοῦτοι γὰρ οἱ ἀκροαταὶ τοῦ λόγου ὑπάρχουσιν ὄντες, &c. Quam Cicero *in Part.* sequitur, *Auditorum*, inquit, *causam genere distingui*: nam aut auscultator est modo qui audit, aut disceptator, id est rei sententiæque moderator, ut aut delectetur, aut statuat aliquid. statuit

ciunt genera auditorum: unum quod ad delectationem conveniat, alterum quod consilium accipiat, tertium quod de caussis judicet. [1] Mihi cuncta rimanti, talis quædam ratio succurrit, quod omne oratoris officium aut *in judiciis* est, aut *extra judicia*. Eorum de quibus judicio quæritur, manifestum genus est: ea quæ ad judicem non veniunt, aut præteritum habent tempus, aut futurum. Præterita laudamus aut vituperamus, de futuris deliberamus. Item omnia de quibus dicendum est, aut certa sint necesse est, aut dubia. [2] Certa, ut cuique est animus, laudat aut culpat: ex dubiis partim nobis ipsis ad electionem sunt libera, de his deliberatur: partim aliorum sententiæ commissa, de his lite contenditur. [3] Anaximenes *judicialem* & *concionalem* generales partes

statuit autem aut de præteritis, ut judex: aut de futuris, ut senatus. Sic tria genera sunt, *judicii*, *deliberationis*, *exornationis*. Quæ quia in laudationes maxime confertur, proprium habet jam ex eo nomen, &c. Totidem itaque erunt causarum genera, quot auditorum: at tria sunt auditorum, ut ex Cicerone manifestum est & Aristotele. *Idem.*

1 *Mihi cuncta rimanti.*] Fabius suam sententiam nunc proponit, quam à diligentia commendat, quamque Cic. *in Partit.* imitatus est. sed uterque alio modo, &, primo intuitu, contrario. Cicero enim causarum controversarum formam duplicem facit: quarum altera delectationem sectatur aurium, quam *exornationem* vocat: alterius, ut obtineat, probet, efficiat quod agit, omnis est suscepta contentio, quod in provisione posteri temporis, aut in præteriti disceptatione versatur: quorum alterum *deliberationis* est, alterum *judicii*, &c. Itaque hæc Fabii ratio, etsi assumat recte, & *judiciale genus* satis probet, tamen ad cætera esse infirmior videri possit. Neque enim solum præteritum aut futurum tempus habent, quæ extra judicia sunt, sed præsens etiam: siquidem laudamus nonnunquam præsentia. & de præteritis frequentior est judicatio, ut ex Cicerone patuit, & ex ipso post manifestum erit. Item Aristotel. demonstrativi generis τὸ παρὸν, & maxime præsentium laudationem putat adhiberi, tamen fatetur præterita ut ad præsens tamen referantur, nonnunquam & futura ex his conjici. Sed præsentes existimavit laudari Aristoteles personas à præsentibus bonis aut aliis ad præsentia relatis, ideoque præsens tempus huic generi dedit: Fabius vero *ex factis*, & *ex laude factorum*. quæ si laudata fuerint, laudis faciunt præsenti personæ accessionem. Ita alter ea quæ colligimus, alter ea per quæ colligimus, videtur respexisse. *Idem. Mihi, &c.*] Vide Arist. rhet. 1. cap. 3.

2 *Certa.*] De quibus nemo dubitare possit, & nulla controversia est, & nemo negat, sed audire paratus discere vult, & dicentem cum voluptate sequitur prona fide, extraque omne negotium sunt. *Turneb.*

3 *Anaximenes.*] Anaximenes rhetor fuit Lampsacenus, discipulus Diogenis Cynici & Zoili grammatici, idem Alexandri magni præceptor in rhetoricis. hic in duas partes secuit oratoris officium, *judicialem*, & *concionalem*, sed sub concionali parte complectitur *genus*

partes esse voluit, septem autem species, *hortandi*, *dehortandi*: *laudandi*, *vituperandi*: *accusandi*, *defendendi*, *exquirendi*, quod [1] ἐξεταστικὸν dicunt: quarum duæ *deliberativi*, duæ sequentes *demonstrativi*: tres ultimæ *judicialis* generis sunt partes. [2] Protagoram transeo, qui *interrogandi*, *respondendi*, *mandandi*, *precandi*, quod εὐχωλὴν dixit, partes solas putat. [3] Plato in Sophista, *judiciali* & *concionali* tertiam adjecit προσομιλιτικὴν, quam sane permittamus nobis dicere *sermocinatricem*: quæ à forensi ratione disjungitur, & est accommodata privatis disputationibus: cujus [4] vis eadem profecto est, quæ dialecticæ. [5] Isocrates in omni genere inesse *laudem* ac *vituperationem* existimavit. [6] Nobis & tutissimum est auctores plures sequi, & ita videtur ratio dictare. Est igitur, ut dixi, unum genus quo laus ac vituperatio continetur, sed est appellatum [7] à parte meliore *laudativum*.

idem

deliberativum, & *demonstrativum*. De hoc plura Suidas in collectaneis. *Idem*.

1 Ἐξέταστικὸν dicunt.] Ἐξέτασιν finit Aristoteles ad Alexandrum, esse voluntatum, actionum, orationum inter se aut cum reliqua vita dissidentium demonstrationem. Genus hoc Athenis exercebatur cum ratio magistratus gesti reposcebatur: quod fiebat plerunque apud *nomophylacas* aut *thesmothetas*: vel cum in Areopagum judicium sanctissimum ascribi contenderent. *Idem*.

2 *Protagoram transeo*.] Qui, ut ajunt Laërtius & Suidas, διεῖλε τὸν λόγον πρῶτος εἰς τέσσαρα, εὐχωλὴν, ἐρώτησιν, ἀπόκρισιν, ἐντολὴν (Volaterranus hîc ἐκβολὴν legit, vertitque ejectionem, nescio quid sequutus.) hujus opinionem velut ineptam præterit, quod eas generum partes solas putet, quæ intra aliarum partium fines includuntur. *interrogare* enim & *respondere*, & *mandare*, & *precari*, in laude sunt aut vituperio, suasione aut dissuasione, accusatione, defensione, aut inquisitione. *Idem*. *Protagoram*.] In dialogo de ente.

3 *Plato in Sophist*.] Τὸ μὲν, inquit, προσομιλοῦν διὰ χάριτος καὶ παντάπασι δι' ἡδονῆς τὸ λέγεσθαι, καὶ τὸν μισθὸν πραττόμενον τροφὴν ἑαυτῷ μόνην. *Turneb*.

4 *Vis eadem, quæ dialecticæ*.] Dialecticen *lib. primo Topicorum* Aristot. ait prodesse ad exercitationes, ad colloquia, ad disciplinas quæ secundum philosophiam fiunt: quo significat utilem esse privatis disputationibus. differt à *sermocinatrice*, quod argumentosior est & contentiosior, sermocinatrix vero sophistica magis & oratoria. *Idem*.

5 *Isocrates*.] In ea arte cujus supra meminit. hic eam ob rem *demonstrativum genus* ab aliis non distinxit, quod existimaret in omni genere esse *laudem* aut *vituperationem*: qua in re ideo decipitur, quod & hoc demonstrativum genus frequenter per se tractatur, & cætera non raro sint sine illo. *Idem*.

6 *Nobis autem*.] Conclusio, qua suam demum opinionem & argumento & auctoritate confirmat. *Idem*.

7 *A parte meliore*.] Κατὰ τὸν εὐφημισμόν.

1 Ἐπιδεικτι-

idem alii *demonstrativum* vocant. utrunque nomen ex Græco creditur fluxisse. Nam & ἐγκωμιαστικὸν & [1] ἐπιδεικτικὸν dicunt. Sed mihi ἐπιδεικτικὸν non tam demonstrationis vim habere, [2] quam ostentationis videtur, & multum ab illo ἐγκωμιαστικῷ differre. nam ut continet laudativum in se genus, ita non intra hoc solum consistit. An quisquam negaverit Panegyricos ἐπιδεικτικοὺς esse? Atqui formam suadendi habent: & plerunque de utilitatibus Græciæ loquuntur: ut caussarum quidem genera sint: sed ea [3] tum in negotiis, tum in ostentatione posita. Nisi forte non ex Græco mutantes *demonstrativum* vocant, verum id sequuntur, quod laus ac vituperatio quale sit quicque demonstrat. Alterum est *deliberativum*: tertium, *judiciale*. Cæteræ species in hac tria incidunt genera: nec invenitur ex his ulla, in qua non *laudare* aut *vituperare* aut *suadere* aut *dissuadere*, *intendere* quid vel *depellere* debeamus. Illa quoque sunt communia, *conciliare*, *narrare*, *docere*, *augere*, *minuere*, concitandis componendisve affectibus animos audientium fingere. [4] Ne his quidem accesserim, qui laudativam materiam *honestorum*, deliberativam *utilium*, judicialem *justorum* quæstione contineri putant, celeri magis ac rotunda usi distributione, quam vera. Stant enim quodammodo mutuis auxiliis omnia. Nam & in laude *justitia utilitasque* tractantur, & in consiliis *honestas*: & raro judicialem inveneris caussam, in cujus non parte aliqua, eorum quid, quæ supra diximus, reperiatur.

CAP.

1 Ἐπιδεικτικὸν.] Ἐπιδεικτικὸν, genus illud est, quo sophistæ utebantur ad facultatis suæ ostentationem. complectitur autem sub se genus *demonstrativum*, & aliquid quoque generis deliberativi, ideoque generalius est. *Turneb.*

2 *Quam ostentationis videtur.*] Vide Vossium Instit. Orat. lib. 1. cap. 5. p. 43.

3 *Tum in negotiis.*] Quasi dividat Fabius causas *in pragmaticas* & *epidicticas*, ut sint epidicticæ remotæ à rebus civilibus, & ad ingenii ostentationem comparatæ. *Turneb.*

4 *Ne his quidem.*] Hæc opinio est Arist. 1. *rhetoric.* quem sequitur Cic. 1. *rhet.* in *Partit.* & *Topicis*: quanquam Arist. quoque in laudatione utilia tractari posse putat, ut tamen referantur ad honestatem, ac in cæteris generibus eodem modo. *Idem.*

CAP. V.

Quibus contineatur omnis ratio dicendi.

5 [1] OMNIS autem oratio constat, aut ex his quæ significantur, aut ex his quæ significant, id est, *rebus*, & *verbis*. Facultas orandi consummatur *natura*, *arte*, *exercitatione*: [2] cui quartam partem adjiciunt quidam *imitationis*, quam nos arti subjicimus. [3] Tria sunt item quæ præstare debet orator, *ut doceat*, *moveat*, *delectet*. Hæc enim clarior divisio, quam eorum qui totum opus [4] in *res* & in *affectus partiuntur*. Non semper autem omnia in eam quæ tractabitur materiam cadent. Erunt enim quædam [5] remotæ ab affectibus: qui ut non ubique habent locum, ita quocunque irruperint, plurimum valent. [6] Præstantissimis auctoribus placet,

Iterum ab elementis incipit: sed quia tractaturus est *inventionem*, verba, quæ sunt *elocutionis*, omittit: res, quæ sunt *inventionis*, tractat. à rebus autem oriuntur *quæstiones*, à quæstionibus *status*, quem sequitur ordinem Fabius: admiscet tamen quædam officia, & ea quibus rhetoricen adipiscimur. *Turneb.*

1 *Omnis autem.*] Cicero *in Oratore* dicit oratoris suppellectilem esse, aliam *rerum*, *verborum* aliam. plura diximus cap. 3. hujus libri, ubi eadem docuisse videri possit, sed ibi explicabat quomodo innata fuisset prima orandi ratio, & aucta & perfecta: nunc autem quibus ex causis eloquentiam assequi licebit: quæ etsi non magnopere distant, rationis vi sejungi possunt. *Idem.*

2 *Cui quartam partem.*] Cornificius naturam non addit, sed *imitationem* numerat, quam Fabius *arti* hac de causa subjicit, quia cum *ars* certa methodo & certis præceptionibus constet, rationem bene imitandi dictabit. Neque enim potest similis alterius esse, qui vim non intelligit, artem illius non sentit, consilia non assequitur, & potius sub exercitatione comprehendi possit. *Idem.*

3 *Tria sunt.*] Ut sciamus, simus ne perfectam adepti eloquentiam, subjungit officia oratoris. idem Cicero 2. *de Orat. in orat. de opt. genere oratorum*, & fere omnibus *in lib. rhetor.* tradidit. Rodolphus Agricola unum vult esse oratoris officium, nempe *docere*. alia duo accessiones esse vult, lib. 2. contra quem Antonius Pinus multis disputat. *Idem.*

4 *In res & affectus.*] Hanc divisionem non improbat Fabius, sed obscuram esse dicit, cum superiore tamen consentit: nam res ea complectuntur quæ *ad docendum* faciunt: affectus, quæ *ad motum* & *delectationem*. Idem.

5 *Remotæ ab affectibus.*] Causæ exiles potissimum *docent*, graves *movent*, mediocres *delectant*, ut Cicero scribit. non igitur semper affectus in causam cadunt, semper tamen fides. Unde cum Demetrius Phalereus diceret eloquentiam tantum valere in civitate, quam gladius in bello, intelligebat de ea quæ affectus non moveret. *Idem.*

6 *Præstantiss. auctoribus.*] Altera pars hujus capitis, qua diversitatem quæstionum explicat, antequam de status ratione loquatur, ut alia sint *certa*, alia *dubia*.

placet, alia in rhetorica esse quæ probationem desiderent, alia quæ non desiderent: cum quibus ipse consentio. Quidam vero, ut Celsus, de nulla re dicturum oratorem, nisi de qua quæratur, existimant: cui cum maxima pars scriptorum repugnat, tum etiam ipsa partitio: nisi forte laudare quæ constet esse honesta, & vituperare quæ ex confesso sint turpia, non est oratoris officium. [1] Illud jam omnes fatentur, esse quæstiones aut *in scripto*, aut in *non scripto*. In scripto sunt *de jure*, in non scripto *de re*. Illud [2] *legale*, hoc [3] *rationale* genus: Hermagoras atque eum secuti vocant νομικὸν, & λογικόν. [4] Idem sentiunt qui omnem quæstionem ponunt in rebus, & in verbis. [5] Item convenit quæstiones esse aut [6] *infinitas*, aut *finitas*. *Infinitæ* sunt, quæ remotis

dubia. Porro quæ certa sunt, simplicem desiderant *probationem* seu *expositionem*, aut etiam amplificationem: quæ incerta, *probationem* & *fidem*. Cic. divisioni Fab. assentitur, repugnat Cornelius Cesus, qui dicebat oratoris esse dicere persuasibiliter in materia dubia & civili, quem hoc loco Fab. tum *cap. de demonstrativo genere* reprehendit, idque bifariam, ab auctorum consensu, & ipsa in tria causarum genera facta divisione. Nam ut lib. 2. dixit, Illud de omnibus qui circa civiles quæstiones oratorem versari judicant, dictum sit, excludi ab iis plurima oratoris officia: illam certe laudativam totam, quæ est rhetorices pars tertia, &c. *Idem*.

1 *Illud etiam omnes*.] Quæstionum divisio huc pertinet, ut ab his gradum faciat Fabius ad statum. nam in quæstionibus *conjectura, qualitas, finitio* continetur. *Idem*.

2 *Legale*.] Quoniam in legum contrarietate & scripti & voluntatis dubitatione versatur. *Idem*.

3 *Rationale*.] Quia in re positum est, ac *rationibus* est probandum, non etiam *scriptis*. Hermogenes tamen legale & rationale genus sub *qualitate* ponit. *Idem*.

4 *Idem sentiunt*.] Quæstio sine controversia constat aut ex verbis, quod *summum jus* appellatur: aut ex rebus, id est æquitate & ratione legislatoris, ac legum. cui negotio discutiendo Cic. jurisconsultos præesse dicit. Cic. 3. *rhet*. Aut ex rebus ratione colligendis: aut ex verbis scripto examinandis. *Idem*.

5 *Item convenit*.] Ut superiores duæ divisiones civili quæstioni conveniunt: ita quæ sequuntur, vim quæstionis in universum dispertiunt. De quo latius *Cic. in Top*. Idem.

6 *Infinitas*.] *Quæstio infinita* appellatur, quia cum de re tota quærat, habet quandam infinitionem, quæ in quæstione finita circunstantiis circumscribitur & definitur. Θέσεις Græci vocant, quod in utramque partem à philosophis tractentur, & credibiliter positæ utrinque agitentur. Cujus exercitationis meminerunt Græci, Aristoteles, Philoponus, & alii ex Arist. familia: Latini, Cicero, Seneca, & Gellius. Cicero *proposita* vocat, in Top. eadem ratione, quod in disputatione proponi soleant. Alii *quæstiones universales civiles*, quo modo hypothesin, quæstionem finitam civilem ad finem capitis appellat Fab. Itaque non expungenda est dictio *Civilis*, sed citra subdistinctionem ita legere debemus. Ita autem appellantur, quia à

motis personis & temporibus & locis, cæterisque similibus, in utranque partem tractantur: quod Græci θέσιν dicunt, Cicero propositum, alii quæstiones universales civiles, alii quæstiones philosopho convenientes, Athenæus *partem caussæ* appellat. [1] Hoc genus Cicero scientia & actione distinguit: ut sit scientiæ, an providentia mundus regatur: actionis, an accedendum ad remp. administrandam. [2] Prius, trium generum, *an sit*, *quid sit*, *quale sit*. omnia enim hæc ignorari possunt. [3] Sequens, duorum, quomodo adipiscamur, quomodo utamur. [4] Finitæ autem sunt ex complexu

rerum,

scientia morali, quæ civilis facultas appellatur, ducuntur, atque adeo facultas ipsa civilis, ut docuit Fab. *lib.* 2. est *sapientia* & *philosophia*, ideoque philosopho *quæstiones convenientes* vocant, quod hæc disputandi his de rebus consuetudo apud philosophos valeret, præsertim Aristotelem & Platonem. Alii *partem causæ*. Nam ut thesis constituat *hypothesin*, in hypotesi continebitur tanquam pars quædam. Ita Cic. *in Top.* dixit in caussa esse *propositum*, & contineri sub controversia *consultationem*. &, ut inquit Fortunatianus, significatio declaratur ex ipso composito nomine, esse aliquid quod est ὑπὸ τὴν θέσιν, sub illo genere quasi species: quod manifeste deprehendes remotis circumstantiis, *An Clodius insidiator jure occisus sit à Milone*. Cicero item *consultationem* vocavit, quod ita quisque de re proposita dicat, ut senatores de relata re à consule dicunt sententiam. *Idem*.

1 *Hoc genus Cic.*] In Topicis, Quæstionum, inquit, quacunque de re sint, duo sunt genera: unum *cognitionis*, alterum *actionis*. Cognitionis sunt hæ, quarum finis est *scientia*, ut si quæratur, à naturane jus profectum sit, an ab aliqua quasi conditione hominum & pactione. *Actionis* autem hujusmodi exempla sunt, *sitne sapientis ad remp. accedere*. Idem refert in Partit. Non placet tamen Rodolpho Agricolæ hæc partitio. *Idem*.

2 *Prius trium generum.*] Hæc divisio ab Arist. est ducta. is enim 2. *lib. Analyticorum* ait totidem esse quæstiones, quot sunt res quas scire possumus. quatuor autem ponit, *an sit*, *quid sit*, *an hoc illi insit*, *quamobrem insit*: sed Quamobrem ad finitionem refertur, quæ plerunque causam complectitur. Idem Cic. Cognitionis quæstiones tripertitæ sunt, cum *an sit*, aut *quid sit*, aut *quale sit* quæritur. horum primum *conjectura*, secundum *definitione*, tertium *juris & injuriæ distinctione* explicatur. *Idem*.

3 *Sequens duorum generum.*] Actionis, inquit Cicero, duo sunt genera, unum ad *officium*, alterum *ad motum animi*, in 1. *de orat.* per adhortationem, *motum*: per objurgationem *officium* intellexit. *Idem*.

4 *Finitæ autem sunt.*] Quæ circumstantiis velut quibusdam rerum finibus adstringuntur in angustam disputationem, nascunturque ex complexu *personarum*, *temporum*, *locorum*, & reliquarum circumstantiarum. Caussa *in Top.* à Cicer. dicitur, quæ aut omnibus sit aut maximis circumstantiis inclusa. Controversia in Partit. Definitas seu certas, 2. *de orat.* Quæstiones speciales alii, Isocrates quæstionem civilem finitam vocat. Græci hypothesin, Rodolph conditionalem quæstionem, quod in his quæstionibus tacita sit conditio, etsi nomen *hypotheseos* non conditionem modo significat, sed & fictionem, ut interpre-

rerum, *personarum*, *temporum*, cæterorumque. hæ ὑποθέσεις à Græcis dicuntur, *causſæ* à nostris. In his omnis quæstio videtur circa res personasque consistere. [1] Amplior est semper *infinita*. inde enim *finita* descendit. Quod ut exemplo pateat, infinita est, *An uxor ducenda*: finita, *an Catoni ducenda*: [2] ideoque esse *suasoria* potest. [3] Sed etiam remotæ à personis propriis, ad aliquid referri solent. Est enim simplex, *an respublica administranda*: refertur ad aliquid, an *in tyrannide administranda*. Sed hîc quoque subest velut latens persona. tyrannus enim geminat quæstionem, subestque & temporis & qualitatis tacita vis: nondum tamen hoc proprie dixeris *causſam*. Hæ autem quas *infinitas* voco, & *generales* appellantur. quod si est verum, *finitæ speciales* erunt. In omni autem speciali utique inest generalis, ut quæ sit prior. [4] Ac nescio an in causſis quoque quicquid in quæstionem venit qualitatis, generale sit. [5] *Milo Clodium occidit: jure*

terpretatur Fab. lib. 5. Sunt autem qui *finitas* vocari velint, quod cautum apud veteres esset, ne quis actionem intenderet nisi certis personis & rebus. neque enim quenquam accusare licebat, nisi oppositio crimine: neque de crimine dicere, nisi indicato reo. *Idem.*

1 *Amplior est semper infinita.*] Quia hæc universalis, & ex universalibus circunstantiarum appositione speciales, id est, *finitæ* fiunt. *Idem.*

2 *Ideoque esse suasoria.*] *Theses*, ut docuit Fabius, pleræque ad deliberativum pertinent genus, & adjectis modo personis, suasoriæ fiunt. nam deliberationis initium ducitur *ab hypothesi*, sed postea revocatur *ad thesin*: atque ita interdum de toto genere disceptamus, cum tamen causa pendeat ab *hypothesi*. Idem.

3 *Sed etiam remotæ.*] Medium quoddam genus inter *thesin* & *hypothesin* ponere videtur, nulla singulari definitaque persona concluſum, ad aliquid tamen referri, id est latentis temporis vel personæ angustiis contineri, ut, *an resp. administranda*, *in tyrannide*: quæ particula quæstionem alioqui simplicem geminat, an *sub tyranno*, an *in tyrannide*. sed quia circunstantiæ latent verius quam sunt, ne sese exerunt & explicant, ideo ut plane *thesin* dixeris, ita prorsum *hypothesin* minime vocaveris. *Idem.*

4 *Ac nescio.*] In *hypothesi* continetur *thesis*, ac fere causarum decisio & tractatio à generali capite pendet, ut *in qualitate*. quanquam origo controversiæ à re singulari proficiscitur, tamen qualitate communi tractatur. itidem in reliquis quoque statibus. Itaque contendit hic Fab. nullam esse quæstionem in causſis, hoc est particularibns, cujuscunque ea status sit, in qua non quæratur universale. Est autem id adnotandum, in his non universale per se, sed quatenus conducit ad cognitionem particularis, ab oratoribus tractari. *Idem.*

5 *Milo Clodium occidit.*] Hic persona *Clodii Miloniſque* facit, ut quatenus liceat hominem occidere disputetur, & auget quæstionem: præterquam enim quod quæritur, *an hominem liceat interficere*,

jure occidit, insidiatorem. nonne hoc quæritur, an sit jus insidiatorem occidendi? Quid in conjecturis? non illa generalia, *an caussa sceleris* [1] *odium? cupiditas? an tormentis credendum? testibus an argumentis major fides habenda?* [2] Nam finitione quidem comprehendi nihil non in universum certum erit. [3] Quidam putant etiam eas posse theseis aliquando nominari, quæ personis causisque contineantur, aliter tantummodo positas: ut Caussa sit, *cum Orestes accusatur:* Thesis, *an Orestes recte sit absolutus.* cujus generis est, [4] *an Cato recte Martiam Hortensio tradiderit.* Hi thesin à caussa sic distinguunt, ut illa sit *spectativæ* partis, hæc *activæ.* Illic enim veritatis tantum gratia disputari, hic negotium agi. [5] Quanquam inutiles quidam oratori putant universales quæstiones, quia nihil prosit quod constet *ducendam esse uxorem, vel administrandam rempublicam.* si quis vel ætate vel valetudine impedia-

ficere, quia Clodius insidiator fuisse dicitur, quæritur *an omnis insidiator interfici possit.* Ita ex personis caussa quæstioque oritur, ex thesi emanat universa disputatio. *Idem.*

1 *Odium? cupiditas?*] Præcipuum caput & præcipuus status in conjectura vix quicquam habere generale possit. capita vero quæ ad ejus probationem afferuntur, plerunque ἠθικῶς tractantur, ut *impulsio*, & loci communes. *Idem.*

2 *Nam finitione.*] Quoniam cum de nomine alicujus rei quærimus, nullas apponimus personas aut circunstantias quibus finita fiat quæstio: imo ipsa statim definitio causam ponit. Cum enim *de facto* conveniat, uterque ut nomen quod facto tribuit, confirmet, suam definitionem adducit, in qua constituenda opus est universum, & unus utriusque partis labor. *Idem.*

3 *Quidam putant.*] Quæ hactenus scripsit, ex Cic. fere sententia dicta sunt: nunc quosdam ait alio intellectu his nominibus uti, qui non distare hæc complexu circunstantiarum volunt, sed fine disputationis, seu penes cognitionem & actionem. Eandem siquidem quæstionem, & *thesin* fatentur esse, dum excutienda philosophorum more ponitur: & *hypothesin*, dum propter negotium aliquod tractatur, ut ea de re judicio agitur. Neque omnino male, si nomen æstimes, rem ad inquisitionem positam vocamus *thesin*, cui non videntur obesse circunstantiæ. Proinde cognitiva est apud illos, ut *hypothesis* activa. Hæc opinio est Fortunatiani & Sulpitii Victoris, quæ videtur originem duxisse à Zenone. illis enim *thesis* est, res rationalem disceptationem admittens, cujus sit finis *inspectio*: *hypothesis* vero, res rationalem disceptationem accipiens, cujus sit finis *judicatio* atque *actio*, sive erit sive minus definita personis. iidem superiores definitiones calumniantur. *Idem.*

4 *An Cato recte.*] Nota est historia ex Plutarcho in Catone. *Idem.*

5 *Quanquam inutiles.*] Commode explicata quæstionum varietate, de illarum usu agit. refellit igitur falsam quorundam opinionem, qui *universales quæstiones* ab oratore removerunt. In qua est opinione Cic. *lib. primo de Inventione.* ubi Hermagoram carpit, qui quæstionem & causam oratori tribuit. *Idem.*

1 *Sed*

impediatur. [1] Sed non omnibus ejusmodi quæstionibus sic occurri potest, ut illis, *Sitne virtus finis*, *Regaturne providentia mundus*. Quinetiam in iis quæ ad personam referuntur; ut non est satis generalem tractasse quæstionem, ita perveniri ad speciem nisi illa prius excussa non potest. Nam quo modo *an sibi uxor ducenda sit*, deliberabit Cato, nisi constiterit *uxores esse ducendas?* Et quo modo, an *ducere Martiam debeat* quæretur, nisi Catoni *ducenda uxor est?* Sunt tamen inscripti nomine Hermagoræ libri, qui confirment illam opinionem, sive falsus est titulus, sive alius hic Hermagoras fuit. Nam ejusdem esse quomodo possunt, qui de hac arte mirabiliter multa composuit, cum, sicut ex [2] Ciceronis quoque rhetorico primum manifestum est, materiam rhetorices in *theseis* & *causas* diviserit? Quod reprehendit Cicero: ac thesin nihil ad oratorem pertinere contendit, totumque hoc genus quæstionis ad philosophos refert. Sed me liberavit [3] reprehendendi verecundia, & quod ipse hos libros improbat, & quod [4] in oratore, atque iis quos de oratore scripsit libris, & Topicis, præcipit, ut à propriis personis atque temporibus avocemus controversiam: quia latius dicere liceat de genere quam de specie, [5] & quod in universo proba-

1 *Sed non in omnibus.*] Ut clarius hanc opinionem refutet Fab. *universales quæstiones* duplices esse dicit: quasdam quæ ex persona non pendeant, & illæ tractatæ sufficiunt. In illis igitur non sic potest occurri, id est, nullum ex persona potest impedimentum afferri, ut non sufficere videantur, *An virtus sit bonorum finis*, &c. Quasdam vero, quæ ex persona sunt æstimandæ ad quam referuntur. in illis non satis fuerit in genere rem docuisse: necesse est tamen hanc præcessisse disputationem. nam nisi excusso genere, cui similis est thesis, ad speciem quæstionemque specialem non potest perveniri. Erit itaque duplex quæstio *universalis*, quædam quæ simpliciter in sua consideratur natura citra ullum respectum, quædam quæ etsi in sua consideratur natura, tamen quadantenus ad res singulares & personas refertur, cui exceptione potest occurri. Erit autem in ea duplex tractatio: res enim petetur à thesi, personarum circunstantiæ ab hypothesi. *Idem.*

2 *Ciceronem.*] De inventione.

3 *Reprehendendi.*] Respondendi.

4 *In oratore.*] Libro. 3.

5 *Et quod in universo probatum sit.*] Hoc intelligendum est de rei & negotii tractatione. id enim si probatum sit in genere, probatum quoque erit in parte. hypothesis tamen præter thesin personarum habet circunstantias, quæ proprium desiderant tractatum. *Turnebus.*

1 *Status*

probatum sit, in parte probatum esse necesse sit. [1] Status autem in hoc omne genus materiæ iidem qui in causas cadunt. Ad hoc adjicitur, alias esse [2] quæstiones in rebus ipsis, alias quæ ad aliud referantur. Illud, *an uxor ducenda:* hoc, *an seni ducenda.* Illud, *an fortis*: hoc, *an fortior*, & similia. [3] Causam finit Apollodorus, ut interpretatione Valgii discipuli ejus utar, ita *Causa est negotium omnibus suis partibus spectans ad quæstionem*: aut, Causa est negotium, cujus finis est controversia. Ipsum deinde negotium sic finit, *Negotium est congregatio personarum, locorum, temporum, causarum, modorum, casuum, factorum, instrumentorum, sermonum, scriptorum, & non scriptorum.* Causam nunc intelligimus ὑπόθεσιν, negotium πρᾶγμα. Sed ipsam causam quidam similiter finierunt, ut Apollodorus negotium. Isocrates causam esse ait quæstionem finitam civilem, aut rem controversam in personarum finitarum complexu. [4] Cicero his verbis, Causa certis personis, locis, temporibus, actionibus, negotiis cernitur, aut in omnibus, aut in plerisque eorum.

Cap.

1 *Status autem.*] Breviter indicato usu, *statuum* describit *rationes*, quos vult eosdem esse qui & in hypothesi. Est autem *status*, forma illa vel conjecturæ, vel finitionis, vel qualitatis, quæ in quæstionibus apparet. Est vero *status* in thesi generalior, in hypothesi magis particularis. *Idem.*

2 *Quæstiones in rebus ipsis.*] Has quæstiones antea tractasse videtur. eadem porro divisio in causas cadere potest, ut simplex est, *an accusare Cicero Verrem debeat*, quæ statui decidique debet nulla ratione circunstantiarum habita, sed sola rei propositæ contemplatione: ad aliud refertur, *uter potius accusare debeat, Cicero an Cæcilius:* & hujus veritas circunstantiis æstimatur. qua de re Fab. aget in fine tertii. *Idem.*

3 *Causam.*] Post causæ divisionem, ejus definitiones multas colligit, partim ut propositio satisfaciat: partim ut ex collatione multarum ejus vim melius intelligamus. *Idem.*

4 *Cicero.*] In Topicis.

Proponit

CAP. VI.

Quid sit status: unde ducatur: reus an actor eum faciat: quot & qui sint.

ERGO cum omnis caussa contineatur aliquo statu, prius 6
quam dicere aggredior quo modo genus quodque caussæ sit tractandum, id quod commune est omnibus, *quid sit status*, & unde ducatur, & quot & qui sint, intuendum puto: [1] quanquam id nonnulli ad judiciales tantum pertinere materias putaverunt. Quorum insscitiam, cum omnia tria genera fuero executus, res ipsa deprehendet. [2] Quod nos *statum*, id quidam *constitutionem* vocant, alii *quæstionem*, alii quod ex quæstione appareat. Theodorus generale caput, id est, κεφάλαιον γενικώτερον, ad quod referantur omnia. [3] Quorum diversa appellatio, vis eadem est: nec interest discentium, quibus quicque nominibus appelletur, dum res ipsa manifesta sit [4] *Statum* Græci στάσιν vocant: quod nomen

PRoponit ea quæ *de statu* est tractaturus, ejus diversas appellationes tradit, definitionem constituit, duas definitiones malas reprehendit. *Turnebus.*

1 *Quanquam id nonnulli ad judiciales.*] Cornificius, Celsus, & Cic. in *lib. de Inventione*, statum duntaxat tractant *in judiciali* materia, propterea quod illic major est controversia & dubitatio, ideoque magis status apparet. docebit tamen Fabius in cap. *generis demonstrativi & deliberativi*, in alia genera cadere *statum*: quod fatetur etiam Cic. in Topicis. *Idem.*

2 *Quod nos statum.*] Priusquam definit, nominis diversitatem attingit: quæ interdum obest, quo minus res bene percipiatur. *Constitutionem* vocavit Cornificius & Cic. de Invent. Fabius vero *statum*, in quo stet nitaturque caussa, quasi cardine aliquo. *Quæstionem* Cicero in *Partit. & Top.* Alii non quæstionem ipsam, sed quod ex illa appareat. Secundum hos est *status*, quærendi quædam forma quæ in quæstione conspicitur: ut sit quæstio, *an fecerit*, in qua continetur conjectura, quæ status erit. Theodorus κεφάλαιον γενικώτερον, id est, *generale caput.* Is enim duo genera capitum ponit: *generale*, in quo vertitur tota caussa, estque summa quæstio & status caussæ: est caput *speciale*, id est, minor quæstio, quæ judicium non constituit, sed ad summam confert. *Idem.*

3 *Quorum diversa appellatio.*] Voce quidem discrepans, re tamen consentiens. Sed cum intelligitur quid significetur, minus laborandum est de verbis, quorum diversitas plerunque & memoriam confundit & fructum nullum affert. *Idem.*

4 *Statum Græci* στάσιν.] Sic Cic. *in Top. Refutatio* autem accusationis, in qua est depulsio criminis, Græce στάσις dicitur, Latine appelletur *status.* Eadem prorsus verbi deflexione: quanquam apud

men non primum ab Hermagora traditum putant, ſed alii ab [1] Naucrate Iſocratis diſcipulo, alii à [2] Zopyro Clazomenio: [3] quanquam videtur Æſchines quoque in oratione contra Cteſiphontem uti hoc verbo, cum à judicibus petit ne Demoſthenem permittant evagari, ſed eum dicere de ipſo cauſſæ ſtatu cogant. Quæ appellatio dicitur ducta vel ex eo quod ibi ſit primus cauſſæ congreſſus, vel quod in hoc cauſſa conſiſtat. Et nominis quidem hæc origo. Nunc quid ſit: *Statum* quidam dixerunt [4] *primam cauſſarum conflictionem:* quos recte ſenſiſſe, parum elocutos puto. Non eſt enim ſtatus prima conflictio. *Feciſti, non feci:* ſed quod ex prima conflictione naſcitur, id eſt genus quæſtionis. *Feciſti, non feci, an fecerit. Hoc feciſti, non hoc feci, quid fecerit.* quia ex his apparet illud conjectura, hoc finitione quærendum, atque in eo pars utraque inſiſtit: erit quæſtio conjecturalis, vel finitivi ſtatus. [5] Quid ſi enim dicat quis, *Sonus eſt duorum*

apud Græcos latius pateat, pro *ſeditione, ſtatione,* & *chori parte.* Idem.

1 *Eucrate Socratis.*] Plerique hîc legunt, à Naucrate Iſocratis diſcipulo. Nam *lib.* 3. *de orat.* & *in oratore*, Naucrates Iſocratis auditor citatur à Cicerone. Cum tamen in vetuſtis codicibus legatur, ab Eucrate Socratis diſcipulo, nihil fortaſſe ſit immutandum. de hoc tamen Eucrate nihil alibi ſcribitur, quanquam Suidas εὐκράτην ponat philoſophum & rhetorem clariſſimum inter Iſocratis diſcipulos, fortaſſe mendoſe. *Idem.*

2 *Zopyro Clazomenio.*] A Clazomenis Aſiæ oppido. hic ſophiſta fuit excellentiſſimus, temporeque Demoſthenis floruit. *Idem.*

3 *Quanquam videtur Æſchines.*] Videtur Fab. apud Æſchinem hoc loco quem citat, περιστάσεως legiſſe, cum nunc ibi περὶ τάξεως legatur, niſi forte corruptus eſt codex Græcus. quanvis paulo ante ea voce utatur, ſed pro loco & ſtatione pugilum. Verba Græca ſic habent, ὥσπερ οὖν ἐν τοῖς γυμνικοῖς ἀγῶσιν ὁρᾶτε τοὺς πύκτας περὶ τῆς στάσεως διαγωνιζομένους, οὕτω καὶ ὑμεῖς ὅλην τὴν ἡμέραν ὑπὲρ τῆς πόλεως καὶ περὶ τῆς τάξεως αὐτῷ λόγῳ μάχεσθε, καὶ μὴ ἐᾶτε αὐτὸν ἔξω τοῦ παρανόμου λόγους περίστασθαι. Niſi hoc velit Æſchines, ad ſimilitudinem pugilum, de ſtatu, id eſt de loco accuſationis potiſſimo dicere Demoſthenem. Et Hermogenes στάσιν ἀπὸ τοῦ στασιάζειν τοὺς ἀγωνιζομένους, ab eo quod contendant actor & reus & diſſideant, deducit. *Idem.*

4 *Primam cauſarum conflictionem.*] In hac videtur eſſe ſententia Cic. *lib. primo de Invent.* hîc autem *cauſas* intelligere par eſt intentiones & depulſiones primarias, quæ cauſam & judicium conſtituunt. nam hîc de ſtatu cauſæ loquimur, non de ſtatu quæſtionum. *Accuſator* enim litem intendit, *defenſor* depellit: unde naſcitur utriuſque litis conflictio. *Conflictionem* autem dicit per metaph. à primo congreſſu militum. *Idem.*

5 *Quid enim ſi quis.*] Probat à ſimili, non eſſe veram ſtatus definitionem, primam

duorum inter se corporum conflictio? Erret ut opinor: non enim sonus est conflictio, sed ex conflictione. [1] Et hoc levius. intelligitur enim utcunque dictum. Inde vero ingens male interpretantibus innatus est error, qui quia primam conflictionem legerant, credidere statum semper ex prima quæstione dicendum: quod est vitiosissimum. [2] Nam quæstio nulla non habet utique statum: [3] constat enim ex intentione, & depulsione: sed aliæ sunt propriæ causarum de quibus ferenda sententia est: aliæ adductæ extrinsecus, aliquid tamen ad summam causæ conferentes, velut auxilia quædam: quo fit ut in controversia una plures quæstiones esse dicantur. Harum porro plerunque leviſſima quæque primo loco fungitur. Nanque & illud frequens est, ut ea quibus minus confidimus, cum tractata sunt, omittamus: interim sponte nostra velut donantes, interim ad ea quæ sunt potentiora, gradum ex his feciſſe contenti. [4] Simplex autem

mam causarum conflictionem, ex non satis accurata soni definitione, qua materiam soni potius quam ipsam qualitatem explicat. De qua fuse Laur. Valla lib. 1. *Dialect. cap.* 14. hunc locum exponens. Sed etiam hæc status definitio & soni, si utraque recte intelligatur, nihil peccabit. solent enim plerunque etiam philosophi definire à causa. utraque igitur definitio αἰτιολογικῶς est intelligenda. id est, *causaliter*. Idem.

1 *Et hoc levius.*] Excusat quodammodo superioris definitionis auctores, ut eos acerbius reprehendat, qui existimarunt ex prima quæstione ducendum semper esse statum, & non potius ex præcipua causarum seu quæstionum conflictione. Itaque status dupliciter intelligitur, aut propria causæ constitutio, ut hîc accipimus: aut caput quod ex minoribus quæstionibus apparet, diciturque *quæstionum status*. hi igitur peccaverunt, quod in statu quæstionum minorum putarint esse situm causæ statum. *Idem.*

2 *Nam quæstio.*] Omnis quæstio *status* habet: sed cum sit duplex quæstio, erit quoque duplex status ratio. quædamenim quæstio causarum propria est, *summaque* appellatur. ea est (inquit Budæus) principale controversiæ punctum, de qua ferenda judicatio est: illic status est causæ. quædam vero quæstio est minor, id est accessorium punctum vel incidens, & extrinsecus adducta, & veluti propria auxiliaria & subsidiaria quæstio. illic status est minorum quæstionum, non causæ. *Idem.*

3 *Constat enim ex intentione & depulsione.*] *Intentio* est ejus facti objectio quod in judicium venit. *Depulsio* est intentioni resistens oratio. Ex his duabus inter se concurrentibus vocibus *status* nascitur, qui ex depulsionis ad intentionem repugnantia illico emergit. *Idem.*

4 *Simplex autem.*] *Simplex* est causa illa quæ unius duntaxat rei habet controversiam: conjuncta, quæ pluriumin illa status duntaxat est unus, in hac plures: quanquam in illa quoque status esse plures possunt minorum quæstionum, ut pro Cluentio & in Verrem tot

status

tem cauſſa etiamſi varie defenditur, non poteſt habere plus uno de quo pronuntietur: atque inde erit *ſtatus cauſſæ*, [1] quod & orator præcipue ſibi obtinendum, & judex ſpectandum maxime intelligit. in hoc enim cauſſa conſiſtet. Cæterum quæſtionum poſſunt eſſe diverſi. Quod ut breviſſimo pateat exemplo: cum dicit reus, [2] *Etiam ſi feci, recte feci:* qualitatis utitur ſtatu. cum dicit, *Non feci*, conjecturam movet. Semper autem firmius eſt non feciſſe: ideoque in eo ſtatum eſſe judicabo, quod dicerem ſi mihi plus quam unum dicere non liceret. Recte igitur eſt appellata *cauſſarum prima conſlictio*, non quæſtionum. Nam & pro Rabirio Poſthumo Cicero prima parte orationis in hoc intendit, ut actionem competere [3] in equitem Romanum neget: ſecunda, nullam ad eum pecuniam perveniſſe confirmat. ſtatum tamen in eo dicam fuiſſe, quod eſt potentius. Nec in cauſſa Milonis [4] circa primas quæſtiones, quæ ſunt ante procœmium poſitæ, judicabo conflixiſſe cauſſam: [5] ſed ubi totis

ſtatus quidem minus principales, quot crimina. *Idem.*

1 *Quod & orator præcipue.*] Status enim cognitio ad hoc valet, ut circunſpecto argumento de quo dicturus eſt, ad caput velut ad ſcopum omnia conferat, nec ſupervacaneis ambagibus à re digrediatur, aut deliranti ſimilis oratione vagetur, vel aliena, vel etiam pugnantia dicens. Hujus enim ſola conſideratio præſtabit ut oratio noſtra ſibi conſtet, & ne quid extra rem dicamus, & (quod nonnunquam incogitantibus uſuvenit) nobis ipſis contradicamus: ut cordatus auditor illud Flacci merito ſecum commurmuret, *Amphora cœpit Inſtitui, currente rota cur urceus exit?* Alioqui puerile eſt abſque ſcopo jaculari, & (ut ait Perſius) *paſſim corvos ſequi teſtaque lutoque.* Idem.

2 *Etiam ſi feci.*] Hæc defenſio laudatur à Fabio, *cap. de partitione.* fit autem *per antiparaſtaſin*, cum ex conditione aliquid tuemur: & *per enſtaſin*, cum ſimpliciter inficiamur, ut, *non feci.* Idem.

3 *In equitem Romanum.*] In cauſa enim Rabirii Poſthumi prima eſt translationis quæſtio: repellit enim actionem à ſua perſona, & in equitem Rom. ex lege competere negat, ſi quidem ea lege non teneantur omnes. Ac tum fit ſtatus translationis, quem Fabius appellat *actionis ſtatum*, cum aliquo juris adjumento rectum judicium declinamus. *Idem.*

4 *Circa primas quæſtiones.*] Circa præjudicia, quod ſenatus ſtatuerit, *cædem in via Appia factam, eſſe contra rempublicam*: quod Pompejus lata nova quæſtione contra Milonem judicarit. de quibus Quintil. lib. 4. fuſius. In quibus nulla cauſæ conflictio, neque cauſæ ſtatus collocandus: ſed ubi *jure cæſum Clodium*, ut qui inſidias fecerit, oſtenditur. *Idem.*

5 *Sed ubi totis viribus.*] Non diſtinguit Fabius ſtatum à *judicatione*, quod nonnulli tamen faciunt, qui artem obſcurant: ideoque c. 13. dicet, idem eſſe *ſtatum, continens, & judicationem.* Idem.

1 *Alii*

totis viribus *insidiator Clodius*, *ideoque jure interfectus*, ostenditur. Et hoc est quod ante omnia constituere in animo suo debeat orator, etiam si pro caussa plura dicturus est, quid maxime liquere judici velit. Quod tamen ut primum cogitandum, ita non utique primum dicendum erit. [1] Alii statum crediderunt primam ejus, cum quo ageretur, [2] deprecationem. Quam sententiam his verbis [3] Cicero complectitur, *In quo primum insistit quasi ad repugnandum congressa defensio.* Unde rursus alia quæstio, an eum semper is faciat qui respondet. Cui rei præcipue repugnat Cornelius Celsus, dicens non à depulsione sumi, sed ab eo [4] qui propositionem suam confirmet: ut si hominem occisum reus negat, status ab accusatore nascatur, quia is velit probare: si jure occisum reus dicit, translata probationis necessitate idem à reo fiat, & sit ejus intentio. Cui non accedo equidem. nam est vero propius quod contra dicitur, nullam esse litem, si is cum quo agitur, nihil respondeat: ideoque [5] fieri statum à respondente. Mea tamen sententia varium id est, & accidit pro conditione caussarum: quia & videri potest propositio aliquando statum facere, ut in conjecturalibus caussis. utitur enim conjectura magis qui agit. Quo moti quidam, eundem à reo *inficialem* esse dixerunt: & in [6] syllogismo 7

1 *Alii statum.*] Hoc capite docet statum ex *depulsione* & *intentione* nasci, non (ut quidam voluerunt) ex *intentione*. nam probabilius est à respondente oriri: quod tamen non est usquequaque verum. adjicit ea, circa quæ omnis quæstio & omnis status versatur. *Idem.*

2 *Deprecationem.*] Ut Cornificius, primam deprecationem defensoris cum accusatoris insimulatione conjunctam. quam definitionem in Topica sua retulit Cicero. ex qua & alia suborta quæstio, unde status oriretur. *Idem.*

3 *Cicero.*] In topicis.

4 *Qui propositionem suam confirmet.*] Secundum Celsum, ille qui intendit, statum facit, cum sit illius probare. intendit autem actor in statu *conjecturali*: intendit reus, in statu *judiciali*. Ut si accusator dicat, *Occidisti*, reus neget, accusatoris erit probare, ab eoque status orietur: si reus dicat, *Occidi*, sed jure, ejus erit probare, vicissimque ab eo status nascetur. *Idem.*

5 *Fieri statum à respondente.*] Hæc non est Fabii sententia: nam dicet ex intentione & depulsione nasci statum: sed ut verisimilior, præfertur opinioni Celsi. Per *respondentem* autem hic *actorem* & reum intelligit, sed diversis rationibus. *Idem.*

6 *Syllogismo.*] *Syllogismus* status est legalis, quo rem non scriptam legi & scripto quadam similitudine accommodamus. ita appellatur, quia argumen-

logiſmo tota ratiocinatio ab eo eſt qui intendit. Sed quia videtur illis quoque neceſſitatem hos ſtatus exequendi facere qui negat (is enim ſi dicat, *Non feci*, coget adverſarium conjectura uti: & ſi dicat, *Non habet legem*, ſyllogiſmo) concedamus ex depulſione naſci ſtatum. [1] Nihilo minus enim res eo revertetur, ut modo is qui agit, modo is cum quo agitur, ſtatum faciat. Sit enim accuſatoris intentio, *Hominem occidiſti:* ſi neget reus, faciet ſtatum qui negat. Quod ſi confutetur, ſed *jure à ſe adulterum dicit occiſum* (nempe legem eſſe certum eſt quæ permittat) niſi aliquid accuſator reſpondeat, nulla lis eſt. *Non fuit* (inquit) *adulter.* Ergo depulſio incipit eſſe actoris: ille ſtatum faciet. Ita erit quidem ſtatus ex prima depulſione, ſed ea fiet ab accuſatore, non à reo. Quid quod eadem quæſtio poteſt eundem vel accuſatorem facere vel reum? [2] Qui artem ludicram exercuerit, [3] in quatuordecim primis ordinibus ne ſedeat. qui ſe prætori in hortis oſtenderat, neque erat productus ſedit in quatuordecim ordinibus. Nempe intentio eſt, *Artem ludicram exercuiſti.* depulſio, *Non exercui artem ludicram.* quæſtio, *Quid ſit artem ludicram exercere.* Si accuſabitur theatrali lege, depulſio erit rei. ſi excitatus fuerit de ſpectaculis, & aget injuriarum: depulſio erit accuſatoris. Frequentius tamen illud accidet, quod eſt à pluribus traditum. Effugerunt has quæſtiones qui dixerunt ſtatum

tatio fit, & in majore propoſitione lex ponitur, in minore facti accommodatio ad legem. verbi gratia, ſi is quem adulterium commiſiſſe accuſamus, dicat actorem legem non habere, coget actorem ejuſmodi uti ſyllogiſmo, *Jus eſt, in adulterio necare deprehenſum: tu es in adulterio deprehenſus, ergo jure necandus es*, & ex conſequenti tecum jure agere licet. Vel *ſyllogiſmo*, ſtatu ratiocinativo. *Idem.*

1 *Nihilo minus enim.*] Si dicamus ſtatum à depulſione fieri, cum depulſio in ſtatu conjecturali fiat à reo, reus illic ſtatum faciet: at in ſtatu judiciali cum depulſio fiat ab actore, actor ſtatum illic conſtituet. *Idem.*

2 *Qui artem ludicram.*] Ottho Roſcius legem tulit, *ne quis in quatuordecim primis ordinibus ſederet, niſi qui cenſum equeſtrem haberet:* exceperat etiam eos qui infames ſunt. porro qui artem ludicram exercent, ex Prætoris edicto, de his qui notantur infamia, infames habentur. *Idem.*

3 *In quatuordecim primis ordinibus.*] Vide Pet. Pithœum Adverſ. lib. 2. c. 17. pag. 799. Lamp. Critic. Part. II.

1 *Videri-*

tum esse id quod appareat ex intentione & depulsione, ut *feciſti, non feci*: aut *recte feci*. [1] Viderimus tamen utrum id sit ſtatus, an in eo ſtatus. Hermagoras *ſtatum* vocat, per quem ſubjecta res intelligatur, & ad quem probationes etiam partium referantur. Noſtra opinio ſemper hæc fuit, quum essent frequenter in cauſſa diverſi quæſtionum ſtatus, in eo credere *ſtatum cauſſæ, quod eßet in ea potentißimum*, & [2] *in quo maxime res verteretur*. Id ſi quis *generalem quæſtionem*, vel *caput generale* dicere malit, cum hoc mihi non erit pugna: non magis quam ſi aliud adhuc, quo idem intelligatur, ejus rei nomen invenerit, quanquam tota volumina in hanc diſputationem impendiſſe multos ſciam, nobis *ſtatum* dici placet. [3] Sed cum in aliis omnibus inter ſcriptores ſumma diſſenſio eſt, tum in hoc præcipue videtur mihi ſtudium quoque diverſa tradendi fuiſſe: adeo nec qui ſit numerus, nec quæ nomina, [4] nec qui generales quive ſpeciales ſint ſtatus, convenit. [5] Ac primum Ariſtoteles elementa decem

1 *Viderimus tamen.*] Hanc opinionem Fabius non improbat, ſed exactius expendit, quaſi non ſit ſtatus, quæſtio quæ apparet ex intentione & depulſione, ſed in illa quæſtione ſit ſtatus. ut in hac quæſtione, *an fecerit*, eſt conjectura: *an recte fecerit*, additis firmamentis & rationibus, ſtatus apparet. *Turn.*

2 *In quo maxime res verteretur.*] Hoc intelligendum eſt de cauſa ſimplici. nam alioqui cauſa conjuncta plures habere cauſæ ſtatus poteſt æque principales, ut *repetundarum cauſa*. Idem.

3 *Sed cum in aliis.*] Nunc ad poſtremum membrum accedit, *Quot ſint ſtatus*: in quo minor quam in duobus prioribus eſt auctorum diverſitas. *Idem.*

4 *Nec qui generales.*] Generales ſunt ſtatus, ſtatus rationales, *an ſit, quid ſit, quale ſit*: ſpeciales vero legales, quia ſunt tanquam rationalium quædam ſpecies. *Idem.*

5 *Ac primum Ariſt.*] Uſum prædicamentorum, quæ κατηγορίας vocat Ariſtoteles poſitum ajunt dialectici in vocum certis ordinibus, ex quibus propoſitiones demum fiant, & quo pacto ſimplices res rationeſque ad ſua genera poſſint perduci, & immenſa vocum rerumque turba in illos ordines deſcripta non amplius tumultuaretur. Fabius vero altius cernens retulit ad quatuor quæſtiones, quas tractat *Ariſt. primo capite l. 2. poſt. & lib. primo Top.* Hæc autem *elementa*, inquit *Valla lib. 1. cap. 1. Dial.* Quintilianus vocat, quod ſenſus cæterorum vocabulorum ad iſta tanquam ad elementa & principia referantur: ob eamque rem dicuntur *genera*, quod ex his cætera ſignificata gignantur, &c. quæ ſequuntur. Fortunatianus lib. 3. στάσεως partes, ſine quibus nulla controverſia fieri poſſit, ſimiliter & Hermagoras μέρη στάσεως. Theodorus στοιχεῖα. id eſt, *elementa*, quod ex eorum conjunctione quæſtiones fiant, perinde atque ex literis ſyllabæ & verba connectuntur. Eſſe autem ſeptem ait, quas Græci ἀφορμὰς vocant. Hæc ille. *Idem. Ac primum Ariſtoteles, &c.*]

cem constituit, circa quæ versari videatur omnis quæstio. [1] Οὐσίαν, quam Flavius *essentiam* vocat: [2] neque sane aliud est ejus nomen Latinum: [3] sed ea quæritur an sit. [4] *Qualitatem*, cujus apertus intellectus est. *Quantitatem*, quæ dupliciter à posterioribus divisa est, [5] quam magnum, & quam multum sit. [6] Ad aliquid unde ductæ *translatio* & *comparatio*. Post hæc ubi, & quando: deinde facere, pati: habere, quod est quasi armatum esse, & vestitum esse. Noviſſime, κεῖσθαι, quod est [7] compositum esse quodammodo, *ut* [8] *sedere, stare,*

les, &c.] Στοιχεῖα initia, ut mundi, vel humor vel ignis. Vel materia. Vel corpora insecabilia. Vide Boëth. l. 2. Arithm. Porphyrii fragment. de x. prædic. *Pith.*

1 *Οὐσίαν, quam Flavius essentiam.*] Videndus M. Ant. Muretus Var. lect. libro 15. cap. 20. pag. 1153. Lamp. Crit. Part. 2. Seneca Epist. 59.

2 *Nec sane est aliud ejus nomen Latinum.*] De hoc vide *lib. 2. cap. 14. & l. 8. c. 3.* Seneca item epistola quadam τὸ ὂν καὶ τὴν οὐσίαν latine exprimi posse negat. Flavius *essentiam* seu *entiam*, dura quidem, sed pene sola appellatione usus est. Nanque substantia οὐσίαν non exprimit, cum aliud esse intelligamus εἶναι, aliud *substare* & *subsistere*, quod Græcis ὑπάρχειν. Certe neque *essentia* neque *substantia* Cicero unquam est usus, sed antiquo verbo natura locis pene infinitis, ut *lib. Tusc. quæst. 1.* Quod enim omnes dicunt, Aristotelem invenisse *quintam essentiam*, ille *naturam* appellat his verbis: Aristoteles his omnibus (Platonem semper excipio) præstans & ingenio & diligentia, cum quatuor nota illa genera principiorum esset complexus, è quibus omnia orirentur, quintam quandam naturam censet esse, è qua sit *mens*. Ubi vocabulum hoc usurpat pro οὐσίᾳ, non pro φύσει. Quod & divus Augustinus non ignoravit, qui principio 2. *libri de moribus Manichæorum* ait, Nam & ipsa natura nihil aliud est quam id quod intelligitur in suo genere aliquid esse. Itaque ut nos jam novo nomine ab eo quod est *esse* vocamus *essentiam*, quam plerunque *substantiam* etiam nominamus: ita veteres qui hæc nomina non habebant, pro *essentia* & *substantia naturam* vocabant. *Idem.*

3 *Sed ea quæritur an sit.*] *Substantiam* latius accipit Fab. quam Aristoteles, ut ad ea omnia pertineat, in quibus quæritur de rei (ut ita dicam) existentia: ac secutus est etymologiam nominis, & quæstionis rationem. *Idem.*

4 *Qualitatem.*] *Qualitatem*, & qualia Cic. etiam vocat, 1. quæst. Acad. quas Græci ποιότητας: quod ipsum non est apud Græcos vulgi verbum, sed philosophorum. Ea est autem per quam dicimus *quales*, id est, certa quadam affectione præditi. *Idem.*

5 *Quam magnum, & quam multum.*] *Magnitudo* quantitas est continua, quæ copulatas aliquo termino habet partes: *multitudo* vero quantitas est discreta, cujus partes non aliquo vinculo copulantur. *Idem.*

6 *Ad aliquid.*] Πρός τι, quod Cic. in Top. vertit, id quod cum aliquo confertur, ut *duplum simplum*, *multa pauca*, *longum breve*, *majus minus*. Ex quo duplex emanat quæstio: comparativa, *Uter dux melior, Scipio an Annibal*; Translativa, an huic in hunc sit agendi jus. *Idem.*

7 *Compositum esse.*] Hoc prædicamentum significat quandam corporis positionem, & quendam situm: *ut reclum esse.* Idem.

8 *Sedere, stare, jacere.*] Calefacere, stare, irasci.

1 *Alii*

re, jacere. Sed ex his omnibus prima quatuor ad ſtatus pertinere, cætera ad quoſdam locos argumentorum videntur. [1] Alii novem elementa poſuerunt. [2] *Perſonam* qua de animo, corpore, extra poſitis; quæratur: quod pertinere ad conjecturæ & qualitatis inſtrumenta video. [3] *Tempus,* quod χρόνον vocant, ex quo quæſtio, An is quem [4] dum addicta eſt, mater peperit, ſervus ſit natus. [5] *Locum*, unde controverſia videtur, *An fas fuerit Tyrannum in templo occidere:* an exulaverit qui domi latuit. [6] *Tempus* iterum, quod καιρὸν appellant. Hanc autem videri volunt ſpeciem illius temporis, ut æſtatem, vel hyemem. [7] Huic ſubjicitur ille in peſtilentia comeſſator. *Actum*, id eſt πρᾶξιν, quod eo referunt, *ſciens commiſerit, an inſciens: neceſſitate, an caſu,* & talia. *Numerum,* qui cadit in ſpeciem quantitatis, [8] *An Thraſybulo triginta præmia debeantur*, qui tot tyrannos ſuſtulerit. Cauſſam,

1 *Alii novem elementa.*] Videtur hæc opinio eſſe Theodori. ille enim *circunſtantias* appellat elementa. auctor *Fortunatianus.* Idem.

2 *Perſonam.*] Cujus tripartitam eſſe volunt controverſiam ex triplici bonorum genere, *corporis, animi,* & *extrà poſitorum* ſive fortuitorum. quæ ad conjecturæ probationes pertinent, quod rei factæ aut fidem adferant aut detrahant: *ad qualitatem* vero, quod animus ſæpe excuſat injuriam, & tam corporis quam fortunæ præſidia & adjumenta in utranque partem qualitatis valent plurimum. Sed de hoc fuſe lib. 5. *Idem.*

3 *Tempus.*] Intelligitur autem *tempus generale*, quod nullam habet circunfinitionem: dividiturque *in præteritum, præſens, & futurum.* Vide hac de re Fabium libro quinto. *Idem.*

4 *Dum addicta eſt mater.*] *Addicti* vocantur, qui obſtricti ære alieno, cum ſolvendo non ſint addicuntur à Prætore ad corporis ſervitutem, donec opera paria faciat cum accepta pecunia. *Idem.*

5 *Locum.*] Locus ut in conjectura probationum, ſic in qualitate materiam præbet quæſtionum, authore *Fab. l.* 5. Idem.

6 *Tempus iterum, quod καιρὸν.*] Speciale quoddam *tempus*, id eſt occaſionem opportune an ſecus agendi. quædam enim alio alioque tempore melius geruntur. *Idem.*

7 *Huic ſubjicitur.*] *Fortuita* eſt hæc *occaſio*, unde trahitur illud declamationis argumentum, de eo qui invaleſcente peſte epulas celebrabat, & paſſim ſe vino ciboque explebat, ut crimen totum illi ex eo confletur, quod per occaſionem alienæ calamitatis ipſe luxu diffluueret, itaque peſtem invexiſſe & auxiſſe crederetur. *Vide lib.* 5. *de locis argumentorum.* Idem.

8 *An Thraſybulo.*] Lacedæmonii Athenienſibus ſuperatis, triginta prætores impoſuerunt, qui tyrannidem occuparunt, & à Traſybulo ſublati ſunt: is tamen duntaxat corona oleagina donatus eſt. vide Juſtinum. *Idem*

[1] Cauſſam, cui plurimæ ſubjacent lites, quoties factum non negatur, ſed quia juſta ratione ſit factum, defenditur. Τρόπον, cum id quod alio modo fieri licet, alio dicitur factum: hinc eſt *adulter loris cæſus, vel fame necatus.* Occaſionem factorum, quod eſt apertius, quam ut vel interpretandum, vel exemplo ſit demonſtrandum: tamen ἀφορμὰς ἔργων vocant. Hi quoque nullam quæſtionem extra hæc putant. Quidam detrahunt duas partes, *numerum* & *occaſionem*: & pro illo quem dixi actu, ſubjiciunt res, id eſt πράγματα. Quæ ne præteriſſe viderer, ſatis habui attingere. [2] Cæterum his nec ſtatus ſatis oſtendi, nec omnes contineri locos credo: quod apparebit diligentius legentibus, quæ de utraque re dicam. Erunt enim plura multo, quam quæ his elementis comprehenduntur. [3] Apud plures auctores legi placuiſſe quibuſdam, unum omnino *ſtatum* eſſe *conjecturalem.* Sed quibus placuerit, neque illi tradiderunt, neque ego uſquam reperire potui. Rationem tamen hanc ſecuti dicuntur, quod res omnis [4] ſignis colligeretur. [5] quo modo licet qualitatis quoque ſolum ſtatum faciant: quia ubique qualis ſit cujuſque rei natura, quæri poteſt. Sed utrocunque modo ſequetur ſumma [6] confuſio. [7] Neque intereſt unum quis ſtatum faciat,

1 *Cauſſam.*] Huc pertinent omnes quæſtiones cauſarum, in quibus jure factum defendimus. ſed de his omnibus fuſius *Fabius lib.* 5. de locis argumentorum. *Idem.*

2 *Cæterum his.*] Communi utitur reprehenſione, eamque breviter concludit. *Idem.*

3 *Apud plures.*] Nunc enumerat varias opiniones de ſtatuum numero: quibus expoſitis quid ipſe ſentiat explicabit. *Idem.*

4 *Signis colligeretur.*] *Signum locus eſt conjecturalis.* eſt enim nota quædam quæ ſub ſenſum cadit, & ex ſe aliquid indicat. hi autem ſigna accipiunt pro quacunque veriſimili probatione, aut etiam neceſſaria, quæ in omnibus ſtatibus reperitur. *Idem.*

5 *Quo modo libet.*] L. Vallæ codex habet, *Quo modo licet qualitatis, &c.* quæ lectio communior eſt. Reprehendit autem opinionem ſuperiorem ab abſurdo. *Idem.*

6 *Confuſio.*] Sive enim conjecturam, ſive qualitatem ſolam, magna quædam orietur obſcuritas, quia diſtingui in tot ſpecies quæſtionum non poſſunt. *Idem.*

7 *Neque intereſt.*] Quemadmodum ſi nullus eſſet ſtatus definitus, labi nemo poſſet eo eligendo, cum fortuito obtigiſſet: ita ſi unum eſſe dicis, omnes ſimiles facis cauſas, neque proinde errare poteris. naturam enim ducem ſequereris. *Idem.*

1 *Con-*

faciat, an nullum, si omnes causſæ sint conditionis ejusdem. [1] *Conjectura* dicta est à conjectu, id est directione quadam rationis ad veritatem: unde etiam somniorum atque ominum interpretes *conjectores* vocantur. Appellatum tamen est hoc genus varie, sicut in sequentibus apparebit. [2] Fuerunt qui duos status facerent: Archidemus *conjecturalem*, & *finitivum*, excluſa *qualitate*, quia sic de ea quæri existimabat quid esset iniquum, quid injustum, quid dicto audientem non esse: quod vocat, [3] de eodem & alio. Hinc diversa sententia eorum fuit, qui duos quidem status esse voluerunt, sed unum *inficialem*, alterum *juridicialem*. Inficialis, quem nos dicimus *conjecturalem*, cui ab inficiando nomen alii in totum dederunt, alii in partem, quia accusatorem conjectura, reum inficiatione uti putaverunt. *Juridicialis* est qui [4] διαιολογικὸς Græce dicitur. Sed quemadmodum ab Archidemo qualitas excluſa est, sic ab his repudiata finitio. [5] nam subjiciunt eam juridiciali: quærendumque arbitrantur, justumne sit sacrilegium appellari quod objiciatur, vel furtum vel amentiam. Qua in opinione [6] Pamphilus fuit: sed *qualitatem* in plura partitus est: plurimi deinceps, mutatis tantum nominibus, in rem de qua non constet, in rem de qua constet. Nam est verum, nec aliter fieri potest, quam ut aut certum sit factum esse quid, aut non sit. Si non est certum, conjectura sit: si certum est,

8

1 *Conjectura.*] Quia status princeps est *conjectura*, unde ejus nomen trahatur, exponit: nempe à *conjectu*, qui est agitatio mentis solers ad veritatem signis eliciendam. De hoc vero fuse paulo post. *Idem.*

2 *Fuerunt qui, &c.*] Pergit enumemerare varias de numero statuum sententias. *Idem.*

3 *De eodem & alio.*] De eodem & alio appellamus, quando quid differentiæ sit inter res aliquas aut similitudinis, adjectis proprietatibus explicamus. *Idem.*

4 Διαιολογικὸς.] Quia qui illo statu contendit, jura sua allegat. ita enim appellatur διαιολογία. *Idem.*

5 *Nam subjiciunt.*] Non putant simpliciter quæri de facti appellatione oportere, sed annectendam *qualitatem*, ut fiat juridicialis mixtus. *Idem.*

6 *Pamphilus.*] Aut hic pictor fuit, sed idem (ut docet *Plinius*) doctissimus: aut pictoris Pamphili gentilis, unde à *Cicer.* 1. *de Oratore* irridetur, quod in infulis artem rhetoricam scripserit. *Idem.*

est, reliqui status. Nam idem dicit Apollodorus, quum quæstionem aut in rebus extra positis, quibus conjectura explicatur, aut in nostris opinionibus existimat positam: quorum illud πραγματικὸν, hoc περὶ ἐννοίας vocat. Idem, qui ἄπορον & προληπτικὸν dicunt, quo dubium & præsumptum significatur, de quo liquet. Idem Theodorus, qui de eo an sit, & de accidentibus ei quod esse constat, id est περὶ οὐσίας καὶ συμβεβηκότων existimat, quæri. Nam in his omnibus prius genus conjecturam habet, sequens reliqua. Sed hæc reliqua Apollodorus duo vult esse, *qualitatem*, & de nomine, id est finitivam: Theodorus, quid, quale, quantum, ad aliquid. [2] Sunt & qui de eodem, & de alio, modo qualitatem esse, modo finitionem velint. In duo & Posidonius dividit, *vocem*, & *res*. In voce quæri putat an significet [3] quid, quam multa, quomodo: in rebus conjecturam, quod [4] κατ' αἴσθησιν vocat: & qualitatem: & finitionem, cui nomen dat [5] κατ' ἔννοιαν: & ad aliquid. [6] Unde & illa divisio est, alia esse scripta, alia inscripta. Celsus Cornelius duos & ipse fecit status generales, an sit, quale sit. Priori subjecit finitionem, [7] quia æque quæratur an sit sacrilegus qui nihil

1 *In rebus extra positis.*] Res extra positas vocat, *circumstantias*, *signa*, *tabulas*, *testimonia*, quæ primas habent in omni conjectura, quæque extrinsecus assumuntur ad conjecturæ probationem. Res positas in nostris opinionibus, dicit, quia in opinione judicum est positum, debeatne hoc sic appellari, aut justum existimari. *Idem.*

2 *Sunt qui de eodem.*] Cicero quoque hac in re est varius. nam *in Part.* idem & aliud subjicit finitioni: *in Topicis* vero, qualitati: ac si propriis notis & tanquam definitione differentiam aut similitudinem colligas, merito ad definitionem redigetur: sin autem accidentibus, ad qualitatem. de hoc autem fusius *lib.* 7. *Fab.* Idem.

3 *Quid, quam multa, quomodo.*] Sub voce quærendi, *formam*, quæ ab Aristotele in Posterioribus, quid est, vocatur, comprehendit. Primum autem efficit *scriptum & voluntatem.* nam quæ voluntas sit legis & significatio, quæritur: secundum efficit *ambiguitatem*, quando verba in plures intellectus possunt trahi: tertium *ratiocinationem.* nam illic quæritur quomodo quod scripto comprehensum non videtur, à scripto significetur. *Idem.*

4 Κατ' αἴσθησιν.] Forte, quod facti probatio signis in sensum venientibus peragatur. unde secundum sensum *status* dicetur *conjecturalis.* Idem.

5 Κατ' ἔννοιαν.] Quod rationis vi & cogitationis probetur. *Idem.*

6 *Unde & illa divisio.*] Scripti, *legales* dicuntur: non scripti, *conjectura*, qualitate & finitione terminantur. *Idem.*

7 *Quia æque.*] Quia utrobique negatio:

nihil se sustuliſſe de templo dicit, & qui privatam pecuniam confitetur sustuliſſe. Qualitatem, in rem & scriptum dividit. Scripto, quatuor partes legales, excluſa translatione: quantitatem [1] & mentis quæstionem, conjecturæ subjecit. Est etiam alia in duos dividendi status ratio, quæ docet aut de substantia controversiam esse aut de qualitate: ipsam porro [2] qualitatem aut in summo genere consistere, aut in succedentibus. De substantia est conjectura. Quæstio enim tractatur rei, an facta sit, an fiat, an futura sit. Interdum etiam mentis: idque melius, quam quod iis placuit qui statum eundem facti nominaverunt, tanquam de præterito tantum, & tantum de facto quæreretur. Pars qualitatis quæ est de summo genere, raro in judicium venit: quale est, [3] *id ne sit honestum, quod vulgo laudatur.* Succedentium autem aliæ de communi appellatione, ut *sitne sacrilegus, qui pecuniam privatam ex templo furatus est.* Aut de re denominata, ubi & factum esse certum est, nec dubitatur quid sit quod factum est. Cui subjacent omnes de *honestis, justis, utilibus,* quæstiones. His etiam cæteri status contineri dicuntur, [4] quia & quantitas modo ad conjecturam referatur, ut [5] *majorne*

tio: perfecta quidem in conjectura, in definitione quadantenus, nempe quoad facti illud nomen esse inficiamur. Celsus item finitionem conjecturæ subjicit, quod videret nonnullas finitiones ad conjecturam accedere, eandemque in omnibus rationem esse existimaret. Est autem duplex quærendi per finitionem forma seu ratio: una, cum quid sit res quæritur, ut, *quid est homo?* Altera cum finitionem ipsam quærimus, ut, *an homo sit animal rationale, mortale:* & hoc conjectura tractatur, prius vero nunquam ad eam accedit. *Idem.*

1 *Et mentis quæstionem.*] Fabius quoque libro septimo duplicem facit conjecturam: alteram *rei*, alteram *mentis*, cum quæritur quo animo fecerit. *Idem.*

2 *Qualitatem aut in summo genere, &c.*] *Qualitas de summo genere* sive infinita est, quando in universum qualis sit cujusque rei natura & forma, quæritur. quæstiones autem hæ vix in judicium veniunt, interdum tamen in deliberationem: certe à philosophis fere solis tractantur. *Qualitas* autem *de succedente genere* seu finita est, cum de rebus superiori subjectis particularius quæritur, ut de utili, justo, honesto. hæ quæstiones cadunt in deliberationem & judicia frequenter. De hac autem divisione *Fabius lib.* 7. *Idem.*

3 *Id ne sit honestum.*] Qua in re Stoïci diligenter differunt contra Cyrenaicos. *Idem.*

4 *Quia & quantitas modo, &c.*] De his vide fusius apud *Fab. lib.* 7. Idem.

5 *Majorne sol, &c.*] Nam mathematici ajunt undeviginti partibus majorem esse terra solem: *Epicurus* vero tantum

jorne Sol quam terra: modo ad qualitatem, *quanta pœna quempiam quantove præmio sit affici justum*: & [1] translatio versetur circa qualitatem, & definitio pars sit translationis. quin & contrariæ leges, & ratiocinativus status, id est syllogismus, & plerunque scripti & voluntatis, æquo nitantur: nisi quod hic tertius aliquando conjecturam accipit, quid senserit legis constitutor: ambiguitatem vero semper conjectura explicari necesse sit: quia cum sit manifestum verborum intellectum esse duplicem, de sola quæritur voluntate. A plurimis tres sunt facti generales status, quibus & [2] Cicero in oratore utitur, & omnia quæ aut in controversiam aut in contentionem veniant, contineri putat, [3] *Sitne, quid sit, quale sit*: quorum nomina apertiora sunt quam ut dicenda sint. Idem Patrocles sentit. Tres fecit & M. Antonius, his quidem verbis, Paucæ res sunt, quibus ex rebus omnes orationes nascuntur, *factum, non factum: jus, injuria: bonum, malum.* [4] Sed quoniam quod jure dicimur feciſſe, non hunc solum intellectum habet, ut lege, sed illum quoque, ut juste feciſſe videamur: secuti [5] Antonium apertius voluerunt eosdem status distinguere. Itaque dixerunt *conjecturalem, legalem, juridicialem*: qui & [6] Virginio placent. Horum deinde fecerunt species, ita ut [7] legali subjicerent finitionem, & alios qui ex scripto dicuntur: legum

esse quantum nobis videretur. *Anaximander* apud Plutarchum, solem æqualem facit terræ, circuitum vero ejus quo vehitur, septies & vicies esse majorem. conjecturalis itaque erit quæstio. *Idem.*

1 *Translatio versetur, &c.*] Quia quæritur justumne sit hac de causa rectam litis intentionem eludi. *Idem.*

2 *Cicero in Oratore.*] Etiam in *lib. de Oratore ad Q. fratrem.* Idem.

3 *Sitne, quid sit, quale sit.*] Cicero libro 2.

4 *Sed quoniam.*] Quia enim cum dico, *jure feci*, non tamen lege licere dico, ideo Antonium secuti, inter jus & injuriam, bonum & malum ut discrimen statuerent, primum statum conjecturalem: alterum, quo lege nitimur, *legalem*: tertium, quo rationis vi bonum esse contendimus, *juridicialem* nominarunt. *Turneb.*

5 *M. Antonius.*] Eo opinor libro quem imperfectum inchoatumque reliquit. *Idem.*

6 *Virginio.*] Item Cornificio in rhetor. ad Herennium. *Virginii* autem crebra est mentio apud Quintilianum & Plinium juniorem. *Idem.*

7 *Legali subjicerent fin.*] Quia in definitione vocabula scripti sunt explicanda. *Idem.*

1 *Ipsi*

gum contrariarum, quæ ἀντινομία dicitur: & ſcripti, & ſententiæ vel voluntatis, id eſt καθ' ῥητὸν, καὶ διάνοιαν: & μεταλήψιν, quam nos varie *tranſlativam*, *tranſſumptivam*, *tranſpoſitivam* vocamus: συλλογισμὸν, quem accipimus ratiocinativum, vel collectivum: ambiguitatis, quæ ἀμφιβολία nominatur: quos poſui, quia& [1] ipſi à pleriſque ſtatus appellantur, quibuſdam legales potius quæſtiones eas dici placuit. Quatuor fecit Athenæus. προτρεπτικὸν τάσιν, vel [2] παραινετικὸν, id eſt exhortativum, qui [3] ſuaſoriæ eſt proprius. [4] συντελικὸν, qua conjecturam ſignificari, magis ex his quæ ſequuntur, quam ex ipſo nomine apparet μεταβατικὸν. ea finitio eſt, [5] mutatione enim nominis conſtat. Juridicialem, eadem appellatione Græca, qua cæteri, uſus. Nam eſt (ut dixi) multa in nominibus differentia. Sunt qui μεταβατικὸν tranſlationem eſſe exiſtiment, ſecuti hanc [6] mutationis ſignificationem. Fecerunt alii totidem ſtatus, ſed alios, *an ſit*, *quid ſit*, *quale ſit*, *quantum ſit*: ut [7] Cæcilius & Theon. [8] Ariſtoteles in rheto-

1 *Ipſi à pleriſque ſtatus appellantur.*] Nam ſtatus ſcripti à rationalibus oriuntur, & ad rationales reducuntur: peculiarem tamen habent tractatum, ut videantur potius eſſe quæſtiones ſpeciales à ſtatibus ortæ, quam ſtatus: quo nomine Fortunatianus libro tertio eas appellat, ab inventore νομικὰς, à nobis *legales* dici aſſerens. *Idem.*

2 Παραινετικὸν.] Παρορμητικὸν. P.

3 *Suaſoriæ.*] Quemadmodum ex Hermogene colligit Trapezuntius, ſtatum negotialem proprium fecit ſuaſoriæ cauſæ. *Turneb.*

4 Συντελικὸν.] Sic fortaſſe, quia contracta & coëuntia argumenta ſive ſigna ex quibus conjectura petitur, proſunt, ut docebit *lib.* 5. *cap.* 9. & quod per ſe non ſufficit, cæteris adjunctum, teſtimonii loco dicetur. συντελεῖν enim *proficere* & *ad ſummam conferre* ſignificat.

5 *Mutatione enim nominis conſtat.*] Quia nomen quod intenditur ab actore, à reo mutatur, & ejus loco aliud ſubſtituitur, ut, *concedo furtum eſſe, ſacrilegium nego. Idem.*

6 *Mutationis ſignificationem.*] Quia in tranſlatione aut judicem, aut actorem, aut tempus, aut actionem mutamus. μεταβάλλειν autem *mutare* eſt. *Idem.*

7 *Cæcilius & Theon.*] De *Cæcilio* dictum eſt ante: *Theon* vero hic eſt, cujus adhuc circunferuntur progymnaſmata rhetorica. *Idem.*

8 *Ariſtotel. in Rhet.*] *Lib.* 1. *cap.* 3. ſub oratoris materia ſtatus intelligens, tria ſubdit omnibus cauſarum generibus, *veritatem*, quam exiſtimat eſſe in propoſitionibus de poſſibili, contingenti & neceſſario, in quibus per conjecturam quærimus ſitne res vera quæ facta dicitur. Deinde *juſta & injuſta*, quæ ille petenda & fugienda vocat pro facti conditione: in quibus qualitas eſt. Quæſtiones deinde de eodem & alio (περὶ τοῦ αὐτοῦ καὶ ἑτέρου) in quibus quam multum & quam magnum quæritur, quæ

rhetoricis etiam ſic omne opus dividit, in veritatem, & petenda ac fugienda, quod eſt ſuaſoriæ: & eodem atque alio partiendo ad hoc pervenit, ut, *an ſit, quid, quale, quantum, & quam multum ſit*, quærendum putet. Quodam tamen loco finitionis quoque vim intelligit, quo dicit quædam ſic defendi, [1] *Suſtuli, ſed non furtum feci: Percuſsi, ſed non injuriam feci.* [2] Poſuerat & Cicero in libris rhetoricis, facti, nominis, generis, actionis: ut in facto conjectura, in nomine finitio, in genere qualitas: in actione jus intelligeretur. Juri ſubjecerat translationem. Verum hîc legales quoque quæſtiones alio loco [3] tractat ut ſpecies actionis. [4] Fuerunt qui facerent [5] quinque, *conjecturam, finitionem, qualitatem, quantitatem, ad aliquid.* [6] Theodorus quoque (ut dixi) iiſdem generalibus capitibus utitur, *an ſit, quid ſit, quale ſit, quantum ſit, ad aliquid.* Hoc ultimum maxime in comparativo genere verſari putat: quoniam melius ac pejus, majus & minus, niſi alio relata non intelliguntur. Sed in illas quoquo translativas, ut ſupra ſignificavi, quæſtiones incidunt, an huic jus agendi ſit, vel facere aliquid conveniat, an contra hunc, an hoc tempore, an ſic. Omnia enim

quæ quantitatis ſunt ſpecies. Alio deinde loco *definitionem* enumerat, ita ut cum Cæcilio & Theone conſentire videatur. *Idem.*

1 *Suſtuli, ſed non.*] Οἷον λαβεῖν μὲν, ἀλλὰ οὐ κλέψαι. καὶ πατάξαι πρότερον, ἀλλ' οὐχ ὑβρίσαι, & quæ ſequuntur. *Idem.*

2 *Poſuerat & Cicero.*] *Cicero lib. de Inventione* quatuor videtur ſtatus poſuiſſe, ob idque hîc inter eos à Fabio numerari qui quatuor fecêre. differt tamen à ſuperioribus, quod *quantitatis* aut exhortativi loco, nunc *tranſlationem*, nunc *actionem* ponit, & ſub ea quæſtiones omnes legales, ut *in Partitionibus.* Idem.

3 *Tractat ut ſpecies actionis.*] *Actionem* paulo latius accipimus, ut jus agendi ſignificet, & legis actionem. ac tum legis & juris adjumento petitionem ſummovebimus, *tranſlatio* erit: cum vero ex præſcripto legum & juris actionem intendemus, & apud judicem rem petemus, *ſtatus legales* orientur. *Idem.*

4 *Fuerunt qui facerent quinque.*] Hi tribus illis vulgaribus, *an ſit, quid ſit, quale ſit*, adjungunt quantitatem, & ad aliquid: ignorantes hæc poſſe ad qualitatem referri. *Idem.*

5 *Quinque.*] In partition.

6 *Theodorus.*] Theodorum ante inter eos recenſuit, qui duos ſtatus facerent, qui quæſtiones omnes in his verſari ait, *an ſit*, & *accidentibus ejus*: nunc inter eos qui quinque ponunt ſtatus, quoniam accidentia in quatuor generales quæſtiones dividebat, *quid ſit, quale, quantum, ad aliquid.* Turneb.

1 *Alii*

enim ista referri ad aliquid necesse est. [1] Alii sex status putant: *conjecturam*, quam [2] γένεσιν vocant, & qualitatem: & *proprietatem*, id est [3] ἰδιότητα, quo verbo finitio ostenditur: & *quantitatem*, quam [4] ἀξίαν dicunt: & [5] *comparationem*: & *translationem*, cujus [6] ad hoc novum nomen inventum est μετάστασις. novum inquam in statu, alioqui ab Hermagora inter species juridiciales usitatum. [7] Aliis septem esse placuit: à quibus nec translatio, nec quantitas, nec comparatio recepta est: sed in horum trium locum subditæ quatuor legales, adjectæque tribus illis rationalibus. Alii pervenerunt usque ad octo, translatione ad septem superiores adjecta. A quibusdam deinde divisa ratio est, ut status rationales appellarent, quæstiones (quemadmodum supra dixi) legales. In illis de re, in his de scripto quæreretur. Quidam in diversum hos status esse, illas quæstiones maluerunt. [8] Sed alii rationales tres putaverunt, *an sit*, *quid sit*,

1 *Alii sex.*] Hi ad quinque superiores translationem constituunt generale caput, quam Theodorus partem fecit quæstionum *ad aliquid*. Idem.

2 Γένεσιν] Qua quæritur de origine seu effectu, *factumne sit*, *& à quo*. Idem.

3 Ἰδιότητα.] Fortunatianus, Altera rationalis est quæstio, quam Hermagoras *finem* vocat, Theodorus τὴν ἰδιότητα, id est *de proprietate*: quidam *quid sit*, nonnulli de eodem & altero, περὶ ζωῆς καὶ ἑτέρου. hæc enim definitioni attribuitur, quod nimirum definitio ita rem exæquare debet, ut nec se latius effundat, nec angustius contrahatur. *Idem.*

4 Ἀξίαν.] Quia cum quantitate est, ut ostendatur *rei dignitas* vel *indignitas*, & similia, quo fere omnes quantitatis quæstiones in civili disputatione susceptæ referuntur. *Idem.*

5 *Comparationem.*] *Ad aliquid.* Idem.

6 *Ad hoc.*] Præter hoc quod prius ab aliis vocaretur μετάληψις, esseturque non status, sed pars juridicialis status, & assumptivæ qualitatis species una, & relatio criminis ab Hermogene vocatur: primum novo nomine μετάστασις dicta est, ut inter status poneretur. Alii tamen hic μετάληψις legi malunt, quod sic ab Hermogene vocetur, qui Hermagoram nobis proxime expresserit. *Idem.*

7 *Alii septem esse placuit.*] Tres consuetos, qui *rationales* appellantur, quod eorum quæstiones extra scriptionem positæ, in rationis usum veniunt: & quatuor legales. Qui octo faciunt, his septem *translationem* addunt. *Idem.*

8 *Sed alii rationales.*] Rationales status nonnulli faciunt duos, *an sit*, *& quale*: alii tres, *quid sit* addentes. Hermagotas quatuor, tribus his *qualitatem* subjungens. Quam dividit in *rem* & *personam*. in *negotialem* & *judicialem*: has quatuor speciales facit, & quatuor primis generalibus subjectas. In eadem est opinione Fortunatianus, ac quatuor rationales facit, ut libenter solet imitari Hermagoram. *Idem.*

1 *Negotialem*

sit, quale sit: Hermagoras solus quatuor, *conjecturam, proprietatem, translationem, qualitatem*, quam per accidentia, id est κατὰ συμβεβηκός vocat, hac interpretatione, an illi accidat viro bono esse, vel malo. Hanc ita dividit, de appetendis & fugiendis, quæ est pars deliberativa. De persona, ea ostenditur laudativa. [1] Negotialem quam πραγματικὴν vocat, in qua de rebus ipsis quæritur remoto personarum complexu, ut, *Sitne liber* [2] *qui est in assertione:* [3] *an divitiæ superbiam pariant: an justum sit quid, an bonum sit.* Juridicialem, in qua fere eadem, sed certis destinatisque personis quærantur: *an ille juste hoc fecerit vel bene.* Nec me fallit, in primo Ciceronis rhetorico aliam esse [4] loci negotialis interpretationem, cum ita scriptum sit, Negotialis est, in qua quid juris ex civili more & æquitate sit, consideratur: cui diligentiæ [5] præesse apud nos jurisconsulti existimantur. Sed quod ipsius de his libris judicium fuerit, supra dixi. Sunt enim velut regestæ in hos commentarios, quas adolescens deduxerat [6] scholæ: & si qua est in his culpa, tradentis est: sive eum movit, quod Hermagoras prima in hoc loco posuit exempla ex quæstionibus juris, sive quod Græci [7] πραγματικοὺς vocant juris interpretes. Sed Cicero quidem his pulcherrimos illos de oratore substituit, ideoque culpari

1 *Negotialem.*] *Negotialis status* secundum Hermagoram est, cum de negotio quæritur, quale tandem sit, remotis personarum circunstantiis: secundum Hermogenem, status est qualitatis de futuro, ut, *agendumne aliquid, an non?* Idem.

2 *Qui est in assertione.*] *Assertio* est judicium de alicujus libertate constitutum: ut si quis statu liber in jus vocaretur, ut in servitutem assereretur. *causa* vero *liberalis* vocatur. *Idem.*

3 *An divitiæ superbiam pariant.*] Solet enim opulentiæ comes esse insolentia & fastus. quod & philosophi tradiderunt. *Idem.*

4 *Loci.*] Vocem *loci*, quidam tollunt. Lib. 1. de Invent.

5 *Præesse apud nos, &c.*] Nam Romæ jurisconsulti de jure responsa dabant, ac si aliquis civis quidpiam esset acturus, illos consulebat an fieri posset ex more civili & æquitate. *Turneb.*

6 *Scholæ.*] Scholæ hic ut Cic. Tusc. quæst. lib. 1. *pro disputationibus accipe:* itaque digere, *sunt e. v. scholæ regestæ in h. com. quas* s. scholas, *adolesc. deduxerat.*

7 Πραγματικοὺς *vocant.*] *Pragmatici* sunt apud Græcos, ut *jurisconsulti* apud Latinos, qui advocatis juris rationem olim suppeditabant, formulas & actiones illis explicabant. De his vide *lib.* 12. *Fab.* & Budæum *in Post. annotationibus in Pandectas.* Turneb.

1 *Trans-*

pari tanquam falsa præcipiat, non potest. Nos ad Hermogoram. [1] *Translationem* hic primus omnium tradidit, quanquam semina ejus quædam citra nomen ipsum [2] apud Aristotelem reperiuntur. [3] Legales autem quæstiones has fecit, scripti & voluntatis (quam ipse vocat κατὰ ῥητὸν, καὶ ὑπεξαίρεσιν, id est dictum, & [4] exceptionem: [5] quorum prius ei cum omnibus commune est, exceptionis nomen minus usitatum) ratiocinativum, ambiguitatis, legum contrariarum. [6] Albutius eadem divisione usus, detrahit translationem, subjiciens eam juridiciali. In legalibus quoque quæstionibus nullum putat esse qui dicatur *ratiocinativus*. [7] Scio plura inventuros adhuc qui legere antiquos studiosius volent: sed ne hæc quoque excesserint modum, vereor. Ipse me paulum in alia quam prius habuerim opinione, nunc esse confiteor. Et fortasse tutissimum erat famæ modo studenti, nihil ex eo mutare, quod multis annis non sensissem modo, verumetiam approbassem. [8] Sed non sustineo esse conscius mihi dissimulanti, in eo præsertim opere, quod ad bonorum juvenum aliquam utilitatem componimus, in ulla

1 *Translationem hic primus.*] *Cicero* idem *lib.* 1. *de Invent.* testatur: Hujus, inquit, constitutionis Hermagoras inventor existimatur esse, non quia non sint usi ea veteres oratores sæpe multi, sed quia non animadverterint artis scriptores superiores, neque retulerint in numerum constitutionem, &c. *Idem.*

2 *Apud Aristotelem.*] *In rhetoricis ad Theodectem.* Idem.

3 *Legales.*] Item Fortunatianus lib. 1. *ex Hermagora* tradit 4. legales status. *Idem.*

4 *Exceptionem.*] *Exceptionem* posuit *pro voluntate*, quia quando contra scriptum dicimus, ex factis plerisque & exemplis colligimus exceptiones adversus scriptum. *Idem.*

5 *Quorum prius.*] Κατὰ ῥητὸν *proscripto* dicere, commune est omnibus: *pro voluntate*, quæ aliis Διάνοια dicitur, ὑπεξαίρεσις vox est Hermagoræ peculiaris. *Idem.*

6 *Albutius.*] Hic distat ab Hermagora, quod *translationem* ex rationalibus quæstionibus semovet, & subjungit legalibus, sub qualitate complexus: à legalibus vero *ratiocinationem* tanquam supervacuam removet. Quod & *Cic.* 2. *de Orat. & in Partitionibus* quoque facere videtur. *Idem.*

7 *Scio plura inventuros.*] Post longam enumerationem opinionum, quid ipse sentiat exponit: sed cum ab ea opinione quam per viginti annos defenderat, nunc desciscat, utitur procatascene, & merito se palinodiam canere posse indicat. *Idem.*

8 *Sed non sustineo, &c.*] Hellenismus est, cujus meminit *Budæus* duobus locis commentariorum Græcorum. *Idem.*

1 *Hippo-*

ulla parte judicii mei. Nam & [1] Hippocrates clarus arte medicinæ, videtur honestissime fecisse, qui quosdam errores suos ne posteri errarent, confessus est. Et [2] M. Tullius non dubitavit aliquos jam editos libros aliis postea scriptis ipse damnare, sicut [3] Catulum atque Lucullum, & hos ipsos de quibus modo sum locutus, artis Rhetoricæ. Etenim *supervacuus foret in studiis longior labor, si nihil liceret melius invenire præteritis.* Neque tamen quicquam ex his quæ tum præcepi, supervacuum fuit: ad easdem enim particulas hæc quoque quæ nunc præcipiam, revertentur. Ita neminem didicisse pœniteat. Colligere tantum eadem, ac [4] disponere paulo significantius conor. Omnibus autem satisfactum volo. non me hæc serius demonstrare aliis, quam mihi ipse persuaserim. [5] Secundum plurimos auctores servabam treis rationales status, *conjecturam, qualitatem, finitionem*, unum *legalem*. Hi mihi status generales erant. Legalem in quinque species partiebar, scripti & voluntatis, legum contrariarum, collectivum, ambiguitatis; translationis: [6] nunc quartum ex generalibus intelligo posse removeri.

1 *Hippocrates.*] *Hippocrates*, ut est *lib.* ἐπιδημιῶν ε, in cujusdam curatione qui lapide percussus fuerat in syncipite, se deceptum fuisse scribit ex ratione futurarum capitis. Quod etiam meminit *Celsus lib.* 8. *cap.* 4. De futuris se deceptum esse, *Hippocrates* memoriæ prodidit, more magnorum virorum, & fiduciam magnarum rerum habentium. Nam levia ingenia, quia nihil habent, nihil sibi detrahunt. Magno ingenio, multaque nihilominus habituro convenit etiam veri erroris simplex confessio, præcipue in eo ministerio, quod utilitatis causa posteris traditur, ne qui decipiantur eadem ratione qua quis deceptus est. *Idem.*

2 *M. Tullius.*] Lib. epist. ad Atticum 13.

3 *Catulum.*] Cicero primum duos libros Academicarum quæstionum scripserat, quos *Catulo* & *Lucullo* dicaverat: eosdem postea amplificavit, & in quatuor est partitus, ad Varronem Atticumque transferens. De qua & sic *Cicero lib.* 13. *epist. ad Atticum: Ergo illam ἀκαδημεικὴν, in qua homines nobiles illi quidem, sed nullo modo philologi minus acute loquuntur, ad Varronem transferamus.* etenim sunt ἀντιοχεῖα, quæ iste valde probat. Catulo & Lucullo alibi reponemus. Idem alibi, *Totam Academiam ab hominibus nobilissimis abstuli, transtulique ad nostrum sodalem, & ex duobus libris contuli in quatuor. grandiores sunt omnino quam erant, &c. q. seq.* Turneb.

4 *Disponere.*] Ἀναπτύσσω.

5 *Secundum plurimos.*] Hæc est antiqua Fabii sententia. *Turneb.*

6 *Nunc quartum ex, &c.*] Cum Fabius *conjecturam, finitionem, & qualitatem* dixisset, non debuit addere *statum legalem* ut generalem, quia status legales ad conjecturam, finitionem, & qua-

veri. [1] Sufficit enim prima divisio, qua diximus alios rationales, alios legales esse: [2] ita non erit status, sed quæstionum genus: alioqui & rationalis status esset. Ex his etiam quos speciales vocabam, [3] removi *translationem*: frequenter quidem, sicut omnes qui me secuti sunt, meminisse possunt, testatus, & in ipsis etiam illis [4] sermonibus me nolente vulgatis, hoc tamen complexus, vix in ulla controversia translationis statum posse reperiri, ut non & alius in eadem recte dici videretur: ideoque à quibusdam eum exclusum. Neque ignoro multa transferri, cum in omnibus fere caussis, in quibus [5] cecidisse quis formula dicitur, [6] hæ sint quæstiones, *an huic, an cum hoc, an hac lege, an apud hunc, an hoc tempore liceat agere*, & si qua sunt talia: sed

qualitatem reducuntur: quia tamen specialem quendam habent tractatum & proprium, idcirco status speciales sunt & quæstiones. *Idem.*

1 *Sufficit enim prima divisio.*] Ita dividere oportet, ut dicamus *statum* omnem *esse in scripto aut re*, quæ tamen referantur *ad conjecturam, finitionem, & qualitatem*: ita cum conjecturam, finitionem & qualitatem dixeris, si legalem statum addas, peccaveris, quia conjectura modo status est rationalis, modo legalis. *Idem.*

2 *Ita non erit status.*] Id est, legale nomen non significabit unum certum statum: alioqui hæc dictio rationalis status esset, & unum quendam statum auribus redderet. Itaque cum quæstiones omnes recte divisæ sint *in rationales*: rationale quæstionis genus non facimus statum, ergo legale etiam potius quæstionis genus quam status debet existimari. *Idem.*

3 *Removi translationem.*] *Translationis statum* esse supervacaneum Fabius docet. nam *statum* appellat, quod totam controversiam explicat. itaque non est in prima quæstione consistendum, si rem totam satis non explicat sine rationibus. illic enim status est in judicatione. Contra sentit Hermagoras referente Fortunatiano *lib.* 3. item Trapezuntius *lib.* 1. & 2. Cicero certe inter præcursorias quæstiones numerat: nec tamen dissimulat in tractatu præcipue qualitatis includi, quia jus agendi etiam sit qualitas. At Cicero primam respiciebat quæstionem: Fabius, quod ante dixi, ulterius pergendum putat, nec in illa prima & lata quæstione pedem esse figendum. *Idem.*

4 *Sermonibus illis.*] Duobus rhetoricæ libris, de quibus in præfatione totius operis meminit. *Idem.*

5 *Cecidisse formula.*] Hujusmodi erat ratio juris apud Romanos, ut si quis male actionem intenderet, aut plus peteret quam deceret, causam perderet, quod Latine dicitur *formula cadere*, & *causa cadere*. ideoque in his ad translationem confugere cogebantur. *Idem.*

6 *Hæ sint quæstiones.*] *Cicero* 1. *de Inventione*: At cum causa ex eo pendet, quod non aut is agere videtur quem oportet, aut non cum eo quicum oportet, aut non apud quos, quo tempore, qua lege, quo crimine, qua pœna oportet, *translatitia* dicitur *constitutio*, quia actio translationis & commutationis indigere videtur. *Idem.*

[1] sed personæ, tempora, actiones, cæteraque propter aliquam causſam transferuntur, ita non est in translatione quæstio, sed in eo propter quod transferuntur. [2] Non debes apud Prætorem petere [3] fideicommissum, sed apud consules: [4] major enim prætoria cognitione summa est. quæritur *an major summa sit*: facti controversia est. Non licet tibi agere mecum: [5] cognitor enim fieri non potuisti. judicatio est, *an potuerit*. Non debuisti [6] interdicere, sed petere: an recte interdictum sit, ambigitur. Quæ omnia succedunt legitimis quæstionibus. [7] An non præscriptiones,

1 *Sed personæ.*] Nam actionem in personam aliam transferimus, aut in tempus aliud dilationem petimus, aut alia formula judicium à Prætore dictari volumus: non id temere postulantes, sed ob certam aliquam interpositam causſam: ad quam nisi petitor aliquid opponit, litem non habet. quamobrem non erit disceptandum *de translatione*, id est de mutanda actione, quod initio tantum ponitur, sed de ea quæstione quæ causſam continet, propter quam mutari genus actionis postulamus. *Idem*

2 *Non debes apud Prætorem.*] Translatio. *Major enim prætoria, &c.*] Ratio propter quam transfertur. *Facti controversia est.*] Id est, status conjectura. Cum si in translatione 90 esset juris fuerit controversia futura. *Non licet.*] Translatio. *Cognitor enim, &c.*] Rogatio. *An potuerit.*] Status finitio. *Non debuisti interd.*] Translatio. *An recte interdictum.*] Non enim possides. an possideat ambigitur. *Ambigitur.*] Status qualitas. *Pithœus.*

3 *Fidei commissum.*] Exemplum ponit. Fidei autem commissum hæreditas est & pecunia, quæ cum non possit ex jure civili alicui relinqui, fidei hæredi committitur, ut cumhæreditatem adierit, eam rem illi restituat cui dari voluit testator. *Turneb.*

4 *Major enim prætoria, &c.*] Valla hunc locum ita interpretatur, ut existimet Prætorem de causſis cognoviſſe ad certam usque summam, ultra quam adeundus erat consul. *Budæus* tamen summam non ad pecuniam & magnitudinem causæ refert, sed ad consularem cognitionem, quæ summa erat. nam olim consules de fideicommissis judicabant, ut apparet ex Institutionibus. Postea tamen creatus est *Prætor fideicommissarius*. Idem.

5 *Cognitor enim fieri.*] Nemo, ut Cicero ait, alterius nomine agere potest, nisi sit factus cognitor. Est autem *cognitor*, qui causſam absentis ita tuetur ut suam, inquit Asconius, quem vulgo *procuratorem* & *solicitatorem* appellamus. *Idem.*

6 *Interdicere.*] Interdictum jus est Prætoris ad recuperandum aut locum aut rem aliam, unde per vim ejectus fueris. inde *interdicere* pro interdictum ferre. Et quia est rei communis proprie, & cujus usus omnibus debeat competere, non debet tali re interdicere, nisi qui summa fungatur potestate: & ideo minor magistratus non debet interdicere, sed petere à majore ut interdicat. *Idem.*

7 *An non præscriptiones.*] Duplex est translatio Fabio, altera quæ intentioni è diverso repugnat, quæ aliquanto est obscurior: altera quæ totam intentionem non oppugnat, sed eam restringit & limitat aliquo casu & aliquo scripto. quæ *præscriptio* vocatur, à præscribendo dicta, quod eleganter *transferre* significat,

nes, etiam in quibus maxime videtur manifesta translatio, easdem omnes species habent, quas eæ leges, quibus agitur, [1] ut aut de nomine, aut scripto & sententia vel ratiocinatione quæratur, deinde status ex quæstione oriatur: [2] translatio non habeat quæstionem de qua contendit orator, sed propter quam contendit? Hoc apertius: *Occidisti hominem, non occidi:* quæstio, *an occiderit:* status, conjectura. [3] Non est tale, *Habeo jus actionis, non habes:* ut sit quæstio, *an habeat,* & inde status. Accipiat enim actionem, necne; ad eventum pertinet, non ad caussam: & ad id quod pronuntiat judex, [4] non id propter quod pronuntiat. Hoc illi simile est, *Puniendus es, non sum:* videbit judex *an puniendus sit:* sed non hîc erit quæstio, nec hîc status. Ubi ergo? *Puniendus es hominem occidisti: non occidi:* an occiderit. *Honorandus sum, quia tyrannum occidi: non occidi:* quæstio, & status. Similiter, non recte agis, ignominiosus. quæritur *an ignominiosus sit,* aut *an agere ignominioso liceat:* & quæstio est, & status. [5] Ergo translativum genus caussæ est, ut comparativum, & mutuæ accusa-

cat, quæ etiam *exceptio* dicitur, à Græcis παραγραφὴ, quasi actionem summovens, & quædam exclusio, quæ interponi cuique rei solet, ad excludendum id quod in intentionem condemnationemve deductum est. De his autem fusiss. *Bud. in Pand. & comment. Græcanicis, & Fab. lib. 7. cap. 6.* Idem.

1 *Ut aut de nomine.*] καὶ τὸ ἀμφιβολίας quæ conjectura continetur. *Pith.*

2 *Translatio non habeat, &c.*] *In translatione* non subsistendum est in ea quæstione de qua contendimus, sed ad eam veniendum propter quam judicium transferimus. alii hoc modo explicant, ut quæstionem de qua contendamus existiment ipsam judicationem quæ propter judicii translationem tractetur. *Turnebus.*

3 *Non est tale, Habeo jus.*] Si qua eruenda esset quæstio, ea esset hujusmodi, an habeat actionem: quæ cum status non possit dici, nullus utique fuerit translativus status. Id enim quod causam non aperit, sed ab exitu causæ pendet, status causæ esse non potest. *Idem. Habeo jus actionis.*] Recte ago ut infra dicetur 25. Et est Præscriptionis exemplum. *Pithœus.*

4 *Non id propter quod.*] Si enim pronunciat non habere illum actionem, non ob hoc ipsum pronunciat, sed propter eam rationem quæ subjecta erat præscriptioni. *Idem.*

5 *Ergo translativum genus causæ, ut.*] Hæc est vera lectio, & antiqua, quam Raphaël corrumpit hoc sensu, Translatio status non est, sed species causæ judicialis, in quam diversi cadunt status: eadem ratione, qua dicuntur quædam causæ, causæ comparativæ, in quibus non simpliciter de re contenditur, sed ex comparatione: & ut dicuntur ἀντεγκλήματα, id est *recriminationes,* quando utraque pars alteram insectatur & accusat. *Turneb.*

cusationis. [1] Etenim simile est illi, *habeo jus, non habes: occidisti, recte occidi.* Non nego: sed nec res hæc statum facit. non enim sunt hæ propositiones, alioqui causa non explicabitur; sed cum suis rationibus: [2] *Scelus commisit Horatius, sororem enim occidit: non commisit*; debuit enim occidere eam, quæ hostis morte mœrebat. quæstio, an hæc justa causa. ita qualitas. Ac similiter in translatione, non habes jus abdicandi, quia ignominioso non est actio. habeo jus, quia abdicatio actio non est. [3] quæritur *quid sit actio.* finiemus. *non licet abdicare:* syllogismus. Item cætera per omnes & rationales & legales status. [4] Nec ignoro fuisse quosdam qui translationem in rationali quoque genere ponerent, hoc modo, *Hominem occidi jussus ab imperatore. dona templi cogenti tyranno dedi.* [5] deserui, tempestatibus, fluminibus, valetudine impeditus, id est, non per me stetit, sed

1 *Etenim simile illi est, &c.*] *Propositiones* appellat quibus tota causa volvitur. Earum autem duplex est ratio: aliæ enim intentione & depulsione sine rationibus satis explicant causam, ut conjecturales, *occidi, non occidi.* Aliæ autem nisi rationes habeant adjunctas, non satis rem explicant. ut, *occidi jure, injuria occidisti:* nisi rationes adjungas, causa non satis explicabitur. Igitur status in prioribus erit statim ex intentione & depulsione: in his vero non antea erit intentio aut depulsio integra, quam adjunctæ sint rationes. *Jure interfeci Clodium, quoniam insidiator erat: injuria tu interfecisti, quoniam non licuit indemnatum interficere.* Idem.

2 *Scelus commisit Horatius.*] Horatius interfectis tribus Curiatiis cum eorum paludamentis victor in urbem revertens, sororem obviam, quæ agnito sponsi Curiatii paludamento lugebat, gladio transfixit. historia nota est ex primo libro Livii ab urbe condita. vide *Dionysium lib.* 3. & *Augustinum lib.* 3. *cap.* 14. *de civitate Dei.* Idem.

3 *Quæritur quid sit actio.*] *Actionem* appellarunt veteres Prætores libellum per quem liceret justum persequi: unde est illud apud Ciceronem, *Dare actionem*, quod agendi potestatem facere significat. Est autem in hujusmodi controversiis reo atque accusatori *finitione* & *syllogismo* utendum: at accusatori finitione, reo vero syllogismo. *Idem.*

4 *Nec ignoro fuisse, &c.*] Quidam translationem speciem faciunt qualitatis assumptivæ, quæ remotio criminis appellatur & *metastasis*, cum à nobis culpam removemus, & in hominem aut rem transferimus. *Idem. Nec ignoro fuisse quosdam qui translationem, &c.*] Hic quosdam translationem non actionis solum intellexisse ait, sed cum facti causa in alium transfertur. Ita translationi locum fuisse etiam in statibus rationalibus, quorum opinionem improbat: translationis appellationem ad actiones quæ transferuntur, solum pertinere scribens. Cum causa facti transfertur non translationem, sed qualitatis statum esse. *Pithœus.*

5 *Deserui.*] *Deserere* dicitur (ut ait Modestinus) miles, qui diu vagatus ad castra revertitur: *emanere* vero, qui diu vagatus ad castra reducitur. *Turneb.*

1 *Qua-*

sed per illa. A quibus etiam liberius dissentio. Non enim actio transfertur, sed caussa facti: quod accidit pene in omni defensione. Deinde is qui tali utitur patrocinio, non recedit à forma qualitatis. dicit enim se culpa vacare, ut magis [1] qualitatis duplex ratio facienda sit, altera, qua & factum defenditur: [2] altera qua tantum reus. Credendum est igitur iis, quorum auctoritatem secutus est Cicero, [3] tria esse quæ in omni disputatione quærantur, *an sit*, *quid sit*, *quale sit:* quod ipsa nobis etiam natura præscribit. nam primum oportet subesse aliquid de quo ambigitur: quod quid sit, & quale sit, certe non potest æstimari, nisi prius esse constiterit: ideoque ea prima quæstio: [4] sed non statim quod esse manifestum est, etiam quid sit apparet. Hoc quoque constituto, noviſſima qualitas supereſt: nec his exploratis aliud est ultra. [5] His infinitæ quæstiones, his finitæ continentur. Horum aliqua in demonstrativa, deliberativa, judiciali

1 *Qualitatis duplex ratio.*] Duplex est qualitas: *absoluta*, qua factum esse justum & rectum contendimus: *assumptiva*, qua quod per se rectum probare non possumus, assumptis adjumentis ita defendimus ut reum non esse culpandum ostendamus. *Idem.*

2 *Altera qua tantum reus.*] Cum non factum defendit, sed causam facti transfert in majorem vim, jussum Imperatoris, metum, flumen, valetudinem. *Pithœus.*

3 *Tria esse quæ, &c.*] Ciceronem sequutus Fabius fusius sententiam suam explicat de numero statuum, omnemque ait pendere quæstionem *à conjectura, finitione & qualitate*, ita tamen ut quædam inde veluti simulachra nascantur, quæ propriam tamen faciem ostendant: igitur *speciales status* appellabuntur, ut *scriptum* & *voluntas*, *contrariæ leges*, *&c.* Tria hæc quæstionum seu statuum genera Cicero posuit multis in locis, & qui post eum de rhetoricis scripserunt. Aristoteles autem tribus his quartum addidit genus *lib.* 2. *Analyticôn*, quod vocavit *propter quid*, seu *rectene sit factum*, ut Cicero ait. quam quæstionem, si Ciceronem auctorem *lib.* 2. *de Oratore* sequimur, ad *qualitatem*, non *ad finitionem* referemus. Idem Cic. & alii eum sequuti, tria hæc quæstionum genera rebus civilibus subjecerunt: quod Rodolphus Agricola non æque probat, asserens, quicquid orator quærit, ad qualitatem pertinere: nec enim *an sit* & *quid sit*, in forum venire posse: verbis certe magis quam re ab iis dissidens. Cujus rei ampliorem sententiam si quis requirat, ipsum legat *lib.* 2. *cap.* 6. & 7. Turneb.

4 *Sed non statim.*] Ut privatam pecuniam in templo esse captam manifestum est, nondum tamen apparet, furtumne an sacrilegium sit. *Idem.*

5 *His finitæ, &c.*] Per analogiam & proportionem inquam, quia non est eadem conjecturæ reliquorumque statuum ratio in *thesi* & *hypothesi*, sed è simili sibi respondet, & in genus convenit. finitas & civiles in tria genera causarum partitur, & in unoquoque hos

diciali materia utique tractantur. [1] Hæc rursus judiciales causſas & rationali parte & legali continet. Nec enim ulla juris disceptatio, nisi finitione, qualitate, conjectura potest explicari. Sed instituentibus rudes, non erit inutilis latius primo fusa ratio, etsi non statim [2] rectissima linea tensa, facilior tamen & apertior via. Discant igitur ante omnia quadripertitam in omnibus causſis esse rationem, quam primam intueri debeat qui acturus est. [3] Nam ut à defensore potissimum incipiam, longe fortissima tuendi se ratio est, *si quod objicitur,* [4] *negari potest.* [5] Proxima, *si non id quod objicitur, factum esse dicitur.* [6] Tertia honestissima, *qua recte factum defenditur.* Quibus si deficiamur, ultima quidem, sed jam sola supersest salus, aliquo [7] juris adjutorio elabendi ex crimine quod neque negari neque defendi potest, ut non videatur jure actio intendi. [8] Hinc illæ quæstiones sive actionis,

tres status versari, & ad hæc communes esse vult. *Idem.*

1 *Hæc rursus.*] Judiciale causarum genus, quod præcipue multiplex est, bifariam partitur. Aliæ enim *rationales*, aliæ *legales* sunt: quæ quoquo modo sint, illis tamen tribus, *an sit*, *quid sit*, *& quale sit*, continentur. Itaque distat hæc opinio Fabii à superiori, quod illic status dividerentur in *rationales* & *legales*: hic vero cum status iidem sint, causæ tamen judiciales dividuntur. *Idem.*

2 *Rectissima linea.*] Ducta est metaphora à viis. nam rectæ breviores sunt, anfractuosæ prolixiores. & alioqui mathematicis recta linea est omnium brevissima. Brevissimam hanc viarum rationem quantum licet sectamur, sed si montes interponantur, paludes, aut flumen, aliquoties compendio neglecto commoditatem inspicimus. Ad hunc modum Fabius, tametsi brevissimo præcepto statuum doctrinam absolvere queat, mavult tamen commodiorum rationem, & rudiorem viam sequi. *Idem.*

3 *Nam ut à defensore potiss.*] Quia is insignius statum facit, & periculo propior prius est instruendus: postremo in hac ratione statuum priores ipse quodammodo in repugnando agit partes. *Idem.*

4 *Negari potest.*] Quia sic effugit omne judicium, & secundum illud, supplicium. *Idem.*

5 *Proxima, si non.*] Si totum crimen inficiari non licet, admittamus factum est quidem aliquid, non tamen id quod adversarius objicit. *Idem.*

6 *Tertia honestiss.*] Ut, *furatus es Damonis caprum:* non, meus ille fuit. *homicidii reus es:* non sum, quia is tyrannus fuit, aut in adulterio deprehensus, aut vim prior intulerat. Et hæc tertia qualitas est. *Idem.*

7 *Juris adjutorio.*] Qualia habet *Julian. ad leg. Aquil. l.* 9. Multa, inquit, in jure civili contra rationem disputandi pro utilitate communi præcepta esse, innumerabilibus rebus probari potest. *Idem.*

8 *Hinc illæ quæst.*] Non hoc ait Fabius, quod in translatione statum esse putet, sed quod eam quæstionem translationis movemus, quæ postea statum excitat additis firmamentis. quod idem fecit *lib.* 7. Hoc etiam egit ut facilius rudes instituerent. *Idem.*

1 *Debi-*

actionis, sive translationis. Sunt enim quædam non laudabilia natura, sed jure concessa, ut in XII. tabulis, [1] debitoris corpus inter creditores dividi licuit: quam legem mos publicus repudiavit. Et aliquid æquum, sed prohibitum jure: ut [2] libertas testamentorum. Accusatori nihilo plura intuenda sunt, quam ut probet factum esse, hoc esse factum, non recte factum, jure se intendere. [3] Ita circa species easdem lis omnis versabitur, translatis tantum aliquando partibus: ut in causis in quibus de præmio agitur, recte factum petitor probat. Hæc quatuor velut [4] proposita formæque actionis, quæ tum generales status vocabam, in duo (ut ostendi) genera discedunt, [5] *rationale*, *& legale*. Rationale simplicius est, quia ipsius tantum naturæ contemplatione constat. Itaque in eo satis est ostendisse conjecturam, finitionem, qualitatem. Legalium plures sint species necesse est, propterea quod multæ sunt leges, & varias habent formas. Alia est cujus verbis nitimur, alia cujus voluntate: alias nobis, cum ipsi nullam habemus, adjungimus: alias inter se comparamus: alias in diversum interpretamur. Sic nascuntur hæc velut simulacra ex illis tribus,

1 *Debitoris corpus.*] Qui æris confessi erant, & judicati à Prætore, creditoribus addicebantur *in nexum:* ac si plures essent creditores, permittebatur ut inter se corpus debitoris dividerent. De qua re vide *Gell. lib.* 20. *cap.* 1. Idem.

2 *Libertas testamentorum.*] *Lege duodecim tabularum* libertas erat maxima testamentorum. nam quantum & quibus quisque legare voluisset, licebat: quod emendatum est *lege Falcidia*, quæ vetat ne ultra dodrantem quis legare possit. *Idem.*

3 *Ita circa easdem species.*] Semper erit hæc quadruplex ratio intendendi & depellendi, circaque easdam quæstiones seu status, *facti*, *nominis*, *& qualitatis:* sed mutatis interdum accusatoris defensorisque officiis. ut in accusationibus, si qualitas est, non recte factum probat actor: in petitionibus vero præmiorum, petitor qui cum actore similitudinem habet, contra recte factum probat, & ita status in petitorem transfertur. *Idem.*

4 *Proposita formæque.*] Capite quæstionum & causarum. *Idem.*

5 *Rationale.*] Quod extra scriptum positum: *legale*, cum in scripto inhæret *controversia*, & ex eo tota orta est. *Rationale* simplicius est, ideoque tractatu facilius, quod in eo ipsius rei natura conditioque, non legis cautio inspicienda venit. *Legale* genus magis est varium, quam rationale, propterea quod non solum scriptum, sed etiam rem tractamus: & leges quoque variæ sunt, à quibus oriuntur. nam quædam tribuit, quædam adimit: alia punit, alia jubet: alia vetat, alia quoque permittit. *Idem.*

tribus, [1] interim ſimplicia, interim & mixta, propriam tamen faciem oſtendentia, ut ſcripti & voluntatis, quæ ſine dubio aut qualitate [2] aut conjectura continentur: [3] & ſyllogiſmus, qui eſt maxime qualitatis: & leges contrariæ, quæ iiſdem quibus ſcriptum & voluntas, conſtant: & ἀμφιβολία, quæ ſemper conjectura explicatur. [4] Finitio quoque utrique generi, quodque rerum, quodque ſcripti contemplatione conſtat, communis eſt. Hæc omnia etiam ſi in illos tres ſtatus veniunt, tamen quia (ut dixi) habent aliquid velut proprium, videntur demonſtranda diſcentibus: & permittendum ea dicere vel ſtatus legales, vel quæſtiones, vel capita quædam minora: dum ſciant, nihil ne in his quidem præter tria quæ prædiximus, quæri. [5] *At quantum*, & *quam multum*, & *ad aliquid*, & (ut nonnulli putaverunt) comparativus, non eandem rationem habent. Sunt enim hæc non ad varietatem juris, ſed ad ſolam rationem referenda: ideoque ſemper in parte aut conjecturæ aut qualitatis ponenda ſunt, ut *qua mente*, & *quo tempore*, & *quo loco*. Sed de ſingulis dicemus quæſtionibus, cum tractare præcepta *Diviſionis* cœperimus. Hoc inter omnes convenit, in cauſſis ſimplicibus ſingulos ſtatus eſſe cauſſarum, quæſtionum autem, quæ velut ſubjacentes ad illud quo judicium continetur, referuntur, ſæpe in unam cadere plures poſſe. Etiam credo aliquando dubitari, quo ſtatu

1 *Interim ſimplicia, &c.*] Quia in una aliquando controverſia unus eſt aliquando ſtatus ſcripti & voluntatis: aliquando plura ſcripta, & plures voluntates: aut ſcriptum & voluntas cum legibus contrariis & ambiguitate, atque ita in cæteris, commiſcentur. *Idem.*

2 *Aut conjectura.*] Cum inveſtigamus quæ fuerit legiſlatoris voluntas, *conjectura* eſt *de animo:* cum autem interpretationem legis aſſerimus, & eam eſſe æquam oſtendimus, *qualitas* eſt. *Idem.*

3 *Et ſyllogiſmus, qui eſt maxime, &c.*] Quia cum rem inſcriptam ad ſcriptum applicamus, contendimus juſtum eſſe ut de ea ſtatuatur, quemadmodum eſt in ſcripto. *Idem.*

4 *Finitio quoque.*] Probavit *conjecturam* & *qualitatem* rationalem eſſe & legalem: quod idem in finitione oſtendit. nam aut factum defenditur, aut verba ſcripti definitione illuſtrantur. ſed de his omnibus fuſius Fab. lib. 7. *Idem.*

5 *At quantum.*] Refutat eos qui *quantitatem*, ad aliquid, & *comparationem* ſeu quæſtiones de eodem & alio, inter ſtatus numerarunt, & rationalium ſpecies dici poſſe putaverunt, ideoque ſeparatim tractari ut legales. *Idem.*

ſtatu ſit utendum cum adverſus unam intentionem plura opponuntur: & ſicut [1] in colore dicitur narrationis, eum eſſe optimum, quem actor optime tueatur: ita hic quoque poſſe dici, eum ſtatum eſſe faciendum, in quo tuendo plurimum adhibere virium poſſit orator. Ideoque pro Milone, aliud Ciceroni agenti placuit, aliud Bruto, cum exercitationis gratia componeret orationem: *cum ille jure tanquam inſidiatorem occiſum*, & tamen non Milonis conſilio, dixerit: *hic etiam gloriatus ſit occiſo malo cive*. In conjunctis vero poſſe duos vel tres inveniri, vel diverſos: ut ſi quis aliud ſe non feciſſe, aliud recte feciſſe defendat: vel generis ejuſdem, ut ſi quis duo crimina vel omnia neget. Quod accidit etiamſi de una re quæratur aliqua, ſed eam plures petant, vel eodem jure, [2] ut proximitatis: vel diverſo, ut cum hic teſtamento, ille proximitate nitatur. Quoties autem aliud alii petitori opponitur, diſſimiles eſſe ſtatus neceſſe eſt: ut in illa controverſia. *Teſtamenta legibus facta, rata ſint.* [3] *Inteſtatorum parentum liberi hæredes ſint. Abdicatus, ne quid de bonis patris capiat.* Nothus ante legitimum natus, legitimus filius ſit: poſt legitimum natus, tantum civis. In adoptionem dare liceat. In adoptionem dato redire in familiam liceat, ſi pater naturalis ſine liberis deceſſerit. Qui ex duobus legitimis alterum in adoptionem dederat, alterum abdicaverat, ſuſtulit nothum: inſtituto hærede abdicato deceſſit. Omnes tres de bonis contendunt. [4] Νόθον, qui non ſit legitimus, Græci vocant: Latinum rei nomen, ut Cato quoque in oratione quadam teſtatus eſt, non habemus

1 *In colore.*] *Color* à rhetoribus appellatur probabilis alicujus rei cauſa, qua quod falſum aut turpe eſt velamus. vide *Fabium lib. 4. cap. de narratione.* Idem.

2 *Ut proximitatis.*] Nam bona inteſtatorum ab agnatis & illis qui in poteſtate mortui erant, uſurpantur. *Idem.*

3 *Inteſtatorum parentum.*] *Inteſtati* ſunt, aut qui teſtamentum non fecerunt, aut quorum teſtamentum irritum factum eſt, aut ex quorum teſtamento nullus fuit hæres. tum autem hæreditas defertur liberis. *Idem.*

4 Νόθον, *qui non ſit legitimus, &c.*] Iſidorus Orig. 9. cap. 5. p. 1055. Vide & Meurſ. Comment. ad Lycophron. p. 206. Budæum Annot. Prior. in Pandect. Jac. Cujacium Obſervat. lib. 5. cap. 6. pag. 191. Bartii Adverſar. libro 8. cap. 14. p. 293.

mus, ideoque utimur peregrino. Sed ad propositum. Hæredi scripto opponitur lex, *Abdicatus ne quid de bonis patris capiat:* fit status scripti & voluntatis, *an ullo modo capere possit, an ex voluntate patris, an hæres scriptus.* Notho duplex fit quæstio, quod post legitimos natus sit, & quod non sit ante legitimum natus. Prior syllogismum habet, *an pro non natis sint habendi, qui à familia sunt alienati.* Altera scripti & voluntatis. Non enim esse hunc natum ante legitimum convenit: sed voluntate legis se tuebitur, quam dicet talem fuisse, ut legitimus esset nothus tum natus, cum alius legitimus in domo non esset. Scriptum quoque legis excludet, dicens, *non utique si postea legitimus natus non sit, notho nocere:* uteturque hoc argumento, *finge solum natum nothum, cujus conditionis erit?* tantum *civis?* atqui non erit post legitimum natus. *filius?* atqui non erit ante legitimos natus. quare si verbis legis stari non potest, voluntate standum est. Nec quenquam turbet, quod ex una lege duo status fiant. duplex est, ita vim duarum habet. Redire in familia volenti, dicitur ab altero, Primum, *ut tibi redire liceat, hæres sum.* idem status, qui in petitionem abdicati. quæretur enim an possit esse hæres abdicatus. Adjicitur communiter à duobus, *redire tibi in familiam non licet, non enim pater sine liberis decessit.* Sed in hoc propria quisque eorum quæstione nitetur. Alter enim dicet abdicatum quoque inter liberos esse: & argumentum ducet ex ipsa qua repellitur lege. Supervacuum enim fuisse prohiberi patris bonis abdicatum, si esset numero alienorum: nunc quia filii jure futurus fuerit intestati hæres, oppositam esse legem, quæ tamen non id efficiat ne filius sit, sed ne hæres sit. Status finitivus, *quid sit filius.* Rursus nothus eisdem colligit argumentis. non sine liberis patrem decessisse, quibus in petitione usus est, ut probaret esse se filium, nisi forte & hic finitionem movet, an liberi sint etiam non legitimi. Cadent igitur in unam controversiam vel specialiter duo legitimi status, *scripti & voluntatis*, & *syllogismus*, & præterea *finitio:* vel tres illi, qui

qui natura soli sunt, *conjectura in scripto & voluntate, qualitas in syllogismo*, & quæ per se est *aperta finitio*. [1] Causa quoque, & judicatio & continens est in omni genere causarum. Nihil enim dicitur cui non insit ratio, & quo judicium referatur, & quod rem maxime contineat. Sed quia magis hæc variantur in litibus, & fere tradita sunt ab iis qui de judicialibus causis aliqua composuerunt, [2] in illam partem differantur. Nunc quia in tria genera causas divisi, ordinem sequar.

1 *Causa quoque.*] Qui statum ponunt in prima conflictione, statibus omnibus pene præter conjecturam addunt *judicationem:* Fabius tamen judicationem & statum facit eadem, ut docebit in causis judicialibus. *Turneb.*

2 *In illam partem differantur.*] Cap. hujus lib. 11.

CAP. VII.

De demonstrativo, quod constat laude & vituperatione.

AC potissimum incipiam ab ea quæ constat *laude* ac *vituperatione*. Quod genus videtur Aristoteles, atque eum secutus Theophrastus, à parte negotiali, hoc est πραγματικῆς, removisse, totamque ad solos auditores relegasse: & id ejus nominis, quod ab ostentatione ducitur, proprium est. Sed mos Romanus etiam negotiis hoc munus inseruit. Nam & [1] funebres laudationes pendent frequenter ex publico aliquo officio, atque ex senatusconsulto magistratibus sæpe mandantur: & laudare testem, vel contra, pertinet ad momentum judiciorum: [2] & ipsis etiam reis dare laudatores licet: & editi in competitores in *L. Pisonem*, 9

GEnus demonstrativum in negotia civilia per se non cadit, ut putat *Arist. lib. 1. Rhet.* Est autem secutus id quod fieri videbat. nam illius ætate sophistæ *genus demonstrativum* occuparant, quo utebantur duntaxat ad auditorum oblectationem & proprium quæstum. *Turneb.*

1 *Funebres laudationes.*] Præclari viri Romæ post mortem laudabantur, fere à propinquis, interdum etiam à magistratibus, ut à Publicola Brutus: quod ad negotia pertinet. *Idem.*

2 *Et ipsis etiam reis, &c.*] Qui in publica causa reus erat, si aliquam provinciam recte administrasset, ex ea decem legati mittebantur ad reum laudandum: ut à *Massilienſibus* & *Narbonenſibus* ad laudandum Fontejum. *Idem.*

1 *Ut*

sonem, in *Clodium & Curionem* libri, vituperationem continent, & tamen in Senatu loco sunt habiti sententiæ. Neque inficias eo, quasdam esse ex hoc genere materias ad solam compositas ostentationem, [1] ut laudes deorum, virorumque quos priora tempora tulerunt. Quo solvitur quæstio supra tractata: manifestumque est errare eos qui nunquam oratorem dicturum nisi de re dubia putaverunt. [2] An *laudes Capitolini Jovis*, perpetua sacri certaminis materia, vel dubiæ sunt, vel non oratorio genere tractantur? Ut desiderat autem laus quæ negotiis adhibetur, probationem: sic etiam illa quæ ostentationi componitur, habet interim aliquam speciem probationis: ut qui *Romulum Martis filium*, educatumque à lupa dicat, in argumentum cœlestis ortus utatur his, quod abjectus in profluentem, non potuerit extingui: quod omnia sic egerit, ut genitum præside bellorum deo, incredibile non esset: quod [3] ipsum quoque cœlo receptum temporis ejus homines non dubitaverint. Quædam vero etiam in defensionis speciem cadant: ut si in *laude Herculis*, [4] permutatum cum regina Lydiæ habitum, & imperata (ut traditur) pensa orator excuset. Sed proprium laudis est, res *amplificare*, & *ornare*. [5] Quæ materia præcipue quidem in deos & homines cadit: est tamen & aliorum animalium, & carentium anima. [6] Verum in deis generabitum.] Nam Hercules exuvium Leonis cum Omphales monilibus muliebrique cultu permutavit. quod fecit, ut alii dicunt, quia servus erat ejus: ut alii, quia nimio amore vincebatur. *Idem.*

1 *Ut laudes deorum.*] Laudes deorum *hymni* dicuntur: virorum vero *encomia*. Idem.

2 *An laudes Capitolini Jovis.*] Certamen quoddam sacrum in honorem Jovis Capitolini fiebat, ut meminit Tranquillus. illic orationes de Jovis laudibus recitabantur. *Idem.*

3 *Ipsum quoque cœlo receptum.*] Hæc persuasio ortum habuit à Proculo, qui ut plebis animos leniret, sancte juravit se vidisse Romulum in cœlum ascendentem. quanquam revera à patribus discerptus fuit, dum concionaretur apud Capreas paludes. *Idem.*

4 *Permutatum cum Regina Lydiæ habitum.*] Nam Hercules exuvium Leonis cum Omphales monilibus muliebrique cultu permutavit. quod fecit, ut alii dicunt, quia servus erat ejus: ut alii, quia nimio amore vincebatur. *Idem.*

5 *Quæ materia.*] Partitur *materiam demonstrativam* in ea quæ cadit, deinde locos subjicit quibus utendum in rei cujusque laudatione aut vituperatione. porro si quis fusiorem harum rerum tractatum desiderat, legat *Menandrum* rhetorem. *Idem.*

6 *Verum in deis.*] Laudes deorum qui videre cupit, legat *Homeri hymnos*, & *Callimachi*. Idem.

generaliter primum majestatem ipsius eorum naturæ venerabimur: deinde propriam vim cujusque, & inventa, quæ utile aliquid hominibus attulerint. Vis ostenditur, ut *in Jove*, regendorum omnium: *in Marte*, belli: *in Neptuno*, maris. Inventa, ut artium, *in Minerva: Mercurio*, literarum: medicinæ, *Apolline: Cerere*, frugum: *Libero*, vini. [1] Tum si qua ab his acta vetustas tradidit, commemoranda. Addunt etiam diis honorem parentes, ut si quis sit filius Jovis. Addit antiquitas, [2] ut iis qui sunt ex Chao, Progenies quoque, ut *Apollo* ac *Diana Latone*. [3] Laudandum in quibusdam, quod geniti immortales: in quibusdam, quod immortalitatem virtute sunt consecuti: [4] quod pietas principis nostri, præsentium quoque temporum decus fecit. Magis est varia laus hominum. Nam primum [5] dividitur *in tempora*, quodque ante eos fuit, quoque ipsi vixerunt. In iis autem qui fato sunt functi, etiam quod est insecutum. Ante hominem, *patria* ac *parentes*, *majoresque* erunt, quorum duplex tractatus est. aut enim respondisse nobilitati, pulchrum erit: aut humilius genus illustrasse factis. Illa quoque interim ex eo quod ante ipsum fuit tempore trahentur, quæ responsis vel auguriis futuram [6] claritatem promiserint: [7] ut eum qui ex Thetide natus esset: majorem patre

1 *Tum si qua ab his acta.*] Ut scribunt Bacchum totum pene orbem domuisse, Jovem autem Titanas & Gigantes interfecisse. *Idem.*

2 *Ut iis qui sunt ex Chao.*] *Hesiodus in Theogonia*, rerum omnium atque adeo deorum originem à Chao repetit. ita autem appellatur immensus hiatus, omnium rerum in se complectens semina. *Idem.*

3 *Laudandum in quibusdam, &c.*] Hoc adulatorium est. nam Domitianus se dominum & deum appellari volebat, ut scribit *Tranquillus*. Idem.

4 *Quod pietas principis nostri, &c.*] Suetonius de Domitian. Par arrogantia cum procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic cœpit: Dominus & Deus noster hoc fieri jubet: unde institutum posthac, ut ne scripto quidem ac sermone cujusquam appellaretur aliter. Plin. lib. 1. hist. natural. de Vespasiano. *C. Pithœus.*

5 *Dividitur in tempora.*] Laus hominum in tria tempora dividitur, *in præteritum*, ubi patria, parentes, prodigia, cæteraque: *præsens*, ubi animi bona & corporis, graduque ætatis: *consequens*, ubi quæ post mortem, ut statuæ, funera. *Turneb.*

6 *Claritatem.*] Achillem intelligit ex Ovidii Metam.

7 *Ut eum qui ex Thetide, &c.*] Quocirca Promethens Jovem monuit ut Thetidis

patre ſuo futurum ceciniſſe dicuntur oracula. Ipſius vero laus hominis, *ex animo*, & corpore & extra poſitis peti debet. Et corporis quidem fortuitorumque cum levior, tum non uno modo tractanda eſt. Nam & pulchritudinem interim roburque proſequimur honore verborum, ut Homerus in [1] *Agamemnone* atque [2] *Achille*. Interim confert admirationi multum etiam infirmitas, ut cum idem *Tydea* parvum, ſed bellatorem dicit fuiſſe. Fortuna vero cum dignitatem affert, ut in regibus principibuſque (nanque eſt hæc materia oſtendendæ virtutis uberior) tum quo minores opes fuerunt, eo majorem benefactis gloriam parit. Sed omnia quæ extra nos bona ſunt, quæque hominibus forte obtigerunt, non ideo laudantur, quod habuerit quis ea, ſed quod his honeſte ſit uſus. Nam *divitiæ*, & *potentia*, & *gratia*, cum plurimum virium dent in utranque partem certiſſimum faciunt morum experimentum. aut enim meliores propter hæc aut pejores ſumus. Animi ſemper vera laus: ſed non una per hoc opus via ducitur. Namque aliàs ætatis gradus, geſtarumque rerum ordinem ſequi ſpecioſius fuit, ut in primis annis laudaretur indoles, tum diſciplinæ, poſt hoc operum, id eſt factorum dictorumque contextus: aliàs in ſpecies virtutum dividere laudem, *fortitudinis*, *juſtitiæ*, *continentiæ*, cæterarumque [3] ac ſingulis aſſignare quæ ſecundum quanque earum geſta erunt. Utra ſit autem harum via utilior, cum materia deliberabimus: dum ſciamus gratiora eſſe audientibus, quæ ſolus quis, aut primus, aut certe cum paucis feciſſe dicetur: ſi quid præterea ſupra ſpem aut expectationem, [4] præcipue quod aliena potius cauſſa, quam ſua. Tempus quod finem hominis inſequitur, non ſemper tractare contingit: non ſolum quod viventes aliquando laudamus

Thetidis congreſſum vitaret, alioqui fore ut à filio regno expelleretur. *Turneb.*

1 *Agamemnone.*] Iliad. 2.

2 *Achille.*] Iliad. 5.

3 *Ac ſingulis aſſignare.*] Omiſit tertium ordinem, cujus meminit *Cic. in Partit.* Nam aliquando ſolemus à majoribus ad minora deſcendere, aliquando à minoribus ad majora aſcendere, & hæc inter ſe variare. ſed hic ordo confuſior eſt, & idcirco omiſſus à Fabio. *Turneb.*

1 *Ut*

damus, sed quod rara hæc occasio est, ut [1] referri possint [2] divini honores, & decreta, ut [3] publice statuæ constitutæ. Inter quæ numeraverim *ingeniorum monumenta* quæ seculis probarentnr. Nam quidam, [4] sicut Menander, justiora posterorum quam suæ ætatis judicia sunt consecuti. Afferunt laudem liberi parentibus, urbes conditoribus, leges latoribus, artes inventoribus, necnon instituta quoque auctoribus, ut à [5] Numa traditum deos colere, & à Publicola [6] fasces populo summittere. Qui omnis etiam in vituperatione ordo constabit tantum in diversum. Nam & turpitudo generis opprobrio multis fuit: & quosdam claritas ipsa notiores circa vitia, & invisos magis fecit: & in quibusdam [7] ut in Paride traditum est, prædicta pernicies: & corporis ac [8] fortunæ quibusdam mala contemptum, ut Thersitæ: at vero quibusdam bona vitiis corrupta odium attulerunt: ut Nirea imbellem, [9] Plistenem impudicum, à poëtis accepimus. Et animi totidem vitia, quot virtutes sunt: nec minus quam in laudibus, duplici ratione tractantur. Et post

1 *Ut referri possint divini hon.*] Horatius Augusto: *Præsenti tibi maturos largimur honores Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.* Pith.

2 *Divini honores.*] Id fiebat more Romano. nam imperatores plerunque in numerum deorum referebantur, ut docet *Herodianus* in apotheosi Severi imperatoris. *Turneb.*

3 *Publice statuæ constitutæ.*] Nam viris de rep. bene meritis plerunque senatusconsulto statuæ decernebantur in celeberrimis urbis locis, ut in foro & Capitolio. *Idem.*

4 *Sicut Menander.*] Nam Menander tametsi omnium Comicorum esset doctissimus, in certaminibus Comicis à Philemone longe se inferiore, qui gratia & factione valebat, sæpenumero est victus, præposteto judicio. *Idem.*

5 *A Numa.*] Hic auctor fuit religionis & juris pontificii apud Romanos. Auctor *Dionysius Halicar. Plutar. & Livius.* Idem.

6 *Fasces populo submittere.*] *Fasces submittere est*, vim & insignia imperii alicujus reverentiæ & majestati summittere: quod fiebat à consulibus, cum in concionem prodibant, ut significarent penes populum auctoritatem esse concionis. *Idem. Fasces populo summittere.*] Livius 1. & 2.

7 *Ut in Paride traditum est.*] Nam Hecuba cum esset gravida, somniavit se parituram facem, qua conflagraret Ilium. consulti conjectores, *Paridem* dixerunt pernicioſum fore urbi. *Turnebus.*

8 *Fortunæ.*] Formæ.

9 *Plistenem impudicum.*] *Plistenem* hunc ajunt patrem fuisse Agamemnonis & Menelai. eumque impudicum ait, quod tamen Dictys Cretensis, qui hanc rem scribit, non commemorat. Alii *Clisthenem* legunt, qui notatur à Comicis ut impudicus. *Turneb.*

1 *Ut*

post mortem adjecta quibusdam ignominia est: [1] ut Melio, cujus domus solo æquata: [2] Marcoque Manlio, cujus prænomen è familia in posterum exemptum est. Et parentes malorum odimus. Et est conditoribus urbium infame, contraxisse aliquam pernicioſam cæteris gentem, qualis est primus [3] Judaicæ superstitionis auctor, & Gracchorum leges invisæ: & si quod est exemplum deforme posteris traditum, quale libidinis vir Perses in [4] muliere Samia instituere ausus dicitur primus. Sed in viventibus quoque judicia hominum velut argumenta sunt morum, & honos aut ignominia veram esse laudem vel vituperationem probat. Interesse tamen [5] Aristoteles putat ubi quidque laudetur aut vituperetur. Nam plurimum refert qui sint audientium mores, quæ publice recepta persuasio: ut illa maxime quæ probant, esse in eo qui laudabitur, credant: aut in eo contra quem dicemus, ea quæ oderint. Ita non dubium erit judicium, quod orationem præcesserit. Ipsorum etiam judicium permiscenda laus semper. nam id benevolos facit: quoties autem fieri poterit, cum materiæ utilitate jungenda. [6] Minus Lacedæmone studia literarum, quam Athenis, honoris merebuntur: plus patientia, fortitudo. *Rapto vivere quibusdam honestum*, aliis cura legum. *Frugalitas* [7] apud Sybaritas forsitan odio foret, veteribus Romanis summum

1 *Ut Melio.*] *Spurius Melius* cum frumenti largitionibus in suspicionem regni affectati venisset, à Servilio Hala interfectus est. *Idem.*

2 *Marcoque Manlio.*] Livius decad. 1. lib. 4. & lib. 6.

3 *Judaicæ superst. auctor.*] Hunc locum nonnulli *de Judæis* intelligunt, quorum superstitionem Romani oderant. Alciatus tamen *de Christianis* intelligit, quorum religionem Judaicam superstitionem appellabant Romani, quia à Judæis manavit Christianismus. Sic etiam appellare solent jurisconsulti. Porro Fabii tempore persecutio in Christianos à Domitiano est edita. *Turneb.*

4 *Muliere Samia.*] Vide Cœlium lib. 10. c. 18.

5 *Aristoteles.*] Lib. 1. Rhet. ad Theodec.

6 *Minus Lacedæmone, &c.*] Bellicosi enim erant *Lacedæmonii*, *Athenienses* vero studio literarum dediti: apud quos artes inventæ sunt, auctore Cic. ibique consumptæ. *Minus Lacedæmone, &c.*] Xenophon de statu Laced.

7 *Apud Sybaritas.*] *Sybaritæ* populi fuerunt Italiæ, victu & cultu luxuriosi. hinc abierunt in proverbium *mensæ Sybariticæ*. Turneb. *Apud Sybaritas.*] Vide Politic.

ſummum *luxuria* crimen. Eadem in ſingulis differentia. Maxime favet judex, qui ſibi dicentem [1] aſſentiri putat. [2] Idem præcipit illud quoque, quod mox Cornelius Celſus prope ſupra modum invaſit: quia ſit quædam virtutibus ac vitiis vicinitas, utendum proxima derivatione verborum, ut pro temerario *fortem*, pro prodigo *liberalem*, pro avaro *parcum* vocemus: quæ eadem etiam contra valent. Quod quidem orator, id eſt vir bonus, nunquam faciet, niſi forte communi utilitate ducatur. Laudantur autem urbes ſimiliter atque homines. Nam pro parente eſt conditor: & multum auctoritatis affert vetuſtas, [3] ut iis qui terra dicuntur orti: & virtutes ac vitia circa res geſtas: eademque in ſingulis. Illa propria, quæ ex loci poſitione ac munitione ſunt. Cives illis, ut hominibus liberi, decori. Eſt laus & operum, in quibus *honor*, *utilitas*, *pulchritudo*, auctor ſpectari ſolet. *Honor*, ut in templis: *utilitas*, ut in muris: *pulchritudo* vel auctor, utrobique. Eſt & locorum, qualis Siciliæ apud [4] Ciceronem. in quibus ſimiliter *ſpeciem* & *utilitatem* intuemur: *ſpeciem*, maritimis, planis, amœnis: *utilitatem*, ſalubribus, fertilibus. Erit etiam dictorum factorumque laus generalis. Erit & rerum omnis modi. Nam & ſomni [5] & mortis ſcriptæ laudes, [6] & quorundam à medicis ciborum. Itaque ut non conſenſi hoc laudativum genus circa ſolam verſari honeſti quæſtionem, ſic qualitate maxime contineri puto: quanquam omnes tres ſtatus cadere in hoc opus poſſint, hiſque uſum C. Cæſarem in vituperando Catone, notа-

Politi. c. 15. Miſcel. & Eraſm. in prov. Sybaritica menſa.

1 *Aſſentiri.*] Aſſentari.

2 *Idem.*] Ariſtot. 1. Rhetor. ad Theodectem.

3 *Ut iis qui terra, &c.*] Videtur hoc propter Athenienſes dixiſſe, qui ſe *indigenas* dicebant, & in eodem loco natos. Poteſt etiam referri ad id quod ajunt, homines primum natos in Ægypto ex Nili limo. *Turneb.*

4 *Ciceronem.*] Act. 4. in Ver.

5 *Et mortis ſcriptæ laudes.*] Mortem laudavit *Hegeſias*, auctore Val. Maximo, cujus perlecta oratione multi mortem ſibi conſciverunt, perſuaſi videlicet mortem omnium rerum optimam eſſe. lege tamen poſtea cautum, ne quis hanc orationem legeret. *Turneb.*

6 *Et quorundam à medicis ciborum.*] Scribit *Plinius* Catonem & Chryſippum integros dicaſſe libros laudibus braſſicæ. *Idem.*

notaverit Cicero. Totum autem habet aliquid simile suasoriis : quia plerunque eadem illic suaderi, hîc laudari solent.

Cap. VIII.

De suasoria seu deliberativa, & prosopopœia.

10 Deliberativas quoque miror à quibusdam sola utilitate finitas. Ac si quid in his unum sequi oporteret, potior fuisset apud me Ciceronis sententia, qui hoc materiæ genus dignitate maxime contineri putat. [1] Nec dubito quin hi qui sunt in illa priore sententia, secundum opinionem pulcherrimam, *ne utile* quidem, *nisi quod honestum* esset, existimarint. Et est hæc ratio verissima, si consilium contingat semper bonorum atque sapientum. Verum apud imperitos, apud quos frequenter dicenda sententia est populumque præcipue, qui ex pluribus constat indoctis, discernenda sunt hæc, & [2] secundum communes magis intellectus loquendum. Sunt enim multi qui etiam quæ credunt *honesta*, non tamen satis eadem *utilia* quoque existiment: quæ turpia esse dubitare non possunt, utilitatis specie ducti probent, ut [3] *fœdus Numantinum, jugumque Caudinum.*

1 *Nec dubito.*] Alludit ad paradoxum Stoicorum. statuerunt enim illi, *nihil esse utile quod non sit honestum:* quod à Socrate manasse videtur, qui eum pessime fecisse dixit, qui primus utilitatem ab honestate sejunxerit, cum hæc essent conjuncta natura. De quo fuse *Cic. in offic. & paradoxis.* quodque Ausonius hoc phalecio est complexus :

Nunquam discrepat utile à decoro.

Turneb.

2 *Secundum communes magis, &c.*] Cic. quoque ait, hominum quoddam genus esse agreste & imperitum, quod sola *utilitate* ducatur: quoddam peritum & eruditum, quod *honestate* trahatur. cujus rei habendam putat rationem, ut hic quoque *Fabius*. Idem.

3 *Fœdus Numantinum, jugumque Caudinum.*] *Hostilius Mancinus* à Numantinis superatus, turpem cum illis pacem fecit, ut relictis armis & impedimentis omnibus exercitum reduceret. *Veturius* autem & *Posthumius* ad furcas Caudinas ab Herennio Samnitum duce clausi, pacem fecerunt his conditionibus, ut relictis armis & impedimentis, militibusque sub jugum missis discederent. Utrunque fœdus quod sine auctoritate senatus factum esset, irritum fuit & improbatum, ejusque auctores hostibus redditi ad supplicium. *Idem. Fœdus Numantinum,*

num. [1] Ne qualitatis quidem ſtatu, in quo & honeſtorum & utilium quæſtio eſt, complecti eas ſatis eſt. Nam frequenter in his etiam conjecturæ locus eſt, nonnunquam tractatur aliqua finitio: aliquando etiam legales poſſunt incidere tractatus, in privata maxime conſilia, ſiquando ambigitur, *an liceat.* De conjectura paulo poſt pluribus interim, eſtne finitio apud Demoſthenem, [2] *det Halonneſum Philippus, an reddat?* apud Ciceronem in Philippicis, *quid ſit tumultus?* Quid? non illa ſimilis judicialium quæſtio, *de ſtatua Servii Sulpitii*, an iis demum ponenda ſit, qui in legatione ferro ſunt interempti? Ergo pars deliberativa (quæ eadem ſuaſoria dicitur) de tempore futuro conſultans, quærit etiam de præterito: officiis conſtat duobus, *ſuadendi*, ac *diſſuadendi:* [3] Proœmio, quale eſt in judicialibus non ubique eget, quia conſiliatus eſt ei quiſque quem conſulit. Initium tamen quodcunque debet habere aliquam proœmii ſpeciem. nec enim abrupte, nec unde libuit, incipiendum: quia eſt aliquid in omni materia naturaliter primum. In ſenatu, & utique in concionibus, eadem ratio quæ apud judices, acquirendæ ſibi plerunque eorum apud quos dicendum ſit, benevolentiæ. Nec mirum, cum etiam in Panegyricis petatur audientium favor, ubi emolumentum non in utilitate aliqua, ſed in ſola laude conſiſtit. [4] Ariſtoteles quidem, nec ſine cauſſa, putat & à noſtra, & ab ejus qui diſſentiet, perſona, duci frequenter in conſiliis exordium, quaſi mutuantibus hoc nobis à judiciali genere: nonnunquam

mantinum, jugumque Caudinum.] De fœdere Numantino Cicer. lib. 3. offic. & Plutarch. in vita Tiberii & C. Gracch. De jugo Caudino Livius dec. 1. libro 1. In Olinth Philip 8. Philip. 9.

1 *Ne qualitatis quidem.*] Trapezuntius ex Hermogenis ſententia *cauſas deliberativas* ſtatu negotiali complectitur, qui qualitas eſt de futuro. *Turneb.*

2 *Ut det Halonneſum.*] *Halonneſus* inſula Athenienſium erat, quæ occupata à prædonibus, recepta eſt à Philippo. eam repetentibus Athenienſibus, beneficii titulo dare volebat Philippus. Athenienſibus Demoſthenes ſuadet ut eam à Philippo repetant non ut munus, ſed ut propriam hæreditatem. *Idem.*

3 *Proœmio, quale eſt.*] Si deliberatio eſt privata, *breviſſimo* utendum eſt proœmio: ſin publica, *prolixiori*, & judicialibus cauſis ſimili. *Idem.*

4 *Ariſtoteles.*] Rhetoric. 3.

quam etiam ut minor res majorve videatur. In demonstrativis vero proœmia esse maxime libera existimat. Nam & longe à materia duci, [1] ut *in Helenes laude* Isocrates fecerit: & ex aliqua rei vicinia, ut idem in Panegyrico conqueritur *plus honoris corporum quam animorum virtutibus dari:* & Gorgias in Olympico laudans eos qui primi tales instituerunt conventus. [2] Quos secutus videlicet Crispus Sallustius, in *bello Jugurthino* & *Catilinario* [3] nihil ad historiam pertinentibus principiis orsus est. Sed nunc ad suasoriam, in qua etiam quum proœmio utemur, breviore tamen & velut quodam capite tantum & initio debebimus esse contenti. [4] Narrationem vero nunquam exiget privata deliberatio, ejus duntaxat rei, de qua dicenda sententia est: quia nemo ignorat id de quo consulit. Extrinsecus possunt pertinentia ad deliberationem multa narrari. In concionibus sæpe est etiam illa quæ ordinem rei docet, necessaria, [5] affectus, ut quæ maxime, implenda. Nam & concitanda & lenienda frequenter est ira, & ad metum, cupiditatem, odium, conciliationem, impellendi animi. Nonnunquam etiam movenda miseratio est, sive ut auxilium obsessis feratur, suadere oportebit, sive sociæ civitatis eversionem deflebimus. [6] Valet autem in consiliis auctoritas plurimum. Nam & prudentissimus esse haberique, & optimus is debet, qui sententiæ suæ de utilibus atque honestis credere omnes velit.

In

1 *Ut in Helenes laude.*] Nam exordiatur Isocrates à rhetorum & sophistarum insectatione, qui absurdas materias nulliusque momenti orationibus suis tractare solent. *Idem.*

2 *Quos secutus scil. Crispus Sallustius, &c.*] Vide Vossium lib. 3. Instit. Orator. cap. XI. *Pith.*

3 *Nihil ad historiam pertin. principiis.*] Nam in *bello Jugurthino* exordiatur à falsa conquestione fragilitatis humanæ: *in bello Catilinario* à comparatione animi & corporis. *Turneb.*

4 *Narrationem vero.*] Duplex suasio, *publica* & *privata:* duplex narratio quoque, *altera* rei de qua dicenda sententia est, *altera* rerum ad deliberationem pertinentium. igitur publica deliberatio utranque narrationem habere potest, privata duntaxat posteriorem. *Idem.*

5 *Affectus, ut quæ maxime, implenda.*] In scriptis codicibus legitur, *affectus, ut quæ maxime, postulanda.* Impressi fere habent, *ad* (sive &) *affectus, ut quæque maxime postulabit.*

6 *Valet autem.*] Locos ad confirmationem aptos nunc exequitur, primumque incipit à *probatione morali*, quæ à moribus dicentis sumitur. *Turnebus.*

1 Græco-

In judiciis enim vulgo fas habetur indulgere aliquid studio suo: Concilia nemo est qui neget secundum mores dari. [1]Græcorum quidem plurimi omne hoc officium concionale esse judicaverunt, & in sola reipublicæ administratione posuerunt. Quin & [2] Cicero in hac maxime parte versatur. Ideoque suasuris *de pace, bello, copiis, operibus, vectigalibus:* hæc duo præcipue nota esse voluit, *vires civitatis*, & *mores:* ut ex natura cum ipsarum rerum, tum audientium, ratio suadendi duceretur. Nobis major in re videtur varietas. nam *& consultantium* & *consiliorum* plurima sunt genera. Quare in suadendo & dissuadendo tria primum spectanda erunt, *Quid sit de quo* deliberetur, *qui sint qui* deliberent, *qui sit qui suadeat.* Rem de qua deliberatur, aut certum est posse fieri, aut incertum. [3] Si incertum, hæc erit quæstio sola, aut potentissima. Sæpe enim accidet ut prius dicamus, ne si possit quidem fieri, esse faciendum: deinde fieri non posse. Cum autem de hoc quæritur, conjectura est, [4] *an Isthmos intercidi, an siccari palus Pontina, an portus fieri Hostiæ possit, an Alexander terras* [5] *ultra Oceanum sit inventurus.* Sed in iis quoque quæ constabit posse fieri, conjectura aliquando erit: ut si quæratur an utique futurum sit *ut Carthaginem superent Romani,* [6] *ut redeat Hannibal,* [7] *si Scipio exercitum in Africam transtulerit.*

1 *Græcorum quidem plurimi.*] *Aristoteles lib.* 1. *cap.* 4. *rhet. ad Theod.* constanter *concionale* pro deliberativo vocat. Nunc porro de probationibus logicis agit, ante tamen Græcos reprehendit, qui deliberationem duntaxat publicam posuerunt. excusari tamen possunt, quod privatæ deliberationes non tam oratorem postularent, quam prudentem, nec tantum eloquentiæ admitterent. *Idem.*

2 *Cicero.*] II. De Orat.

3 *Si incertum.*] Si res est incerta, *conjectura* est. itidem quoque *conjectura* est interdum, cum quæritur an res sit futura, tametsi fieri posse constet. interdum tamen etsi constat, ex circunstantia oritur conjectura. *Turneb.*

4 *An Isthmos.*] Suet. in Cæsare. Vide Justinum.

5 *Ultra Oceanum.*] Nam Alexander cum audisset Democritum dicere, *plures esse mundos*, parum fidei habuit magistro Aristoteli, unicum esse statuenti: itaque navigare Oceanum voluit, ut alios orbes investigaret. *Turneb.*

6 *Ut redeat.*] Livius dec. 3. lib. 8.

7 *Si Scipio exercitum, &c.*] Cum Hannibal Italia non posset expelli, Scipio suasit uti trajiceret copias in Africam: ita enim futurum ut Carthaginienses auxilio destituti Hannibalem revocarent in Africam. quod & accidit. *Turneb.*

tulerit. Ut ſervent fidem Samnites, ſi Romani arma depoſuerint. Quædam & fieri poſſe, & futura eſſe credibile eſt. [1] ſed aut *alio tempore*, aut *alio loco*, aut *alio modo*. Ubi conjecturæ non erit locus, alia ſunt intuenda. Et primum, aut propter ipſam rem de qua ſententiæ rogantur, conſultabitur: aut propter alias intervenientes extrinſecus cauſſas. Propter ipſam deliberant Patres conſcripti, [2] *an ſtipendium militi conſtituant.* Hæc materia ſimplex erit. [3] Accedunt cauſſæ aut faciendi, ut deliberant P. C. *an Fabios dedant Gallis bellum minitantibus.* Aut non faciendi, [4] ut *deliberat* C. *Cæſar an perſeveret in Germaniam ire*, cum milites paſſim teſtamenta facerent. Hæ ſuaſoriæ duplices ſunt. Nam & illic cauſſa deliberandi eſt, quod bellum Galli minitentur: eſſe tamen quæſtio poteſt, dedendi ne fuerint etiam citra hanc denuntiationem, qui [5] contra fas, cum legati miſſi eſſent, prælium inierint, regemque ad quem mandata acceperant, trucidarint. Et hîc nihil Cæſar ſine dubio deliberet, niſi propter hanc militum perturbationem: eſt tamen locus quærendi, *an citra hunc quoque caſum penetrandum in Germaniam fuerit.* [6] Semper autem de eo prius loquemur, de quo deliberari etiam detractis ſequentibus poſſet. Partes ſuadendi quidam putaverunt *honeſtum, utile, neceſſarium.* [7] Ego non

1 *Sed aut alio tempore, &c.*] *Tempus* enim, *locus* & *modus* res mutant. *Idem.*

2 *An ſtipendium militi conſtituant.*] *Livius lib.* 5. *ab urbe condita*, ſcribit ſenatores de publico militibus ſtipendium conſtituiſſe, cum antea de ſuo militaſſent. quæ res gratiſſima fuit populo. *Idem.*

3 *Accedunt cauſæ, &c.*] Cum Cluſium à Gallis obſideretur, legati à Romanis miſſi ſunt tres Fabii, qui jurgio orto cum Cluſinis in Gallos manum conſeruerunt, & Gallorum regem obtruncarunt. *Idem.*

4 *Ut deliberat C. Cæſar, &c.*] Cum Cæſar eſſet in Arioviſtum Germanorum regem iturus, ejus milites, Germanorum immanitate deterriti, animum deſpondebant, & teſtamenta faciebant tanquam morituri. *Idem.*

5 *Contra fas.*] Ex jure gentium neque legati violari debent, nec ipſi quoque vim facere, aut prælium inire, nec quicquam præter mandata exponere. *Idem.*

6 *Semper autem de eo.*] In duplicibus his deliberationibus quæſtio ſimplex priore loco tractanda, deinde ea quæ adjunctas habet cauſas *faciendi* aut *non faciendi.* Idem.

7 *Ego non invenio huic tertiæ locum.*] Duplex eſt neceſſarium: *alterum ſimplex*, quod aliter fieri nunquam poteſt, tollitque omnem deliberationis cauſam: quo modo fere à philoſophis accipi ſolet: *alterum ex conditione*, quod graviorum metu

non invenio huic tertiæ locum. Quantalibet enim vis ingruat, aliquid fortasse pati necesse sit, nihil facere: de faciendo autem deliberatur. Quod si hanc vocant *necessitatem*, in quam [1] homines graviorum metu coguntur, *utilitatis* erit quæstio: ut *si obsessi, & impares, & aqua ciboque defecti, de facienda ad hostem deditione deliberent*, & dicatur, *necesse est:* nempe sequitur ut hoc subjiciatur, alioqui pereundum est. ita propter id ipsum non est necesse, quia perire potius licet. denique [2] non fecerunt Saguntini, nec in rate Opitergina circunventi. Igitur in his quoque caussis aut de *sola utilitate* ambigetur, aut quæstio inter *utile* atque *honestum* consistet. At enim si quis liberos procreare volet, necesse habeat uxorem ducere. quis dubitat? sed ei qui pater vult fieri, liqueat [3] *necesse est uxorem esse ducendam.* Itaque mihi ne consilium quidem videtur, ubi necessitas est: non magis quam ubi constat quid fieri non posse. Omnis enim deliberatio de dubiis est. [4] Melius igitur, qui tertiam partem dixerunt δυνατὸν, quod nostri possibile nominant. quæ ut dura videatur appellatio, tamen sola est. Quas partes non omnes in omnem cadere suasoriam manifestius est quam ut docendum sit. [5] Tamen apud plerosque earum numerus augetur, à quibus ponuntur ut partes, quæ species sunt partium. Nam *fas, justum, pium, æquum, mansuetum* quoque (sic enim sunt interpretati τὸ ἥμερον) & si qua adhuc adjicere quis ejusdem gene-

metu faciendum dicimus. hoc autem etsi cadit in deliberationem, refertur tamen *ad utilitatem.* Quo modo vulgo accipitur, atque etiam à *Cic.* qui *in Partit.* locum à necessario non rejicit, sed loco ab utili comprehendit. Fab. autem Aristotelem sequitur, qui de contingentibus tantum & de his quæ ad nos referri nata sunt, quorumque origo & causa in nobis sita est, *consultationem* esse dicit. *Idem.*

1 *Homines.*] Ut Casilinenses Dec. 3. lib. 3.

2 *Non fecerunt Saguntini.*] Hannibal contra fœdus trajecto Ibero Saguntum oppidum Pop. Rom. socium obsedit, & octavo demum mense expugnavit. *Turn. Non fecerunt Saguntini.*] Decad. 3. lib. 2. Florus in epit. lib. 110.

3 *Necesse est uxorem esse ducendam.*] Arist. 3. Ethic. & Rhetoric. 1.

4 *Melius igitur, qui, &c.*] Tres sunt loci suasionis: duo finales, *utile* & *honestum:* tertius tanquam quoddam medium ad finem, ut proclivius rem adipiscamur. *Turneb.*

5 *Tamen apud plerosque.*] Aristot. 1. Rhet. ad Alexand.

generis, velit, subjici possunt *honestati*. An sit autem facile, magnum, jucundum, sine periculo, ad quæstionem pertinet *utilitatis*: [1] qui loci oriuntur ex contradictione. Est quidem utile, sed difficile, parvum, injucundum, periculosum. Tamen quibusdam videtur esse nonnunquam de jucunditate sola consultatio, [2] ut si *de ædificando theatro, instituendis ludis*, deliberetur. Sed neminem adeo solutum luxu puto, ut nihil caussa suadendi sequatur præter voluptatem. Præcedat enim semper aliquid necesse est, ut in ludis *honor deorum*, in theatro non inutilis laborum remissio, deformis & incommoda [3] turbæ, si id non sit, conflictatio: & nihilominus eadem illa religio, cum theatrum veluti quoddam illius sacri templum vocabimus. [4] Sæpe vero & utilitatem despiciendam esse dicimus ut honesta faciamus: ut cum illis Opiterginis damus consilium, ne se hostibus dedant, quanquam perituri sint nisi fecerint. Et utilia honestis præferimus: ut [5] *cum suademus ut bello Punico* [6] *servi armentur*. Sed tamen neque hîc plane concedendum est esse id inhonestum: liberos enim natura omnes, & eisdem constare elementis, & fortasse antiquis etiam nobilibus ortos, dici potest: & illic ubi manifestum periculum est, opponenda

1 *Qui loci oriuntur ex contradictione.*] Species hæ quæ partibus subjiciuntur, ex adversariorum contradictione nascuntur: quanquam *contradictio* maximè apparet in utilitate. nam etsi utile dixeris, facilitati tamen opponetur difficultas. non item in honestate. *Turneb.*

2 *Ut si de ædificado theatro.*] Species hæ utilitatis sunt tanquam secundarii loci. nonnulli tamen existimant de sola jucunditate interdum constitui deliberationem. quod sensisse videtur Aristotel. qui *jucundum* putavit esse locum præcipuum & generalem suasionis. quod tamen falsum esse *Fabius* demonstrat. *Idem.*

3 *Turbæ conflictatio.*] Ludi in theatro exhibebantur sæpenumero: cumque *illic fori & cunei* distincti essent, unde populus, equites, senatores spectarent, nulla exoriebatur turba, quæ alioqui in ludis esset futura. *Idem.*

4 *Sæpe vero & utilitatem.*] Deliberationes duæ sunt simplices, *de utili & inutili*, *de honesto & turpi*: tres duplices, de duobus utilibus, de duobus honestis, de honesto & utili, idque vel in duorum comparatione, vel in plurium superlatione. *Idem.*

5 *Cum suademus ut bello Punico.*] Florus in epitome lib. 110. Liv. decad. 3. lib. 4.

6 *Servi armentur.*] *Ex lege*, servi militare non poterant, ut docent jurisconsulti: tamen secundo Punico bello, post cladem Cannensem, servi armati sunt, appellatique sunt *volones*. Turneb.

1 Nec

ponenda alia: ut crudelius etiam perituros affirmemus, si se dediderint, sive hostis non servaverit fidem, sive Cæsar vicerit, quod est vero similius. Hæc autem, quæ tantum inter se pugnant, plerunque nominibus deflecti solent. Nam & utilitas ipsa expugnatur ab iis qui dicunt non solum potiora esse honesta quam utilia, sed ne utilia quidem esse quæ non sint honesta: & contra quod nos *honestum*, illi *vanum, ambitiosum, stolidum*, verbis quam re probabilius vocant. [2] Nec tantum inutilibus comparantur utilia, sed inter se quoque ipsa: ut ex duobus eligamus, in altero quid sit magis, in altero quid sit minus. Crescit hoc adhuc. Nam interim triplices etiam suasoriæ incidunt: [1] ut cum Pompejus deliberavit, *Parthos*, an *Africam*, an *Ægyptum* peteret. Ita non tantum utrum sit melius, sed quid sit optimum, quæritur. Itemque contra. Nec unquam incidet in hoc genere materiæ dubitatio rei quæ undique secundum nos sit. Nam ubi contradictioni locus non est, quæ potest esse causa dubitandi? [3] Ita fere omnis suasoria nihil est aliud quam comparatio. [4] Videndumque, quid consecuturi simus, & per quid: ut æstimari possit, plus in eo quod petimus, sit commodi: an vero in eo per quod petimus, incommodi. [5] Est utilitatis & in tempore quæstio, *Expedit, sed non nunc.* Et in loco, *Non hic*, Et in persona, *Non nobis, non contra hos.* Et in genere agendi, *Non sic.* Et in modo, *Non in tantum.*

Sed

1 *Nec tantum inutilibus.*] Interdum quæstio est de duobus aut pluribus utilibus: quod item valet in contrario. cæterum Fabius quintam deliberationem omisit, quæ est de duobus aut pluribus honestis, vel quod intelligeretur ex similitudine plurium utilium, vel adeo ex simplici honesto. *Idem.*

2 *Ut cum Pompeius deliberavit, &c.*] Pompejus acie Pharsalica profligatus, Mitylenam venit, illicque deliberavit *deberetne proficisci in Parthos*, an in Africam ad Jubam regem, an in Ægyptum ad Ptolemæum, ut exercitum instauraret adversus Cæsarem. sed Theophanis suasione Ægyptum petivit. *Idem. Pompejus deliberavit.*] Plutarch. in Pompejo.

3 *Item fere omnis, &c.*] Comparatio autem inter duos aut plures fit: ergo non à nobis tantum pendet. *Turneb.*

4 *Videndumque.*] In deliberatione habenda est ratio *finis* & *medii*, & pro utriusque commodo vel incommodo rem suadere aut dissuadere debemus. *Idem.*

5 *Est utilitatis.*] Quemadmodum *honestas* ex natura rei demonstratur, & illa eruitur ex honesti fontibus: ita *utilitas* spargenda est in omnes circunstantias: quoniam hæ demonstrant rem esse utilem, aut contra. *Idem.*

[1] Sed perſonam ſæpius [2] decoris gratia intuemur, quæ & in nobis, & in iis qui deliberant, ſpectanda eſt. [3] Itaque quamvis exempla plurimum in conſiliis poſſunt, quia facillime ad conſentiendum homines ducuntur experimentis: refert tamen quorum auctoritas, & quibus adhibeatur. Diverſi ſunt enim deliberantium animi, duplex conditio. Nam conſultant aut plures, aut ſinguli: ſed in utriſque differentia: quia & in pluribus multum intereſt *Senatus ſit, an populus: Romani*, an *Fidenates: Græci*, an *Barbari*, & in ſingulis, *Catoni petendos honores ſuademus*, an C. *Mario*: [4] de ratione belli Scipio prior, an Fabius deliberet. Proinde intuenda, *ſexus, dignitas, ætas.* Sed mores præcipue diſcrimen dabunt. Et honeſta quidem honeſtis ſuadere facillimum eſt: ſi vero apud turpes recta obtinere conabimur, ne videamur exprobrare diverſam vitæ ſectam, cavendum eſt. [5] Et animus deliberantis, non ipſa honeſti natura, quam ille non reſpicit, permovendus: ſed laude, vulgi opinione, & ſi parum proficiet hæc vanitas, ſecutura ex his utilitate: aliquanto vero magis objiciendo aliquos, ſi diverſa fecerint, metus. [6] Nam præter id quod his leviſſimi cujuſque animus facillime

1 *Sed perſonam.*] Secundum eſt membrum diviſionis ſuperioris. Etenim in deliberatione dixerat, rem eſſe inſpiciendam, de qua egit: & perſonam, tum illorum quibus ſuademus, tum noſtram. *Idem.*

2 *Decoris.*] *Decorum* intelligendum eſt illud quod poſitum eſt in moderatione quadam & temperantia. eſt & *decorum poëticum*, quo accommodant ſcriptores perſonis & rebus orationem. *Idem.*

3 *Itaque quamvis exempla, &c.*] *Exemplorum uſus* cum ubique, tum in genere deliberativo plurimum valet, modo delectus adhibeatur, ut non quæcunque, ſed graviſſimorum hominum tantummodo & aptiſſima quæque adducamus. *Idem.*

4 *De ratione belli.*] Apud *Livium lib.* 8. *decad.* 3. de ratione belli Carthaginienſis deliberatur à Scipione & Fabio. ſuadet Scipio *ut bellum transferatur in Africam*, ſuadet Fabius ut in Italia geratur. *Idem.*

5 *Et animus deliberantis.*] *Hæc ex Partition. Ciceg.* cum ait, homines multo magis mala fugiunt, quam ſequuntur bona: nec honeſta tam expetunt quam devitant turpia. Eſt enim genus hominum ad honeſtatem natum, malo cultu, praviſque opinionibus omne corruptum. nemo tamen eſt tam agreſtis, quem non ſi ipſa honeſtas minus, contumelia tamen & dedecus magnopere moveat. *Idem.*

6 *Nam præter id.*] Animi improborum perturbationibus facile agitantur & impelluntur, non item proborum, ut docet *Cic. in Tuſc.* Itaque improbis

ſpem

lime terretur, nescio an etiam naturaliter apud plurimos plus valeat *malorum timor*, quam *spes bonorum*: [1] sicut facilior eisdem turpium quam honestorum intellectus est. [2] Aliquando bonis quoque suadentur parum decora, dantur parum bonis consilia in quibus ipsorum qui consulunt, spectatur utilitas. Nec me fallit quæ statim cogitatio subire possit legentem. Hoc ergo præcipis? & hoc fas putas? Poterat me liberare M. Cicero, qui ita scribit ad Brutum, *Propositis plurimis quæ honeste suaderi Cæsari possent, simne bonus vir, si hæc suadeam? Minime.* Suasoris enim finis est utilitas ejus cui quisque suadet. *At recta sunt:* quis negat? sed non est semper rectis in suadendo locus. Sed quia est altior quæstio, nec tantum ad suasorias, pertinet, destinatus est mihi hic locus duodecimo (qui summus futurus est) libro. Nec ego quicquam fieri turpiter velim, verum interim hæc vel ad scholarum exercitationes pertinere credantur. nam & iniquorum ratio noscenda est, ut melius æqua tueamur. Interim si quis bono inhonesta suadebit, meminerit non suadere tanquam inhonesta, ut quidam declamatores. [3] Sextum Pomp. ad piraticam, propter hoc ipsum, quod turpis & crudelis sit, impellunt: sed dandus illis deformibus color, idque etiam apud malos. *Nec enim est quisquam tam malus, ut malus videri velit.* Sic Catilina apud Sallust. loquitur, ut rem sceleratissimam non malitia, [4] sed indignatione videatur audere. Sic [5] Atreus apud Varium:

Jam

spem utilitatis & metum incommodi proponere oportet. *Idem.*

1 *Sicut facilior.*] Unde Seneca, *Vitia sine doctore discuntur: qui vero virtutes per se hauserit, nemo inventus est.* Idem.

2 *Aliquando bonis quoque.*] Interdum parum honesta suademus honestis. ubi utilitatem sectamur. sed videtur Fabius ab instituto suo recedere. nam cum instituat oratorem virum bonum, non videtur esse probitatis, inhonesta & indecora honestis suadere: quanquam hoc defendere nititur. *Idem.*

3 *Sextum Pompeium, &c.*] Sextus Pompeius, Pompeii Magni filius, ex servitiis undique contraxit copias, & mare Siculum pirata infestavit, victusque est ab *Agrippa.* Idem.

4 *Sed indignatione, &c.*] Nam Catilina illic indignatur, quod videat remp. & urbis magistratus in paucorum esse potestate, cum reliqui sint illis obnoxii. *Idem*

5 *Sic Atreus apud Varum.*] *Varium*, est legendum, cujus Thyestem *Fabius lib.* 10. commendat, aitque posse cum Græcis quibuslibet comparari. *Idem.*

1 *Ut*

Jam fero (inquit) *infandißima, jam facere cogor.*

Quanto magis eis quibus cura famæ fuit, conſervandus eſt hic vel ambitus? Quare & cum Ciceroni dabimus conſilium ut *Antonium roget*, vel etiam [1] ut *Philippicas* (ita vitam pollicente eo) *exurat*, non cupiditatem lucis allegabimus (hæc enim ſi valet in animo ejus, tacentibus quoque nobis valet) ſed ut ſe reipublicæ ſervet hortabimur. Hac illi opus eſt occaſione, ne cum talium precum pudeat. Et Cajo Cæſari ſuadentes regnum affirmabimus, ſtare jam rempublicam niſi uno regente non poſſe. Nam qui de re nefaria deliberat, id ſolum quærit, quomodo quam minimum peccare videatur. [2] Multum refert etiam quæ ſit perſona ſuadentis: quia anteacta vita, ſi illuſtris fuit, aut clarius genus, aut ætas, aut fortuna, affert expectationem. Providendum eſt, ne quæ dicuntur, ab eo qui dicit, diſſentiant. At his contraria ſumniſſiorem quendam modum poſtulant. Nam quæ in aliis *libertas* eſt, in aliis *licentia* vocatur. Et quibuſdam ſufficit *auctoritas*, quoſdam *ratio* ipſa ægre tuetur. [3] Ideoque longe mihi difficillimæ videntur proſopopœiæ, in quibus ad reliquum ſuaſoriæ laborem accedit etiam perſonæ difficultas. Nanque idem illud aliter *Cæſar*, aliter *Cicero*, aliter *Cato* ſuadere debebit. Utiliſſima vero hæc exercitatio, vel quod duplicis eſt operis, vel quod poëtis quoque, aut hiſtoriarum futuris ſcriptoribus plurimum confert, verum & oratoribus neceſſaria. Nam ſunt multæ à Græcis Latiniſque compoſitæ orationes quibus alii uterentur, ad quorum conditionem vitamque aptanda

1 *Ut Philippicas exurat.*] Thema eſt hoc declamatorium, habeturque apud Senecam in declamationibus. *Idem.*

2 *Multum refert etiam.*] Vita magis quam oratio perſuadet, inquit Gregorius. *Idem.*

3 *Ideoque longe mihi, &c.*] Hic appellat *proſopopœiam* Fabius orationem ſuaſoriam, aut etiam quamlibet. nam, ut poſtea oſtendet, etiam fiunt *proſopopœiæ* in controverſiis, quæ non ſub noſtra, ſed alterius perſona dicuntur. ſolent alii appellare *Ethopœiam*. Hæc duplicis certe eſt operis. nam & laborandum eſt ut perſonæ decorum ſervemus, & ut ſuadendi locos tractemus. Nam omnis *proſopopœia* cadit fere in ſuaſoriam. Plura vide apud *Fab. lib. 2. cap. 4.* Idem.

tanda quæ dicebantur fuerunt. [1] An eodem modo cogitavit, aut eandem personam induit Cicero cum scriberet Cn. Pompejo, & cum C. Appio, cæterisve, ac non uniuscujusque eorum fortunam, dignitatem, res gestas intuitus omnium quibus vocem dabat, etiam imaginem expressit? ut melius quidem, sed tamen ipsi dicere viderentur. Neque enim minus vitiosa est oratio, si ab homine, quam si à re cui accommodari debuit, dissidet: ideoque [2] Lysias optime videtur in iis quæ scribebat indoctis, servasse veritatis fidem. [3] Enimvero præcipue declamatoribus considerandum est, quid cuique personæ conveniat: qui pauciſſimas controversias ita dicunt ut advocati: plerunque filii, patres, divites, senes, asperi, lenes, avari, denique superstitiosi, timidi, derisores fiunt: ut vix comœdiarum actoribus plures habitus in pronuntiando concipiendi sint, quam his in dicendo. Quæ omnia videri possunt *prosopopœiæ*, quas ego suasoriis subjeci, quia nullo alio ab his quam persona distant. [4] Quanquam hæc aliquando etiam in controversias ducitur, quæ ex historiis compositæ, certius agentium nominibus continentur. Neque ignoro plerunque exercitationis gratia poni & poëticas & historicas, ut [5] *Priami verba* apud Achillem, aut [6] *Syllæ dictaturam deponentis* in concione. Sed hæc in partes cedunt trium generum in quæ causſas divisimus. Nam & rogare, indicare, rationem reddere, & alia de quibus supra dictum est, varie,

1 *An eodem modo.*] Cicero aliquando nobilibus Romanis orationes scribebat, quas illi ediscebant, & in senatu aut apud populum pronunciabant. *Idem.*

2 *Ideoque Lysias.*] Lex erat Athenis, ne quis patronum suæ causæ adhiberet, sed unusquisque suam causam ageret. At legi fraus fiebat, & oratores aliis orationes componebant, quas illi ediscebant, & apud judicem pronunciabant. *Idem.*

3 *Enimvero præcipue declam.*] Aliter *orator* controversiam dicit, aliter *declamator*. nam *declamator* sibi induit personam illius quem defendit, *orator* non item. *Idem.*

4 *Quanquam hæc aliquando.*] *Prosopopœia* non solum continetur suasoriis causis, verumetiam in judicialibus aliquando apparet. nam *themata* ab historiis plerunque ducimus, & judiciales causas illis aptamus. *Idem.*

5 *Priam.*] Virgil. Iliad. 24.

6 *Syllæ dictaturam.*] Vide Plutarch. in Sylla.

rie, atque ut res vult, in materia *judiciali*, *deliberativa*, *demonstrativa*, subjicere solemus. Frequentissime vero in his utimur ficta personarum quas ipsi substituimus, oratione, [1] ut apud Ciceronem pro Cœlio, Clodiam & cæcus Appius, & Clodius frater, ille in castigationem, [2] hic in rationem amorum compositus alloquitur. Solent in scholis fingi materiæ ad deliberandum similiores controversiis, ex utroque genere commistæ: ut cum [3] apud C. Cæsarem consultatio de pœna Theodoti ponitur. Constat enim accusatione & defensione caussæ, quod est judicialium proprium. Permista autem est & utilitatis ratio, *an pro Cæsare fuerit occidi Pompejum: an timendum à rege bellum, si Theodotus sit occisus: an id minime opportunum hoc tempore, & periculosum, & certe longum sit futurum.* Quæritur & de honesto, *deceatne Cæsarem ultio Pompeii: an sit verendum ne pejorem faciat suarum partium caussam, si Pompejum indignum morte fateatur.* Quod genus accidere etiam veritati potest. [4] Non simplex autem circa suasorias error in plerisque declamatoribus fuit, qui dicendi genus in his diversum atque in totum illi judiciali contrarium esse existimarunt. Nam & principia abrupta, & concitatam semper orationem, & in verbis effusionem (ut ipsi vocant) cultum affectaverunt, & earum breviores utique commentarios quam [5] judicialis materiæ facere elaborarunt. Ego porro ut proœmio video non utique opus esse suasoriis, propter quas dixi supra caussas, ita cur initio furioso sit exclamandum, non intelligo: cum proposita consultatione rogatus sententiam si modo est sanus, [6] non quiritet,

1 *Ut apud Ciceronem.*] Hoc vocatur *Idolopœia*, cum persona quasi ab inferis excitatur, & illi oratio accommodatur. *Idem.*

2 *Hic in rationem, &c.*] Antea Fab. locutus est de *prosopopœia* quæ tota est in oratione: hoc loco de ea agit, quæ ut figura est in orationis parte. *Idem.*

3 *Apud Cæsarem consult.*] Theodotus pædagogus erat Ptolemæi pupilli Alexandrinorum regis. Is suasit Ptolemæo ut Pompeium interficeret, & illius caput ad Cæsarem ferret. *Idem.*

4 *Non simplex autem.*] Quædam Fabius scribit hoc loco de elocutione generis suasorii, nonnullosque declamatores arguit, qui prava hoc in genere utebantur elocutione. *Idem.*

5 *Judicialis.*] Leg. *legalis.*

6 *Non quiritet.*] *Quiritare* est querula voce

quiritet, sed quam maxime potest civili & humano ingressu mereri assensum deliberantis velit. Cur autem torrens, & utique æqualiter concitata sit in ea dicentis ratio, cum vel præcipue moderationem rationemque consilia desiderent? Neque ego negaverim sæpius [1] subsidere in controversiis impetum dicendi procœmio, narratione, argumentis: quem si detrahas, id fere supererit, quo suasoriæ constant: verum id quoque æqualius erit, non tumultuosius atque turbidius. [2] Verborum autem magnificentia non validius est affectanda suasorias declamantibus, sed contingit magis. Nam & personæ fere magnæ fingentibus placent, *regum, principum, populi, senatus*, & res ampliores. [3] ita cum verba rebus aptentur, ipso materiæ nitore clarescunt. Alia veris consiliis ratio est: ideoque Theophrastus quam maxime [4] remotum ab omni affectatione in deliberativo genere voluit esse sermonem, secutus in hoc auctoritatem præceptoris sui, quanquam dissentire ab eo non timide solet. Nanque Aristoteles idoneam maxime ad scribendum *demonstrativam* proximamque ab ea *judicialem* putavit: videlicet quoniam prior illa tota esset ostentationis, hæc secunda egeret artis, vel ad fallendum, [5] si ita popoſciſſet utilitas: consilia fide prudentiaque constarent. Quibus in demonstrativa consentio. Nam & omnes alii scriptores idem tradiderunt. In judiciis autem consiliisque secundum conditionem ipsius quæ

voce populi Rom. atque Quiritum opem implorare. hinc tractum est, quod qui lædebantur injuria, opem populi petebant. *Idem.*

1 *Subsidere.*] Metaphora ab insidiatoribus, id est, *latere.* Idem.

2 *Verborum autem magnificentia.*] Hactenus *de stylo*, nunc *de verbis* agit. *Magnificentiam* autem appellat, illustrem compositionem quæ rem extollit & dictione & sententia. hujus meminit lib. 4. cap. de narratione. Demetrius quoque Phalereus *magnificentiæ* præcepta præscribit in lib. de interpretatione. *Idem.*

3 *Ita cum verba rebus aptentur.*] Præceptum hoc est de genere characteris in suasoria materia, cujus ratio (ut servetur decorum) petitur & à rebus & à personis, ut in aliis quoque generibus. *Idem.*

4 *Remotum ab omni affectatione.*] Theophrastus in deliberativo, orationis simplicitatem ab affectatione remotam probat. qua de re præcepta sunt apud Aristidem rhetorem, & apud Demetrium Phalereum in *lib. de interpretatione.* Idem.

5 *Si ita popoſciſſet utilitas.*] Hoc addit, quod id non esse faciendum alio loco asserit. *Idem.*

1 *Tota*

quæ tractabitur rei, accommodandam dicendi credo rationem. Nam & Philippicas Demosthenis eisdem quibus habitas in judiciis orationes, video eminere virtutibus. Et Ciceronis sententiæ & conciones, non minus clarum quam est in accusationibus ac defensionibus, eloquentiæ lumen ostendunt. Dicit tamen idem de suasoria, hoc modo, [1] *Tota autem oratio, simplex & gravis, & sententiis debet ornatior esse quam verbis.* Usum exemplorum nulli materiæ magis convenire merito fere omnes consentiunt, cum plerunque videantur respondere futura præteritis, [2] habeaturque experimentum velut quoddam rationis testimonium. Brevitas quoque aut copia non genere materiæ, sed modo constant. Nam ut in consiliis plerunque simplicior quæstio est, [3] ita sæpe in caussis minor. [4] Quæ omnia vera esse sciet, si quis non orationes modo, sed historias etiam (nanque in his conciones atque sententiæ plerunque suadendi ac dissuadendi funguntur officio) legere maluerit, quam in commentariis rhetorum consenescere. Inveniet enim nec in consiliis abrupta initia, & concitatius sæpe in judiciis dictum, & verba aptata rebus in utroque genere, & breviores aliquanto caussarum orationes quam sententiarum. Ne illa quidem in his vitia deprehendet, quibus quidam declamatores laborant, quod & contra sentientibus inhumane con-

1 *Tota autem oratio.*] Hoc præceptum Cic. mutuatus est ex Arist. & Theophrasto, ut pleraque etiam alia in Partitionibus. si tamen recte intelligatur, nihil peccat: significat enim ornatum orationis sequi potius debere sententiam, quam præire, ut potior habeatur delectus sententiarum, quam verborum, cum tamen verba sententiis sint aptanda. *Idem.*

2 *Habeatur experimentum.*] In exemplo conjungitur similitudo consilii, & similitudo eventus: videre tamen oportet, ut antea monuit, quorum exemplorum auctoritatem afferamus, & quibus proponamus. *Idem.*

3 *Ita sæpe in causis minor.*] Quosdam reprehendit, qui præcipiebant ut orationes *judiciales* essent prolixiores, *deliberativæ* breviores, cum id non ex causis, sed ex argumento sit metiendum. itaque nonnunquam prolixiores sunt deliberativæ quam judiciales. *Idem.*

4 *Quæ omnia.*] Perfunctorie monet Fabius, satius esse evolvere orationes, aut etiam conciones historicorum, atque ex illis artificium eruere, quam ex rhetorum præceptionibus semper pendere. usus siquidem, auctore Cicerone, omnium magistrorum præcepta exuperat. *Idem.*

1 *Hæc*

ne convitiantur, & ita plerunque dicunt, tanquam ab iis qui deliberant utique dissentiant: ideoque objurgantibus similiores sunt, quam suadentibus. [1] Hæc adolescentes sibi scripta sciant, ne aliter quam dicturi sint, exerceri velint & in desuescendis morentur. Cæterum cum advocari cœperint in consilia amicorum, dicere sententiam in senatu, suadere si quid consulet princeps, quod præceptis fortasse non credunt, usu docebuntur.

1 *Hæc adolescentes.*] Hoc pertinet ad præceptum declamationis, quod & lib. 2. monuit, ut *declamationes* quam proxime veras causas imitarentur, alioqui pravam fore exercitationem. *Idem.*

CAP. IX.

De partibus caussarum judicialium.

NUnc de judiciali genere, quod est præcipue multiplex, sed officiis constat duobus, [1] *intentionis* ac *depulsionis.* cujus partes, ut plurimis auctoribus placuit, quinque sunt, *proœmium, narratio, probatio, refutatio, peroratio.* His adjecerunt quidam [2] *partitionem, propositionem, excessum:* quarum priores duæ probationi succedunt. Nam proponere quidem quæ sis probaturus, necesse est: sed & concludere. Cur igitur si illa pars caussæ est, non & hæc sit? [3] *Partitio* vero dispositionis est species, ipsa *dispositio* pars rhetorices, & per omnes materias totumque earum corpus æqualiter fusa, sicut *inventio* & *elocutio.* Ideoque eam non orationis totius partem unam esse credendum est, sed quæstionum etiam

GEnus *judiciale* quia est omnium difficillimum, majorem quoque postulat præceptorum rationem. itaque huic generi 4. sequentes libros deputat, sequiturque harum partium rationem in librorum ordine. nam libro quarto de *exordio* & *narratione* agit, quinto *de confirmatione* & *confutatione*, sexto *de conclusione*, septimo materiam hujus generis explicat, quæ *in statibus* est posita. *Turneb.*

1 *Intentionis ac dep.*] Κατάφασεως καὶ ἀποφάσεως. *Pithœus.*

2 *Partitionem.*] Quæ rectius dicetur dispositionis species. *Idem.*

3 *Partitio vero dispos. est species.*] *Dispositio* est optima collocatio rerum inventarum: cujus cum aliæ pleræque sunt species, tum ipsa quoque *partitio* est. nam cum in certa membra rem totam partiatur, indicat quæ futura sit collocatio capitum in tota oratione. *Turneb.*

etiam ſingularum. Quæ nanque eſt quæſtio, in qua non promittere poſſit orator quid primo, quid ſecundo, quid tertio ſit loco dicturus? quod eſt proprium *partitionis*. Quam ergo ridiculum eſt, *quæſtionem* quidem ſpeciem eſſe probationis: *partitionem* autem, quæ ſit ſpecies quæſtionis, partem totius orationis vocari? [1] *Egreſſio* vero, vel (quod uſitatius eſſe cœpit) *exceſſus*, ſive eſt extra cauſſam, non poteſt eſſe pars cauſſæ: ſive eſt in cauſſa, adjutorium vel ornamentum partium eſt earum ex quibus egreditur. Nam ſi quicquid in cauſſa eſt, pars cauſſæ vocabitur: cur non *argumentum*, *ſimilitudo*, *locus communis*, *affectus*, *exempla*, partes vocentur? Tamen nec iis aſſentior qui detrahunt *refutationem*, tanquam probationi ſubjectam, [2] ut Ariſtoteles. hæc enim eſt quæ conſtituat, illa quæ deſtruat. Hoc quoque idem aliquatenus novat, quod procœmio non *narrationem* ſubjungit, [3] ſed *propoſitionem*. Verum id facit quia *propoſitio* genus, *narratio* ſpecies videtur: & hac non ſemper, illa vero ſemper & ubique credit opus eſſe. [4] Verum ex his quas conſtitui partibus, non ut quidque primum dicendum, ita primum cogitandum eſt: ſed ante omnia intueri oportet,

1 *Egreſſio vero.*] *Egreſſio* eſt duplex, altera quæ fit *amœnitatis cauſa*, & in plauſibilem locum extra cauſam egreditur, quo genere frequenter Fabii tempore utebantur poſt narrationem: alia eſt quæ fit *commendationis*, *commiſerationis*, *invidiæ* cauſa, eaque pertinet *ad cauſam*: ut Cicero ſæpenumero narratis Verris criminibus egreditur ad amplificandum. Neutram autem orationis partem propriam eſſe *à remotione* oſtendit. Nam ſi ad cauſam pertinet, *ornamentum* ejus eſt: ſi extra, jam *non eſt pars*. Idem.

2 *Ut Ariſtoteles.*] Ariſtotelis *confirmationem* & *confutationem* uno probationis nomine eſt complexus, quoniam *probatio* ſuos numeros non habet, niſi ſuorum *aſtructione* & diverſorum *ſolutione*. Fabius, cum diverſa ſint *aſtruere* & *ſolvere*, diverſis quoque appellationibus donanda putat, non uno nomine confundenda. *Idem.*

3 *Sed propoſitionem.*] *Propoſitionem* Ariſtotel. appellat ejus rei comprehenſionem de qua dicendum eſt. eam in omni genere putat neceſſariam, *narrationem* non item, ſed eam duntaxat ait uſitatam in cauſis judicialibus. Porro *narratio* propoſitionis eſt ſpecies, quia quod breviter comprehendit *propoſitio*, idem fuſius proponit *narratio*, adjectis omnibus circunſtantiis quæ ſunt in rei geſtione. *Idem.*

4 *Verum ex his.*] Ut in artibus & rebus inveniendis, *reſolutorius ordo* nominatur: ita quoque in cogitando. fit autem à fine per reſolutionem ad principium uſque. At *ordo compoſitorius* artibus docendis & tradendis eſt aptior: ita quoque orationibus condendis. *Idem*

1 *Nam*

tet, *quod sit genus causse: quid in ea quæratur: quæ prosint, quæ noceant:* deinde *quid confirmandum* sit, ac *refellendum:* tum quomodo *narrandum. Expositio* enim probationum est præparatio: nec esse utilis potest, nisi prius constiterit quid debeat de probatione promittere. Postremo intuendum quemadmodum judex sit conciliandus. Neque enim nisi totis caussæ partibus diligenter inspectis, scire possumus qualem nobis facere animum cognoscentis expediat, severum an mitem concitatum an remissum, adversum gratiæ, an obnoxium. Neque ideo tamen eos probaverim, qui scribendum quoque procœmium noviſſime putant. [1] Nam ut conferri materiam omnem oportet, & quid quoque [2] loco sit opus, constare debet antequam dicere aut scribere ordiamur: ita incipiendum ab iis quæ prima sunt. Nam nec pingere quisquam aut fingere cœpit à pedibus: nec denique ars ulla consummatur ibi unde ordiendum est. Quid fiet alioqui, si spatium componendi orationem stylo, non fuerit? nonne nos hæc inversa consuetudo deceperit? Inspicienda igitur materia est quo præcipimus ordine, scribenda quo dicimus.

CAP. X.

De generibus judicialium controversiarum.

[3] CÆterum caussa omnis, in qua pars altera *agentis* est, 12
altera *recusantis*: aut unius rei controversia constat, aut plurium. [4] Illa *simplex* dicitur, hæc *conjuncta*. Una controversia est per se furti, per se adulterii. Plures aut ejusdem generis, ut *in pecuniis repetundis:* aut diversi, ut *si quis sacrilegii*

1 *Nam ut conferri, &c.*] Per similitudinem probat ab exordio incipiendum. *Idem.*

2 *Loco.*] *Pith.* omittit *loco.*

3 *Cæterum causa omnis in qua.*] Q. d. non simplex omnis causa, sed in qua, &c. *Pithœus.*

4 *Illa simplex dicitur.*] *Causa simplex* non potest plus habere uno statu principali, quanquam quæstionum plures habere status potest: *causa conjuncta* plures habet status causæ, qui seorsum judicium subire possunt & litem constituere. *Turneb.*

sacrilegii simul & homicidii accusetur. Quod nunc in publicis judiciis non accidit, [1] quoniam prætor certa lege sortitur: principum autem & senatus cognitionibus frequens est: & populi fuit. [2] Privata quoque judicia sæpe unum judicem habere multis & [3] diversis formulis solent: nec aliæ species erunt, etiam si unus à duobus duntaxat eandem rem, atque ex eadem caussa petet, aut duo ab uno, aut plures à pluribus. quod accidere [4] in hereditariis litibus interim scimus: quia quamvis in multis personis, caussa tamen una est, nisi si conditio personarum quæstiones variaverit. Diversum his tertium genus, quod dicitur *comparativum*, [5] cujus rei tractatus in parte caussæ frequens est: ut cum [6] apud centumviros post alia quæritur & hoc, *uter dignior hæreditate sit.* Rarum est autem ut in foro judicia propter id solum constituantur, sicut *divinationes*, quæ fiunt de accusatore constituendo, [7] & nonnunquam inter delatores: *uter præmium meruerit.*

1 *Quoniam prætor certa lege, &c.*] Judiciis publicis præsidebat Prætor, qui & *quæsitor* dicebatur. solebat autem ductis ex urna sortibus, ordine causas cognoscere. Judicia porro publica secundum leges instituuntur, ac de maleficiis certa lege cognoscit Prætor, ut *lege Cornelia* de sicariis, *lege Julia* de repetundis. cum igitur maleficia una lege non continebuntur, in cognitionem Prætoris simul non venient. *Idem.*

2 *Privata quoque judicia.*] *Judicia publica* legibus instituebantur, *privata* actionibus, quarum certa erat formula: à qua qui aberraret, causa cadebat. hinc *formularii* dicuntur à Cic. *pragmatici* & *leguleii.* Idem.

3 *Diversis formulis.*] Index enim pecuniariæ causæ de actoris calumnia pronuntiare potest. *Pith.*

4 *In hæred.*] Ubi est quæstio *de hæreditate*, quanvis sint plures personæ, tamen una causa, nisi personæ causam variaverint, ut in themate de duobus legitimis & notho uno: & tunc non quæstio erit conjuncta, sed comparatio. *Turneb.*

5 *Cujus rei tractat.*] Quemadmodum enim nunquam solemus reum defendere per solam *deprecationem*, sed post defensionem veram tanquam ex abundanti utimur *deprecatione*, ut Cicero *pro Milone:* Sic nunquam contingit ut causa judicialis seu privata tota sit posita in comparatione: tractamus tamen hanc in aliqua parte post alia multa. Jam in divinationibus nihil aliud esse videtur quam *comparatio.* est enim ea, Asconio auctore, in qua quæritur non de facto per conjecturam, sed de futuro. sic dicta *divinatio*, quia judices injurati sine tabulis aut testibus, sed solis argumentis decernunt, uter accusare debeat: ideoque oporteat illos divinare. *Idem.*

6 *Apud centumviros.*] *Centumviri* apud Romanos de causis minoribus judiciisque privatis cognoscebant, erantque divisi in quatuor basilicas. *Idem.*

7 *Et nonnunquam inter delatores.*] In quibusdam criminibus publicis, ut *in crimine majestatis* & *perduellionis*, delatoribus & judicibus constituuntur præmia. *Idem.*

1 *Adjece-*

meruerit. [1] Adjecerunt cuidam numero *mutuam accusationem*, quæ ἀντικατηγορία vocatur: aliis videlicet succedere hanc quoque comparativo generi existimantibus: cui similis erit petitionum invicem diversarum: quod accidit vel frequentissime. [2] Id si & ipsum vocari debet ἀντικατηγορία (nam proprio caret nomine) duo erunt genera ejus: alterum, quo litigatores idem crimen invicem intentant: alterum, quo aliud atque aliud. Cui & petitionum conditio par est. Cum apparuerit genus caussæ, tum intuebimur, negeturne factum quod intenditur, an defendatur, an alio nomine appelletur, an à genere actionis repellatur: unde sunt status.

1 *Adjecerunt quidam.*] Præcepta ἀντικατηγορίας sunt apud *Fab. lib. 7. cap. de conjectura:* ubi docet *anticategoriam* in forum cadere non posse, sed tantum in cognitionem principis. *Idem.*

2 *Id si ipsum,*] Nostri reconventionem appellant. *Pith.*

CAP. XI.

Quid sit quæstio, ratio, judicatio, continens, & quatenus necessaria.

HIs inventis, intuendum deinceps Hermagoræ videtur quid sit *quæstio*, *ratio*, *judicatio*, *continens*, id est στοιχεῖον, vel, ut alii vocant, *firmamentum.* [1] *Quæstio* latius intelligitur omnis de qua in utranque partem vel in plures dici credibiliter potest. In judiciali autem materia dupliciter accipienda est: Altero modo, quo dicimus multas quæstiones habere controversiam, quo etiam minores omnes com- 13

Congerit quasdam opiniones eorum qui *statum* à *judicatione* separabant, ideoque in multas particulas præceptiones præscindebant: demum suam apponit sententiam, censetque *statum*, *judicationem*, *continens*, eadem esse. nec enim (ut antea diximus) statum in prima confictione ponit Fabius, sed in ea quæstione quæ complectitur totam controversiam. *Turneb.*

1 *Quæstio latius intelligitur.*] *Quæstio* generaliter accipitur & specialiter. *generaliter*, ut quancunque probabilem complectitur dubitationem: *specialiter*, ut in causa judiciali. Cæterum hæc quoque duplex est, *summa*, quæ controversiam continet, & principale litis punctum: est & *minor* quæstio levior, quæ tamen ad summæ confirmationem pertinet. *Idem.*

complectimur: Altero, [1] quo significamus summam illam in qua causſa vertitur. de hac nunc loquor, ex qua naſcitur ſtatus, *an factum* ſit, *quid factum* ſit, *an recte factum* ſit. Has Hermagoras & Apollodorus & alii plurimi ſcriptores proprie *quæſtiones* vocant: Theodorus (ut dixi) *capita generalia*: ſicut illas minores aut ex illis pendentes, *ſpecialia*. Nam & quæſtionem ex quæſtione naſci, & ſpeciem in ſpecies dividi convenit. Hanc igitur quæſtionem veluti principalem vocant ζήτημα. [2] Ratio autem eſt, qua id quod factum eſſe conſtat, defenditur. Et cur non utamur eodem, quo ſunt uſi fere omnes, exemplo? *Oreſtes matrem occidit.* hoc conſtat. *dicit ſe juſte feciſſe:* ſtatus erit qualitatis. quæſtio, *an juſte fecerit.* ratio, *quod Clytæmneſtra maritum ſuum patrem Oreſtis occidit*, hoc αἴτιον dicitur. [3] κεκριμένον autem *judicatio*, an oportuerit vel nocentem matrem à filio occidi. Quidam diviſerunt αἴτιον & αἰτίαν, ut eſſet altera, propter quam judicium conſtitutum eſt, *ut occiſa Clytæmneſtra:* altera qua factum defenditur, *ut occiſus Agamemnon.* Sed tanta eſt circa verba diſſenſio, ut alii αἰτίαν cauſſam judicii, αἴτιον autem facti vocent, alii eadem in contrarium vertant. Latinorum quidam hæc initium & rationem vocaverunt: quidam utrunque eodem nomine appellant. Cauſſa quoque ex cauſſa, id eſt αἴτιον ἐξ αἰτίας naſci videtur: quale eſt, *Occidit Agamemnonem Clytæmneſtra, quia ille filiam communem immolaverat,* [4] *& captivam pellicem adducebat.* Iidem putant & ſub una quæſtione plures eſſe rationes: *ut ſi Oreſtes & alteram afferat matris necatæ*

1 *Quo ſignificamus ſummam illam.*] *Summa quæſtio* re ipſa eadem eſt cum *ſtatu*, ſed ratione differt, quod in ſumma quæſtione aliquid appareat quærendum vel *conjecturaliter* vel *finitive*, quæ facies *ſtatus* dicitur: quæ ſententia non eſt Fabii, ſed Hermagoræ. *Idem.*

2 *Ratio autem.*] Hoc ait, quia in conjectura ratio non affertur, ſed eodem in loco eſt *ſtatus* & *judicatio.* Ratio autem ad reum pertinet, quia ſe ratione defendit. *Idem.*

3 Κεκριμένον autem.] Κεκρίμενον Budæus dicit, vulgo hoc de quo quæſtio eſt, à Cicerone appellatur *qua de re agitur.* eſt autem quæſtio quæ oritur ex rationis & firmamenti conflictu. *Idem.*

4 *Et captivam pellicem adducebat.*] Meminit quoque Euripides in Hecuba, aitque *Caſſandram concubinam fuiſſe Agamemnonis.* erat igitur pellex, cum Agamemnon uxorem haberet. *Idem.*

1 *Quod*

necatæ causſam, [1] *quod reſponſis ſit impulſus.* [2] Quot autem cauſſas faciendi, totidem judicationes. Nam & hæc erit judicatio, *an reſponſis parere debuerit.* Sed & una cauſſa plures habere quæſtiones & judicationes (ut ego arbitror) poteſt: ut in eo qui cum adulteram deprehenſam occidiſſet, adulterum, qui tum effugerat, poſtea in foro occidit. Cauſſa enim eſt una, *adulter fuit:* quæſtiones & judicationes, *an illo tempore, an illo loco licuerit occidere.* Sed ſicut cum ſint plures quæſtiones, omneſque ſuos ſtatus habeant, cauſſæ tamen ſtatus unus ſit, ad quem referuntur omnia: ita judicatio maxime propria, de qua pronuntiatur. Σωέχον autem (quod, ut dixi, continens alii, firmamentum alii putant, [3] Cicero firmiſſimam argumentationem defenſoris, & [4] appoſitiſſimam adjudicationem) quibuſdam id videtur eſſe, poſt quod nihil quæritur: quibuſdam id quod ad judicationem firmiſſimam affertur. [5] Cauſa facti, non in omnes controverſias cadit. Nam quæ fuerit cauſſa faciendi, ubi factum negatur? At ubi cauſſa tractatur, negant eodem loco eſſe judicationem, [6] quo quæſtionem. Idque & in Rhetoricis Cicero & in Partitionibus dicit. Nam in conjectura eſt quæſtio ex illo, *factum, non factum, an factum ſit.* Ibi ergo judicatio, ubi quæſtio: quia in eadem re prima quæſtio, & extrema diſceptatio. At in qualitate, *Matrem Oreſtes occidit, recte, non recte:* an recte occiderit, quæſtio, nec ſtatim judicatio. Quando ergo? *Illa patrem meum occiderat.* Sed non ideo tu matrem debuiſti occidere. *an debuerit* hîc judicatio. Firmamentum autem verbis ipſius ponam. Si velit

1 *Quod reſponſis ſit impulſus.*] Nam oraculum Pythii Apollinis Oreſtem impulit ad matrem interficiendam, ut meminit *Sophocles in Electra.* Idem.

2 *Quot autem cauſas, &c.*] Sed tamen illæ judicationes non erunt æque principales, ſed quibuſdam magis nitemur, aliæ ut *ſtatus minores* erunt. *Idem.*

3 *Cicero.*] Rheroric. 1.

4 *Appoſitiſſimam.*] Aptiſſimam.

5 *Cauſa facti non in omnes contr.*] *Cauſa facti* locum duntaxat habet in finitione & qualitate, in conjectura vero nunquam. *Turneb.*

6 *Quo quæſtionem.*] Nam *quæſtionem ſummam* in prima conflictione ponunt, *judicationem* vero in ſumma diſceptatione, quæ ex ratione & firmamento naſcatur. *Idem.*

velit Oreſtes dicere ejuſmodi animum matris ſuæ in patrem ſuum, in ſeipſum ac ſorores, in regnum, in famam generis ac familiæ, ut merito ab ea pœnas liberi ſui potiſſimum petere debuerint. Utuntur alii & talibus exemplis, *Qui bona paterna conſumpſerit, ne concionetur.* in opera publica conſumpſit. quæſtio, *an quiſquis conſumpſerit, prohibendus ſit:* judicatio, *an qui ſic.* [1] Vel ut in cauſſa militis Mariani qui C. Luſium tribunum vim ſibi inferentem interfecit, quæſtio, *an jure fecerit.* ratio, *quod is vim afferebat.* judicatio, *an indemnatum*, an Tribunum à milite occidi oportuerit. [2] Alterius etiam ſtatus quæſtionem, alterius judicationem putant. Quæſtio qualitatis, *an recte Clodium Milo occiderit.* Judicatio conjecturalis, *an Clodius inſidias fecerit.* [3] Ponunt & illud, ſæpe cauſſam in aliquam rem dimitti, quæ non ſit propria quæſtionis, & de ea judicari. A quibus multum diſſentio. Nam & illa quæſtio, *an omnes qui paterna bona conſumpſerint, concione ſint prohibendi*, habeat oportet ſuam judicationem. [4] Ergo non alia quæſtio, alia judicatio erit, ſed plures quæſtiones, & plures judicationes. Quid? non in cauſſa Milonis ipſa conjectura refertur ad qualitatem. Nam ſi eſt inſidiatus Clodius, ſequitur ut recte ſit occiſus. Cum vero in aliquam rem miſſa cauſſa eſt, & receſſum à quæſtione quæ erat conſtituta: [5] hîc quæſtio, ubi judicatio

1 *Vel ut in cauſſa militis Mariani.*] Bellis Cimbricis, Trebonius propinquum Marii imperatoris, vim ſibi inferentem, interfecit, eſtque à Mario imperatore abſolutus. Hic Fabius appellat *Trebonium*, *Aruncum* militem, à patria. ſunt enim *Arunci* populi quidam in Latio. *Idem. Militis.*] Arunci. Plutarchus in Mario, & Valer. lib. 6. titul. 1. de pudicitia.

2 *Alterius etiam ſtatus, &c.*] Præceptum hoc perpetuum non eſt: nam ſæpenumero etiam contingit ut idem ſit ſtatus in *judicatione* & *quæſtione*. Turnebus.

3 *Ponunt & illud.*] Omnis quæſtio quæ *cauſſam facti* poſtulat, *judicationem* quoque exigit, à qua comprobetur. quod ſi verum eſt, *judicatio* nunquam erit in ea re quæ non ſit propria quæſtionis. *Idem.*

4 *Ergo non alia quæſtio.*] Significat *judicationem* non eſſe à quæſtione alienam & remotam: ac ſi plures ſint quæſtiones, plures quoque eſſe *judicationes*, à quibus comprobentur & confirmentur. *Idem.*

5 *Hic quæſtio, ubi judicatio eſt.*] Cum in rem extraneam cauſa mittitur, non in quæſtione quæ illinc oritur, eſt *judicatio*, ſed in ea diſceptatione quæ ad quæſtionem ſummam ita refertur, ut eam

judicatio est. Paulum in his secum etiam Cicero dissentit. Nam in rhetoricis (quemadmodum supra dixi) Hermagoram est secutus: in topicis, ex statu effectam contentionem κεφάλαιον existimat. Idque Trebatio, qui juris erat consultus, alludens, qua de re agitur appellat: quibus id contineatur, continentia, quasi firmamenta defensionis: [1] quibus sublatis defensio nulla sit. At in partitionibus oratoriis, firmamentum, quod opponitur defensioni: quia continens quod primum sit, ab accusatore dicatur: ratio, à reo: ex rationis & firmamenti quæstione, disceptatio sit judicationum. [2] Verius igitur & brevius, qui statum & continens & judicationem idem esse voluerunt: [3] *continens* autem id esse, quo sublato lis esse non possit. Hi mihi videntur utranque caussam complexi, & *quod Orestes matrem*, & *quod Clytæmnestra Agamemnonem occiderit*. Iidem judicationem & statum consentire semper existimarunt. Nec enim aliud eorum rationi conveniens fuisset. Verum hæc affectata subtilitas, circa nomina rerum ambitiose laboret, à nobis in hoc assumpta solum, ne parum diligenter inquisisse de opere quod aggressi sumus, videremur: simplicius autem instituenti, non est necesse per tam minutas rerum particulas rationem docendi concidere: quo vitio multi quidem laborarunt, præcipue tamen Hermagoras, vir alioqui subtilis, & in plurimis admirandus, tantum diligentiæ nimium sollicitæ, ut ipsa ejus reprehensio laude aliqua non indigna sit. [4] Hæc autem brevior, & vel ideo lucidior multo via, neque discentem per ambages fatigabit, nec corpus oratio-

eam probet, & de ea sit judicandum. *Idem.*

1 *Quibus sublatis defensio nulla sit.*] *Cicero in Topicis* continens facere videtur defensoris, ut sit ejus forma, ratio qua se tueatur. at *in Partit.* facit actoris, ut sit id quod opponitur rationi defensoris. *Idem.*

2 *Verius igitur.*] His præceptorum particulis non delectatur Fabius: quocirca meliorem putat hanc opinionem, quanquam postea etiam quid sentiat, magis sit explicaturus. *Idem.*

3 *Continens autem.*] Continens quod utrumque κῶλον complectitur. *Pithœus.*

4 *Hæc autem brevior.*] Demum ascribit sententiam suam, ac *statum* eundem cum *judicatione* facit, omissis tamen variis rerum appellationibus. *Turneb.*

orationis in parva momenta deducendo consumet. Nam qui viderit quid sit quod in controversiam veniat, quid in eo, & per quæ velit efficere pars diversa, quid nostra, quod in primis est intuendum: nihil eorum ignorare, de quibus supra diximus, poterit. Nec est fere quisquam, modo non stultus, atque ab omni prorsus usu dicendi remotus, quin sciat & quid litem faciat, (quod ab illis *causſa* vel *continens* dicitur) & quæ sit inter litigantes quæstio, & de quo judicari oporteat: quæ omnia idem sunt. Nam & de eo quæstio est, quod in controversiam venit: & de eo judicatur, de quo quæstio est. [1] Sed non perpetuo intendimus in hæc animum & cupiditate laudis, utcunque acquirendæ, vel dicendi voluptate evagamur, quando uberior semper extra causſam materia est, quia in controversia pauca sunt extra, omnia: & hîc dicitur de iis quæ accepimus, illic de quibus volumus. Nec tam hoc præcipiendum est ut quæstionem, continens, judicationem inveniamus, (nam id quidem facile est) quam ut intueamur semper, aut certe si digressi fuerimus, saltem respiciamus, ne plausum affectantibus, arma excidant. Theodori schola (ut dixi) omnia refert ad capita. His plura intelliguntur: Uno modo summa quæstio, item ut status: Altero cæteræ quæ ad summam referuntur: Tertio, propositio cum affirmatione: ut dicimus, *Caput rei est* [2] *apud Menandrum*, κεφάλαιόν ἐστιν. In universum autem quicquid probandum est, erit *caput*, sed id majus, aut minus. [3] Et quoniam quæ de his erant à scriptoribus artium tradita, verbosius etiam quam necesse erat exposuimus: præterea quæ partes essent judicialium causſarum, supra dictum est: proximus liber proœmia, id est exordia concipiet.

1 *Sed non perpetuo.*] Quosdam reprehendit *declamatores* & *oratores*, qui relicto themate & eo quod in controversiam venit, extra rem licentiose evagantur ad plausum auditoris captandum. *Idem.*

2 *Apud Menandrum.*] Intelligere possumus *rhetorem*, cujus rhetorica extat. *Idem.*

3 *Et quoniam.*] Transitio ad sequentem librum. *Idem.*

M. Fab.

M. Fab. Quintiliani De Institutione Oratoria Liber Quartus.

Prooemium.

Perfecto, Marcelle Victori, operis tibi dedicati tertio libro, & jam quarta fere laboris parte transacta, novæ insuper mihi diligentiæ caussa, & altior sollicitudo, quale judicium hominum emererer, accessit. Adhuc enim velut studia inter nos conferebamus: & si parum nostra institutio probaretur à cæteris, contenti fore domestico usu videbamur, ut tui meique filii formare disciplinam satis putaremus. Cum vero mihi Domitianus Augustus [1] sororis suæ nepotum delegaverit curam, non satis honorem [2] judiciorum cœlestium intelligam, nisi ex hoc quoque oneris magnitudinem metiar. Quis enim mihi aut mores excolendi sit modus, ut eos non immerito probaverit sanctissimus censor? aut studia, ne fefellisse in his videar principem ut in omnibus, [3] ita in eloquentia quoque eminentissimum? Quod si nemo miratur poëtas maximos sæpe feciſſe, ut non solum initiis operum suorum [4] musas invocarent, sed provecti quoque longius, cum ad aliquem graviorem veniſſent locum, repeterent

Hac præfatione magnitudinem & difficultatem operis sequentis testatur: addit etiam adulatoria ad Domitianum. *Turneb.*

1 *Sororis suæ nepotum.*] Nove dixit, *pro nepotes* ex sorore: nam soror Domitiani liberos genuit, deinde brevi mortua est: quocirca tutor & curator filiorum ejus fuit Domitianus. *Idem.*

2 *Judiciorum cœlestium.*] Quia Domitianus cum in epistola quadam dictasset, hoc jubet fieri *dominus* & *deus noster Domitianus*, hinc institutum est ut *deus* appellaretur. *Idem.*

3 *Ita in eloquentia quoque.*] Scribit enim Tranquillus, *Domitianum* res gestas patris & fratris carmine conscripsisse, & commentaria historiarum reliquisse. *Idem.*

4 *Musas invoc.*] *Pandite nunc Helicona Deæ.*

1 *Quod*

rent vota, & velut nova precatione uterentur: mihi quoque profecto poterit ignosci, si quod initio, quum primum hanc materiam inchoavi, non fecerim, nunc omnes in auxilium deos, ipsumque in primis, quo neque præsentius aliud, neque studiis magis propitium numen est, invocem: ut quantum nobis expectationis adjecit, tantum ingenii adspiret, dexterque ac volens adsit, & me qualem esse credidit, faciat. Cujus mihi religionis non hæc sola ratio, quæ maxima est, sed alia, qua sic procedit ipsum opus, ut majora præteritis, ac magis ardua sint quæ ingredior. Sequitur enim *ut judicialium caussarum*, quæ sunt maxime variæ ac multiplices, ordo explicetur, [1] quod proœmii sit officium: quæ *ratio narrandi*: quæ *probationum sit fides*, seu *proposita* confirmamus, seu *contradicta* dissolvimus: quanta vis in *perorando*, seu reficienda brevi repetitione rerum memoria est judicis, sive affectus (quod est longe potentissimum) commovendi. De quibus partibus singulis quidam separatim scribere maluerunt, velut onus totius corporis veriti, & sic quoque complureis de unaquaque earum libros ediderunt: quas ego omnes ausus contexere, prope infinitum mihi laborem prospicio, & ipsa cogitatione suscepti muneris fatigor. Sed durandum est, quia cœpimus: & si viribus deficiemur, animo tamen perseverandum.

1 *Quod proœmii sit officium.*] Breviter complectitur argumenta *libri quarti*, *quinti & sexti*, quos instituit ex partium ipsarum ordine. *Turneb.*

Cap. I.

DE EXORDIO.

1 Quod *principium* Latine vel *exordium* dicitur, majore quadam ratione Græci videntur προοίμιον nominasse: quia à nostris initium modo significatur, illi satis clare partem

In tribus deinceps libris *methodum compositivam* sequitur, quæ eadem artis institutione constat: itaque ab exordio incipit, primumque ab ejus etymologia. *Idem.*

1 *Nam*

tem hanc esse ante ingressum rei, de qua dicendum sit, ostendunt. [1] Nam sive propterea quod οἶμος *cantus* est, & citharœdi pauca illa, quæ antequam legitimum [2] certamen inchoent, emerendi favoris gratia canunt, *proœmium* [3] cognominaverunt: oratores quoque ea quæ prius quam caussam exordiantur, ad conciliandos sibi judicum animos præloquuntur, eadem appellatione signarunt: sive quod οἶμος iidem Græci *viam* appellant, id quod ante ingressum rei ponitur, sic vocare est institutum: certe *proœmium* est, quod apud judicem prius quam caussam cognoverit, prosit. [4] Vitioseque in scholis facimus, quod exordio semper sic utimur, quasi caussam judex jam noverit. Cujus rei licentia ex hoc est, quod ante declamationem illa velut imago litis exponitur. Sed in foro quoque contingere istud principiorum genus [5] secundis actionibus potest: primis quidem raro unquam, nisi forte apud eum cui res aliunde jam nota sit, dicimus. Caussa principii nulla est alia, quam ut auditorem, quo sit nobis in cæteris partibus accommodatior, præparemus. [6] Id fieri tribus maxime rebus, inter auctores plurimos constat, si *benevolum*, *attentum*, *docilem* fecerimus: [7] non quia ista non per totam actionem sint custodienda, sed quia initiis præcipue necessaria, per quæ in animum judicis, ut procedere ultra possimus, admittimur. [8] *Benevolentiam*

1 *Nam sive propterea quod, &c.*] Hæc ab Aristotele scribuntur *lib.* 3. *ad Theod.* Eadem scribit Sopater interpres Hermogenis, quanquam ille non *certamen*, sed *carmen* scribit. erant tamen olim certamina de musica instituta. *Idem.*

2 *Certamen.*] Leg. *carmen.*

3 *Cognominaverunt.*] Leg. *vocaverunt.*

4 *Vitioseque in scholis facimus.*] Hoc mutuatus est Fabius à Dionysio Halycarnasseo, qui idem scribit in cap. de ἀπειρίᾳ & *erroribus declamationum*: hoc fit, quia antequam puer declamet, tota hypothesis & argumentum explicatur, ex quo rem auditori satis notam esse putant. *Turneb.*

5 *Secundis actionibus.*] Vel *secundas actiones* appellat δευτερολογίας, quæ tum fiunt cum plures patroni eandem caussam tuentur: aut appellat eam actionem quæ secundo rem in judicium revocat. *Idem.*

6 *Id fieri tribus maxime rebus.*] Vide Vossii Institut. Orator. lib. 3. cap. 3. p. 334.

7 *Non quia ista non per totam actionem, &c.*] Ex *secundo libro de Oratore* hoc sumptum est. illic enim docet Cicero has exordii partes, aliarum quoque partium esse. *Turneb.*

8 *Benevolentiam, &c.*] Servius Vet. Interpres Virgil. in v. c. Fuld. Benevolentia

tiam aut à perſonis aut à cauſſis duci accepimus: ſed *perſonarum* non eſt (ut plerique crediderunt) triplex tantum ratio, *ex litigatore, & adverſario, & judice.* Nam exordium duci nonnunquam etiam ab actore cauſſæ ſolet. Quanquam enim pauciora de ſe ipſo dicit, & parcius, plurimum tamen ad omnia momenti eſt in hoc poſitum, *ſi vir bonus* creditur. Sic enim continget, ut non ſtudium advocati videatur afferre, ſed pene teſtis fidem. Quare in primis exiſtimetur veniſſe ad agendum ductus officio vel cognationis, vel amicitiæ, maximeque ſi fieri poterit, reipublicæ, aut alicujus certe [1]non mediocris exempli. Quod ſine dubio multo magis ipſis litigatoribus faciendum eſt, ut ad agendum magna atque honeſta ratione, aut etiam neceſſitate acceſſiſſe videantur. Sed ut præcipua in hoc dicentis auctoritas, ſi omnis in ſubeundo negotio ſuſpicio ſordium aut odiorum, aut ambitionis abfuerit: ita quædam in his quoque commendatio tacita, ſi nos infirmos & impares ingeniis contra agentium dixerimus, qualia ſunt pleraque Meſſalæ proœmia. Eſt enim naturalis favor pro laborantibus: & judex religioſus libentiſſime patronum audit, [2]quem juſtitiæ ſuæ minime timet. Inde illa veterum circa occultandam eloquentiam ſimulatio, multum ab hac noſtrorum temporum jactatione diverſa. Vitandum etiam, ne *contumelioſi, maligni, ſuperbi, maledici* in quenquam hominem ordinemve *videamur*, præcipueque eorum qui lædi niſi averſa judicum voluntate non poſſunt. Nam in judicem ne quid dicatur, non modo palam, ſed quod omnino intelligi poſſit, ſtultum erat monere, niſi fieret. [3]Etiam partis adverſæ patronus dabit exordio

lentia in principiis controverſiarum ſecundum præcepta rhetoricæ, quatuor modis conciliatur: à judicum perſona, à noſtra, ab adverſariorum, à re ipſa. *Pithœus.*

1 *Non mediocris exempli.*] Sic Latini ſolent appellare *rem maximi momenti*, quam vulgo appellamus *rem conſequentiæ* & *importantiæ.* ſic Plinius dixit *pertinere ad exemplum, & exempli referre.* Turn.

2 *Quem juſtitiæ ſuæ minimè timet.*] Nam ſi actor ſe fatebitur imparem, exiſtimabit judex ſe ejus perſuaſione & oratione non poſſe à propoſito juſtitiæ abduci, atque ita libentius audiet. *Idem.*

3 *Etiam.*] Etenim.

1 *Si*

dio materiam: interim cum honore, [1] si eloquentiam ejus ac gratiam nos timere fingendo, ut ea suspecta sint judici, fecerimus: interim per contumeliam, sed hoc perquam raro, ut Asinius pro Urbiniæ hæredibus Labienum adversarii patronum [2] inter argumenta malæ causæ posuit. Negat hæc esse proœmia Cornelius Celsus, quia sint extra litem. Sed ego cum auctoritate summorum oratorum magis ducor, tum pertinere ad causam puto, quicquid ad dicentem pertinet: cum sit naturale, ut judices iis quos libentius audiunt, facilius etiam credant. Ipsius autem litigatoris persona tractanda varie est. Nam tum dignitas ejus allegatur, tum commendatur infirmitas: nonnunquam contingit relatio meritorum: [3] de quibus verecundius dicendum erit sua quam aliena laudanti. Multum agit *sexus, ætas, conditio*, in fœminis, senibus, pupillis, liberos, parentes, conjuges allegantibus. Nam sola rectum quoque judicem inclinat *miseratio*. [4] Degustanda tamen hæc proœmio, non consumenda. Adversarii vero persona prope iisdem omnibus sed è contrario ductis impugnari solet. Nam & *potentes sequitur invidia*, & *humiles abjectosque contentio*, & *turpes ac nocentes odium:* quæ tria sunt ad alienandos judicum animos potentissima. [5] Neque hæc dicere satis est, quod datur etiam imperitis: pleraque augenda aut minuenda, ut expediet. Hoc enim oratoris est, illud causæ. Judicem conci-

liabimus

1 *Si eloquentiam ejus, &c.*] Hæc duo facit Cicero in proœmio *pro Quintio*, ubi fingit se timere gratiam Nævii & eloquentiam Hortensii, itaque ea suspecta facit judici. *Turneb.*

2 *Inter argumenta malæ causæ.*] Nam ex superiori Labieni vita ejusque patrociniis, Asinius ostendit, *eum malarum fuisse causarum semper defensorem.* Idem.

3 *De quibus verecundius, &c.*] Si à litigatoris persona benevolentiam ducet actor, *hæc fusius commemorare poterit:* sin ipse litigator erit causæ suæ actor, *verecundius & parcius dicere debebit.* Idem.

4 *Degustanda tamen hæc proœmio.*] Quamquam affectus & miseratio nonnunquam pro utilitate causæ in exordio moveri debent, tamen illic impleri non debent. nam potissimum *ad conclusionem* pertinent, *Idem.*

5 *Neque hæc dicere satis est.*] *Amplificationem* quoque docet Cicero maxime propriam oratoris esse. nam ita rei simplicitatem magis exaggerat. idem de contrario quoque intelligendum est, cum sit ejusdem artificis. *Idem.*

1 *Ambi-*

liabimus nobis non tantum laudando eum (quod & fieri cum modo debet, & est tamen parti utrique commune) sed si laudem ejus ad utilitatem nostræ caussæ conjunxerimus, ut allegemus *pro honestis* dignitatem illi suam, *pro humilibus* justitiam, *pro infelicibus* misericordiam, *pro læsis* severitatem, & similiter cætera. Mores quoque (si fieri potest) judicis velim nosse. Nam prout *asperi*, *lenes*, *jucundi*, *graves*, *duri*, *remissi* erunt, aut assumere in caussam naturas eorum qua competent, aut mitigare qua repugnabunt, oportebit. Accidit autem interim hoc quoque, ut aut nobis *inimicus*, aut adversario sit *amicus*, qui judicat: quæ res utrique parti tractanda est, ac nescio an ei magis, in quam videtur propensior. Est enim nonnunquam pravis judicibus hic [1] ambitus, adversus amicos, aut pro his quibuscum simultates gerant, pronuntiandi, faciendique, injuste ne feciisse videantur. Fuerunt etiam quidam rerum suarum judices. Nam & in libris observationum à Septimio editis, [2] affuisse Ciceronem tali caussæ invenio: & ego [3] pro Regina Berenice apud eam ipsam dixi. Similis hic quoque superioribus ratio est. Adversarius enim fiduciam partis suæ jactat, patronus timet cognoscentis verecundiam. [4] Præterea detrahenda vel confirmanda opinio si quam præcipue domo videbitur judex attulisse. Metus etiam nonnunquam est amovendus: ut Cicero pro Milone, *ne arma Pompeii contra se dispositа putaret*, *laboravit*. Nonnunquam adhibendus, ut idem in Verrem facit: sed adhibendi modus alter ille frequens est & favorabilis, *ne male sentiat populus Romanus*, *ne judicia transferantur*. alter autem asper & rarus, quo minatur corruptis accusationem. & id quidem in concilio ampliore

1 *Ambitus.*] *Ambitus* hic significat aucupationem famæ. *Passerat.*

2 *Affuisse Ciceronem tali causæ.*] Quemadmodum *Marcellum*, *Deiotarum*, *Ligarium* defendit apud Cæsarem judicem, cujus erat causa. *Turneb.*

3 *Pro regina Berenice.*] *Berenice* hæc uxor fuit Ptolemæi regis Ægypti, filia Herodis regis Judææ, & soror Agrippæ, à Tito fratre Domitiani adamata. *Idem.*

4 *Præterea detrahenda.*] Hoc autem procœmium fit *per hypolepsin*, ut scribit Hermogenes *libro primo*. Idem.

pliore utcunque tutius. nam & *mali* inhibentur, & *boni* gaudent. Apud singulos vero nunquam suaserim nisi defecerint omnia. Quod si necessitas exigit, non erit jam ex arte oratoria: non magis quam appellare, etiam si id quoque sæpe utile est: aut antequam pronuntiet, reum facere. Nam & minari & deferre etiam non orator potest. [1] Si caussa, conciliandi nobis judicis materiam dabit, ex hac potissimum aliqua in usum principii, quæ maxime favorabilia videbuntur, decerpi oportebit. quo in loco Virginius fallitur qui Theodoro placere tradit, ut ex singulis quæstionibus singuli sensus in procœmium conferantur. Nam ille non hoc dicit, sed ad potentissimas quæstiones judicem præparandum. [2] In quo vitii nihil erat, nisi in universum id præciperet: quod nec omnis actio patitur, nec omnis caussa desiderat. Nam protinus à petitore primo loco, dum ignota judici lis est, quo modo ex quæstionibus ducemus sententias? nimirum res erunt indicandæ prius. Demus aliquas (nam id exigit ratio nonnunquam) etiamne potentissimas omnes, id est totam caussam? [3] sic erit in procœmio peracta narratio. Quid vero si (frequenter accidit) paulo est [4] durior caussa? non benevolentia judicis petenda ex aliis partibus erit, sed non ante conciliato ejus animo [5] nuda quæstionum committetur asperitas? Quæ si recte semper initio dicendi tractarentur, nihil procœmio opus esset. Aliqua ergo nonnunquam, quæ erunt ad conciliandum nobis judicem

1 *Si causa, conciliandi, &c.*] Non solum *decerpendo* quod in nostra causa favorabile est, verum etiam adversarii causam *deprimendo*. *Idem.*

2 *In quo vitii nihil erat, &c.*] Theodori probat præceptum non esse usquequaque verum. nec enim hoc fieri potest primis actionibus, sed secundis & tertiis: & alioqui cum causa est asperior, nullo modo fieri potest. *Idem.*

3 *Sic erit in procœmio, &c.*] Hoc per locum ab absurdo probat. Etenim *narratio* nihil aliud est quam quæstionum & propositionum fusior explicatio. si igitur ab omnibus quæstionibus decerpantur sententiæ, res tota in exordio explicabitur & narrabitur. *Idem.*

4 *Durior.*] Alii *asperior.*

5 *Nuda quæstionum committetur asperitas.*] Committere est in *concertationem & pugnam* producere. sic gladiatorum paria interse committuntur ut oppugnent. hinc dicuntur *commissiones scenicæ*. Turn. *Nuda quæstionum.*] *Nudam* appellat destitutam patrocinio favoris apud judicem non præparatum. *Pith.*

judicem potentissima, non inutiliter interim ex quæstionibus in exordio locabuntur. Quæ sint porro in causis favorabilia, enumerare non est necesse, quoniam & manifesta erunt cognita cujusque controversiæ conditione, & omnia colligi in tanta litium varietate non possunt. Ut autem hæc *invenire* & *augere*, ita quod lædit, aut omnino *repellere*, aut certe *minuere*, ex causa est. [1] Miseratio quoque aliquando ex eadem venit, sive quid passi sumus grave, sive passuri. Nec enim sum in hac opinione, qua quidam, ut eo distare proœmium ab epilogo credam, quod in hoc præterita, in illo futura dicantur: sed quod in ingressu parcius & modestius prætentanda est judicis misericordia: in epilogo vero liceat totos effundere affectus,[2] & fictam orationem induere personis, & defunctos excitare, & pignora eorum producere: quæ minus exordiis sunt usitata. Sed hæc quæ supra dixi, non movere tantum, verum ex diverso amoliri quoque proœmio opus est. Ut autem nostrum miserabilem, si vincamur, exitum: ita adversariorum superbum, si vicerint, utile est credi. Sed ex iis quoque quæ non sunt personarum nec causarum, verum adjuncta personis & causis, duci proœmia solent. Personis applicantur non pignora modo de quibus supra dixi, sed propinquitates, amicitiæ, interim regiones etiam, civitatesque, & si quid aliud ejus quem defendimus casu lædi [3] potest. Ad causam extra pertinet tempus, *unde principium pro Cœlio.* Locus, [4] *unde pro Deiotaro.* Habitus, *unde pro Milone.* Opinio, *unde in Verrem.* deinceps ne omnia enumerentur, *fama judiciorum, expectatio vulgi.* nihil enim horum in causa est, ad causam

1 *Miseratio quoque.*] Ita nonnulli discernunt *proœmium* ab *epilogo*, quod *in proœmio* miseratio movetur & affectus spectando futurum, qui nondum explicata causa est: *in epilogo* vero ut de re præterita cietur affectus, cum nihil in causa dicendum supersit. *Turneb.*

2 *Et fictam orationem induere personis.*] Cum res inanimis loquens inducitur in propositione, est *prosopopœia*: cum persona mortua, *idolopœia.* hæc tamen duo nomine *prosopopœiæ* plerunque appellamus. *Idem.*

3 *Potest.*] *Postulet.* Passerat.

4 *Unde pro Deiotaro.*] Quod causam publicam ageret inter privatos parietes. nam id solebat in foro fieri. *Turnebus.*

1 *Actione.*]

cauſſam tamen pertinet. Adjicit Theophraſtus ab [1] actione principium, [2] quale videtur eſſe Demoſthenis pro Cteſiphonte, ut ſibi dicere ſuo potius arbitrio liceat rogantis, quam eo modo quem accuſator actione præſcripſerat. Fiducia ipſa ſolet opinione arrogantiæ laborare. Faciunt favorem & illa pene communia, non tamen omittenda, vel ideo, ne occupentur, *optare*, *abominari*, *rogare*, *ſolicitum agere:* quia plerunque attentum quoque judicem facit ſi res agi videtur nova, magna, atrox, pertinens ad exemplum: præcipue tamen ſi judex aut ſua vice aut reipublicæ commovetur: cujus animus ſpe, metu, admonitione, precibus, vanitate denique, [3] ſi id profuturum credemus, agitandus eſt. Sunt & illa excitandis ad audiendum non inutilia, ſi nos neque diu moraturos, neque extra cauſſam dicturos exiſtiment. [4] Docilem ſine dubio & hæc ipſa præſtat attentio: ſed & illud, [5] ſi breviter & dilucide ſummam rei de qua cognoſcere debeat, indicaverimus: [6] quod Homerus atque Virgilius operum ſuorum principiis faciunt. Nam iſtius rei modus eſt, [7] ut propoſitioni ſimilior ſit, quam expoſitioni: nec quomodo quicque ſit actum ſed de quibus dicturus ſit orator oſtendat. Nec video quod hujus rei poſſit apud oratores reperiri melius exemplum, quam *Ciceronis pro A. Cluentio.* [8] Animadverti, judices, omnem accuſatoris oratio-

1 *Actione.*] Alii *oratione.*

2 *Quale videtur eſſe Demoſthenis, &c.*] Æſchines petierat à judicibus, ne *Demoſthenem* evagari ſinerent, ſed eodem ordine reſpondere cogerent. hinc *Demoſthenes* exordium ſumpſit. *Turneb.*

3 *Si id profuturum credemus.*] Idcirco addidit hanc circunſcriptionem, quoniam *orator*, quem virum bonum inſtituit, *nunquam vanus* eſſe debet *& mendax*, niſi magna ducatur utilitate. *Idem.*

4 *Docilem ſine dubio, &c.*] Nam quicunque attendit, doceri poteſt, non contra. *Idem.*

5 *Si breviter.*] Quaſi non tamen ex attentione, ſed ſi breviter nos & dilucide dicturos polliceamur de cæteris rebus. *Idem.*

6 *Quod Homerus, &c.*] Nam *Homerus* ac *Verg.* brevi propoſitione rem totam de qua dicturi ſunt, aperiunt: quod non facit *Lucretius*, nec *Aratus*. Idem.

7 *Ut propoſitioni ſimilior ſit quam expoſitioni.*] Ut non male Ariſtoteles procœmio propoſitionem ſubjunxiſſe videatur. Nam eſt proprium *narrationis*, fuſius explicare addito modo: *propoſitionis* vero, breviter perſtringere. Eſtque *exponere*, præterita commemorare: *proponere*, futura prædicere paucis. *Idem.*

8 *Animadverti judices.*] Nam Cluen-

orationem in duas divisam esse partes: quarum altera mihi niti & magnopere confidere videbatur invidia jam inveterata judicii Juniani: altera tantummodo consuetudinis caussa timide & diffidenter attingere rationem veneficii criminum, qua de re lege est hæc quæstio constituta. Id tamen totum respondenti facilius est, quam proponenti: quia hic admonendus judex, illic docendus est. [1] Nec me quamquam magni auctores in hoc duxerint, ut non semper facere attentum ac docilem judicem velim: non quia nesciam id quod ab illis dicitur, esse pro mala caussa: qualis ea sit, non intelligit: verum quia istud non negligentia judicis contingit, sed errore. Dixit enim adversarius, & fortasse persuasit: nobis opus est ejus diversa opinione: quæ mutari non potest, nisi illum fecerimus ad ea quæ dicemus, docilem & attentum. Quid ergo? Imminuenda quædam & elevanda, & quasi contemnenda esse consentio, ad remittendam intentionem judicis, quam adversario præstat: ut fecit *pro Ligario Cicero*. [2] Quid enim agebat aliud ironia illa, quam ut Cæsar minus se in rem tanquam non novam intenderet? Quid *pro Cœlio*, quam ut res expectatione minor videretur? Verum ex iis quæ proposui aliud in alio genere caussæ desiderari palam est. [3] Genera porro caussarum plurimi quinque fecerunt, *honestum*, *humile*, *dubium vel anceps*, *admirabile*, *obscurum*: id est, ἔνδοξον, ἄδοξον, ἀμφίδοξον, παράδοξον,

tius accusabatur quod in judicio Juniano corruptis judicibus effecisset ut Oppianicus damnaretur, deinde quod veneficium dedisset Oppianico. *Idem.*

1 *Nec me quanquam, &c.*] Contra quosdam contendit probare Fabius, utique docilem attentumque judicem esse faciendum, etiam in mala causa, ad adversarii destruendam opinionem, & novam illique contrariam afferendam. *Idem. Nec me quanquam magni auctores.*] Male reprehendit Aristoteles quod scripserit, auditorem interdum non attentum reddi debere. Vide Vossium Instit. Orator. lib. 3. cap. 3. p. 339.

2 *Quid enim agebat aliud Ironia.*] Vid. Brodæum miscellan. libro 6. cap. 12. pag. 556. &c. Lamprid. Critic. Part. 2. Franc. Luisinum Parerg. lib. 2. cap. 35. pag. 504. &c. Lamp. Critic. Part. 3.

3 *Genera porro causarum.*] Superior causarum divisio, generis erat *in formas*, hæc subjecti in *accidentia*. nam hæ qualitates ipsi materiæ accidunt, referunturque potissimum ad exordii rationem. Cornificius *libro primo* quatuor facit, *honestum*, *turpe*, *dubium*, & *humile*. Cicero *primo de Inventione*, & Fortunatianus cum Fabio conveniunt. *Turnebus.*

1 Et

παράδοξον, δυσπαράγγελτον. Sunt quibus recte videatur adjici *turpe*, quod alii *humili*, alii *admirabili* subjiciunt. *Admirabile* autem vocant, quod est præter opinionem hominum constitutum. In ancipiti maxime *benevolum* judicem, in obscuro *docilem*, in humili *attentum* parare debemus. Nam *honestum* quidem ad conciliationem satis per se valet: in *admirabili & turpi*, remediis opus est. [1] Et eo quidam exordium in duas dividunt partes, *principium, & insinuationem*: ut sit in principiis recta benevolentiæ & attentionis postulatio: quæ quia esse in turpi caussæ genere non possit, insinuatio surrepat animis, maxime ubi [2] frons caussæ non satis honesta est, vel quia res sit improba, vel quia hominibus parum probetur: aut si facie quoque ipsa premitur, vel invidia consistentis ex diverso patroni, aut patris, vel miserabilis senis, cæci, infantis. [3] Et quidem quibus adversus hæc modis sit medendum, verbosius tradunt, materiasque ipsi sibi fingunt, & ad morem actionum prosequuntur: sed hæ cum oriantur ex caussis, quarum species consequi omnes non possumus, nisi generaliter comprehendantur, in infinitum sunt extrahendæ. Quare singulis consilium ex propria ratione nascetur. Illud in universum præceptum sit, ut ab iis quæ lædunt, ad ea quæ prosunt, refugiamus. [4] Si caussa laborabimus, persona subveniat: si persona, caussa: si nihil, quod nos adjuvet, erit, quæramus quid adversarium lædat. Nam ut optabile est, plus favoris mereri: sic proximum, odii minus. In iis quæ negari non poterunt

1 *Et eo quidam exordium, &c.*] Duo sunt exordii genera, *principium, manifestius*: & *insinuatio obscura, subdola, & artificiosa*, quæ non recte, sed subdole colligit judicis benevolentiam. ea tribus in rebus utimur, *cum causa est admirabilis & turpis*, cum *auditor persuasus*, cum auditor *defatigatus*. Idem.

2 *Frons causæ.*] Ingressus & principium, eleganter, ut quæ honestatem turpitudinemque præ se ferre videatur. Est autem *frons*, qua ipsa primum causa apparet: *facies*, qua agnoscitur, id est *ipsa qualitas*. Idem.

3 *Et quidem quibus, &c.*] Ut *Cic. 1. de Inventione*, & *Cornific. lib. 1. ad Herennium*. Porro nonnulli rhetores insinuationis præcepta non tradunt universalia, sed propositis variis thematibus, quomodo sit illic exordiendum docent: quæ ratio pessima est, quia per singularia docet quæ sunt infinita. *Idem.*

4 *Si causa laborabimus.*] Hoc Fabius dicit pro *malam causam habere*. Idem.

poterunt elaborandum ut aut minora quam dictum est, aut alia mente facta, aut nihil ad præsentem quæstionem pertinere, aut emendari posse pœnitentia, aut satis jam punita videantur. [1] Ideoque agere advocato quam litigatori facilius: quia & laudat sine arrogantiæ crimine, & aliquando utiliter etiam reprehendere potest. Nam se quoque moveri interim finget, [2] ut *pro Rabirio Posthumo Cicero*, dum aditum sibi ad aures faciat, & auctoritatem induat vera sentientis, quo magis credatur vel defendenti eadem, vel neganti. [3] Ideoque hoc primum intuemur litigatoris an advocati persona sit utendum, quoties utrunque fieri potest. Nam id in schola liberum est, in foro rarum, ut sit idoneus rei suæ quisque defensor. [4] Declamaturus autem maxime positas in affectibus caussas propriis personis debet induere. Hi sunt enim qui mandari non possunt: nec eadem vi perferuntur alieni animi, qua sui, motus. His etiam de caussis insinuatione videtur opus esse, si adversarii actio judicum animos occupaverit, vel si dicendum apud fatigatos est: quorum alterum promittendo nostras probationes, & adversas eludendo vitabimus: alterum & spe brevitatis, & iis quibus attentum fieri judicem docuimus. [5] Et urbanitas opportuna reficit animos, & undecunque petita judicis voluptas

1 *Ideoque agere advocato, &c.*] *Advocatus* cum de alio loquatur, non de se, facilius citra arrogantiam litigatorem ejusque facta laudare poterit: at si *litigator* suam ageret causam, aut si ejus personam indueret advocatus, non tam facile posset. *Advocatus* autem is dicitur, qui in judicio præsentiam suam commodat amico. hoc in loco *pro actore* posuit Fabius. *Idem.*

2 *Ut pro Rabirio.*] Illic enim & ipse Cic. *facilitatem* & *imprudentiam* Rabirii litigatoris damnat, qui Ptolemæo Alexandrinorum regi profugo pecuniam mutuarit, cujus nomine sit repetundarum accusatus. *Idem.*

3 *Ideoque hoc primum.*] *Patronus* ipse, cum utrunque erit liberum, pro utilitate causæ videre debebit agerene debeat ex persona sua, an susceptа litigatoris sui persona: quod tamen rarum est. *Idem.*

4 *Declamaturus autem.*] Quædam à Græcis appellantur *causæ pathetica*, quas cum declamator tractabit, *prosopopœia* uti debebit, ut suscipiat personam litigatoris, quia tum ex propria persona vehementior erit affectus, quam ex aliena. quia tales sint ut alteri personæ mandari non possunt, persona movetur magis quam alia. *Idem.*

5 *Et urbanitas.*] Vide *Ciceronem* 1. *de Inventione.* Hoc & in Murænæ causa fecit Cicero, etsi non statim initio. *Idem.*

1 *Non*

voluptas levat tædium. [1]Non inutilis etiam est ratio occupandi quæ videntur obstare: ut Cicero *dicit* [2] *scire se mirari quosdam, quod is qui per tot annos defenderit multos, læserit neminem, ad accusandum Verrem descenderit.* deinde ostendit hanc ipsam sociorum defensionem, quod schema προλήψις dicitur. Id cum sit utile aliquando, nunc à declamatoribus quibusdam pene semper assumitur, [3] qui fas non putant nisi à contrario incipere. Negant Apollodorum secuti treis esse (de quibus diximus) præparandi judicis partes: sed multas species enumerant, ut *ex moribus judicis, ex opinionibus ad caussam* extra pertinentibus, *ex opinione de ipsa caussa*, quæ sunt prope infinitæ: tum iis, ex quibus omnes controversiæ constant, *personis, factis, dictis, caussis, temporibus, locis, occasionibus cæteris.* Quas veras esse fateor, sed in hæc tria genera recidere. Nam si *judicem benevolum, attentum, docilem* habeo, quid amplius debeam optare, non reperio: cum metus ipse, qui maxime videtur esse extra hæc, & attentum judicem faciat, & ab adverso favore deterreat. [4]Verum quoniam non est satis demonstrare discentibus quæ sint in ratione procemii, sed dicendum etiam quomodo perfici facillime possint: hoc adjicio, ut dicturus intueatur, *quid, apud quem, pro quo, contra quem,* [5] *quo tempore,* [6] *quo loco,* [7] quo *rerum statu, qua vulgi fama* dicendum sit: *quid judicem sentire credibile sit* antequam incipiamus: *tum quid,*

1 *Non inutilis etiam.*] Hermogenes quatuor ponit species procemiorum, unam quam vocat *ex opinione seu suspicione*: ea à latinis dicitur ex præsumptione & prolepsi. *Turneb.*

2 *Scire se mirari, &c.*] Vide ut Cic. verba mollit accusativi mutatione in nominativum: alioqui solœcismum admississe videretur Cic. ut Ascon. notat. *Pithœus.*

3 *Qui fas non putant, &c.*] Cum per prolepsin exordimur, directe benevolentiam non captamus ab his quæ prosunt, sed nobis contraria & adversa statim occupamus & diluimus. *Turneb.*

4 *Verum quoniam non est, &c.*] Per *analysin* finem antea propositum, nunc ad ea media descendit quibus *finis* acquiritur: nunc quoque ulterius progreditur *resolvendo*, quibusque modis media adipiscamur docet. hoc autem præceptum sumptum est ex *secundo libro de Oratore.* Idem.

5 *Quo tempore.*] Pro Cœlio, quod festo die. *Idem.*

6 *Quo loco.*] Pro Deiotaro. *Idem.*

7 *Quo rerum statu.*] Pro Milone. *Idem.*

quid, aut desideremus, aut deprecemur: ipsa illum natura eo ducet, ut sciat quid primum dicendum sit. At nunc omne quod cœperint, proœmium putant, & ut quicque succurrerit, utique si aliqua sententia blandiatur, exordium. Multa autem sine dubio ex aliis partibus sunt, [1] aut aliis partibus causſæ communia: nihil tamen in quaque melius dicitur, quam quod æque bene dici alibi non possit. [2] Multum gratiæ exordio est quod ab actione diversæ partis materiam trahit, hoc ipso: quod non [3] compositum domi, sed ibi atque è re natum, & facilitate famam ingenii auget, & facie simplicis sumptique è proximo sermonis fidem quoque acquirit: adeo ut etiam si reliqua scripta atque elaborata sint, tamen plerunque videatur tota extemporalis oratio, cujus initium nihil præparatum habuisse manifestum est. [4] Frequentissime vero proœmium docebit & sententiarum & compositionis & vocis & vultus modestia: adeo ut in genere causſæ etiam indubitabili, fiducia se ipsam nimium [5] exercere non debeat. Odit enim judex fere litigantis securitatem: [6] cumque jus suum intelligat, tacitus reverentiam postulat. Nec minus diligenter, ne suspecti simus ulla parte, vitandum: propter quod [7] minime ostentari debet

1 *Aut aliis partibus causæ communia.*] Hæc tria verba priora videntur superflua, sicque legendum esse, ex aliis partibus sunt *causæ communia*, id est, quæ commode ex aliis partibus tractari possunt. *Idem.*

2 *Multum gratiæ.*] *Cicero lib. 2. de Orator.* in exordiis vitandum ait, ne sint *quæsita*, nec *ex tempore ficta*, seu *domo allata:* quod hæc suspecta sint judicibus, seque iis circunveniri putent. unde probat Fabius proœmia illa quæ petuntur ab actione adversarii, quia extemporalitatem habere videntur: ut pro *Milone*, pro *Cœlio*, pro *Cluentio*. Idem.

3 *Compositum domi.*] Ut Demetrii exordium in Persea fratrem apud Philippum patrem, apud *Livium lib. 10. de bello Maced.* Idem.

4 *Frequentissime vero.*] Præceptum hoc & ad compositionem pertinet, quæ nimis elaborata esse non debet, unde *exordium apparatum* vituperatur: & ad actionem, quæ *modesta* esse debet & *tranquilla*. unde apud Cic. vituperatur Philippus qui vehementer & acriter exordiri solebat. de quo vide *Cicer. lib. 1. de Invent. Idem.*

5 *Exercere.*] *Exerere*, id est, nudare, Gr. ἐξείρειν. *Passerat.*

6 *Cumque jus suum int.*] Cicer. pro Quintio: Quam rem facile à pr. impetrassent, nisi tu, quod esset tuum jus & officium pleroſque docuisses. *Pith.*

7 *Minime ostentari debet.*] Est enim, ut *Cic. ait 2. de Orat.* in proœmiis summa adhibenda cura, ut expectationi eorum qui audiunt quam celerrime succurratur:

bet in principiis cura, quia videtur ars omnis dicentis contra judicem adhiberi. [1] Sed ipsum istud evitare, summæ artis est. [2] Nam id sine dubio ab omnibus, & quidem optime præceptum est, verum aliquatenus temporum conditione mutatur: quia quibusdam in judiciis [3] maximeque capitalibus, ut apud centumviros, ipsi judices exigunt solicitas & accuratas actiones: contemnique se, nisi in dicendo etiam diligentia appareat, credunt: nec doceri tantum, sed etiam delectari volunt. Et est difficilior hujus rei moderatio: quæ tamen ita temperari potest, ut videamur accurate, non callide dicere. Illud ex præceptis veteribus manet, *ne quod insolens verbum, ne audacius translatum, ne aut ab obsoleta vetustate, aut à poëtica licentia sumptum*, in principio deprehendatur. Nondum enim recepti sumus, & custodit nos recens audientium intentio: magis conciliatis animis, & jam calentibus, hæc libertas feretur, maximeque [4] cum in locos fuerimus ingressi, quorum naturalis ubertas licentiam verbi notari circunfuso nitore non patitur. Nec argumentis autem, nec locis, nec narrationi similis esse in procœmio debet oratio, [5] neque tamen deducta semper,

curratur: cui si ab initio satisfactum non sit, multo plus sit reliqua causa laborandum. Sed in his *calliditas* & *curæ ostentatio nimia* penitus abesse debet. *Turn.*

1 *Sed ipsum istud evitare.*] *Artem enim summam esse dixit Lysias, non videri artem.* Idem.

2 *Nam id sine dubio.*] Hoc quoque annumerat inter causas corruptæ eloquentiæ *Tacitus:* nam olim oratores in exordio *delectare nolebant*, sed molestè præfabantur. Fabii tempore judices ab oratoribus etiam *delectationem flagitabant*, non contenti didicisse quæ ad causam pertinebant: aliàs se contemni interpretantes, non sine periculo causæ. Quod autem *Centumviros* ait, ita intelligendum est, quod olim *Centumviri* de causis privatis cognoverint: tempore autem Fabii cum essent in quatuor basilicas distributi, etiam de publicis & capitalibus. nisi forte *Triumviros* legendum putes, qui præerant causis capitalibus. *Idem.*

3 *Maximeque capitalibus, ut apud.*] Vide Franc. Polleti Duacensis 1. c. Historiam Fori Romani libro 3. cap. 13. p. 287. &c. *Ut.*] Vett. *aut.*

4 *Cum in locos fuerimus ingressi.*] Intelligit *locos communes*, qui dicuntur in virtutes & vitia *per amplificationem*, admittuntque liberiorem verborum ornatum. *Turneb.*

5 *Neque tamen deducta semper.*] *Deductam orationem* dixit exilem & tenuem. Sic Verg. vocavit *carmen deductum.* nisi forte intelligere velis, *suis membris divisam. Circunlatam* autem appellat *orationem periodicam*, quæ certo verborum circuitu & numero comprehenditur. *Idem.*

per, atque [1] circumlata, ſed ſæpe ſimplici atque illaboratæ ſimilis, nec verbis vultuque nimia promittens. [2] Diſſimulata enim, & ut Græci dicunt, ἀνεπίφατος actio, melius ſæpe ſurrepit. Sed hæc prout formari animos judicum expediet. [3] Turbari memoria, vel continuandi verba facultate deſtitui, nuſquam turpius: cum vitioſum proœmium poſſit videri *cicatricoſa facies:* & peſſimus certe gubernator, qui navem, dum portum egreditur, impegit. [4] Modus autem principii, pro cauſſa. Nam brevius *ſimplices*, longius *perplexæ* ſuſpectæque & infames deſiderant. [5] Ridendi vero, qui velut leges proœmiis omnibus dederunt, ut intra quatuor ſenſus terminarentur. [6] Nec minus evitanda eſt immodica ejus longitudo, ne [7] in caput excreviſſe videatur, & quo præparare debet, fatiget. [8] Sermonem à perſona judicis averſum, quæ ἀποστροφὴ dicitur, quidam in totum à proœmio ſummovent. nonnulla quidem in hanc perſuaſionem ratione ducti. Nam prorſus eſſe hoc magis ſecundum

1 *Circumlata.*] *Circulata.* Paſſerat.

2 *Diſſimulata enim.*] *Diſſimulatam* appellat actionem, *remiſſam & modeſtam*, abſque ulla oſtentationis ſuſpicione. *Turneb.*

3 *Turbari memoria.*] Vitium eſt ex ratione potius eloquutionis atque actionis, quam ex ipſa exordiorum natura. *Idem.*

4 *Modus autem.*] Id breviter *Cic. 2. de Orat.* ſed oportet ut ædibus ac templis veſtibula & adytus, ſic cauſis principia pro portione rerum præponere. Itaque in parvis rebus atque frequentibus cauſis ab ipſa re eſt exordiri commodius, &c. quæ ſeq.

5 *Ridendi vero, qui, &c.*] Notare videtur Græcos, qui *exordium* componebant *ex propoſitione, ratione, redditione, & concluſione:* in qua eſt ſententia Hermogenes *lib. 1. de Inventione.* qui tamen defendi poteſt, vel quod exiſtimet hæc etiam geminari poſſe, unde interpres Demoſthenis ponit *primum, ſecundum, tertium exordium* plerunque: vel quod hæc etiam potiora ſint, reliqua vero veluti inſerantur. *Idem.*

6 *Nec minus.*] Ex Dionyſ. hoc tranſcripſit περὶ ἀτεχνίας, qui hæc στρογγύλα καὶ περιφερῆ προοίμια vocat. *Idem.*

7 *In caput excreviſſe.*] Metaphora eſt ſumpta à plantis, quarum radix eſt bulboſa: ſolent enim creſcere in caput. aut etiam à Nanis, quorum caput proportione corporis eſt maximum. Igitur *oratio creſcit in caput*, cujus eſt exordium prolixius. *Idem. In caput excreviſſe.*] Ovid. de Aſcalapho: *inque caput creſcit.* Pithœus.

8 *Sermonem à perſona, &c.*] Reprehendit illorum ſuperſtionem qui *apoſtrophen* gravioreſque hujuſmodi figuras nunquam eſſe apponendas in exordiis exiſtimarunt. quo loco annota præceptum quidem eſſe ne apponantur, ſed utilitate cauſæ infringi aliquando præcepta. *Turneb.*

1 *Hîc*

dum naturam confitendum est, ut eos alloquamur potissimum, quos conciliare nobis studemus. Interim tamen & est [1] hîc procœmîo necessarius [2] sensus aliquis, [3] & is acrior fit atque vehementior ad personam directus alterius. Quod si accidat, quo jure, aut qua tanta superstitione prohibemur dare per hanc figuram sententiæ vires? Nec enim istud scriptores artium, quia non liceat, sed quia non putent utile, vetant. Ita si vincet utilitas, propter eandem caussam facere debebimus, propter quam vetamur. [4] Et *Demosthenes* autem *ad Æschinem* orationem in procœmio convertit, & *Marcus Tullius* cum [5] pro aliis quibusdam, ad quos ei visum est, tum *pro Ligario ad Tuberonem.* Nam erat multo futura languidior, si esset aliter figurata. quod facilius cognoscet si quis illam totam partem vehementissimam, cujus hæc forma est, *Habes igitur Tubero, quod est accusatori maxime optandum, &c.* convertat ad judicem: tum enim vere aversa videatur oratio & langueſcat vis omnis dicentibus nobis. *Habet igitur Tubero, quod est accusatori maxime optandum.* Illo enim modo pressit atque institit, hoc tantum indicasset. Quod idem in Demosthene, si flexum illi mutaveris, accidet. Quid? non Sallustius directo ad Ciceronem, in quem ipsum dicebat, usus est principio, & quidem protinus? *Graviter & iniquo animo maledicta tua paterer Marce Tulli.* sicut & Cicero fecerat in Catilinam, *Quousque tandem abutere patientia nostra?* Ac ne quis apostrophen miretur, idem Cicero [6] pro Scauro ambitus reo, quæ caussa est

1 *Hîc Procœmio.*] Leg. *Hoc procœmium.*

2 *Sensus aliquis: & is, &c.*] Alii leg. *si sensus aliquis erit acrior fietque vehementior.* Pithœus.

3 *Et is acrior fit, &c.*] *Fabius* quoque docet. *lib.* 9. ubi *de figuris* agit, *apostrophen* orationi addere acrimoniam, quæ alioqui jaceret si simplicitate naturali flueret. hæc autem non in procœmio tantum, sed in cæteris contingit partibus. *Turneb.*

4 *Et Demosthenes.*] Demosthenes *in oratione de corona* aversione est usus ad Æschinem adversarium, seque ejus impudentia uti nolle dixit. *Idem.*

5 *Pro aliis quibusdam.*] Ut in Catilinam & Sallustium. *Idem.*

6 *Pro Scauro ambitus reo.*] Accusatus est Scaurus *ambitus*, quod in consulatus petitione tribus & centurias pecunia corrupisset. *Idem.*

1 *Scauro*

sa est in commentariis (nam bis eundem defendit) *prosopopœia* loquentis pro reo utitur: pro Rabirio vero Posthumo, eodemque [1] Scauro reo repetundarum, etiam *exemplis*: pro Cluentio (ut modo ostendi) *partitione*. Non tamen hæc, quia possunt bene aliquando fieri, passim facienda sunt, sed quoties præceptum vicerit ratio: quo modo & similitudine, dum brevi, & translatione, atque aliis tropis (quæ omnia cauti illi ac diligentes prohibent) utemur interim: [2] nisi si cui divina illa pro Ligario ironia, de qua paulo ante dixeram, displicet. Alia exordiorum vitia verius tradiderunt. [3] Quod in plures causas accommodari potest, *vulgare* dicitur. Id minus favorabile, aliquando tamen non inutiliter assumimus: magnis sæpe oratoribus non evitatum. Quo & adversarius uti potest, *commune* appellatur. Quod adversarius in suam utilitatem deflectere potest, commutabile. Quod caussæ non cohæret, *separatum*. Quod aliunde trahitur, *translatum*. [4] Præterea quod longum, quod contra præcepta est. Quorum pleraque non principii modo sunt vitia, sed totius orationis. Hæc *de proœmio*, quoties erit ejus usus. Non semper autem est. Nam & supervacuum aliquando est, ut si sit præparatus satis etiam sine hoc

1 *Scauro reo repetundarum.*] Scaurus *repetundarum* est accusatus, quod Sardiniam provinciam, quam ex prætura obtinuerat, expilasset. *Idem.*

2 *Nisi si cui divina illa, &c.*] Vaticinatus esse Fabius videtur, quosdam futuros quibus illa *ironia divina* pro Ligario displiceret. Nam Georgio Cretensi, qui se Trapezuntium dici maluit, ita displicet, ut Fabium fugillare non sit veritus, *sus Minervam*, cum ait non *ironiam* esse, sed veri criminis confessionem, partim ut misericordiam captet, partim ut cum rei ejusdem, quam postea majorem ostendit, adversarium reum, ac humanitate Cæsaris absolutum ostendat, summæ crudelitatis arguat. de quo plura in ejus commentario in eam orationem. Quod autem ironia hic sit, auctor est Aquila Romanus. quamquam de illo loco Quintil. inter figuras ita ait, *Non procul abest ab hac simulatione confessio nihil nocitura, qualis est hæc, habes Tubero.* Plura contra Trapezunt. legere poteris apud Georgium Merulam in oratione pro *Ligario*. Idem.

3 *Quod in plures causas.*] Sic antiqui oratores exordio fere vulgari orationem incipiebant, *Deum optimum maximum precor*: &, *Maxime vellem judices.* Idem.

4 *Præterea quod longum.*] Additur etiam à Trapezuntio *exordium apparatum*, quod exquisitius est compositum quam deceat. *Idem.*

1 *Aristo-*

hoc judex, aut si res præparatione non egeat. [1] Aristoteles quidem in totum id necessarium apud bonos judices negat: aliquando tamen uti nec si velimus, eo licet, *cum judex occupatus, cum angusta sunt tempora, cum major potestas ab ipsa re cogit incipere.* Contraque est interim procœmii vis etiam non exordio. [2] Nam judices & in narratione nonnunquam, & in argumentis, ut attendant, & ut faveant, rogamus: quo Prodicus velut dormitantes eos excitari putabat: quale est Ciceronis, Tum C. Varenus, is qui à familia Anchariana occisus est. Hoc, quæso, judices, diligenter attendite. Utique si [3] multiplex causa est, sua quibusque partibus danda præfatio est: ut, *Audite nunc reliqua.* &, *Transeo nunc illuc.* [4] Sed in ipsis etiam probationibus multa funguntur procœmii vice, ut facit [5] Cicero pro Cluentio, dicturus contra censores: pro Muræna, cum Servio se excusat. Verum id frequentius est, quam ut exemplis confirmandum sit. Quoties autem procœmio fuerimus usi, tum sive ad expositionem transibimus, sive protinus ad probationem, [6] id debebit in principio postremum esse, cui commodissime jungi initium sequen-

1 *Aristoteles quidem.*] Hæc scribuntur ab Aristotele *lib.* 3. *ad Theod. cap.* 14. horum est causa, quia exordium comparatur ad affectum, quo judex bonus carere debet: & lege lata adhiberi vetabatur. *Idem.*

2 *Nam judices & in.*] Initio quoque diximus, *attentionem, benevolentiam*, & *docilitatem* non magis esse exordii quam reliquarum partium. Quod autem sequitur, ex Aristotele sumptum est. scribit enim Prodicum dixisse, attentionis repetitionem perinde auditores excitare, ac si inter dormientes pecunia spargeretur. *Idem.*

3 *Multiplex.*] Multis quæstionibus constans. *Idem.*

4 *Sed in ipsis etiam probat.*] Ex hoc loco colligere possumus *refutationes* ante narrationem positas, quales sunt pro *Milone, Muræna, Sylla, Cluentio*, multum affines esse cum procœmio, imo quodammodo partes esse illius, quod Fabius multis in locis indicat. hæ enim præparant judicem, quod erat exordii proprium. *Idem.*

5 *Cicero pro Cluentio.*] Cicero *pro Cluentio* cum esset dicturus adversus censores Gellium & Cn. Lentulum, qui *Cluentium* notarant, quod judicium quo damnatus fuerat Oppianicus, corrupisset, præfatione utitur: qua primum aures placat, ac velut aditum sibi præmunit ad aures judicum. *Idem.*

6 *Id debebit.*] Id ex Cicerone *lib.* 2. *de Orat.* Connexum autem ita sit principium consequenti orationi, ut non tanquam cytharœdi principium affictum aliquod, sed cohærens cum omni corpore membrum esse videatur. Nam nonnulli cum illud meditati ediderunt, sic ad reliqua transeunt, ut audientiam sibi fieri velle videantur. Atque ejusmodi illa *prolusio* debet esse, *non ut Sammitium*

sequentium poterit: [1] Illa vero frigida & puerilis est in scholis affectatio, ut ipse transitus efficiat aliquam utique sententiam, & hujus velut præstigiæ plausum petat: ut Ovidius lascivire in Metamorphosi solet, quem tamen excusare necessitas potest, res diversissimas in speciem unius corporis colligentem. Oratori vero quid est necesse surripere hanc transgressionem, & judicem fallere, qui ut ordini rerum animum intendat, etiam commonendus est? Peribit enim prima pars expositionis, si judex narrari nondum sciet. Quapropter ut non abrupte cadere in narrationem, ita non obscure transcendere, est optimum. Si vero longior sequitur ac perplexa magis expositio, ad eam ipsam præparandus erit judex: ut Cicero sæpius, [2] sed hoc præcipue loco fecit, *Paulo longius exordium rei demonstrandæ repetam, quod quæso judices, ne moleste patiamini: principiis enim cognitis, multo facilius extrema intelligetis.* Hæc fere sunt mihi de exordio comperta.

tium qui vibrant hastas ante pugnam, quibus in pugnando nihil utuntur: sed ut ipsis sententiis quibus proluserint vel pugnare possint. *Idem.*

1 *Illa vero frig.*] Hoc loco Fabius consuetudinem declamatorum notat, qui ita *ab exordio in narrationem* transibant, ut id lateret auditorem. debet enim transitus ille esse apertissimus. Hermogenes autem exordium putat cum narratione conjungendum per *procatastasin*, quam etiam appellant προδιήγησιν. *Idem.*

2 *Sed hoc loco præcipue.*] Pro *Cluentio*, Ibi, Atque ut intelligatis, &c. *Idem.*

Cap. II.

De narratione.

[1] Maxime naturale est, & fieri frequentissime solet, ac debet, ut præparato per hæc quæ supra dicta sunt, judice, res de qua pronuntiaturus est, indicetur. Ea est *narratio.* [2] In qua sciens transcurram subtiles nimium divisiones

1 *Maxime naturale & freq.*] Κατὰ φύσιν, & ἐπὶ τὸ πλεῖστον. Inferius enim ostensurus est, non semper esse narrandum, neque protinus narrationem procœmio subjiciendam. *Pithœus.*

2 *In qua sciens.*] Transit per occupationem eorum opiniones qui multa faciebant narrationum genera: vultque eam vere esse *narrationem* quæ sit rei expositio de qua judex est pronuntiaturus. *Turneb.*

1 *Sed*

ſiones quorundam plura ejus genera facientium. Non enim ſolam volunt eſſe illam negotii, de quo apud judices quæritur, expoſitionem, [1] ſed perſonæ: ut, *Marcus Acilius Palicanus, humili loco Picens, loquax magis quam facundus.* [2] Loci, ut, [3] *Oppidum eſt in Helleſponto Lampſacum, judices.* [4] Temporis, ut

Vere novo, gelidus canis quum montibus humor
Liquitur. [5] Cauſſarum, quibus hiſtorici frequentiſſime utuntur, cum exponunt unde bellum, ſeditio, peſtilentia. Præter hæc, alias *perfectas*, alias *imperfectas* vocant: quod quis ignorat? Adjiciunt expoſitionem & præteritorum eſſe temporum, quæ eſt frequentiſſima: & præſentium, qualis eſt [6] Ciceronis de diſcurſu amicorum, *Chryſogonus* poſtquam eſt nominatus. & futurorum, quæ ſolis dari vaticinantibus poteſt. [7] Nam ὑποτύπωσις non eſt habenda narratio. Sed nos potioribus vacemus. [8] Plerique ſemper narrandum putaverunt: quod falſum eſſe pluribus coarguitur. Sunt

1 *Sed perſonæ.*] Ea eſt narratio quæ *proſopographia* appellatur, qua perſonam propriis circunſtantiis tanquam coloribus depingimus ac deſcribimus. *Idem.*

2 *Loci.*] Dicitur *topographia*, ſi verus locus deſcribitur: aut *topotheſia*, ſi locus fictus. *Idem.*

3 *Oppidum eſt.*] Ex 3. *in Verrem act.*

4 *Temporis.*] Quæ χρονολογία dicitur: ut *Vere novo*, ex 1. *Georg. Virg.* Idem.

5 *Cauſarum.*] Ea dicitur αἰτιοσραφία ſive αἰτιολογία, quando rei alicujus cauſas ſtudioſe ſcrutamur & explicamus. *Idem.*

6 *Cicero de diſcurſu.*] In oratione *pro Roſcio Amerino.* Idem.

7 *Nam* ὑποτύπωσις.] Ὑποτύπωσις figura eſt, cum ita apte & luculente rem explicamus, ut geri videatur. habet autem locum interdum *in narratione*: non tamen narratio eſt, ſed narrationis accidens. *Idem.* *Nam* ὑποτύπωσις.] Διατύπωσις deſcriptio. An hypotypoſis narratio quæ verſatur in perſonis, in qua ſimul cum rebus ipſis perſonarum & ſermonum & animi vultuſque perſpici poſſint. ut in illo: *Venit ad me ſæpe clamitans, Quid agis Mitio, &c.* de qua Cic. in Rhetor. L. Val. *Pithœus.*

8 *Plerique ſemper narrandum, &c.*] Reprehendit eorum opinionem qui putarunt ſemper eſſe narrandum: docetque quibus in cauſis ſupervacua ſit futura *narratio.* Hæc autem omnia ex Halicarnaſſeo deſumpta ſunt, ἐν τῷ περὶ τῆς ἐν μελέταις ἀτεχνίας, loquente, περὶ διηγήσεως, ibi, ἁμάρτημα δὲ καὶ τὸ, πανταχοῦ διηγεῖσθαι, μὴ ἐπιστάμενον ὅτι ὅλη μὲν ἰδέα συμβουλευτικὴ διηγήσεως οὐ δεῖται. ἴσα (ι γὰρ οἱ βουλευόμενοι περὶ ὧν σκοποῦνται, καὶ δέον) μαθεῖν ὃ πρακτέον ἐστὶν, οὐχ ὅπερ βουλευτέον· εἰσὶ δὲ καὶ δίκαι διηγήσεις οὐκ ἔχουσαι. αὗται δὲ εἰσὶ καὶ τοῖς δικάζουσι τὸ πρᾶγμα γνώριμον ἔχουσαι, καὶ τοῖς ἀντιδίκοις ὁμοίως ἀμφοτέροις ὁμολογούμενον. & cætera quæ ſequuntur. *Turnebus.*

1 Ut

Sunt enim ante omnia quædam tam breves causſæ, ut propoſitionem potius habeant quam narrationem. Id accidit aliquando utrique parti, cum vel nulla expoſitio eſt, vel de re conſtat, de jure quæritur: [1] *ut apud centumviros, filius an frater debeat eſſe inteſtato hæres:* [2] *pubertas, annis, an habitu corporis æſtimetur.* Aut cum eſt quidem narrationi locus, ſed ante aut judici nota ſunt omnia, aut [3] priore loco recte expoſita. Accidit aliquando alteri, & ſæpius [4] actori, vel quia ſatis eſt proponere, vel quia ſic magis expedit. Satis eſt dixiſſe, [5] *Certam creditam pecuniam peto ex ſtipulatione: legatum peto ex teſtamento.* [6] Diverſæ partis expoſitio eſt, cur ea non debeantur. Et ſatis eſt actori, & magis expedit ſic indicare, [7] *Dico ab Horatio ſororem ſuam interfectam.* Nanque & propoſitione judex crimen omne cognoſcit, & ordo & cauſſa facti pro adverſario magis eſt. Reus contra tunc narrationem ſubtrahit, cum id quod objicitur, nec negari nec excuſari poteſt, ſed in ſola juris quæſtione conſiſtit: [8] ut in eo qui cum pecuniam privatam ex æde

1 *Ut apud Centumviros.*] Hoc oritur ex lege duodecim tabularum, quæ jubet ut bona inteſtatorum ad agnatos & gentiles deferantur. Meminit Cornificius lib. 1. Porro *inteſtatus* dicitur non ſolum is *qui* non facit teſtamentum, ſed etiam qui jus faciendi non habet, ut *puer*, & *carcere concluſus.* Idem.

2 *Pubertas annis, &c.*] *Pubertas* eſt quando corpus pilis veſtitur: tunc enim pubertas incipit. ad quam æſtimandam olim pudenda inſpiciebantur, quod Juſtinus *lib.* 5. *Cod.* ſuſtulit, ut indecorum: ſed ut feræ poſt impletum duodecimum annum pubeſcere, ſic & mares poſt exceſſum quatuordecim annorum quoque exiſtimarentur. Idem Juſt. *Tit. quibus modis tutela finitur.* Idem.

3 *Priore loco.*] Ab eo qui ante oravit & cauſam egit. *Idem.*

4 *Actori.*] Ab actore.

5 *Certam creditam pecuniam.*] *Certam* dixit, quoniam apud Rom. non erat judicium niſi de certa pecunia. *Stipulationes* autem, ut ait *Paul. lib.* 1. *inſtententiis*, obligationum firmandarum cauſa inductæ ſunt, quæ quadam ſolennitate concipiuntur: ita appellatæ quod per eas firmitas obligationum obſtringatur. *ſtipulum* enim veteres *firmum* appellabant. *Turneb.*

6 *Diverſæ partis.*] Quod antea ſimpliciter propoſuit actor, illud exponere debet defenſor additis cauſis. eſtque *genus* illud *narrationis*, quod appellatur ab Hermogene ἐγκλίσιμον, id eſt *confirmatum aut comprobatum* adjectis cauſis. *Idem.*

7 *Dico ab Horatio.*] Hiſtoria nota ex Livii *lib.* 1. *ab urb. cond.* Idem.

8 *Ut in eo qui, &c.*] Divites pecunias ſuas templis olim committebant, eaſque ædituis ſervandas dabant: fuitque *ærarium publicum Romæ* in æde Saturno ſacra. poſtea juriſconſulti ſtatuerunt harum pecuniarum fures non eſſe

æde sacra surripuerit, sacrilegii reus est, confessio verecundior quam expositio, *Non negamus pecuniam de templo esse sublatam, calumniatur tamen accusator actione sacrilegii, cum privata fuerit, non sacra: vos autem de hoc cognoscitis, an sacrilegium sit admissum.* Sed ut has aliquando non narrandi causas puto, sic ab illis dissentio, qui non esse narrationem existiment, cum reus, quod objicitur, tantum negat. [1] in qua est opinione Cornelius Celsus, [2] qui conditionis hujus esse arbitratur pleraſque cædis causas, & omnes ambitus ac repetundarum. Non enim putat esse narrationem nisi quæ summam criminis de quo judicium est, continet: ac deinde fatetur ipse pro Rabirio Posthumo narrasse Ciceronem: atque ille & negavit perveniſſe ad Rabirium pecuniam, qua de re erat quæstio constituta: & in hac narratione nihil de crimine exposuit. [3] Ego autem, magnos alioqui secutus auctores, duas esse in judiciis narrationum species existimo: alteram ipsius causæ, alteram rerum ad causam pertinentium expositionem. *Non occidi hominem*, nulla narratio est: convenit: sed erit aliqua & interim etiam longa, circa argumenta ejus criminis, de anteacta vita, [4] de causis

esse sacrilegos, gravius tamen plectendos quam simplices fures. *Idem. Ut in eo qui, &c.*] Alii, *in eum.*

1 *In qua est opinione.*] *Causæ* omnes in quibus quæritur aut de pecuniis repetundis, aut de ambitu, *conjecturales* sunt, quia nulla ratione defendi potest quod secundum leges non est factum. *Turneb.*

2 *Qui conditionis hujus esse, &c.*] In ea causa esse. Potest enim jure aliquis cæsus esse: Itaque non semper negat reus. In crimine ambitus aut repetundarum non potest non esse turpis confessio. *Pithœus.*

3 *Ego autem.*] Duæ sunt *narrationes:* altera *generalis*, quæ summam rei de qua judicium est constitutum complectitur: altera *specialis*, quæ appendiculas quasdam quæ ad summam conferunt, exponit. *Turneb.*

4 *De causis propter quas, &c.*] Cum accusator aliquod crimen objicit, ut illud probet, solet ab anteacta rei vita suspiciones petere, eaque Cicero *maledicta* pro M. Cœlio, & *legem accusatoriam* pro Muræna videtur appellasse: Atque horum trium partium, inquit, prima illa quæ gravissima esse debebat, ita infirma fuit & levis, ut illos lex magis accusatoria, quam vera maledicendi facultas de vita L. Murænæ coëgerit. Ita quoque defensor anteactam vitam in narratione debet explicare. *Probi* enim *mores*, ut 7. libro ait Fabius, *& anteactæ vitæ integritas nonnunquam non plurimum profuerunt*: Ideoque plerunque primum purganda esse, ut id de quo laturus est sententiam judex, audire propitius incipiat. Itaque solet Cic. facere, ut prius maledicta, quam crimen quod causæ proprium est, refu-

cauſſis propter quas innocens in periculum deducatur, aliiſque quibus incredibile id quod objicitur fiat. Nec enim accuſator hoc tantum dicit, *occidiſti*, ſed quibus id probet, narrat: *ut in* [1] *tragœdiis, cum Teucer Ulyſſem reum facit Ajacis occiſi, dicens inventum eum in ſolitudine juxta exanime corpus inimici cum gladio cruento:* non id modo Ulyſſes reſpondet, non eſſe à ſe id facinus admiſſum, ſed ſibi nullas cum Ajace inimicitias fuiſſe: [2] de laude inter ipſos certatum. deinde ſubjungit quomodo in eam ſolitudinem venerit, jacentem exanimem ſit conſpicatus, gladium è vulnere extraxerit, [3] his ſubtexitur argumentatio. Sed ne illud quidem ſine narratione eſt, dicente accuſatore, *Fuiſti in eo loco, in quo tuus inimicus occiſus eſt:* non fui. dicendum enim ubi fuerit. [4] Quare ambitus quoque cauſſæ & repetundarum, hoc etiam plures ejuſmodi narrationes habere poterunt, quo plura crimina. [5] In quibus ipſa quidem neganda ſunt, ſed argumentis expoſitione contraria reſiſtendum [6] interdum ſingulis, interdum univerſis. An reus ambitus male narrabit, quos parentes habuerit, quemadmodum ipſe vixerit, quibus meritis fretus ad petitionem deſcenderit? Aut qui repetundarum inſimulabitur, num & anteactam vitam, & qui-

tet. ejuſmodi enim maledicta judicibus afferunt opinionem quandam improbitatis: quæ tollitur, ſi refutata fuerint. quod fieri non poteſt ſine narratione, eaque interdum longiore, ut pro Muræna, *Objecta eſt enim Aſia, &c.* ſic & pro Cœlio, ut poſt oſtendet Fabius. Quomodo autem hæc tractanda ſint, fuſius docebit *libro quinto & ſeptimo.* Idem.

1 *Tragœdiis.*] Sophoclis, Euripidis, & Senecæ in Ajace. *Idem.*

2 *De laude.*] *Gloria bellica*, propter arma ipſius Achillis: quo judicio victus Ajax, mœrore in inſaniam verſus, ſibi mortem conſciviſſe ferebatur. ex quo thema hoc tragicis exercitum. *Idem.*

3 *His ſubtexitur argumentatio.*] Ad hunc modum, *Non ſi inventus ſum prope cadaver, occidi:* alioqui & ſi tu ejus frater prior me prope cadaver inventus eſſes, ad te ſuſpicio pertinuiſſet. *Idem.*

4 *Quare ambitus.*] *Cauſæ ambitus & repetundarum* conjunctæ ſunt & multiplices, ut oſtendit l. 3. habent enim permulta crimina quibus reſiſtendum variis narrationibus. id quod & in proœmio faciendum præcedenti cap. monuit, ut ſi cauſa multiplex fuerit, ſua quibuſque partibus danda, & præfatio quæ proœmii vice fungatur, *Idem.*

5 *In quibus ipſa.*] Quomodo nunc ſingulis argumentis, nunc univerſis inſiſtendum, docet *l. 5. c. de refutatione.* Idem.

6 *Interdum ſingulis.*] Singularia ſunt, quæ uno genere continentur. *Pith.*

1 *Ver-*

quibus cauſſis vel provinciam univerſam, vel accuſatorem aut teſtem offenderit, non utiliter exponet? Quæ ſi narratio non eſt, ne illa quidem Ciceronis pro Cluentio prima, cujus eſt initium, *A. Cluentius Habitus.* Nihil enim hic de veneficio, ſed de cauſſis quibus ei mater inimica ſit, dicit. Illæ quoque ſunt pertinentes ad cauſſam, ſed non ipſius cauſſæ narrationes, vel exempli gratia, *ut in* [1] *Verrem de L. Domitio, qui paſtorem, quod is aprum quem ipſi muneri obtulerat exceptum eſſe à ſe venabulo confeſſus eſſet in crucem ſuſtulit.* Vel excutiendi alicujus extrinſecus criminis: ut pro Rabirio Poſthumo, *Nam ut ventum Alexandriam eſt, judices, hæc una ratio à rege propoſita Poſthumo eſt ſervandæ pecuniæ ſi curationem & quaſi diſpenſationem regiam ſuſcepiſſet.* Vel augendi, *ut deſcribitur iter* [2] *Verris.* Ficta interim narratio introduci ſolet, vel ad concitandos judices, ut *pro Roſcio contra Chryſogonum*, cujus paulo ante habui mentionem. Vel ad ſolvendos aliqua urbanitate, ut *pro Cluentio contra fratres Cepaſios.* [3] Interdum per digreſſionem decoris gratia, qualis rurſus *in* [4] *Verrem de Proſerpina, In his quondam locis mater filiam quæſiſſe dicitur.* [5] Quæ omnia eo pertinent, ut appareat non utique non narrare eum qui negat, ſed illud ipſum narrare quod negat. [6] Ne hoc quidem [7] ſimpliciter accipiendum, quod eſt à me poſitum, ſupervacuam eſſe narrationem rei quam judex noverit. Quod ſic intelligi volo, ſi non modo factum quid ſit, ſciet: ſed ita factum etiam, ut nobis

1 *Verrem.*] Actione 7.

2 *Verris.*] Actione 3.

3 *Interdum per digreſſionem.*] *Narrationes* ſunt quædam *ipſius cauſæ*, quædam intercurrentes, quæ fidei, criminationis, tranſitionis aut commendationis cauſa adhibentur: quod genus ſunt ſuperiores omnes narrationes. Sunt & *narrationes à negotiis remotæ*, de quibus lib. 1. & 2. egimus. *Turneb.*

4 *Verrem.*] Actione 6.

5 *Quæ omnia.*] Concluſio hujus loci, *narrare* etiam reum in ſtatu conjecturæ, hoc eſt ubi factum negatur, ſed tamen non narrare crimen ipſum quod negat. Quare exiſtimamus legendum eſſe, *ſed illud ipſum non narrare quod negat.* Turnebus.

6 *Ne hoc quidem.*] Ne præberet errori occaſionem, præceptum ſuperius explicat, aitque etiam re cognita narrandum eſſe, ſi ita non cognoſcitur ut nobis expedit, aut ſi affitiendus etiam narratione eſt auditor. *Idem.*

7 *Simpliciter.*] Ἁπλῶς & ſine diſtinctione. *Pithœus.*

nobis expedit, opinabitur. Neque enim narratio in hoc reperta est, ut tantum cognoscat judex, sed aliquanto magis ut consentiat. Quare etiam si non erit docendus, sed aliquo modo afficiendus, narrabimus [1] cum præparatione quadam, *Scire quidem eum in summa quid actum sit, tamen rationem quoque facti cujusque cognoscere ne gravetur.* Interim propter aliquem in consilium adhibitum nos repetere illa simulemus: interim ut rei quæ ex adverso proponatur, iniquitatem omnes etiam circunstantes intelligant. In quo genere plurimis figuris erit varianda expositio, [2] ad effugiendum tædium nota audientis: [3] sicut, *Meminisli. &*, *Fortasse supervacuum fuerit hic commorari. Sed quid ego diutius, cum tu optime noris? Illud quale sit, tu scias.* & his similia. Alioqui si apud judicem cui nota causa est, narratio semper videtur supervacua, potest videri non semper esse etiam ipsa actio necessaria. [4] Alterum est de quo frequentius quæritur, [5] an sit utique narratio procœmio subjicienda. Quod qui opinantur, non possunt videri nulla ratione ducti. Nam cum procœmium idcirco comparatum sit, ut judex ad rem accipiendam fiat conciliatior, docilior, & intentior, & probatio nisi causa prius cognita non possit adhiberi, protinus notitia rerum instruendus videtur. Sed hoc quoque interim mutat conditio causarum: nisi forte Marcus Tullius in

1 *Cum præparatione quadam.*] *Præparatio* est, cum alicujus rei factæ aut faciendæ rationem afferimus: ut orator hoc loco dicet, quamobrem narrare velit, cum negotium à judice intelligatur. *Turneb.*

2 *Ad effugiendum tædium.*] *Fugere tædium* est facere ne tu habeas: *effugere* vero, ne alius habeat. *Idem.*

3 *Sicut, Meminisli, &c.*] Hæ formulæ referuntur ad simulationem, cujus vis est magna & in affectu augendo & in tædio auferendo. hujus meminit *Fab. lib.* 9. Idem.

4 *Alterum est de quo.*] Inductio novæ quæstionis, *An semper procœmio debeat subjici narratio.* Porro duplex est *ordo naturalis*, *vel artificialis*, qui quidem exigit ut exordio subjiciatur narratio, *Alter est contra artem*, qui necessitati forensi subservit, ac plerunque naturalem partium ordinem immutat. Licet enim ante narrationem ea refutare crimina, quæ causæ non sunt, sed præcurrunt causam: ne si hæc fuerint confutata, nullus sit ad causam aditus. eoque fit ut causæ utilitate præcepta vincantur, & narratio exordio non statim subjiciatur. *Idem.*

5 *An sit utique, &c.*] Quod hic dicit *utique* statim dicet *protinus*: mox *semper*. Pithœus.

1 *Quam*

in oratione pulcherrima, [1] quam pro Milone scriptam reliquit, male distuliſſe narrationem videtur [2] tribus præpoſitis quæſtionibus: aut profuiſſet exponere *quomodo inſidias Miloni feciſſet Clodius*, ſi reum qui à ſe hominem occiſum fateretur, defendi omnino fas non fuiſſet: *aut ſi jam præjudicio ſenatus damnatus eſſet Milo: aut ſi Cn. Pompejus, qui propter aliquam gratiam judicium militibus armatis clauſerat, tanquam adverſus exiſtimaretur.* Ergo hæ quoque quæſtiones vim procœmii obtinebunt, cum omnes judicem præparaverint. Sed aliter [3] pro L. Murena poſtea quoque narravit, cum objecta diluit. Quod fiet utiliter, quoties crimen non repellendum tantum, [4] ſed etiam transferendum erit, ut prius his defenſis velut initium ſit aliud culpandi narratio: ut *in armorum ratione antiquior cavendi quam ictum inferendi cura eſt.* Erunt quædam cauſſæ (neque id raro) crimini quidem de quo cognitio eſt, faciles diluendo, ſed multis anteactæ vitæ flagitiis & gravibus criminibus oneratæ: [5] quæ prius amolienda

1 *Quam pro Milone, &c.*] Hoc ideo ait, quia Cicero illam orationem *pro Milone*, quam nunc habemus, non dixit, ſed tantum ſcripſit, ut notat Aſconius. Alteram enim habuit, quæ tempore Aſconii extabat. *Turneb.*

2 *Tribus propoſitis quæſtionibus.*] Ii, ſcilicet, *Negant intueri lucem fas eſſe ei qui à ſe hominem occiſum fateatur.* Cædem, qua P. Clodius occiſus eſt, Senatum judicaſſe contra remp. eſſe factam. Quod Cn. Pompejus rogatione ſua, & de re & de cauſa ſua judicavit. *Idem.*

3 *Pro L. Muræna.*] Defendit Murænam accuſatum *ambitus* Cicero, ſed tamen ante narrationem multa dicit quamobrem debeat Murænam defendere: quod vitio ei dabant Cato & Sulpitius. quanquam in ea oratione narratio non eſt: ut multi merito *pro Vareno* legendum putent. In oratione enim pro Muræna non tam narratio eſt quam propoſitio, qua dicit, *Intelligo, judices, tres totius accuſationis partes fuiſſe, & earum unam in reprehenſione vitæ, alteram in contentione dignitatis, tertiam in crimine ambitus eſſe verſatam.* Ego puto quæſtiones *de vita* & *dignitate* interpoſitas eſſe. narratio enim ſi qua eſſe deberet, non de his ſed de quæſtione ambitus erat futura. Itaque eam ad tertium uſque locum diſtulit Cicero. *Idem. Sed aliter pro L. Murena, &c.*] An leg. *Sed reo quoque poſtea narrabit, cum objecta diluit, quod fiet utiliter quotiens non repetendum ut prius defenſi velut* initium *ſit. ut in, &c.* Pithœus.

4 *Sed etiam transferendum erit.*] Ut in *anticategoria*, cum in adverſarium crimen rejicimus quod objicit nobis: aut in tranſlatione criminis, qua utitur Cic. in oratione pro *Milone* & pro *Sexto Roſcio.* Turneb.

5 *Quæ prius amovenda ſunt.*] Cum ejus quem defendis perſona turpitudine vitæ ſuperioris laborat, idque crimen de quo agitur gravius reddit, antequam id de quo lis eſt exponas & confirmes, crimina illa refutare debes: aut ſi id fieri non poteſt, labefactare. *Idem.*

lienda sunt, ut propitius judex defensionem ipsius negotii, cujus propria quæstio est, audiat: ut si defendendus est *M. Cælius*, nonne optime patronus occurrat prius *convitiis luxuriæ, petulantiæ*, [1] *impudicitiæ, quam veneficii*, in quibus solis omnis Ciceronis versatur oratio: deinde [2] tum narret *de bonis* paulatim, *totamque* dein explicet *causam*, quæ est ipsius actione defensa? [3] Sed nos ducit scholarum consuetudo, in quibus certa quædam ponuntur, quæ *themata* dicimus, præter quæ nihil est diluendum. Ideoque *narratio* procœmio semper subjungitur. Inde libertas declamatoribus, [4] ut etiam secundo partis suæ loco narrare videantur. Nam quum pro petitore dicunt, & expositione, tanquam prius agant, uti solent: [5] & contradictione, tanquam respondeant: id quod fit non recte. [6] Nam cum sit *declamatio, forensium actionum meditatio*, cur non utrunque protinus locum exerceat? Cujus rationis ignari, ex more cui assueverunt, nihil in foro putant esse mutandum. Sed in scholasticis quoque nonnunquam evenit ut pro narratione sit propositio. [7] Nam quid exponet qui zelotypum malæ tractationis accusat? aut qui Cynicum apud censores reum de moribus facit, cum totum crimen uno verbo in qualibet actionis parte

1 *Impudicitiæ quam veneficii.*] Nam Cælius accusabatur quod venenum adversus Clodiam comparasset: parum tamen pudice vitam antea transegerat. *Idem.*

2 *Tum narret de bonis paulatim, &c.*] An, *cum narret de bonis Pellæ totamque de vi explicet caus.*

3 *Sed nos ducit.*] Ex declamandi ratione factum est ut *narratio* exordio semper subjiceretur. nam proponitur thema quod breviter argumentum totum complectitur. nihil autem extrinsecus adhibetur de *personarum anteacta vita*, quæ res ordinem immutare solet. *Turnebus.*

4 *Ut etiam in secundo partis suæ loco, &c.*] Duplex esse potest intellectus, aut quod declamatores cum antea res exposita sit, iterum eam narrent: aut quod etiam iterum narrare soleant loco partis adversæ. *Idem.*

5 *Et contradictione.*] De illis contradictionibus vide *Fab. l. 5. in c. de refutatione.* Idem.

6 *Nam cum sit declamatio.*] Reprehendit *declamatores* qui male confundant officia, quæ alioqui erant sejungenda: quemadmodum lib. 5. ineptas reprehendit contradictiones. *Idem.*

7 *Nam quid exponet, &c.*] Utrinque narratur in *declamatione*, aliquando duntaxat proponitur. Hoc autem thema declamatorium est. Accusat autem virum uxor malæ tractationis, cum miseris modis ab eo afficitur. *Idem.*

1 *Narratio*

parte posito satis indicetur? Sed hæc hactenus. Nunc quæ sit narrandi ratio, subjungam. [1] *Narratio est rei factæ* [2] *aut non factæ utilis ad persuadendum expositio.* Vel (ut Apollodorus finit) *oratio docens auditorem quid in controversia sit.* Eam plerique scriptores, maxime qui sunt ab Isocrate, volunt esse *lucidam*, *brevem*, *verisimilem*. Nec enim refert an pro *lucida* perspicuam, pro *verisimili* probabilem credibilemve dicamus. Eadem nobis placet divisio: [3] quanquam & Aristoteles ab Isocrate parte in una [4] dissenserit, præceptum brevitatis irridens, tanquam necesse sit longam aut brevem esse expositionem, nec liceat ire per medium. Theodorei quoque solam relinquunt ultimam partem, quia nec breviter utique nec dilucide semper sit utile exponere. Quo diligentius distinguenda sunt singula, ut quid quoque loco prosit, ostendam. [5] *Narratio* est aut tota pro nobis, aut tota pro adversario, aut mista ex utrisque. Si erit tota pro nobis, contenti simus iis tribus partibus, per quas efficitur quo judex facilius intelligat, meminerit, credat. Nec quisquam reprehensione dignum putet, quod proposuerim eam quæ sit tota pro nobis, debere esse verisimilem, cum vera sit. Sunt enim plurima vera quidem, sed parum credibilia, sicut falsa quoque frequenter verisimilia. Quare non minus laborandum est ut judex quæ vera dicimus, quam quæ fingimus, credat. [6] Sunt quidem hæ, quas supra retuli, virtutes

1 *Narratio est rei factæ, &c.*] Valla hoc loco legit, *velut factæ*: quæ videtur esse probabilior lectio, cum ita Cicero finiat in *lib. de Inventione.* qui tamen, *non factæ* legunt, id positum dicunt ob reum, qui in causis conjecturalibus rem se non fecisse narrat. *Idem.*

2 *Aut non factæ.*] Alii leg. *vel*, *ut factæ utilis*, *&c.* Pithœus.

3 *Quanquam & Aristoteles.*] Aristoteles *lib. 3. cap. 16. ad Theodectem*, eos irridet qui *narrationem esse brevem* volunt. nam cum sit officium oratoris bene dicere, id non positum est in longo aut brevi, sed in mediocri. Attamen cum *brevitatem* dicimus, *pro mediocritate* hîc usurpamus. *Turneb.*

4 *Dissenserit.*] *Dissentit.* Pithœus.

5 *Narratio est aut tota, &c.*] Hue pertinet ista divisio, ut ostendat quibus narrationis virtutibus sit utendum. nam quædam *narratio* magis veri similitudinem desiderat, alia omnes partes, atque ita deinceps. *Turneb.*

6 *Sunt quidem hæ, &c.*] Hoc præceptum ex *secundo de Oratore* est sumptum. nam illic Cic. *narrationis virtutes*

virtutes, aliarum quoque partium. [1] Nam & per totam actionem vitanda est obscuritas, & modus ubique custodiendus, & credibilia esse oportet omnia quæ dicuntur. Maximeque hæc in ea parte custodienda sunt, quæ prima judicem docet: in qua si acciderit ut [2] aut non intelligat, [3] aut non meminerit, [4] aut non credat, frustra in reliquis laborabimus. [5] Erit autem *aperta narratio* atque *dilucida*, si fuerit primum exposita verbis propriis & significantibus, & non sordidis quidem non tamen exquisitis, & ab usu remotis: [6] tum distincta rebus, personis, temporibus, locis, causis, ipsa etiam pronuntiatione in hoc accommodata, ut judex quæ dicuntur, [7] quam facillime accipiat. [8] Quæ quidem virtus negligitur à plurimis, qui ad clamorem dispositæ vel etiam forte circunfusæ multitudinis compositi, non ferunt illud intentionis silentium: nec sibi diserti videntur, nisi omnia tumultu ac vociferatione concusserint: rem indicare sermonis quotidiani, & in quemcunque

non magis esse docet ejus, quam argumentationis, quam exordii: quod antea dixit quoque Fabius *de virtutibus exordii*. Idem.

1 *Nam & per totam, &c.*] Hoc item ex 2. *de Orat. Cicer.* Apertam enim narrationem tam esse oportet quam cæteras, sed hoc magis in hac elaborandum est, quod & difficilius est, non esse obscurum in re narranda, quam aut in principio, aut in argumento, aut in purgando, aut in perorando: & majore periculo hæc pars orationis obscurior est quam cæteræ, vel quia si quo alio in loco est dictum, quid obscurius, tantum id petit quod ita dictum est, *narratio totam obcæcat orationem:* vel quod alia possis semel si obscurius dixeris, dicere alio loco planius, narrationi unus in causa locus, &c. quæ seq. *Idem.*

2 *Aut non intelligat.*] *Sit* ergo *aperta & lucida.* Idem.

3 *Aut non meminerit.*] *Sit brevis*, ut eo magis memoria teneat. *Idem.*

4 *Aut non credat.*] *Sit verisimilis* & credibilis. *Idem.*

5 *Erit autem perspicua.*] Cicero loco supradicto, Erit autem *perspicua narratio*, si verbis usitatis, si ordine temporum conservato, si non interrupte narrabitur, & cætera quæ sequuntur. Sulpitius Victor *narrationem apertam* fieri ait, si à recto casu incipiat, ut ferme sunt *narrationes Tullianæ*. Porro qua ratione perspicua fiat oratio, abunde explicat *Fabius lib.* 8. cujus præceptiones huc sunt transferendæ. *Idem.*

6 *Tum distincta rebus.*] Tribus rebus perspicua fit narratio, *verbis, rebus, & ipsa actione.* de his igitur tribus agit Fabius. *Idem.*

7 *Quam facillime accipiat.*] Fabius *libro undecimo capite de pronunciatione*, quam requirat narratio actionem docet. *Idem.*

8 *Quæ quidem virtus.*] *Cic. in Orator.* & *Fabius* ipse frequenter alias sedatam & tranquillam esse debere actionem pronunciationemque in narrationibus existimant. *Idem.*

1 *Nescias*

que etiam indoctiorum cadentis, existimant: cum interim quod tanquam facile contemnunt, [1] nescias præstare minus velint, an possint. Neque enim aliud in eloquentia cuncta experti difficilius reperient, quam id quod se dicturos fuisse omnes putant, postquam audierunt: quia non bona judicant esse illa, sed vera. Tum autem optime dicit orator, cum videtur vera dicere. At nunc velut campum nacti expositionis, hîc potissimum & vocem flectunt, & cervicem reponunt, [2] & brachium in latus jactant, totoque & rerum & verborum & compositionis genere lasciviunt: deinde (id quod sit monstro simile) placet actio, caussa non intelligitur. Verum hæc omittamus ne minus gratiæ præcipiendo recta, quam offensæ reprehendendo prava, mereamur. [3] *Brevis* erit *narratio* ante omnia, si inde cœperimus rem exponere, unde ad judicem pertinet: deinde, si nihil extra caussam dixerimus: tum etiam si reciderimus omnia, quibus sublatis, nec cognitioni quicquam nec utilitati detrahatur. [4] Solet enim esse quædam partium brevitas, quæ [5] longam tamen efficit summam. *In portum veni, navim prospexi, quanti veheret interrogavi, de precio conveni, conscendi, sublatæ sunt ancoræ, solvimus oram, provecti sumus.* Nihil horum dici celerius potest, sed sufficit dicere, *è portu navigavi.* Et quoties exitus rei satis ostendit priora, debemus

1 *Nescias præstare minus velint, &c.*] *Istis cacozelis* & voluntatem & facultatem detraxit Fabius perspicue dicendi: nec enim dicunt aperte, quia illis hoc non placet: & ut dicere velint, non tamen poterunt. *Idem.*

2 *Et brachium in latus jactant.*] In narratione *actio* debet esse *lenior* & sermoni quotidiano propinquior. hæc autem apta est contentionibus & majoribus affectibus. *Idem.*

3 *Brevis erit narratio.*] Vide *Cic. secundo de Orat.* ubi hæc doctissime tradit. item *lib. 1. de Inven.* Libet huc adscribere præceptum Plinii junioris *lib. 5. epist. elegantiß.* In summa ego *officium scriptoris existimo, titulum suum legat, atque identidem interroget se quid cœperit scribere: sciatque si materiæ immoratur, non esse longum, longissimum si aliquid accersit atque attrahit*, & quæ seq. Quod opportune ab brevitatem narrationis referri potest. *Idem.*

4 *Solet enim esse.*] Hæc exponendi forma *epitrochasmos* vocatur. quanquam autem breviter videtur rem percurrere, tamen multitudine membrorum in prolixitatem cadit. *Idem.*

5 *Longam tamen efficit summam.*] Infra dicit: *Quædam in partibus blandiuntur, sed in summam non consentiunt.* Pithœus.

bemus hoc esse contenti, quo reliqua intelliguntur. Quare cum dicere liceat, *Est mihi filius juvenis*, omnia illa supervacua, *cupidus ego liberorum*, *uxorem duxi*, *natum sustuli*, *filium educavi*, *in adolescentiam perduxi*. [1] Ideoque Græcorum aliqui aliud circunciſam expoſitionem, id eſt σωτομίαν, aliud brevem putaverunt: quod illa ſupervacuis careret, hæc poſſet aliquid ex neceſſariis deſiderare. Nos autem brevitatem in hoc ponimus, non ut minus, ſed ne plus dicatur quam oporteat. Nam iterationes quidem, [2] & ταυτολογίας & φλυαρολογίας, quas in narratione vitandas quidam ſcriptores artium tradiderunt, tranſeo. Sunt enim hæc vitia non tantum brevitatis gratia refugienda. Non minus autem cavenda erit, quæ nimium corripientes omnia ſequitur obſcuritas: [3] ſatiuſque eſt aliquid narrationi ſupereſſe, quam deeſſe. Nam ſupervacua cum tædio dicuntur, neceſſaria cum periculo ſubtrahuntur. Quare vitanda etiam illa Saluſtiana (quanquam in ipſo virtutis locum obtinet) brevitas, & abruptum ſermonis genus: quod ocioſum fortaſſe lectorem minus fallit, audientem tranſvolat, nec dum repetatur expectat: cum præſertim lector non fere ſit niſi eruditus, judicem rura plerunque [4] in decurias mittant, de eo pronuntiaturum, quod intellexerit: ut fortaſſe ubique, in

1 *Ideoque Græcorum aliqui.*] Σωτομία, id eſt, *conciſio*, expoſitio eſt apud Græcos cui nihil deeſt aut ſupereſt, opponiturque τῇ μακρολογίᾳ, quæ aliquid ſupervacuum habet. At Græcis eſt *brevitas*, cum ita ſtrictim narratur, ut aliquid deſideretur: cui opinioni non aſſentitur Fabius, qui brevitatem in mediocritate ponit. *Turneb.*

2 Et ταυτολογίας & φλυαρολ.] Ταυτολογία eſt *ejuſdem verbi* aut ſermonis *iteratio otioſa*: φλυαρολογία vero ſermo eſt ſupervacuus. Porro hæc non ſolum vitanda ſunt, quia contra brevitatem fiunt, ſed quia contra orationis ornatum, ut docet *Fabius libro octavo*. Idem.

3 *Satiuſque eſt aliquid.*] Nam ut *libro* 1. 12. ait Fab. non tam obeſt audire ſupervacua, quam ignorare neceſſaria. Cic. tamen *in Orat.* In omnibus rebus videndum eſt quatenus. etſi enim ſuus cuique modus eſt, tamen magis offendit nimium quam parum. non de narratione hic loquitur, ſed de genere dicendi. Lege de hac re *Rodolphum libro tertio, capite quinto*. Idem.

4 *In decurias mittant.*] *Equites* cum ſenatoribus judicabant, erantque in decurias diviſi, id eſt in portiones, ac per vices de cauſis cognoſcebant. ipſi porro *Equites* agriculturæ ſæpenumero vacabant, homines plerunque *indocti*. quod ait Cic. pro Cluentio. *Idem.*

1 *Media*

in narratione tamen utique præcipue [1] media hæc tenenda sit via dicendi, *quantum opus* est, *quantum satis est.* [2] *Quantum opus est* autem, non ita solum accipi volo, quantum ad judicandum sufficit: quia non inornata debet esse brevitas, alioqui sit indocta. nam & fallit voluptas, & minus longa quæ delectant videntur: *ut amœnum ac molle iter, etiam si est spatii amplioris, minus fatigat, quam durum* [3] *arduumque compendium.* [4] Nec enim mihi unquam tanta fuerit cura brevitatis, ut non ea quæ credibilem faciunt expositionem, inseri velim. Simplex enim, & undique præcisa, non tam *narratio* vocari potest, quam *confusio.* [5] Sunt porro multæ conditione ipsa rei longæ narrationes, quibus extrema (ut præcepi) procœmii parte ad intentionem præparandus est judex: deinde curandum, ut omni arte vel ex [6] spatio ejus detrahamus aliquid, vel ex tædio. Ut minus longa sit efficiemus, quæ poterimus differendo, non tamen sine mentione eorum quæ differemus. *Quas caussas occidendi habuerit, quos assumpserit conscios, quemadmodum disposuerit insidias*, probationis loco dicam. Quædam vero ex ordine prætermittenda, quale est apud Ciceronem, [7] *Moritur Fulcinius:* multa enim quæ sunt in re, quia remota sunt à caussa prætermittam. At partitio tædium levat. Dicam quæ acta sint ante ipsum rei contractum, dicam quæ in re ipsa, dicam quæ postea. Ita tres potius modicæ narrationes videbuntur, quam una longa. Interim expediet expositiones brevi

1 *Media hæc tenenda sit via.*] Hæc elegantiss. apud *Rodolphum lib.* 3. *cap.* 5. traduntur. *Idem.*

2 *Quantum opus est autem.*] Cum breviter narrabimus, ornamenta tamen *narrationi* erunt adhibenda, idque eo magis erit faciendum, quanto narratio erit prolixior. nam voluptas ex prolixitate detrahit. *Idem.*

3 *Arduumque.*] *Aridumque.*

4 *Nec enim mihi unquam t. c. f.*] Vide Plin. lib. 1. Epist. 10. Ammian. Marcellin. lib. 15. cap. 1. Martial. lib. 2. Epigr. 77. Vs. 7.

5 *Sunt porro multæ.*] Nonnullæ sunt suapte natura *longæ* nimis *narrationes*, quare quatuor subjicit præceptiones quibus & tædium & prolixitas vitatur, cum aliquid *prætermittimus, differimus, partitione utimur, & interfatione.* Turnebus.

6 *Spatio.*] Id est, longitudine.

7 *Moritur Fulcinius.*] Ex oratione *pro A. Cæcinna.* Turneb.

1 *Inter-*

brevi [1] interfatione distinguere. *Audistis quæ ante acta sunt, accipite nunc quæ insequuntur.* Reficietur enim judex priorum fine, & se velut ad novum rursus initium præparabit. Si tamen adhibitis his quoque artibus in longum exierit ordo rerum, erit non inutilis in extrema parte [2] commonitio: quod Cicero etiam in brevi narratione facit. *Adhuc, Cæsar, Q. Ligarius omni culpa caret. domo est egressus non modo nullum ad bellum, sed ne ad minimam quidem belli suspicionem, &c.* [3] Credibilis autem erit narratio ante omnia si prius consuluerimus nostrum animum, ne quid [4] naturæ dicamus adversum: deinde si causas ac rationes factis præposuerimus, non omnibus, sed de quibus quæritur. Si personas convenientes iis, quæ facta credi volemus constituerimus: ut *furti reum,* [5] *cupidum: adulterii, libidinosum: homicidii,* [6] *temerarium.* Vel contra, si defendemus. Præterea loca, tempora, & similia. [7] Est autem quidam etiam ductus rei credibilis,

1 *Interfatione distinguere.*] *Interfationem* appellat Fabius propositionem quæ commonitionis causa aut levandi judicis gratia inter narrationis partes inseritur. *Idem.*

2 *Commonitio.*] *Commonitionem* hîc appellat Fabius repetitionem quandam, quæ epilogi more breviter recolligat, quod in narratione positum est ad commonefaciendum judicem. *Idem. Commonitio.*] Al. *commotio.*

3 *Credibilis autem.*] *Credibilis* erit *narratio*, si secundum naturam dicamus, si rationem præcipuis quæstionibus reddamus, si decorum servemus, præterea si circunstantias adjunxerimus, easque servaverimus. *Turneb.*

4 *Naturæ diversum.*] Ut hominem se aut uxorem aut parentem occidisse. eos enim quisque natura diligit: ut *timidus* cædem faciat, *liberalis* furetur, *pudicus* virginem violet, *senex* pudicitiæ insidietur, nihilque recte consuluerit, *vir fortis* timide supplicaverit, & hujusmodi adversa naturæ. & si quid ex his advenerit, in eo elaborandum erit, ut id credibile ostendamus. ut Cicero *pro Cluentio*, omne Cluentii periculum à matre esse, ideoque odii causam matris in filium & impudicam matris audaciam multis ostendit. Videndum igitur quæ sit *natura rerum & personarum*, quid conveniat, quid disconveniat. *Idem.*

5 *Cupidum.*] *Avarum*, vel ejus rei quam furatur appetentem. *Idem.*

6 *Temerarium.*] *Audacem* Clodium Cic. semper describit. *Idem.*

7 *Est autem quidam etiam.*] *Ductum* appellat Fabius aptam & convenientem rerum connexionem, quæ sponte jungi videantur: qualis est *in comœdiis. Comici* enim, quoniam res quam describunt ficta est, maxime laborant, ut eam credibilem faciant, ideoque quasdam œconomias observant per quas ex eo quod antecessit, indicant quod futurum est, appellaturque ille *ductus rei credibilis.* Quod etiam observatur in mimis: quo nomine appellantur *fabulæ* quædam quæ positæ sunt in vilium personarum imitatione. *Idem.*

1 *Semina*

dibilis, qualis in comœdiis, & in mimis. Aliqua enim naturaliter sequuntur & cohærent, ut si bene priora narraveris, judex ipse, quod postea sis narraturus, expectet. Ne illud quidem fuerit inutile, [1] semina quædam probationum spargere: verum sic, ut narrationem esse meminerimus, non probationem. Nonnunquam etiam argumento aliquo confirmabimus quod proposuerimus, sed simplici & brevi: [2] ut in veneficiis, *Sanus bibit, statim concidit, livor ac tumor confestim est insecutus.* Hoc faciunt & illæ præparationes cum *reus dicitur robustus, armatus, solicitus, contra infirmos, inermes, securos.* Omnia denique quæ probatione tractaturi sumus, *personam, caussam, locum, tempus, instrumentum, occasionem*, narratione delibabimus. [3] Aliquando si destituti fuerimus his, etiam fatebimur vix esse credibile, sed verum, & hoc majus habendum scelus: *nescire nos quomodo factum sit, aut quare: mirari, sed probaturos.* Optimæ vero præparationes erunt [4] quæ latuerint, ut à Cicerone sunt quidem utilissime prædicta omnia per quæ *Miloni Clodius, non Clodio Milo insidiatus* esse videatur: [5] plurimum tamen facit illa callidissima simplicitatis imitatio: *Milo autem cum in senatu fuisset eo die quoad senatus est dimissus, domum venit: calceos & vestimenta mutavit, paulisper dum se uxor, ut sit, comparat, commo-*

1 *Semina probationum.*] Ut pro Milone *Clodii minæ*, Clodii Miloniscque *habitus*, & similia. Nam cum totius confirmationis & refutationis fundamentum sit *narratio*, non est dubium quin semina probationum continere debeat. Fluunt autem *probationes* omnes à locis uniuscujusque constitutionis, maxime propriis, quos in aliqua circunstantiarum fundari necesse est. *Idem.*

2 *Ut in veneficiis sanus bibit.*] Vide exemplum in oratione *pro Cluentio.* Idem.

3 *Aliquando si destituti.*] Aliquando *occupationibus* est utendum, cum argumenta circunstantiarum nobis desunt, dicendumque reum quæsisse facinori suo latebras, ut impunitus peccaret, tamen nos esse probaturos. *Idem.*

4 *Quæ latuerint.*] Dissimilatæ & quæ judicem fallant, suaque simplicitate in judicum animos irrepant. *Idem.*

5 *Plurimum tamen.*] *Simplex oratio* multum facit ad credibilitatem. nam cum subdola non sit, sed humilis, facile subit judicis animum. hanc orationis formam Trapezuntius vocat *extenuationem.* Ut enim homines simplices in mendacii suspicionem haud temere veniunt, ita quoque hæc morum simplicitatem imitata aliquoties plus fidei meretur, quam arte contorta. Adeo verum est proverbium, *Veritatis simplicem esse orationem.* Idem.

1 *Frigida*

commoratus est. Quam nihil præparato, nihil festinato feciſſe videtur Milo! Quod non ſolum rebus ipſis vir eloquentiſſimus, quibus moras & lentum profectionis ordinem ducit, ſed verbis etiam vulgaribus & quotidianis, & arte occulta conſecutus eſt: quæ ſi aliter dicta eſſent, ſtrepitu ipſum judicem, deinde patronum excitaſſent. [1] Frigida videntur iſta pleriſque: ſed hoc ipſum manifeſtum eſt, quomodo judicem fefellerit, quod vix à lectore deprehenditur. Hæc ſunt quæ credibilem faciunt expoſitionem. [2] Nam ne contraria aut ſibi repugnantia in narratione dicamus, ſicut præcipiendum eſt, is reliqua fruſtra docetur: etiamſi quidam ſcriptores artium hoc quoque tanquam occultum & à ſe prudenter erutum, tradunt. [3] His tribus narrandi virtutibus adjiciunt quidem *magnificentiam* quam μεγαλοπρέπειαν vocant, quæ neque in omnes cauſſas cadit (nam quid in pleriſque judiciis privatis de re certa credita, locato & conducto, interdictis, habere loci poteſt ſupra modum ſe tollens oratio?) nec ſemper eſt utilis, ut vel proximo exemplo Miloniano patet. Et meminerimus multas eſſe cauſſas, in quibus confitendum, excuſandum, ſummittendum ſit quod exponimus: quibus omnibus aliena eſt illa magnificentiæ virtus. Quare non magis proprium narrationis eſt *magnifice dicere*, quam *miſerabiliter*, *invidioſe*, *graviter*, *dulciter*, *urbane*: quæ cum ſuo quæque loco ſint laudabilia, non ſunt huic parti proprie aſſignata, & velut [4] dedita. Illa quoque ut narrationi apta, ita cæteris partibus communis eſt virtus, quam Theo-

1 *Frigida videntur.*] *Anthypophora*, qua objectioni quorundam occurrit, hanc tantam diligentiam vitio Fab. vertentium. Si illa *orationis ſimplicitas* ita lectoris animum ſubit & fallit, qui tamen auditore (ut antea dixit) peritior eſt, dubium non eſt quin etiam judicem fefellerit. *Idem.*

2 *Nam ne contraria.*] Rapit quoſdam in invidiam qui hoc ut magnum quid percipere voluerunt, quod non ſolum in narratione, ſed tota oratione cavendum eſt: quod Cicero multis in locis adverſariis ſuis objicit, ſed præcipue *pro Sexto Roſcio*, *C. Erutio*. Idem.

3 *His tribus narrandi.*] Virtus eſt ſuperiori contraria, appellaturque à Trapezuntio *amplificatio*, ut ſuperior, *extenuatio*. ſolet autem & ſententiarum & verborum magnitudine rem attollere. *Idem.*

4 *Dedita.*] Al. *debita.*

1 *Jucun-*

Theodectes huic uni proprie dedit; non enim magnificam modo vult esse, verum etiam[1] jucundam expositionem.[2] Sunt qui adjiciant his evidentiam, quæ ἐνάργεια græce vocatur. Neque ego quenquam deceperim, [3] ut dissimulem Ciceroni quoque plures partes placere. Nam præterquam planam, & brevem & credibilem, vult esse evidentem, [4] moratam cum dignitate. Sed in oratione morata debent esse omnia cum dignitate quæ poterunt. *Evidentia* in narratione, quantum ego intelligo, est quidem magna virtus, cum quid veri non dicendum, sed quodammodo etiam ostendendum est: sed subjici perspicuitati potest: [5] quam quidam etiam contrariam interim putaverunt, quia in quibusdam caussis obscuranda veritas est, quod est ridiculum. Nam qui obscurare vult, [6] narrat falsa pro veris: in quo debet laborare ut videantur quam evidentissima. [7] Sed quatinus

1 *Jucundam expositionem.*] Theodectes *magnificentiam & audentiam* partes narrationis esse dicit. Porro *Cicer. in Partit.* & *secundo de Oratore* jucundam quoque esse voluit, ita tamen ut ea virtus non esset necessaria narrationi, sed assumpta potius ad ornandum. hanc Fab. toti orationi communem facit. *Turneb.*

2 *Sunt qui adjiciant.*] Cicero *in Partitionibus* discrimen ponit inter *perspicuitatem*, & *evidentiam*, quam ipse *illustrationem* facit. nam *perspicuitas* tantum rem explicat & aperit, *illustratio* vero seu evidentia rem ita repræsentat & illustrat ut geri videatur. ergo minor *perspicutias* quam *evidentia*. recte tamen Fab. *perspicuitati evidentiam* subjicit. huc pertinent illa quæ dicuntur à Græcis ἐκφράσεις, quæ sunt orationes & descriptiones evidentes, quales hodie feruntur Callistrati. *Idem.*

3 *Ut dissimulem Cic. &c.*] Cicero *in Top.* tres putat virtuti narrationi necessarias, *probabilitatem*, *perspicuitatem*, & *brevitatem*: tres vero ad ornatum pertinentes, ut sit *evidens*, *morata*, *& è dignitate.* in Partitionibus vero & 2. *de Oratore* duas tantum posuit necessarias, *probabilitatem* & *perspicuitatem*, reliquitque *brevitatem*: unam tantum ad ornatum, *jucunditatem.* Idem.

4 *Moratam cum dignitate.*] *Morata* dicitur *oratio*, quæ mores aptos convenientesque affectus personis tribuit. vocant Græci ἠθοποιὸν λόγον, *moratam orationem.* ut Dionysius ait, de Lysia loquens, quæ ἠθοποιεῖ καὶ παρασκευάζει πρόσωπα τῷ λόγῳ πιστὰ καὶ χριστὰ, προαιρέσεις αὐτοῖς ἀστείας ὑποτιθεὶς, καὶ πάθη μέτρια προσώπων. Quare in Top. interdum est ubi *moderata* pro *morata* legitur. *Idem.*

5 *Quam quidam etiam.*] Theodorei putant in narrationibus quæ totæ sunt contra nos, *obscuritatem* esse debere. quocirca quo illic pacto sit narrandum, docebit Fabius. *Idem.*

6 *Narrat falsa pro veris.*] Ut *Sinon Virgilianus* facit sibi fidem, obscurando veritatem, miscendo falsis vera. *Idem.*

7 *Sed quatinus etiam.*] Transitus ad secundum membrum *narrationis*, si contra nos erit, refellens eorum opinionem qui tunc non esse narrandum volunt:

tinus etiam [1] ſorte quadam pervenimus ad difficilius narrationum genus, jam de his loquamur, in quibus res contra nos erit: quo loco nonnulli prætereundam narrationem putaverunt. Et ſane nihil eſt facilius, niſi prorſus totam cauſſam omnino non agere. Sed ſi aliqua juſta ratione hujuſmodi ſuſceperis litem: cujus artis eſt, malam eſſe cauſſam ſilentio confiteri? Niſi forte tam hebes futurus eſt judex, ut ſecundum id pronuntiet, quod ſciet narrare te noluiſſe. Neque inficias eo, in narratione ut aliqua neganda, aliqua adjicienda, aliqua mutanda, ſic aliqua etiam tacenda: [2] ſed tacenda quæ tacere oportebit, & liberum erit. Quod fit nonnunquam brevitatis quoque gratia, quale illud eſt, *Reſpondit quod ei viſum eſt.* Diſtinguamus igitur genera cauſſarum. [3] Nanque in quibus non *de culpa* quæritur, ſed *de actione*, etiam ſi erunt contra nos themata, confiteri nobis licebit: *Pecuniam de templo ſuſtulit, ſed privatam: non ideo ſacrilegus eſt.* [4] *Virginem rapuit, non tamen optio patri dabitur.* [5] *Ingenuum ſtupravit, & ſtupratus ſe ſuſpendit: non tamen ideo ſtuprator capite ut cauſſa mortis punietur: ſed decem millia, quæ pœna ſtupratori conſtituta eſt, dabit.* Verum in his quoque confeſſionibus eſt aliquid quod ex invidia quam expoſitio adver-

lunt: quia ſic noſtram cauſam malam confitebimur, ideoque tunc etiam vel maxime narrandum erit. In hanc autem ſententiam inclinare videtur Cic. *lib. 2. de Oratore*, & *in Partit.* Ait enim *quod in narrationibus eſt moleſtum, illud eſſe amputandum, aut totam narrationem relinquendam, ſi tota moleſta erit.* Idem.

1 *Sorte.*] *Forte.* Pith.

2 *Sed tacenda, &c.*] *In narrationibus* liberum eſt tacere, quæ vel crimen, vel ſuſpicionem faciunt, omniaque ea quæ lædunt: dummodo non ſunt ex iis quibus maxime cognitio judicis nititur. *Turneb.*

3 *Nanque in quibus.*] *In cauſis tranſlativis*, quibus rectam criminationem aut petitionem eludimus, factum quod etiam nobis nocet confiteri poſſumus, quia tum de eo non pronunciat judex. *De culpa* autem quæritur in tribus generibus cauſarum, quæ naſcuntur ex his quæſtionibus, *an ſit, quid ſit, & quale ſit.* De actione vero in his quæ *conſtitutionis* vocantur, in quibus de modo agendi. *Idem.*

4 *Virginem rapuit.*] Nam lex erat, ut *puella rapta nuptias aut mortem raptoris eligeret.* Idem.

5 *Ingenuum ſtupravit.*] Ad *legem Juliam de ſtupris*, ſtatuitur ſtuprum committi in muliere ingenua, libera, vel vidua, etiam in virgine & puero. Videtur autem ſignificare, *lege conſtitutum eſſe*, ut ſi quis ingenuum ſtupraſſet, decem milia perſolveret. *Idem.*

1 *Mollius*

adversarii fecit, detrahi possit, cum etiam servi nostri de peccatis suis [1] mollius loquantur. Quædam enim quasi non narrantes mitigabimus: *Non quidem* (ut adversarius dicit) *consilium furti in templum attulit*, nec diu captavit ejus rei tempus: *sed occasione & [2] absentia custodum corruptus, & pecunia*, quæ nimium quam in animis hominum potest, victus est. *Sed quid refert? peccavit, & fur est.* nihil attinet id defendere, cujus pœnam non recusamus. Interdum quasi damnemus ipsi: *Vis te dicam vino impulsum? errore lapsum? nocte deceptum? vera sunt ista fortasse: tu tamen ingenuum stupraști, solve decem millia.* [3] Nonnunquam [4] propositione præparari potest causa, & deinde exponi. *Contraria sunt omnia tribus filiis, qui in mortem patris conjurarant sortiti nocte singuli per ordinem cum ferro cubiculum intrarunt patre dormiente. cum occidere eum nemo potuisset, excitato omnia indicarunt.* [5] Si tamen pater [6] qui divisit patrimonium, & reos parricidii defendit, sic agat. *Quod contra legem sufficit, parricidium objicitur juvenibus quorum pater vivit, atque etiam liberis suis adest.* [7] ordinem rei narrare quidem nihil necesse est, cum ad legem nihil pertineat: sed si confessionem meæ culpæ exigitis, ego fui pater durus, & patrimonii, quod jam melius ab his administrari poterat, tenax custos. *Deinde subjicitur, stimulatos ab iis quorum indulgentiores parentes erant: semper tamen eum habuisse animum, qui sit eventu deprehensus, ut occidere patrem*

1 *Mollius loquantur.*] Vitia sua mitigent, & leviora faciant & ostendant. Subest autem hic argumentum à *minori ad majus*, si servi vitia sua excusant, multo magis & nostra excusabimus. *Turneb.*

2 *Absentia custodum corruptus.*] *Custodes* appellat *ædituos*, qui tuendis templis rebusque sacris præficiuntur. *Idem.*

3 *Nonnunquam propositione.*] Aliquando utimur *parascene*, qua judicis animum præparamus & rei invidiam diminuimus. Tametsi fere semper *propositio* locum habeat ubi *narratio*, interim tamen in eadem causa & propositione utimur & narratione. Verum *propositio* nihil aliud erit, nisi præparatio seu præmunitio ad narrationem. *Idem.*

4 *Propositione.*] *Præpositione.* Pith.

5 *Si tamen pater.*] Intelligere opus est legem fuisse, ne filii qui parricidium fecissent, aliquid de bonis patris caperent. igitur in hoc themate gentiles & agnati petunt hæreditatem, filiosque accusant. *Turneb.*

6 *Qui divisit.*] *Qui non divisit.* Pith.

7 *Ordinem rei narrare.*] Ex *ordine rem narrare*, utrunque dicimus. *Turnebus.*

patrem non possent. Nec enim jurejurando opus fuisse, si alioqui hoc mentis habuissent: nec forte, nisi quod se quisque eximi voluerit. Omnia hæc qualiacunque placidioribus animis accipientur, illa brevi primæ propositionis defensione mollita. [1] At cum quæritur *an factum sit*, vel *quale factum sit*, licet omnia contra nos sint, quomodo tamen evitare expositionem salva caussæ ratione possumus? Narravit accusator, nec ita, ut quæ essent acta tantum indicaret, sed adjecit invidiam, rem verbis exasperavit, accesserunt probationes, peroratio incendit, & iræ plenos reliquit. Expectat naturaliter judex quid narretur à nobis. Si nihil exponimus, illa esse, quæ adversarius dixit, & talia qualia dixit, credat necesse est. Quid ergo? eadem exponemus? Si de qualitate agetur, cujus tum demum quæstio est, cum de re constat, eadem, [2] sed non eodem modo: alias caussas, aliam rationem dabo. [3] Verbis elevare quædam licebit: *luxuria, hilaritatis: avaritia, parsimoniæ: negligentia, simplicitatis nomine lenietur. Vultu denique, voce, habitu, vel favoris aliquid, vel miserationis merebor.* [4] Solet nonnunquam movere lacrymas ipsa confessio. Atque ego libenter interrogem, sint ne illi defensuri quæ non narraverint, necne? Nam si neque defenderint, neque narraverint, tota caussa prodetur. [5] At si defensuri sunt, proponere certe plerun-

1 *At cum quæritur.*] Cum narratio tota est contra nos, quo pacto narrandum sit in *actione* & *definitione*, quam actioni subjecit, dixit, nunc quo pacto in reliquis statibus. neque enim in illis omittenda est narratio, ut putant *Theodorei*. Idem.

2 *Sed non eodem modo.*] *In qualitate* si omnia contra te erunt, tamen adhibitis convenientibus causis efficies ut aut minus videatur iniqua aut certe æqua. nam quod per se injustum videtur, aliquando justum efficitur ex causis & circunstantiis. *Idem.*

3 *Verbis elevare.*] Quædam vitia sunt in virtutum vicinia, in quibus præcipit Arist. ut *derivatione* utamur & *deflectione*. hoc etiam præcipit Fab. *lib.* 2. *cap.* 13. & *lib.* 3. *cap. de deliberativo genere.* De quibus Cic. *in partition.* Exemplum est pro Muræna. *Idem.*

4 *Solet nonnunquam.*] *Confessio* tum lachrymas movet, cum factum quidem miserabile est, sed affertur ejus justa ratio & causa, alioqui nobis obesset *confessio*, ut apud *Cic. in Miloniana.* Idem.

5 *At si defensuri.*] *Addita confirmationi propositio* plurimum conducit, quod per eam quæ confirmaturus sis, judex facilius intelligat, reddaturque conciliatior & attentior. hujus exemplum comperias in multis Cic. orationibus, ut in

[1] plerunque id quod confirmaturi sumus, oportet. Cur ergo non exponamus quod & dilui potest? Ut hoc contingat, utique indicandum est. Aut quid inter *probationem* & *narrationem* interest, [2] nisi quod narratio est probationis continua propositio, rursus probatio narrationi congruens confirmatio? Videamus ergo num expositio hæc longior demum esse debeat, & paulo verbosior præparatione, [3] & quibusdam argumentis (argumentis dico, non argumentatione, cui tamen plurimum confert frequens affirmatio) effecturos nos quod dicimus: non posse vim rerum ostendi prima expositione: expectent, & opiniones suas differant, & bene sperent. Denique narrandum est utique, [4] quicquid aliter quam adversarius exposuit, narrari potest, aut eo etiam procœmia sunt in his caussis supervacua: quæ quia magis agunt, quam ut cognitioni rerum accommodatiorem judicem faciant? Atqui [5] constat nusquam eorum esse majorem usum, quam ubi animus judicis ab aliqua contra nos insita opinione flectendus est. [6] *Conjecturales* autem caussæ, in quibus de facto quæritur, non tam sæpe rei de qua

ut in Miloniana statim perfecta narratione priusquam veniat ad confirmationem propositione sic utitur, *Hæc sicut exposui, ita gesta sunt, insidiator superatus, vi victa vis, vel potius virtute audacia.* Idem.

1 *Plerunque.*] Pro necessario. *Pitheus.*

2 *Nisi quod narratio.*] *Narratio* differt *à propositione*, quod propositio *breviter*, narratio *prolixe* rem proponit. appellavit eam continuam propositionem Fabius, ad differentiam partitionis, quæ rem proponit & explicat. *Idem.*

3 *Et quibusdam argumentis, &c.*] Probationes & argumenta locum habent in narratione, non autem argumentationes quæ sunt argumentorum explicationes, certa oratione certisque partibus constantes. Et hoc est quod ante dixit, *Ne illud quidem inutile fuerit, semina quædam probationum spargere:* & paulo post, *Argumentabimur in narratione nunquam, ut dixi, argumentum ponemus aliquando.* Hæc itaque longior erit ut præparationem & argumenta quæ adhiberi solent ad judicem prænonendum, ne sit præceps in judicando, neve totam causam ex prima fronte æstimet, sed differat judicium donec ventum sit ad probationem, ubi omnia melius & pro re nostra commodius explicabuntur. *Idem.*

4 *Quicquid aliter.*] In omni genere causæ & statu hoc utile sit, si fieri possit, ut narremus aliter quam adversarii narraverint. *Idem.*

5 *Constat.*] *Constabit.* Pithœus.

6 *Conjecturales autem causæ.*] Cum factum negatur, nisi in aliquem conferatur à reo, vix reus narrare factum potest, sæpenumero tamen narrare solet ea quæ ad factum pertinent. quibus probemus quod in causa est, verum non esse. *Turneb.*

qua judicium est, quam eorum per quæ res colligenda est, expositionem habent. Quæ cum accusator suspiciose narret, reus levare suspicionem debeat: aliter [1] ab hoc atque [2] ab illo ad judicem perferri oportet. [3] At enim quædam argumenta turba valent, diducta leviora sunt. Id quidem non eo pertinet, ut quæratur *an narrandum, sed quomodo narrandum sit.* Nam congerere plura expositione quid prohibet, si id utile est causæ? [4] & promittere, sed & dividere narrationem, & probationem subjungere partibus, atque ita transire ad sequentia? [5] Nam ne iis quidem accedo, qui semper eo putant ordine, quo quid actum sit, esse narrandum: sed eo modo quo expedit. Quod fieri plurimis figuris licet. Nam & aliquando excidisse simulamus, cum quid [6] utiliore loco reducimus: & interim nos reducturos reliquum ordinem testamur, quia sic futura sit causa lucidior. [7] Interim re exposita, subjungimus causas quæ antecesserunt. [8] Nec enim est una lex defensionis, certumque præscriptum:

1 *Ab hoc.*] *Reo. Idem.*

2 *Ab illo.*] *Accusatore.* Idem.

3 *At enim quædam.*] Cicero quum adversariorum objectionem sibi proponit ut diluat, solet ponere, *At* vel *At enim.* hoc igitur Fabio objicere possent ii qui cum tota est contra nos causa, narrandum non esse ajunt, nisi adjectis multis argumentis: hoc autem *confirmationis* est: atque illa colligi narrandum non esse. Id igitur proponit sibi Quintil. diluendum. De hac autem re vide Fab. *lib.* 5. *cap.* 13. *de usu argumentorum.* Idem.

4 *Et promittere sed & dividere narrationem.*] Hanc figuram noster hic ἀντιπόδοσιν. Lupus Rutilius, προσαπόδοσιν appellant. *Pithœus.*

5 *Nam ne iis quidem.*] Non semper ordo negotii in narratione observatur, sed nonnunquam utilitate causæ immutatur. quanquam in quibusdam si ordinem immutes, non mediocriter pecces, ut *testamentum aperire, deinde signare dicas.* Turneb.

6 *Utiliore loco.*] *Quam si suo loco & ordine dictum esset.* hic, ubi eo ventum erit, judices rogabimus ne id audire graventur, quod oblitos nos esse fingemus. pollicebimurque ubi nos id dixerimus, cœptum ordinem prosequuturos, qua ratione judices magis attentos habebimus, minusque suspicioſa nostra erit oratio quæ extemporalis videbitur, & lucidior futura. *Idem.*

7 *Interim re exposita.*] Uniuscujusque rei causa rem ipsam præcedit, attamen nonnunquam *rem* prius, *causam* posterius explicamus. Quod contra fit, ut docuit, si narratio tota pro nobis est, ut fiat credibilis. *Idem.*

8 *Nec est certum præscriptum.*] Hoc præceptum quia utile est, sæpius repetit Fabius, *Spectandam esse potius causæ utilitatem, quam præceptum quod ad causæ utilitatem solum comparatum est & traditur.* quod elegantiss. similitudine probat. *Idem.*

1 Nec

scriptum: *pro re*, *pro tempore*, intuenda quæ prosint: atque ut erit vulnus, ita vel curandum protinus, vel si curatio differri potest, interim deligandum. [1] Nec sæpius narrare duxerim nefas, quod Cicero *pro Cluentio* fecit: estque non concessum modo, sed aliquando etiam necessarium, ut in causis repetundarum, omnibusque quæ simplices non sunt. Amentis est enim superstitione præceptorum contra rationem caussæ trahi. [2] *Narrationem* ideo ante probationes ponere est institutum, ne judex, qua de re quæratur, ignoret. Cur igitur si singula probanda aut refellenda erunt non singula etiam narrentur? Me certe, quantacunque nostris experimentis habenda est fides, feciſſe hoc in foro, quoties ipsa desiderabat utilitas, probantibus & eruditis, & iis qui judicabant, scio: & (quod non arroganter dixerim, quia sunt plurimi quibuscum egi, qui me refellere possint si mentiar) fere [3] ponendæ à me caussæ officium exigebatur. Neque ideo tamen non sæpius facere oportebit ut rerum ordinem sequamur. Quædam vero etiam [4] turpiter convertuntur: *ut si peperisse narres, deinde concepisse: apertum testamentum, deinde signatum:* in quibus si id quod posterius est dixeris, de priore tacere optimum est. [5] Sunt quædam & falsæ expositiones, quarum in foro duplex est genus. Alterum,

1 *Nec sæpius narrare, &c.*] Causæ omnes conjunctæ cum plura habeant crimina, plures quoque postulant narrationes, cum unumquodque crimen expositionem desideret: sic variæ sunt narrationes in Verrem. *Idem.*

2 *Narrationem ideo.*] Probat narrationes singularum quæstionum varias apponi frequenter solere. sunt autem *quæstiones probandæ*, aut *refellendæ*, quod fieri non potest nisi exposita quæstione: ergo singularum quæstionum debent suæ esse expositiones. *Idem.*

3 *Ponendæ à me caussæ, &c.*] Docet Asconius olim unius causæ plures fuisse patronos, quibus eæ causæ partes demandabantur quas optime sustinere ac tueri possent. unde Ciceroni plerunque committebatur *epilogus*, quod acerrimus esset affectibus movendis; sic quoque Fabio demandabatur *narratio*. Idem.

4 *Turpiter convertuntur.*] Simili tamen genere videtur usus quodammodo 4. *in Catil. oratione. Sit*, inquit, *Scipio clarus ille, cujus consilio & virtute Hannibal in Africam redire, atque Italia decedere coactus est.* Idem.

5 *Sunt quædam falsæ.*] Cum tota expositio est contra nos, interdum opportuno elabimur mendacio. igitur quo pacto falsæ sint expositiones contexendæ, docet Fabius, qua de re scribit elegantissime *Agricola lib.* 2. Idem.

rum, quod [1] instrumentis adjuvatur: *ut Publius Clodius* [2] *fiducia testium, qua nocte incestum Romæ commiserat, Interamnæ se fuisse dicebat.* Alterum, quod est tuendum dicentis ingenio. Id interim [3] ad solam verecundiam pertinet, unde etiam mihi videtur dici *Color:* interim ad quæstionem. Sed [4] utruncunque erit, prima sit curarum, *ut id quod fingimus, fieri possit:* deinde, *ut & personæ & loco & tempori congruat, & credibilem rationem & ordinem habeat, si continget etiam,* [5] *vere alicui rei cohæreat:* [6] *aut argumento quod sit in caussa, confirmetur.* Nam quæ tota extra rem petita sunt, mentiendi licentiam produnt. Curandum præcipue (quod fingentibus frequenter [7] accidit) *nequa inter se pugnent.* [8] Quædam enim partibus blandiuntur, sed in summam non consentiunt. Præterea, ne iis quæ vera esse constabit, adversa sint. In schola etiam, ne *color* extra themata quæratur. Utrobique autem orator meminisse debebit actione tota quid finxerit, quoniam solent excidere quæ falsa sunt: verumque est illud quod vulgo dicitur, *Mendacem memorem esse oportere.* [9] Sciamus autem,

1 *Instrumentis.*] *Probationibus inartificialibus*, de quibus aget *lib.* 5. Idem.

2 *Fiducia testium.*] Nam Clodius in opertum Bonæ Deæ habitu muliebri ingressus est ut Cæsaris uxorem adulteraret, tamen Cassinii testimonio probavit se tum fuisse Interamnæ. Res nota ex *Cic. Miloniana.* Idem.

3 *Ad solam verecundiam, &c.*] Mendacium quoddam aliquando affertur ad colorandum id ipsum quod alioqui turpe videretur aut iniquum, cum tamen id non pertineat ad litis quæstionem: alterum autem pertinet *ad quæstionem* & ad id de quo pronunciare debet judex. *Idem. Ad solam verecundiam pertinet.*] Ut in causis inofficiosi, in quibus filii furiosum parentem fuisse dicunt. *Pith.*

4 *Utruncunque.*] *Utrum utrum.* Pith.

5 *Veræ alicui rei.*] *Ut Sinon Virgil. lib.* 2. *Æneid.* multa fingens de morte Palamedis, vera dicit, Trojanis non ignota, ut verorum narratione, falsorum sibi fidem quæreret. *Idem.*

6 *Aut argumento.*] *Ut si quis homini gladium extorserit, eoque interfecerit, inque vulnere reliquerit, neget à se occisum, sed ipsummet sibi mortem conscivisse.* Similiter pro Milone, Clodius Milonem sciebat eo de Lanuvium iturum, ideoque in fundo suo, prope quem Miloni transeundum erat, fecisse insidias dicatur, quum re vera contrarium erat. *Idem.*

7 *Accidit.*] Alii *excidit.*

8 *Quædam enim.*] Nonnulla sunt figmenta quæ seorsum optime videantur excogitata, quæ si conjungas, inter se manifestissime pugnabunt, atque ita commentum detegent. *Turneb.*

9 *Sciamus autem.*] Cum agimus nostram causam, si mentiri volumus, constantem oportet comparare colorem, eumque semper tueri. si enim multos quæreremus colores, suspicio esset mendacii. Quod licebit in aliena causa & facto. *Idem.*

1 Fin-

autem, si de nostro facto quæratur, unum nobis aliquid esse dicendum: si de alieno, mittere in plurimas suspiciones licere. Est tamen quibusdam scholasticis controversiis, in quibus ponitur aliquem non respondere quæ interrogatur, libertas omnia enumerandi quæ responderi potuissent.[1] Fingenda vero meminerimus ea quæ non cadent in testem. Sunt autem quæ nostro dicuntur animo, cujus ipsi tantum conscii sumus. Item quod [2] à defunctis: nec hoc enim est qui neget. Itemque ab eo cui idem expedite: is enim non negabit. Ab adversario quoque: quia non est habiturus in negando fidem. [3] Somniorum & superstitionum colores ipsa jam facilitate auctoritatem perdiderunt. Non est autem satis in narratione uti coloribus, nisi per totam actionem consentiant: [4] cum præsertim quorumdam probatio sola sit in *assèveratione & perseverantia*: ut ille parasitus qui ter abdicatum à divite juvenem, [5] & absolutum, tanquam suum filium asserit, habebit quidem colorem, quo dicat & paupertatem sibi [6] caussam exponendi fuisse: & ideo à se parasiti personam esse susceptam, quia in illa domo filium haberet: & ideo illum innocentem ter abdicatum, quia filius abdicantis non esset. Nisi tamen omnibus verbis & amorem patrium, atque hunc quidem ardentissimum ostenderit, & odium divitis, & metum pro juvene, quem periculose mansurum in illa domo, in qua tam invisus sit, sciat:

1 *Fingenda meminerimus ea, &c.*] Id est, cavendum ne ea fingamus, quæ testibus refelli possunt: quæ autem refelli non possunt, enumerat. *Pith.*

2 *A defunctis.*] Ut si quis in instrumentis falsis mortuorum nominibus utatur qui tum vivebant. *Turneb.*

3 *Somniorum.*] Ut si *Sichei cædem* Pygmalion negaret, utereturque accusator Didonis somnio, ut rem probaret. Quale exemplum refert Cicero *lib. de Divinat.* 1. de quodam ab hospite suo interfecto, apparuisse socio, hospitemque indicasse, ut de eo supplicium sumi curaret. *Idem.*

4 *Cum præsertim.*] *Assèverationem* appellat Fabius firmam quandam orationem quæ animi contentione & viribus constet, etiam citra probationem. *Idem.*

5 *Et absolutum.*] *Valerius* scribit, si filius ter abdicatus fuerit, eum non posse invictum in patris familiam & potestatem reduci. *Idem.*

6 *Causam exponendi.*] Ut solent meretrices & lenones in pueris, & interdum foris objicere. *Idem.*

sciat: suspicione [1] subjecti petitoris non carebit. [2] Evenit aliquando in scholasticis controversiis, quod in foro an possit accidere, dubito, ut eodem colore utraque pars utatur, deinde eum pro se quisque defendat: ut in illa controversia: *Uxor marito dixit* [3] *appellatam se de stupro à privigno, & sibi constitutum tempus, & locum: eadem contra filius detulit de noverca, edito tantum alio tempore, ac loco: pater in eo quem uxor prædixerat, filium invenit: in eo quem filius, uxorem: illam repudiavit: qua tacente, filium abdicat.* Nihil dici potest pro juvene, quod non idem sit pro noverca. Ponentur [4] tamen omnia communia, deinde ex personarum comparatione, & indicii ordine, & silentio repudiatæ, argumenta ducentur. [5] Ne illud quidem ignorare oportet, quædam esse quæ *colorem* non recipiant, sed tamen defendenda sint: *qualis est ille dives, qui statuam pauperis inimici flagellis cecîdit,* [6] *reus est injuriarum.* Nam factum ejus modestum esse nemo dixerit: fortasse ut sit tutum, obtinebit. [7] Quod si pars expositionis pro nobis, pars contra nos erit, miscenda sit, an separanda narratio, cum ipsa caussæ conditione deliberandum est. Nam si plura sunt quæ nocent, quæ prosunt obruentur. Itaque tunc dividere optimum erit, & iis quæ partem nostram adjuvabunt, expositis & confirmatis, adversis reliqua uti remediis de quibus supra dictum est. Si plura proderunt, etiam

1 *Subjecti petitoris.*] *Subdititii* & *sycophantæ*, & malo dolo subornati ad intendendam litem. *Idem.*

2 *Evenit aliquando.*] Hermogenes inter ἀστάσεις quæstionum genera ponit *exæquatum*, cum eædem utrinque & pares afferuntur rationes. quod genus in disquisitionem non veniet, nisi à personarum conditione argumenta peti possint. *Idem.*

3 *Appellatam esse de stupro.*] Ulpianus in titulo de injuriis ita ait, *Appellat qui alterius pudicitiam blanda oratione attentat: affectatur vero, qui tacitus frequenter insequitur. inde appellatores & affectatores* dicuntur. *Idem.*

4 *Tamen.*] Etiam.

5 *Ne illud quidem.*] Hermogenes tamen inter genera quæstionum inconsistentia ponit ἄχρωμον, id est, *colore carens*, quod tamen interdum consistere putat Fabius. *Idem.*

6 *Reus est injuriarum.*] Paulus jurisconsultus ait, *injuriarum actionem in eum competere, qui statuam saxo petiverit, aut flagellarit, non autem sepulchri violati actionem.* Idem.

7 *Quod si pars.*] Tradit quo pacto tractanda sit *tertia narrationis pars.* Cum pars narrationis nobis est utilis, pars inutilis, ex majori aut minori vel miscendæ erunt vel separandæ. *Idem.*

1 *Auxiliis*

etiam conjungere licebit: ut quæ obstant in medio, velut [1] auxiliis nostris posita minus habeant virium. quæ tamen non erunt nuda ponenda, sed ut & nostra aliqua argumentatione firmemus, & diversa cur credibilia non sint, adjiciamus: quia nisi distinxerimus, verendum est ne bona nostra permistis malis inquinentur. [2] Illa quoque de narratione præcipi solent, nequa ex ea fiat excursio, ne avertatur à judice sermo, ne alienæ personæ vocem demus, ne argumentemur: adjiciunt quidam etiam, ne utamur affectibus. Quorum pleraque sunt frequentissime custodienda: imo nunquam, nisi ratio coëgerit, mutanda: ut *sit expositio perspicua & brevis.* [3] Nihil quidem tam raro poterit habere rationem, quam *excursio:* nec unquam debebit esse nisi brevis, & talis, ut vi quadam videamur [4] affectus velut recto itinere depulsi: qualis est [5] Ciceronis *circa nuptias Sassiæ, O mulieris scelus incredibile, & præter hanc unam in omni vita inauditum. O libidinem effrenatam, & indomitam. O audaciam singularem, non timuisse, si minus vim deorum, hominumque famam, at illam ipsam noctem, faceſque illas nuptiales? non limen cubiculi, non cubile filiæ, non parietes denique ipsos superiorum testes nuptiarum?* Sermo aversus à judice & brevius indicat interim, & coarguit magis. Qua de re idem quod de procœmio dixeram, sentio, sicut de prosopopœia quoque: qua tamen non Servius modo Sulpitius utitur pro Ausidia, *Somnone te languidum, an gravi lethargo putem oppressum?* sed M. quoque Tullius [6] circa navarchos; Nam ea quoque rei expo-

1 *Auxiliis nostris.*] *Metaphora* est ducta ab instruenda acie. nam imperator solet auxiliares, quorum suspectam habet fidem, in medio collocare, ne quid moliantur. De hoc autem fusius Fabius *libro quinto cap. de usu arg.* & Cicero 2. *de Oratore.* Idem.

2 *Illa quoque.*] More suo posteaquam *præceptiones* est complexus, ea quæ cadere etiam in *narrationes* possunt exequitur, quemadmodum antea fecit in exordio. *Idem.*

3 *Nihil quidem tam.*] Dionysius quoque Halicarnasseus fugiendam ait in narratione *ecphrasin*, ut *tempestatis, pestilentiæ, famis*, cæterarumque rerum quæ à proposito egrediantur, & varia sint. *Idem.*

4 *Affectus.*] Trapezuntius appellat *procursum*, quando re exposita in affectus gravitatem erumpimus & quasi procurrimus. *Idem.*

5 *Ciceronis.*] Pro Cluent.

6 *Circa navarchos.*] *Navarchi* sunt

expositio est, ut *Adeas, tantum dabis, & reliqua.* Quid? pro Cluentio: [1] *Staleni Bulbique colloquium, nonne ad* [2] *credulitatem plurimum & fidem confert?* Quæ ne feciſſe [3] ſine obſervantia quadam videatur, quamquam hoc in illo credibile non eſt, in Partitionibus præcipit, ut *habeat narratio ſuavitatem, admirationes, expectationes, exitus inopinatos, colloquia perſonarum, omnes affectus.* [4] Argumentabimur in narratione, ut dixi, nunquam: argumentum ponemus aliquando, quod facit pro Ligario Cicero, cum dicit *ſic eum provinciæ præfuiſſe, ut illi pacem eſſe expediret.* Inferemus expoſitioni & brevem cum res poſcet defenſionem, & rationem factorum. [5] Nec enim narrandum eſt tanquam teſti, ſed tanquam patrono. Rei ordo per ſe talis eſt, *Quintus Ligarius legatus in Africam cum C. Conſidio profectus eſt.* Quid ergo Marcus Tullius? *Quintus igitur*, inquit, *Ligarius, cum eſſet adhuc nulla belli ſuſpicio, legatus in Africam cum C. Conſidio profectus eſt.* Alibi, *Non modo nullum ad bellum, ſed ne ad minimam quidem ſuſpicionem belli.* Et cum eſſet indicaturo ſatis, *Quintus Ligarius nullo ſe implicari negotio paſſus eſt*, adjecerit, *Domum ſpectans, & ad ſuos redire cupiens.* Ita quod exponebat, & ratione fecit credibile, & affectus quoque implevit. [6] Quo magis miror eos qui non putant in narratione eſſe utendum affectibus. Qui ſi hoc dicunt, non diu, nec ut in epilogo, mecum

qui præſunt ſingulis ex claſſe navibus: eos appellat Vegetius *navicularios*. Porro hæc verba Seſtii ſunt, qui Verris erat ſictor, pecuniamque petebat à matribus, quæ liberos ſuos in carcerem conjectos videre volebant. *Act. 7. in Verrem.* Idem.

1 *Staleni.*] *Stalenus* receperat ſe recepturum ſexdecim judices. itaque cum Balbo loquitur ut eum corrumpat: quod facile fecit. *Idem.*

2 *Credulitatem.*] Celeritatem.

3 *Sine obſervantia.*] Temere & ſine ulla præcepti ratione. *Turneb.*

4 *Argumentabimur.*] De hoc vide *Rodolphum Agricolam* doctiſſime diſſerentem. *Idem.*

5 *Nec enim narrandum eſt.*] *Teſtis* duntaxat debet explicare ea de quibus rogatur, citra ullum argumentum. at *patronus* non ſimpliciter exponit ut teſtis, ſed additis rationibus & argumentis. *Idem.*

6 *Quo magis miror.*] Contendit Fab. etiam in narratione *affectus eſſe movendos*, primo per locum *à ſimili* ſeu *pari*: deinde *ab utili*. Porro affectus *leviores* ſemper fere in narratione debent eſſe: eam ſi quidem ſuavitate quadam condiunt: at *graviores* ſi quando in narratione locum habebunt, brevius tamen tractandi erunt. De his fuſe apud *Cic. 2. de Oratore.* Idem.

1 *Doceo.*]

cum sentiunt. Effugiendæ sunt enim moræ. Cæterum cur ego judicem nolim, cum eum [1] doceo, etiam moveri? Cur quod in [2] summa parte sum actionis petiturus, non in primo statim rerum [3] ingressu, si fieri potest, consequar, cum præsertim etiam in probationibus faciliore sim animo ejus abusurus, occupato vel ira, vel miseratione? An non [4] Marcus Tullius circa verbera civis Romani omnes brevissime movet affectus, non solum [5] conditione ipsius [6] loco injuriæ, [7] genere verberum, sed [8] animi quoque commendatione? *Summum* enim *virum ostendit, qui cum virgis cæderetur, non ingemuerit, non rogaverit, sed tantum civem se Romanum esse, cum invidia cædentis, &* [9] *fiducia juris clamaverit.* [10] Quid Philodami casum nonne cum per totam expositionem incendit invidia tum in supplicio ipso lacrymis implevit, cum flentes non tam narraret quam ostenderet, patrem de morte filii, filium de patris? Quid ulli epilogi possunt habere miserabile magis? Serum est enim advocare iis rebus affectum in peroratione, quas securus narraveris. Assuevit illis judex, jamque eas sine motu mentis accipit, quibus commotus novus non est: & difficile est mutare habitum animi semel constitutum. [11] Ego vero (neque enim dissimulabo

1 *Doceo.*] Narrando. *Idem.*

2 *Summa.*] Postrema, in peroratione. *Idem.*

3 *Ingressu.*] Initio narrationis. Nam causæ prima pars est *narratio*, *exordium* enim orationis quanvis est prima pars, non tamen causæ seu actionis videtur, sed veluti *præludium.* Idem.

4 *Marcus Tullius.*] Actione 7. in Verrem.

5 *Conditione.*] Quod liber, quod civis Rom. & municeps *Cossanus.* Turnebus.

6 *Loco injuriæ.*] Quod ei crux in littore parabatur, ut is qui se civem Rom. esse diceret, ex cruce Italiam cernere, ac domum suam prospicere posset, &c. *ex Act.* 3. Idem.

7 *Genere verborum.*] Hoc autem fiebat contra *legem Portiam*, quæ prohibet ne corpus civis Romani virgis cædatur. *Idem.*

8 *Animi commendatione.*] Quod forti & patienti animo tulerit, ut nullus gemitus, nulla vox doloris index audita sit. *Idem.*

9 *Fiducia juris.*] Romani. hæc autem fusius apud *Cic. Act. in Verrem* 7. Idem.

10 *Quid? Philodami casum.*] Si res gravis est, uti possumus in narratione, idque multo magis est faciendum si plures sunt expositiones, quia re narrata sero revocaretur affectus, cum jam oblitus esset judex. sic fecit *Cic. in Verrem.* Idem.

11 *Ego vero.*] Præcepta sunt nonnulla de narrationis elocutione. debet autem narratio gratiam compositionis habere, latentem

labo judicium meum: quanquam id quod sum dicturus, exemplis magis quam præceptis ullis continetur) narrationem, ut si ullam partem orationis, omni qua potest gratia & venere exornandam puto. [1] Sed plurimum refert, quæ sit natura ejus rei quam exponimus. In parvis ergo, quales sunt fere privatæ, sit ille pressus & velut applicitus rei cultus: in verbis summa diligentia, quæ in locis impetu feruntur, & [2] circumjectæ orationis copia latent: hîc expressa, &, [3] ut vult Zeno, *sensu tincta esse debebunt:* compositio dissimulata quidem, sed tamen quam jucundissima: figuræ non illæ poeticæ, & contra [4] rationem loquendi auctoritate veterum receptæ. Nam debet esse quam purissimus sermo, & qui varietate tædium effugiat, & mutationibus animum levet: ne [5] in eundem casum, similem compositionem, [6] pares elocutionum tractus incidamus. Caret enim cæteris lenociniis expositio, & nisi commendetur hac venustate, jaceat necesse est. Nec in ulla parte intentior est judex:

latentem tamen & dissimulatam, ut sentiatur à judice potius quam percipiatur. Id quod & *Cicero in Partitionibus* probat fuse. *Idem.*

1 *Sed plurimum refert.*] *Elocutionis rationem*, quæ varia atque in singulis fere partibus peculiaris, metimur à rei conditione. Ut enim servorum & dominorum cultus diversus est, ita & orationis, quum parvam rem & magnam narramus, dissimilis esse debet. *Orationem* enim *debere rei accommodari* Agesilaus significat, qui quodam laudante oratorem, quod parva amplificaret, Ego, inquit, ne sutorem quidem puto esse bonum, qui magnos parvo pedi calceos inducit. *auth. Plutarch. in Apophtheg. Pressum* autem & *applicitum cultum* per metaphoram dixit, ducta translatione à vestimentis non laxis, sed membra constringentibus & prementibus. *Idem.*

2 *Circunjectæ orationis copia, &c.*] Audaciora verba in locis communibus & amplificationibus facile latitant ob circunfusum orationis nitorem, in narratione vero latitare non possunt. quocirca adhibenda cautio, ut propria sint, & rem significantia. *Idem.*

3 *Ut vult Zeno.*] Zeno *de arte rhetorica* scripsit aride & exiliter, ut meminit *Cic. lib. 4. de Finibus.* hunc imitatur Sulpitius Victor. *Idem.*

4 *Rationem.*] Alii fidem.

5 *In eundem casum, similem compositionem.*] Forte melius legeretur, *similem positionem*, id est, terminationem, ut similiter desinens sive cadens intelligatur. addit fugiendum esse πλέονον & ἰσόκωλον. Quanquam Cic. in Oratore longe aliter sentire videtur. De hac exornatione Cornific. *ad Herennium l. 4. & Fab. lib. 8.* Turneb. *Ne in eundem casum, similem compositionem.*] Ὁμοιόπτωτον, ἰσόκωλον, ὁμοιοτέλευτον. *Pith.*

6 *Pares elocutionum, &c.*] Compar grave appellat eodem l. Cornific. quod habet clausulas quæ ex pari fere numero syllabarum constant, quod puerile est: ut, *In prædio mortem pater oppetebat, domi filius nuptias comparabat.* Turneb.

1 *Velut*

judex: eoque nihil recte dictum perit. Præterea, nescio quomodo, etiam credit facilius quæ audienti jucunda sunt, & voluptate ad fidem ducitur. Ubi vero major res erit, & atrocia invidiose, & tristia miserabiliter dicere licebit: non ut consumantur affectus, sed ut tamen [1] velut primis lineis designentur: ut plane qualis futura sit imago rei statim appareat. [2] Ne sententia quidem velut fatigatum intentione stomachum judicis reficere dissuaserim, maxime quidem brevi [3] interjecta, qualis est illa, *Fecerunt servi* [4] *Milonis, quod suos quisque servos in re tali facere voluisset.* Interim paulo liberiore, qualis est illa, [5] *Nubit genero socrus nullis auspiciis, nullis auctoribus, funestis ominibus omnium.* [6] Quod cum sit factum iis quoque temporibus, quibus omnis ad utilitatem potius quam ad ostentationem componebatur oratio, & erant adhuc severiora judicia: quanto nunc faciendum magis, cum in ipsa capitis aut fortunarum pericula irrupit voluptas? Cui hominum desiderio quantum dari debeat alio loco dicam. Interim aliquid indulgendum esse confiteor. Multum confert adjecta veris [7] credibilis rerum imago, quæ velut in rem præsentem perducere audientes videtur: qualis est illa [8] M. Cœlii [9] in Antonium descriptio, *Namque*

1 *Velut primis lineis.*] *Metaphora* est ducta ab ea pictura quæ dicitur μονόγραμμος, quæ primum lineis designatur, deinde propriis coloribus vestitur & expolitur. *Idem.*

2 *Ne sententia quidem.*] Sententiam appellat Fabius *sensum argutiorem*, qui fere in clausulis poni solet. *Idem.*

3 *Interjecta.*] *Injecta.* Pithœus.

4 *Milonis.*] Pro Milone.

5 *Nubit genero.*] Ex oratione *Cic. pro Cluentio.* Turneb.

6 *Quod cum sit factum.*] Ciceronis tempore severiora erant judicia: tempore Fabii in *centumviralia judicia*, quæ etiam interdum capitis erant, voluptas irruperat, judexque contemni se putabat nisi ab oratore delectaretur. quod & ante dixit Fabius. *Idem.*

7 *Credibilis rerum imago.*] *Hypotyposis*, quæ est evidens descriptio, multum facit & ad perspicuitatem & ad credibilitatem narrationis. venuste autem dixit Fab. *in rem præsentem perducere*, ducta metaphora à juris consuetudine. nam litigatores in eum fundum aut agrum de quo litigabant, venire solebant. quod *ventam facere ajunt.* Idem.

8 *M. Cœlii.*] Hic est M. Cœlius Orator, cujus meminit *Cic. de cla. orat.* Idem.

9 *In M. Antonium.*] *Triumvirum* puto. similis est & Ciceronis pro Gallio de convivio, apud Aquilam Rom. de qua *lib.* 8. *Fabius* ubi *de evidentia.* Idem.

que ipſum offendunt [1] *temulento ſopore profligatum, totis præcordiis ſtertentem, ructuoſos ſpiritus geminare, præclaraſque contubernales ab omnibus ſpondis tranſverſas incubare, & reliquas circumjacere paſſim quæ tamen exanimatæ terrore, hoſtium adventu percepto excitare Antonium conabantur: nomen* [2] *inclamabant: fruſtra cervicibus tollebant: blandius alia ad aurem invocabat, vehementius etiam nonnulla feriebat.* [3] *Quarum cum omnium vocem tactumque noſcitaret, proximæ cujuſque collum amplexu petebat: neque dormire excitatus, neque vigilare ebrius poterat: ſed ſemiſomno ſopore* [4] *inter manus centurionum concubinarumque jactabatur.* Nihil his neque credibilius fingi, neque vehementius exprobrari, neque manifeſtius oſtendi poteſt. [5] Ne illud quidem præteribo, quantam afferat fidem expoſitioni, narrantis auctoritas: quam mereri debemus ante omnia quidem vita, ſed & ipſo genere orationis. quod quo fuerit gravius, ſanctius, hoc plus habeat neceſſe eſt in affirmando quoque ponderis. [6] Effugienda igitur in hac præcipue parte omnis calliditatis ſuſpicio: (neque enim ſe uſquam cuſtodit magis judex) nihil videatur fictum, nihil ſolicitum. omnia potius à cauſſa quam ab oratore profecta credantur. Sed hoc pati non poſſumus, & perire artem putamus, niſi appareat: cum deſinat ars eſſe, ſi apparet. Pendemus ex laude, atque hanc laboris noſtri ducimus ſummam. Ita quæ circunſtantibus oſtentare volumus, [7] judicibus prodimus. Eſt

1 *Temulento ſopore profligatum.*] Adi Jan. Gebhard. Crepund. lib. 3. cap. 19. pag. 153. &c. Et ejuſdem Animadverſ. in Tibull. lib. 1. Eleg. 2. ℣. 2. & Barthii Adverſar. lib. 14. cap. 18. pag. 784. &c.

2 *Inclamavit.*] Quaſi *increpabat clamando.* Turneb.

3 *Quarum cum omnium vocem tactumque.*] Vid. Franciſc. Robortell. Emendat. lib. 2. cap. 19. pag. 116. Lamp. Critic. Part. 2. Carol. Sigonium Emendat. cap. 44. pag. 139. Lamp. Critic. part. 2.

4 *Inter manus centurionum.*] Vide Gebhard. Crepund. lib. 2. cap. 15.

5 *Ne illud quidem.*] Non ſolum auctoritas narrationi prodeſt, ſed reliquis etiam partibus. certe Fab. *in genere deliberativo* putat multum ad fidem faciendam poſſe auctoritatem. Idem ante & *de proœmio* dixit. Quæ non tantum vita acquiritur, ſed & genere orationis, hoc eſt, ſi narratio morata eſt cum dignitate. *Idem.*

6 *Effugienda igitur.*] Præcipua fuit oratoribus antiquis cura ut *artificium* & *calliditatem* tegerent, quod tamen Fabii tempore non obſervabant. *Idem.*

7 *Judicibus prodimus.*] Quiſquis enim credit

[1] Est & quædam *repetita narratio*, quæ ἐπιδιήγησις dicitur, sane res *declamatoria* magis quam *forensis*, ideo reperta, ut quia narratio brevis esse debet, fusius & ornatius res posset exponi: quod fit vel invidiæ gratia, vel miserationis. Id rarò faciendum judico, neque sic unquam, ut totus ordo repetatur. licet enim per partes idem consequi. Cæterum qui uti ἐπιδιηγήσει [2] volet, narrationis rem loco stringat, & contentus indicare *quid factum sit, quo sit modo factum*, plenius se loco suo expositurum esse promittat. [3] Initium narrationis quidam utique faciendum à persona putant: eamque, si nostra sit ornandam: si aliena, infamandam statim. Hoc sane frequentissimum est, quia personæ sunt inter quas litigatur. Sed hæ quoque interim cum suis [4] accidentibus ponendæ, cum id profuturum est: ut, [5] *A. Cluentius habitus fuit pater hujusce. Judices, homo non solum municipii Larinatis, ex quo erat, sed etiam regionis illius & vicinitatis, virtute, existimatione, nobilitate facile princeps.* Interim sine his: ut, [6] *Q. Ligarius cum esset.* Frequenter vero & à re: sicut pro Tullio Cicero, *Fundum habet in agro Tigurino M. Tullius paternum.* Demosthenes pto Ctesiphonte, [7] τοῦ γὰρ φωκαϊκοῦ συστάντος πολέμου. [8] De fine narrationis cum his contentio est qui perduci expositio-

credit eum ex arte dicere, quoniam sibi putat strui insidias, ab artifice cavet ab assentiendo: & huc potius intendit animum, ut observet quam ingeniose aut callide dicat, non quam salubriter. *Idem.*

1 *Est & quædam.*] *Repetita narratio est*, cum in ipsa expositione rem breviter perstringimus, quam postea in probatione amplificationis causa aut fidei faciendæ latius explicamus. raro in veris causis contingere solet, interdum tamen fit in *declamationibus*. Idem.

2 *Volet.*] *Nolet.* Pithœus.

3 *Initium narrationis.*] Sulpitius quoque Victor ita inchoandam narrationem putat, ut tamen ponamus initio ὀρθόπτωσιν. id est, *rectum casum.* sic enim Cicero persæpe narrat. *Turneb.*

4 *Accidentibus.*] *Qualitatibus, circunstantiis*, hoc est *vitiis* & *virtutibus*, & ut vulgo loquuntur, *titulis.* Idem.

5 *A. Cluentius.*] Simile pro Roscio Amerino, *Sex Roscius pater hujusce, municeps Amerinus, &c.* Idem. *A. Cluentius.*] Pro Cluentio.

6 *Q. Ligarius.*] Similiter pro Milone, *P. Clodius cum statuisset omni scelere in prætura vexare remp.* Turneb. *Q. Ligarius.*] Pro Ligario.

7 Τοῦ γὰρ φωκαϊκοῦ] Quod sic Romanus Aquila vertit, ubi *de metastasi* agit, *Cum bellum Phocense conflatum esset, & non per me: nondum enim ego ad Remp. accesseram.* Idem. Τοῦ γὰρ φωκικοῦ συστάντος πολέμου.] Rom. Aquila: *Cum bellum Phocense conflatum esset.* Pithœus.

8 *De fine.*] Est utile *narrationem* eo per

positionem volunt eo, unde quæstio oritur. [1] *His rebus ita gestis, P. Dolabella prætor interdixit, ut est consuetudo, de vi hominibus armatis sine ulla exceptione: tantum, ut unde dejecisset, restitueret. restituisse se dixit,* [2] *sponsio facta est. hac de sponsione vobis judicandum est.* Id à petitore semper fieri potest, à defensore non semper.

perducere unde oritur *controversia*, ut intelligant judices qua de re pronunciare debeant. tamen non debet semper fieri. & tum admonendi judices, quid sit in controversia de quo judicaturi sint. hac enim ratione oratio fit lucidior, & judices attendunt diligentius ad id de quo pronunciaturi sint. Quod si quid factum est post id de quo quæstio est, id inter argumenta tractari debet. Ne tamen hanc narrationis legem existimes, ut narrandum non sit ultra id de quo quæstio est, narratio pro *Sex. Roscio* te docebit. *Turneb.*

1 *His rebus ita.*] Ex oratione *Cic. pro Cæcinna.* Idem.

2 *Sponsio facta est.*] Sponsio illa est controversia quæ movetur interjecta stipulatione pecuniæ, quam perdat ille qui judicio vincetur. *Idem.*

Cap. III.

De egressione.

3 Ordine ipso narrationem sequitur *confirmatio.* Probanda sunt enim quæ propter hoc exposuimus. Sed priusquam ingrediar hanc partem, pauca mihi de quorundam opinione dicenda sunt. [1] Plerisque moris est, prolato rerum ordine protinus utique in aliquem lætum ac plausibilem locum quam maxime possint favorabiliter excurrere. [2] Quod quidem natum ab ostentatione declamatoria, jam in forum venit, postquam agere causas non ad utilitatem litigatorum, sed ad patronorum jactationem repertum est. Ne si pressæ illi (qualis sæpius desideratur) narrationis gracilitati con-

Hujus capitis propositio in reprehensione eorum versatur, qui subjungendas perpetuo *narrationi egressiones* sunt arbitrati. Hac autem de causa *egressionem narrationi* subjecit, quia ejus ætate oratores post *narrationem*, *egressionem* factitare solebant. agit autem *de propositione ac partitione ante confirmationem*, quia à nonnullis inter orationis partes numerabantur, quorum opinionem refutavit *lib.* 3. *Turneb.*

1 *Plerisque moris est.*] Vide Casauboni Commentar. ad Persii Sat. 1. p. 122. &c.

2 *Quod quidem.*] *Narratio* minime delectat, *confirmatio* nimia contentione & nimio argumentorum acumine judicem fatigat, qui in medio reficiendus videtur aliqua voluptate egressionis. *Turneb.*

conjuncta argumentorum pugnacitas fuerit, dilatis diutius dicendi voluptatibus oratio refrigescat. In quo vitium illud est, quod sine discrimine caussarum atque utilitatis, hoc, tanquam semper expediat, aut etiam necesse sit, faciunt: eo quod desumptas ex his partibus, quarum alius erat locus, sententias, in hanc congerunt, ut plurima aut iterum dicenda sint, aut quia alieno loco dicta sunt, dici suo non possunt. [1] Ego autem confiteor hoc expatiandi genus non modo narrationi quidem, sed etiam quæstionibus vel universis, vel interim singulis oportune posse subjungi, cum res postulat, aut certe permittit: atque eo vel maxime illustrari ornarique orationem, sed si cohæret & sequitur, [2] non si per vim cuneatur, & quæ natura juncta erant, distrahit. Nihil enim tam est consequens, quam narrationi probatio: nisi si excursus ille, vel quasi finis narrationis, vel quasi initium probationis est. [3] Erit ergo illi nonnunquam locus: ut si expositio circa finem atrox fuerit, prosequamur eam velut erumpente protinus indignatione. Quod tamen ita fieri oportebit, si res dubitationem non habebit: alioqui prius est, [4] quod objicias, verum efficere, quam magnum:

1 *Ego autem.*] Reprehensa superiorum opinione, *egressionis* præcepta aggreditur, quæ non solum narrationi subjicitur, ut illi putabant, sed interdum etiam omnibus quæstionibus simul, interdum singulis seorsum, ut plures sint etiam *egressiones*. Cic. in oratore luminosam & *actuosam* appellat *egressionem*. cujus sententiam in hac sua opinione secutus videtur Fab. Nam si ea loco apto opponatur in oratione quando res postulat, summum adferet nitorem. *Idem.*

2 *Non si per vim.*] Elegans est metaphora, quæ *significat vim interpositionis* quando egressio non sponte sequitur, sed per vim irrumpit. Ut enim cuneus res alioqui contiguas aut etiam continuas distrahit aut dividit, ita digressio si non in loco adhibita, res optime convenientes & quasi consequentes disterminat. *Idem.*

3 *Erit ergo illi nonnunquam.*] Concludit superiorem locum. optima autem est illa egressio, quæ à *narrationis fine* exoritur, atque ita procedit ut confirmationis efficiat principium. nam ita præter ornamentum vinculum esse videtur duarum partium. Hujusmodi nullum exemplum accommodatius est quam illud quod antea citavit Fab. ex orat. *Cic. pro Cluentio*, quando in fine narrationis digreditur per exclamationem insectando Sassiæ libidinem. *Idem.*

4 *Quod objicias, verum.*] Contra artem est, antequam probaris *amplificare*, præsertim ab actoris parte. nam reus antequam se non fecisse probaverit, factum augere potest. Sic enim videbitur incredibile. ut fecit *Cic. pro Roscio.* Idem.

gnum: quia criminis invidia pro reo est priusquam probatur. [1] Difficillima est enim gravissimi cujusque sceleris fides. Idem fieri non inutiliter potest, ut si merita in adversarium aliqua exposueris, in ingratum inveharis: aut si varietatem criminum narratione demonstraveris, quantum ab ea periculum intentetur, ostendas. [2] Verum hæc breviter omnia. Judex enim ordine audito festinat ad probationem, & quamprimum certus esse sententiæ cupit. Præterea cavendum est ne ipsa [3] expositio vanescat, aversis in aliud animis, & inani mora fatigatis. Sed ut non semper est necessaria post narrationem illa procursio, [4] ita frequenter utilis ante quæstionem præparatio, utique si prima specie minus erit favorabilis, si legem [5] asperam tuebimur, [6] aut pœnarias actiones inferemus. Est hic locus velut sequentis exordii, ad conciliandum probationibus nostris judicem. Quod liberius hîc & vehementius fieri potest, quia judici nota jam causa est. His igitur velut [7] fomentis, si quid erit asperum, præmolliemus, quo facilius aures judicum, quæ post dicturi erimus, admittant, ne [8] jus nostrum oderint. [9] *Nihil enim facile persuadetur invitis.* Quo loco tamen judicis quoque noscenda natura est, juri magis [10] an æquo sit appositus: Proinde enim magis aut minus erit hoc necessarium. Cæterum res eadem & post quæstionem perorationis

1 *Difficillime.*] Difficillime credimus gravissimum crimen in quopiam esse. *Idem.*

2 *Verum hæc.*] *De egressionis prolixitate* ita est habendum: si in medio alicujus partis est, brevissime debet perstringi: si inter partes aliquas collocatur, aliquanto prolixior esse potest, ut post docebit. *Idem.*

3 *Expositio.*] Leg. *positio.*

4 *Ita frequenter.*] Rufinianus *procatasceuen* appellat qua, colorem rei turpi, aut favorem rei asperæ præparamus. *Quæstionem* autem hic videtur vocare *confutationem*, in qua accusatoris & defensoris argumenta confligunt. *Turneb.*

5 *Asperam.*] Ut de corpore debitoris dividendo inter creditores. *Idem.*

6 *Aut pœnarias.*] Jurisconsulti quoque ponunt *actiones pecuniarias*, quæ mulctam certæ pecuniæ inferunt: & *pœnales*, quæ supplicium corpori irrogant. *Idem.*

7 *Fomentis.*] Quibus ut medici vulneris dolorem levant. *Idem.*

8 *Jus nostrum.*] Ne nobis sint adversi propter juris rigorem. *Idem.*

9 *Nihil enim facile persuadetur invitis.*] Quæ res per egressionem tractentur.

10 *An æquo sit appositus.*] Appositus est juri, qui verba legis mordicus retinet, & secundum ea judicat. *quod summum*

orationis vice fungitur. Hanc partem παρέκβασιν Græci vocant, Latini *egressum*, vel *egressionem*. Sed hæ sunt plures, ut dixi, quæ per totam caussam varios habent excursus: ut *laus hominum locorumque*, ut *descriptio regionum*, *expositio quarundam rerum* non solum gestarum sed etiam fabulosarum. Quo ex genere est in orationibus [1] contra Verrem compositis *Siciliæ laus*, *Proserpinæ raptus*, pro L. Cornelio *popularis illa virtutum Cn. Pompeii commemoratio*: in quam ille divinus orator, velut nomine ipso ducis cursus dicendi teneretur, abrupto quem inchoaverat sermone, divertit [2] actutum.

Παρέκβασις est (ut mea quidem fert opinio) [3] *alienæ rei*, *sed ad utilitatem caussæ pertinentis*, *extra ordinem excurrens tractatio*. [4] Quapropter non video cur hunc ei potissimum locum assignent, qui rerum ordinem sequitur, non magis quam illud cur hoc ita demum proprium putent, si aliquid in digressu sit exponendum, cum tot modis à recto itinere declinet oratio. Nam quicquid dicitur præter illas quinque quas fecimus partes, *egressio est*, [5] *indignatio*, *miseratio*, *invidia*, *convitium*, *excusatio*, *conciliatio*, *maledictorum refutatio*: similia his quæ non sunt in quæstione, omnis amplificatio, minutio, omne affectus genus: [6] atque ea maxime jucundam, & ornatam faciunt orationem, *de luxuria*, *de avaritia*, *de religione*, *de officiis*: quæ cum sunt argumentis subjecta similium rerum, quia cohærent, egredi non videntur. Sed plurima

mum jus & rigor juris dicitur, quæ est summa injuria interdum. Appositus est æquo, qui naturali interpretatione ac prudentia legis austeritatem mitigat, & legislatoris sententia sequitur. *Turneb.*

1 *Contra Verrem compositis.*] Nam Cic. duas duntaxat orationes *in Verrem* dixit, reliquas vero scripsit, cum respondere non esset ausus Verres sed exulatum iviſſet. *Idem. Contra Verrem.*] Act. 4. & 6.

2 *Actutum.*] Alii *Ac tamen.*

3 *Alienæ rei.*] Significat *digressionem* esse quidem extra rem, ad rem tamen accommodari. *Turneb.*

4 *Quapropter non video.*] Revertitur ad *reprehensionem.* nec enim magis proprius est egressionis locus qui est post narrationem, quam ullus alius: nec in expositione solum fit digrediendo, sed multis aliis modis. *Idem.*

5 *Indignatio, miseratio, &c.*] Congeriem facit ex his quæ subjiciuntur digressioni. *Idem.*

6 *Atque ea.*] Significat etiam locos communes, qui *de virtutibus ac vitiis* dicuntur, orationemque maxime illustrant, in *egressionis* nomen cadere. *Idem.*

plurima sunt quæ rebus nihil secum cohærentibus inseruntur, quibus judex reficitur, admonetur, placatur, rogatur, laudatur. Innumerabilia sunt hæc, quorum alia sic præparata afferimus: quædam ex occasione vel necessitate dicimus, si quid nobis agentibus novi accidit, interpellatio, [1] interventus alicujus tumultus. Unde Ciceroni quoque in procœmio cum [2] diceret pro Milone, digredi fuit necesse, ut ipsa oratiuncula qua usus est, patet. Poterit autem paulo longius exire, qui præparat aliquid ante quæstionem, & qui finitæ probationi velut commendationem adjicit. At qui ex media erumpit, cito ad id redire debet, unde divertit.

1 *Interventus alicujus tumultus.*] Ut *Cic. pro Rabirio* perduellionis reo fecit, concitato in concione tumultu. *Idem. Interventus.*] An leg. *intervenientis*? Pithœus.

2 *Diceret pro Milone.*] Nam cum Clodiani sustulissent clamorem, Ciceroni fuit necesse digredi. Hoc autem intelligendum est de ea oratione quam habuit, non quam scripsit. *Turneb.*

Cap. IV.

De propositione.

4 Sunt qui narrationi *propositionem* subjungant tanquam partem judicialis materiæ: cui opinioni respondimus. Mihi autem *propositio* videtur [1] omnis confirmationis initium: quod non modo in ostendenda quæstione principali, sed nonnunquam etiam in singulis argumentis poni solet, maximeque in his quæ [2] ἐπιχειρήματα vocantur. Sed nunc de priore loquimur. [3] Ea non semper necessaria est. Aliquando enim sine propositione quoque aliqua satis manifestum est

Duplex est *propositio*, altera *generalis* & totius causæ, quæ breviter complectitur id quod in controversiam venit, & mox narrationem sequitur, & sæpissime loco etiam narrationis ponitur: altera *specialis*, quæ singulis argumentationibus solet præponi, ut *syllogismis* & *epicherematibus*. Turneb.

1 *Omnis confirmationis initium.*] Quod negat Vossius, quem vide lib. 3. Institut. Orator. cap. 11. p. 365.

2 Ἐπιχειρήματα.] *Epicherêma*, quod *aggressionem* vertit Celsus, Cicero *ratiocinationem*, argumentatio est syllogistica, quæ majore, minore, & conclusione constat. quanquam Cic. plures ejus facit partes. *Turneb.*

3 *Ea non semper.*] Fabius superius docuit, nonnunquam eo perduci *expositionem* unde oritur quæstio. quod cum fit, propositione non est opus. *Idem.*

1 *Adeo*

est quid in quæstione versetur: utique si narratio ibi finem habet, ubi initium quæstio; [1] adeo ut aliquando subjungatur expositioni, quæ solet in argumentis esse [2] summa collectio. [3] *Hæc sicut exposui, ita gesta sunt, judices: insidiator superatus, vi victa vis, vel potius oppressa virtute audacia est.* [4] Sed nonnunquam valde utilis est, præcipue ubi res defendi non potest, de [5] jure quæritur: ut *pro eo qui pecuniam privatam de templo sustulit, sacrilegii agitur, De sacrilegio cognoscitis:* ut judex intelligat id unum esse officii sui, quærere an id quod objicitur, sacrilegium sit. Item in causis obscuris, aut multiplicibus. [6] Nec semper propter hoc solum, ut sit causa lucidior, sed aliquando etiam ut magis moveat. [7] Movet autem, si protinus subtexantur aliqua quæ prosint. *Lex aperte scripta est, ut peregrinus qui murum ascenderit, morte multetur. peregrinum te esse certum est: quin ascenderis murum, non quæritur: quid superest, nisi ut te puniri oporteat?* Hæc enim propositio confessionem adversarii premit: & quodammodo judicandi moram tollit: nec indicat quæstionem, sed adjuvat. Sunt autem [8] *propositiones & simplices*, & *duplices* vel *multiplices*. Quod accidit non uno modo. Nam & plura crimina junguntur: *ut cum* [9] *Socrates accusatus est quod corrum-*

1 *Adeo ut.*] Tantum abest ut propositione sit semper utendum post narrationem, ut plerunque epilogis utamur, & quadam conclusione quæ propositioni contraria est. *Idem.*

2 *Summa collectio.*] Ἀνακεφαλαίωσις. Pithœus.

3 *Hæc sicut.*] Pro Milone.

4 *Sed nonnunquam.*] Docuit antea Fabius, cum factum excusari non potest aut negari, sed in sola juris quæstione consistit, aut in finitione, narrandum non esse, sed proponendum: quod & hoc loco asserit. *Idem.*

5 *Jure.*] Al. *fine.* al. *nomine.*

6 *Nec semper.*] Duplex est *usus propositionis*: aliquando enim duntaxat docet de quo quæritur, quæ præcipua hujus causa est, ut causa sit dilucidior, quo clarius cognoscat judex de quo pronunciaturus sit. aliquando vero adhibitis argumentis aut affectibus non solum docet, sed etiam impellit. *Turneb.*

7 *Movet autem.*] *Propositio causæ* nunquam probat, sed probatur semper, *argumentationis* autem *propositio* semper probat. Itaque hoc loco quod primum proponitur argumentationis potius est *propositio* quam *causæ*. Sed tota hæc argumentatio propositionis totius causæ locum habet & probat, ideo, quoniam est *argumentatio*. Idem.

8 *Propositiones simplices.*] Pro numero criminum quæ in causa tractantur. *Idem.*

9 *Socrates.*] Socrates ab *Anyto* & *Melito* accusatus est, quod mala institutione juvenes legibus repugnantes efficeret,

corrumperet juventutem, & novas superstitiones introduceret. Et singula ex pluribus colliguntur: ut *cum legatio male gesta objicitur* [1] *Æschini, quod mentitus sit, quod nihil ex mandatis fecerit, quod moratus sit, quod munera acceperit.* [2] Recusatio quoque plures interim propositiones habet: ut contra petitionem pecuniæ, *Male petis:* [3] procuratori enim tibi esse non licuit: sed neque illi cujus nomine litigas, habere procuratorem: sed neque es hæres ejus à quo accepisse mutuam dicor: nec ipsi debui. [4] Multiplicari hæc in quantumlibet possunt, sed rem ostendisse satis est. Hæ si ponantur singulæ subjectis probationibus, plures sunt propositiones: si conjungantur, [5] in partitionem cadunt. [6] Est & nuda propositio, qualis fere in conjecturalibus: *Cædis ago, furtum objicio.* Est ratione subjecta: ut, *Majestatem minuit Cajus Cornelius: nam* [7] *codicem tribunus plebis ipse pro concione legit.* Præter hæc utimur propositione aut nostra, *ut, Adulterium objicio.* Aut adversarii, *ut, Adulterii mecum agitur.* aut communi, ut, *Inter me & adversarium quæstio est, uter sit* [8] *intestato propior.* Nonnunquam diversas quoque jungimus,

ret, quodque novas religiones induceret, cum dæmonium se habere ferret, ac per canem & per anserem juraret. *Idem.*

1 *Æschini.*] Missus est legatus Æschines ad Philippum regem Macedoniæ de fœdere percutiendo: postea autem accusatus est à Demosthene. Est autem hæc divisio orationis Demosthenis, quam habuit *de male obita legatione.* Idem.

2 *Recusatio.*] Depulsio *criminis* & *actionis.* Idem.

3 *Procuratori.*] *Procurator est*, qui alterius negotia gerit, causasque tuetur. cæterum *procurator* esse non potest ille, qui infamia notatus est. *Idem.*

4 *Multiplicari.*] Quanquam multiplicare possumus propositionum numerum, tamen illas duntaxat *propositiones* ponere debemus quæ *necessariæ sunt* vel ad rei judicationem, vel ad defensionem. *Idem.*

5 *In partitionem cadunt.*] Ex hoc loco atque aliis permultis colligere possumus *propositionem non differre à divisione:* nisi quia *propositio* simplex est, *divisio* autem conjuncta seu multiplex. *Idem.*

6 *Est & nuda.*] *Status conjecturalis* (ut lib. 3. ostendimus) causam non desiderat: hinc fit ut sæpenumero illic nuda sit expositio: at *status juridicialis* causam admittit, eoque fit ut persæpe ejus propositio cum ratione ponatur. *Idem.*

7 *Codicem.*] Nam consuetudo erat ut lex recitaretur à præcone præeunte scriba. Cornelius autem ipse pro concione legem recitavit. Ideoque perduellionis reum factum Cicero defendit. quæ oratio non extat, sed quoddam Asconii in eandem extat fragmentum ex quo hic locus illustratur. *Idem.*

8 *Intestato.*] Nam ex gentilibus & agnatis ille qui propinquior erat, ex lege 12. tabularum intestati hæreditatem obtinebat. *Idem.*

mus, *Ego hoc dico, adversarius hoc.* Habet interim vim propositionis, etiam si per se non est propositio, ut cum exposito rerum ordine subjicimus, *De his cognoscitis.* ut sit hæc commonitio judicis, quo se ad quæstionem acrius intendat, & quodam velut jactu excitatus finem esse narrationis, & initium probationis intelligat: & nobis confirmationem ingredientibus, ipse quoque novum quodammodo audiendi sumat exordium.

CAP. V.

De partitione.

PARtitio est nostrarum aut adversarii propositionum, aut utrarunque ordine [2] collata enumeratio. Hac quidam utendum semper putant, quod ea & fiat caussa lucidior & judex intentior ac docilior, si scierit & de quo dicimus, & de quo dicturi postea sumus. [3] Rursus quidam periculosum id oratori arbitrantur, duabus ex caussis, quod nonnunquam & excidere soleant quæ promisimus, & si qua in partiendo præterierimus, occurrere. Quod quidem nemini accidet, nisi qui plane vel nullo fuerit ingenio, vel ad agendum nihil cogitati præmeditatique [4] detulerit. Alioqui quæ tam manifesta & lucida est ratio, quam rectæ partitionis? Sequitur enim naturam ducem, adeo ut memoriæ id maximum sit auxilium, via dicendi non decedere. [5] Quapropter ne

1 *Partitio.*] *Partitio & specialius* accipitur *& generalius. specialius*, cum causæ capita de quibus dicturi sumus simul proponit: *generalius*, quando significat dispositionem quandam & ordinem per totam orationem sparsum: de qua partitione aget libro 7. *Turnebus.*

2 *Collata.*] Nam si propositiones illæ non congregarentur, sed seorsum adhibitis probationibus ponerentur, non efficerent partitionem, ut dixit antea Fabius, sed propositionem. *Idem.*

3 *Rursus quidam.*] Nonnulli sunt tam exigua memoria ut pollicitorum obliviscantur. quod Cicero notat *in Curione* oratore, qui persæpe tribus promissis quartum addebat, aut tertii obliviscebatur. his hominibus periculosa est *partitio.* Idem.

4 *Detulerit.*] *Attulerit.*

5 *Quapropter ne illorum.*] In hac opinione est Cornificius, nec ab ea Cicero abhorret, qui *tripertita* est usus *divisione* pro Cluentio, pro Muræna, pro Roscio. hanc illi sequuntur rationem, quod major partium multitudo judicis memoriam conturbet. *Idem.*

ne illos quidem probaverim, qui *partitionem* vetant ultra treis propositiones extendere. Quæ sine dubio si nimium sit multiplex, fugiet memoriam judicis, & turbabit intentionem. Hoc tamen numero velut lege non est alliganda, cum possit caussa plures desiderare. Alia sunt magis propter quæ partitione non semper sit utendum. [1] Primum, quia pleraque gratiora sunt, si inventa subito, nec domo allata, sed inter dicendum ex re ipsa nata videantur. Unde illa non injucunda schemata, *Pene excidit mihi:* &, *Fugerat me:* &, *Recte admones.* Propositis enim probationibus, omnis in reliquum gratia novitatis præcerpitur. [2] Interim vero etiam fallendus est judex, & variis artibus subeundus: ut aliud agi, quam quod petimus, putet. Nam est nonnunquam dura propositio, quam judex si providet, [3] non aliter reformidat, quam [4] qui ferrum medici prius quam curetur aspexit. At si re non ante proposita, securum, ac nulla denuntiatione in se conversum, intrarit oratio, efficiet quod promittenti non crederetur. [5] Interim refugienda non modo [6] distinctio quæstionum est, sed omnino tractatio: affectibus perturbandus, & ab intentione auferendus auditor. [7] Non enim solum oratoris est docere, sed plus eloquentia circa movendum valet. Cui rei contraria est maxime tenuis illa & scrupulose in parteis sectæ divisionis diligentia

eo

1 *Primum.*] *Partitio* præmeditationem oratoris judicibus indicat. nec enim fieri potest, nisi causæ partes diligenter consideraverimus. igitur ea nonnunquam est abstinendum. *Idem.*

2 *Interim vero.*] Cum judex est fallendus, *partitio* est *periculosa.* huc pertinent ea quæ scribuntur à Græcis rhetoribus de causis figuratis. *Idem.*

3 *Non aliter reformidat.*] Adi Jan. Gebhard. Crepund. libro 1. capite 15. p. 49.

4 *Qui ferrum medici.*] Hic Fabius *medicum* chirurgum nominat, tametsi *negant medici, chirurgorum artem medicinam.* contra, Cicerone, Celso, cæterisque bonæ notæ auctoribus asserentibus. Porro ex Galeno ferunt veteres aut solo ferro aut victus ratione curare solitos fuisse. *Turneb.*

5 *Interim.*] Huc pertinet illa quæ dicitur ἀπὸ συλλόγου, qua rem ita involvimus & implicamus, ut offusis tenebris deceptoque judice alio transeamus. hac ratione est usus Cicero *pro Cluentio.* Idem.

6 *Distinctio.*] Partitio. *Idem.*

7 *Non enim solum oratoris.*] Cicero item censet *eloquentiam* in affectibus regnare: *partitionem* vero ad docendum plurimum, ad dicendum minime valere. *Idem.*

1 *Velut*

eo tempore, quo cognoscenti judicium conamur auferre. Quid, quod interim quæ per se levia sunt & infirma, turba valent? Ideoque congerenda sunt potius, & [1] velut eruptione pugnandum: quod tamen rarum esse debet, & ex necessitate demum, cum hoc ipsum quod dissimile rationi est, coëgerit ratio. Præter hæc in omni partitione est utique aliquid potentissimum, quod cum audivit judex, cætera tanquam supervacua gravari solet. [2] Itaque si plura vel objicienda sunt, vel diluenda, & utilis & jucunda partitio est: ut quid quaque de re dicturi sumus, ordine appareat. [3] At si unum crimen varie defendemus, supervacua: ut si ita partiamur, *Dicam non talem esse hunc quem tueor, ut in eo credibile videri possit homicidium: dicam occidendi caussam huic non fuisse: dicam hunc eo tempore quo homo occisus est, trans mare fuisse.* Omnia quæ antequam id quod ultimum est, exequeris, inania videri necesse est. Festinat enim judex ad id quod potentissimum est, & velut [4] obligatum promisso patronum, si est patientior, tacitus appellat: si vel occupatus, vel in aliqua potestate, vel etiam sic moribus compositus, cum convitio efflagitat. [5] Itaque non defuerunt qui Ciceronis illam pro Cluentio partitionem improbarent, *qua se dicturum esse promisit primum, neminem majoribus criminibus,*

1 *Velut eruptione.*] *Metaphora* est *ab obsessis ducta*, qui cum oppugnantur ab hostibus, interdum collecta manu & facta impressione hostes adoriuntur. *Idem.*

2 *Itaque si plura.*] Cum *partitio* est facienda, ut existimat Erasmus, intueri oportet quasi causæ columnas & præcipua capita, illaque præponere, reliqua vero omittere: alioqui peccabit *partitio.* igitur cum est rerum varietas, illa semper uti possumus: cum res una, non item. *Idem.*

3 *At si unum crimen.*] Fabius existimat illas omnes *vitiosas* esse *partitiones*, in quibus membrum aliquod ponitur quod efficit ut alia sint supervacua. *Idem.*

4 *Obligatum promisso.*] *Metaphora* est ducta *à creditoribus* qui sæpius debitores obligatos interpellant, ab eisque pecuniam exigunt. *Idem.*

5 *Itaque non defuerunt.*] Nonnulli dupliciter reprehendunt hanc *Ciceronis divisionem*, & quia ultimum membrum superiora efficit supervacua, & quod initio non tam quæstionum quam argumentorum capita enumeret. *Partitio* enim quæ enumerat capita argumentorum, *vitiosa* est: idonea vero quæ enumerat capita quæstionum. Plinius tamen omnia in dicendo tentanda putat, quia alius alio movetur, quo genere excusari Cicero poterit. *Idem.*

nibus, gravioribus teſtibus in judicium vocatum, quam Oppianicum: deinde, præjudicia eſſe facta ab iis ipſis judicibus, à quibus condemnatus ſit: poſtremo, judicium pecunia tentatum non à Cluentio, ſed contra Cluentium: quia ſi probari poſſet quod eſt tertium, nihil neceſſe fuerit dicere priora. Rurſus nemo tam erit aut injuſtus, aut ſtultus, quin eum fateatur optime pro Muræna eſſe partitum, *Intelligo judices treis totius accuſationis partes fuiſſe, & earum unam in reprehenſione vitæ, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus eſſe verſatam.* Nam ſic & oſtendit lucidiſſime cauſſam, & nihil fecit altero ſupervacuam. [1] De illo quoque genere defenſionis plerique dubitant: *Si occidi, recte feci: ſed non occidi:* quo enim prius pertinere, ſi ſequens firmum ſit? hæc invicem obſtare, & utroque utentibus, in neutro haberi fidem. Quod ſane in parte verum eſt, & illo ſequenti (ſi modo indubitabile ſit) ſolo utendum. At ſi quid in eo quod eſt fortius, timebimus, utraque probatione nitemur. Alius enim alio moveri ſolet: & qui factum putavit, juſtum credere poteſt: qui tanquam juſto non movebitur, factum fortaſſe non credet. [2] Ut certa manus uno telo poſſit eſſe contenta, incertæ plura ſpargenda ſunt, ut ſit & fortunæ locus. [3] Egregie vero Cicero *pro Milone inſidiatorem primo Clodium oſtendit:* tum addit ex abundanti, *etiam ſi id non fuiſſet, talem tamen civem cum ſumma virtute interfectoris & gloria necari potuiſſe.* Neque illum tamen ordinem, de quo prius dixi, damnaverim: quia quædam etiamſi ipſa ſunt

1 *De illo quoque genere.*] Genus hoc defenſionis κατ' ἔνστασιν & ἀντιπαραφάσιν vocatur, conjunctaque defenſio videtur eſſe, duorumque ſtatuum, *qualitatis* & *conjecturæ*, atque ideo improbari quod altera alteri officiat, quæ admodum Græcis placet, fitque per *inficiationem* & *obſiſtentiam*, tamen hac in re quo ſit ordine utendum intueri oportet, prior ne *obſiſtentia* an poſterior collocari debeat. *Idem.*

2 *Ut certa manus.*] *A ſimilitudine* probat, ducta *à jaculatoribus*, qui ſi periti ſunt, uno ſtatim telo collineant: ſi imperiti, quanquam non uno, ſaltem pluribus. *Certa* autem *manus*, quæ nunquam aberrat à ſcopo: contra incerta. *Idem.*

3 *Egregie vero.*] Ordo eſt alius quam in ſuperiori partitione. illic enim prior erat *obſiſtentia*, poſterior *inficiatio*: hic vice verſa. *Idem.*

sunt dura, [1] in id tamen valent, ut ea molliant quæ sequuntur. Nec omnino sine ratione est quod vulgo dicitur, [2] *Iniquum petendum, ut æquum feras.* Quod tamen nemo sic accipiat, ut omnia credat audenda. Recte enim Græci præcipiunt, *Non tentanda quæ effici omnino non possunt.* Sed quoties hac, de qua loquor, duplici defensione utemur, id laborandum est, [3] ut in illam partem sequentem fides ex priore ducatur. Potest enim videri qui tuto etiam confessurus fuit, mentiendi caussam in negando non habere. Et illud utique faciendum est, ut quoties suspicabimur à judice aliam probationem desiderari, quam de qua loquimur, promittamus nos plene & statim de eo satis esse facturos: præcipueque si de pudore agitur. [4] Frequenter autem accidit, ut caussa parum verecunda, jure tuta sit: de quo ne inviti judices audiant, & aversi, frequentius sunt admonendi secuturam defensionem probitatis ac dignitatis: expectent paulum, & agi ordine sinant. Quædam interim nos & invitis litigatoribus simulandum est dicere: [5] quod Cicero pro Cluentio facit circa *judiciariam legem.* Nonnunquam quasi interpellemur ab his, subsistere. Sæpe avertenda ad ipsos oratio. Hortandi, ut sinant nos uti nostro consilio. Ita surrepetur animo judicis, & dum sperat probationem pudoris, asperioribus illis minus repugnabit. Quæ cum receperit, etiam verecundiæ defensioni facilior erit. Sic utra-

1 *In id tamen valent.*] Nam qualitas ipsa quæ præcedit aliquanto est asperior, quia rarum est ut facta etiam ipsa tueri possimus. astruit tamen caput sequens. *Idem.*

2 *Iniquum petendum.*] Erasmus putat ductum esse *à mercatoribus*, qui pluris merces suas indicant, ut justum tandem precium ferant. *Idem.*

3 *Ut in illam partem.*] Quando duplici utimur defensione, & primo movemus *qualitatem*, deinde *conjecturam*, ea cautio adhibenda est, ut ex qualitate ducatur fides in conjecturam, hoc est ut confessio qua utimur in qualitate, det fidem negationi qua utimur in conjectura. *Idem.*

4 *Frequenter autem.*] Justa interdum videtur causa, quæ tamen turpis est: ut *si quis in fornice aggressorem interfecerit.* Idem.

5 *Quod Cicero.*] Ex *Sempronia lege de judiciis*, solum accusari poterant illi judiciorum corruptores qui ex senatorio essent ordine, cum ea lege equites non tenerentur. illa lege defendere volebat Cluentium Cicero, Cluentius tamen nolebat: quanquam ea quoque est usus Cicero contra Cluentii voluntatem. *Idem.*

utraque res invicem juvabit, eritque judex circa jus nostrum spe modestiæ attentior, circa modestiam juris probatione proclivior. Sed ut non semper necessaria, aut etiam supervacua partitio est, ita opportune adhibita plurimum orationi lucis & gratiæ confert. Neque enim id solum efficit, ut clariora fiant quæ dicuntur, rebus velut ex turba extractis, & in conspectu judicum positis: sed reficit quoque audientem certo singularum partium fine: [1] non aliter quam facientibus iter, multum detrahunt fatigationis, notata inscriptis lapidibus spatia. Nam & exhausti laboris nosse mensuram voluptati est, & hortatur ad reliqua fortius exequenda, scire quantum supersit. Nihil enim longum videri necesse est, in quo quid ultimum sit, certum est. Nec immerito multum ex diligentia partiendi tulit laudis [2] Quintus Hortensius: cujus tamen divisionem in digitos diductam, nonnunquam Cicero leviter eludit. Nam est certus ejus modus, & evitanda maxime concisa nimium & velut articulosa partitio. [3] Nam & auctoritati plurimum detrahunt multa illa non membra sed frusta: & hujus gloriæ cupidi, quo subtilius & copiosius divisisse videantur, & supervacua assumunt, & quæ natura singularia sunt, secant: nec tam plura faciunt, quam minora: deinde cum fecerunt mille particulas, in eandem incidunt obscuritatem, contra quam partitio inventa est. [4] Divisa & simplex propositio quoties utiliter adhiberi potest, primum esse debet aperta atque lucida, (nam quid sit turpius, quam id esse obscurum ipsum, quod in eum solum adhibetur usum, ne sint cætera obscura?) tum brevis nec ullo supervacuo onerata verbo.

1 *Non aliter quam.*] Miliaria olim lapidibus notabant: unde apud historicos legimus, *ad primum ab urbe lapidem, secundum, tertium.* illic quoque ponebantur Mercurii statuæ, quæ spatia discriminabant, & vias indicabant. *Idem.*

2 *Q. Hortensius.*] Hujus diligentia in partiendo eludit *Cic. Act.* 1. *in Verrem.* item in oratione *pro Quintio.* Idem. *Q. Hortensius.*] In divin. in Q. Cæcilium.

3 *Nam & auctoritati plurimum detrahunt.*] Gebhard. Crepund. lib. 2. cap. 3. pag. 65.

4 *Divisa atque simplex.*] *Partitio debet* esse *brevis, absoluta,* paucas habere debet partes: addit Fabius *perspicuitatem.* Turneb.

1 *Partitio*

verbo. Non enim de quo dicamus, sed de quo dicturi simus, ostendimus. Obtinendum etiam, nequid in ea desit, nequid supersit. Supereſt autem sic fere, cum aut in species partimur, quod in genera partiri sit satis: aut genere posito subjicitur species: ut, *Dicam de virtute, justitia, continentia:* cum justitia atque continentia virtutis sint species. [1] Partitio prima est, quid sit de quo conveniat, quid de quo ambigatur. In eo quod convenit, quid adversarius fateatur, quid nos. In eo de quo ambigitur, quæ dicturi simus, quæ nostræ propositiones, quæ partis adversæ. [2] Turpissimum vero est, non eo ordine exequi, quo quidque proposueris.

1 *Partitio proponit.*] Finis hujusce capitis desumptus est ex libro primo Ciceronis *de Inventione*, est autem hæc altera species partitionis. *Idem.*

2 *Turpissimum vero est, non eo ordine exequi, &c.*] Vide Vossium Institut. Orator. l. 3. c. 4. p. 368.

M. FAB.

M. Fab. Quintiliani de Institutione Oratoria Liber Quintus.

Prologus.

1 Fuerunt, & clari quidem auctores quibus solum videretur oratoris officium, docere. Namque & affectus duplici ratione excludendos putabant: [2] primum, quia vitium esset omnis animi perturbatio: deinde quia judicem à veritate depelli misericordia, vel ira, similibusque, non oporteret, & voluptatem audientium petere, cum vincendi tantum gratia diceretur, non modo agenti supervacuam, sed vix etiam viro dignum arbitrabantur. [3] Plures vero, qui nec ab illis sine dubio partibus rationem orandi summoverent, hoc tamen proprium atque præcipuum crederent opus, sua confirmare, & quæ ex adverso proponerentur, refutare. Utruncunque est (nec enim hoc loco meam interpono sententiam) hic erit liber illorum opinione maxime necessarius, quo toto [4] hæc sola tractantur: quibus sane & ea quæ *de judicialibus caussis* jam dicta sunt, serviunt. Nam neque *proœmii*, neque

Initio docet pernecessariam esse oratoribus *probationem*: quæ in duas diducitur partes, *confirmationem* & *refutationem*, demum ex Aristotelis sententia probationes dividit in *artificiales* & *inartificiales*. Turneb.

1 *Fuerunt & clari.*] Inter quos potissimum est Arist. 1. rhetoric. cum ait, Διαβολὴ γὰρ καὶ ἔλεος, καὶ ὀργὴ, καὶ τὰ τοιαῦτα πάθη τῆς ψυχῆς, οὐ περὶ τοῦ πράγματός ἐστιν, ἀλλὰ πρὸς τὸν δικαστὴν, & cætera quæ seq. de his plura *lib. 6. cap. 1.* Idem.

2 *Primum quia vitium.*] Permulti principes Stoicorum de *rhetorica* scripserunt, ut Zeno & Chrisippus. porro Stoici *affectus animi morbos* existimant, ideoque illos excludunt. *Idem.*

3 *Plures vero.*] Alii tria quidem ponunt *officia*, sed præcipuum existimant *docere*. cui pene opinioni astipulatur Agricola, cum ait orationis esse munus proprium docere, accessiones vero esse *delectare* & *movere*. Idem.

4 *Hæc sola tractantur.*] Confirmandi sua, aliena refutandi ratio. *Pith.*

1 *Ejus-*

neque *narrationis* est alius usus, quam ut judicem præparent: & status nosse, atque ea de quibus supra scripsimus, intueri, supervacuum foret, nisi ad hanc perveniremus. Denique ex quinque quas judicialis materiæ fecimus partibus, quæcunque alia potest aliquando necessaria caussæ non esse: lis nulla est cui probatione opus non sit. [1] Ejus præcepta sic optime divisuri videmur, ut prius in commune quæ ad omnes quæstiones pertinent, ostendamus: deinde quæ in quoque caussæ genere propria sunt, exequamur.

1 *Ejusque præcepta.*] Duplices sunt loci: quidam enim *topici* appellantur, ac *communes* sunt: ab iis enim in quancunque quæstionem probationes duci possunt: alii *proprii* sunt causarum & quæstionum, suntque *particulares*, ac fluunt à superioribus. sic Fab. *lib.* 3. locos generis *deliberativi* & *demonstrativi* est complexus: & *lib.* 7. locos *statuum* exequitur. Eadem divisio est apud *Cic. in Top. & Partit.* in locos *internos* seu *insitos*, & *externos* sive *assumptos*. Turn.

CAP. I.

De probationum divisione.

AC prima quidem illa partitio ab [1] Aristotele tradita consensum fere omnium meruit, alias esse [2] *probationes* quas [3] extra dicendi rationem acciperet orator: alias quas ex caussa traheret ipse, & quodammodo gigneret. Ideoque illas ἄτεχνους, id est *inartificiales*: has ἔντεχνους, id est [4] *artificiales*, 1

1 *Aristotele.*] Rhetoric. 1.

2 *Probationes.*] *Probationes* sunt Aristoteli vel *artificiales* vel *inartificiales*. inartificiales autem tractat omnes Fab. Cæterum cum Arist. divisisset *artificiales in ethicas*, *logicas*, *& patheticas*, tantum de logicis hoc libro Fab. agit, reliquas autem persequetur libro sexto, cum aget de *conclusione*. Idem Cic. 2. *de Orat.* Ad probandum autem duplex est oratori subjecta materies: una rerum earum quæ non excogitantur ab oratore, sed in re proposita, ratione tractantur, ut *tabulæ*, *testimonia*, *pacta*, *conventa*, *quæstiones*, *leges*, *senatusconsulta*, *res judicatæ*, *decreta*, *responsa*, & reliquæ si quæ sint quæ non ab oratore pariuntur, sed ad oratorem à causa atque à reis differuntur. Altera est, quæ tota in *disputatione* & *argumentatione* oratoris collocata est, &c. quæ seq. Idem & in *Top.* Sed ex his locis in quibus argumenta inclusa sunt, alii in eo ipso de quo agitur, hærent: alii assumuntur extrinsecus. *Turneb.*

3 *Extra dicendi rationem.*] Id est, extra artem. vide initium cap. 8. quæ non inveniuntur ab Oratore, sed ad eum cum ipsa causa deferuntur. *Pith.*

4 *Artificiales.*] *Artificialis probatio* & inventionem & tractationem habet artificialem, *inartificialis* vero inventionem quidem habet inartificialem, cæterum tractationem artificiosam. igitur hæc

tificiales, vocaverunt. Ex illo priore genere sunt *præjudicia, rumores, tormenta, tabulæ, jusjurandum, testes:* in quibus [1] pars maxima contentionum forensium consistit. [2] Sed ut ipsa per se carent arte, ita summis eloquentiæ viribus [3] allevanda sunt plerunque, & refellenda. Quare mihi videntur magnopere damnandi, qui totum hoc genus à præceptis removerunt. [4] Nec tamen in animo est, omnia quæ aut pro his aut contra dici solent, complecti. Non enim communes locos tradere destinamus, quod esset operis infiniti, sed [5] viam quandam atque rationem. Quibus demonstratis, non modo in exequendo suas quisque vires debet adhibere, sed etiam inveniendo similia, ut quæque conditio litium poscet. Neque enim de omnibus caussis dicere quisquam potest, saltem præteritis, ut taceam de futuris.

hæc divisio ad *inventionem* referri debet. Has Græci, ut Aristot. & Dionys. ἀτέχνους καὶ ἐντέχνους πίστεις vocant. Cic. in Top. *artis expertes.* alibi *artificiosas* & *inartificiosas.* Rodolphus *pronunciata* videtur appellasse. *Turneb.*

1 *Pars maxima.*] *Firmiores* sunt *probationes inartificiales artificialibus*, ideoque in causas forenses fere semper trahuntur, præsertim *conjecturales*, quæ maxime hac probatione fulciuntur. *Idem.*

2 *Sed ut ipsa carent arte.*] Id quod Aristotel. Cic. & Fabius tradiderunt, ab arte removentes: quod Rodolpho minus placet, in eoque mire se torquet, cum tamen, si diligenter animadvertamus eorum verba, eadem cum Rodolpho præcipiant. Ejus verba sunt *lib.* 1. *cap.* 24. Idem.

3 *Allevanda.*] *Elevanda.*

4 *Nec tamen.*] Rhetores appellare solent tractationem locorum inartificialium *locos communes*, ut ea quæ dicuntur pro testibus & contra testes. Porro sigillatim persequi illos *locos communes*, nullius esset methodi. duntaxat igitur universales horum præceptiones tradit Fabius. *Turneb.*

5 *Viam ac rationem.*] *Loci communes* nunc accipiuntur pro illis formulis quæ dicuntur de virtutibus & vitiis, nunc accipiuntur pro tractatione locorum inartificialium, ut hoc loco. *Idem.*

Cap.

CAP. II.

De [1] *præjudiciis.*

JAm [2] *præjudiciorum* vis omnis [3] tribus in generibus versa- 2.
tur: *Rebus*, quæ aliquando ex paribus caussis sunt judicatæ, [4] quæ *exempla* rectius dicuntur: ut *de rescissis patrum testamentis*, [5] *vel contra filios confirmatis*: *Judiciis* ad ipsam caussam pertinentibus, unde etiam nomen ductum est, qualia [6] *in Oppianicum* facta dicuntur, [7] & à senatu [8] *adversus Milonem*: Aut cum de eadem caussa pronuntiatum est, ut [9] *in reis deportatis*, & [10] assertione secunda, [11] *& partibus centumviralium*,

1 *Præjudiciis.*] Præjudicia qua ratione confirmentur aut refellantur.

2 *Præjudiciorum.*] *Præjudicium* est res quæ cum statuta fuerit, affert judicaturis exemplum quod sequi debeant. dicitur etiam *præjudicatio* & *præjudicatum*. Primum autem ejus significationes enumerat, deinde locos confirmationis & confutationis subjicit. *Turn.*

3 *In tribus generibus.*] Unde Erasmus *lib. 2. Eccles. Præjudicia*, inquit, sunt, ab aliis judicibus in simili causa, aut in pari, aut in eadem pronunciata, quibus continentur senatusconsulta & principum decreta. *Idem.*

4 *Quæ exempla dicuntur.*] Quæ sunt de re simili, *majore*, *minore* vel *æquali*, ut post videbimus. hic videmus summam affinitatem esse inter *præjudicia* & *exempla*. unum interim pro altero accipiatur, tametsi *præjudicium* sit probatio inartificiosa, *exemplum* artificiosa. *Idem. Exempla.*] Vide Valer. lib. 7. cap. 7. & 8. pro Cluent.

5 *Adversus Milonem.*] Cic. pro Mil.

6 *Vel contra filios.*] Hac de re duo sunt tituli apud Valerium Maximum *lib.* 7. huc etiam pertinet quod dicitur à Jurisconsultis de *testamento inofficioso*, & *de testamento irrito*, quæ Fabius hic *rescissa* vocat: quæ Prætores sæpe annihilabant, cum videbant filios à patre injuste exhæredatos. *Turneb.*

7 *In Oppianicum.*] Secunda hæc vera est *præjudiciorum* acceptio, ut in causa *Oppianici*, antea veneficii condemnatus fuerat Scamander, postea Fabritius: ex quibus jure *Oppianicum* damnatum colligebatur. *Idem.*

8 *A senatu adversus.*] Senatus enim judicaverat, eædem quæ facta esset in via Appia, contra Rempub. videri: hinc adversarii condemnatum cædis Milonem causabantur. *Idem.*

9 *In reis deportandis.*] Relegatio est, cum certo loco interdicitur: *deportatio* cum aliquis in certum locum relegatur, ut in insulam. Porro, ut testatur Ulpianus, *de causa deportandorum* iterum apud judicem potest agi, ac si restituantur, pristinum adipiscuntur honoris gradum. *Idem.*

10 *Assertione secunda.*] *Assertio* judicium est de alicujus libertate constitutum, appellaturque *causa liberalis*: si igitur de liberali causa jam pronunciatum sit, & facta provocatione, aut alia judicum subsortitione, iterum de causa disceptetur, locus erit præjudicio. quanquam hunc locum aliter Cælius interpretatur. Meminit Fabius *lib.* 11. Succurret, etiam si apud alios judices agetur: ut in secunda assertione, aut in centumviralibus, judiciis duplicibus. *Idem.*

11 *Partibus centumviralium.*] Vide Vitellii Annotationes in Merulam, c. 21.

viralium, quæ in duas [1] haſtas diviſæ ſunt. Confirmantur præcipue duobus: *auctoritate* eorum qui pronuntiaverunt, & *ſimilitudine* rerum de quibus quæritur. Refelluntur autem rāro per contumeliam judicum, niſi forte manifeſta in his culpa erit. Vult enim cognoſcentium quiſque firmam eſſe alterius ſententiam: & ipſe pronuntiaturus non libenter exemplum quod in ſe fortaſſe recidat, facit. [2] Confugiendum ergo eſt in duobus ſuperioribus, ſi res feret, ad aliquam [3] diſſimilitudinem cauſſæ. Vix autem ulla eſt per omnia alteri ſimilis. Si id non continget, ac eadem cauſſa erit: aut actorum incuſanda negligentia, aut de infirmitate perſonarum querendum, contra quas erit judicatum: aut de gratia quæ teſtes corruperit, aut de invidia, aut de ignorantia: aut inveniendum quod cauſſæ poſtea acceſſerit. Quorum ſi nihil erit, licet tamen dicere multas judiciorum cauſſas ad inique pronuntiandum valere: ideoque [4] *damnatum Rutilium*, *abſolutos Clodium atque* [5] *Catilinam*. [6] Rogandi etiam judices, ut rem potius intueantur ipſam, quam jujejurando [7] alieno ſuum donent. Adverſus conſulta autem ſenatus, & de-

Et partibus centumviralium.] Vid. Corn. Witell. adverſus Georg. Merulam cap. 2. p. 619. Lamp. Critic. part. 1. Pet. Pithæi Adverſar. lib. 2. cap. 19. pag. 803. Lamp. Critic. part. 2. Franc. Polleti Hiſtor. Fori Rom. libro 3. capite 14. p. 292.

1 *Haſtas.*] *Centumviri poſitis duabus haſtis* de cauſis cognoſcebant, erantque in duas partes diviſi, poſtea etiam in quatuor baſilicas. in his igitur judiciis & provocationes erant & judicum ſubſortitiones, fuſius de his *Budæus in Pandectas.* Idem.

2 *Confugiendum eſt.*] Cum *præjudicium* eſt in rebus ex paribus cauſis judicatis, aut in judiciis ad cauſam pertinentibus, locus à diſſimili valere poteſt: at cum de eadem cauſa eſt pronunciatum, locum non habet. *Idem.*

3 *Diſſimilitudinem cauſæ.*] Ut quod Moſes cenſuerit mulierem adulteram lapidibus obruendam, de viro nihil tale ſtatuerit, *præjudicium* eſt, in divortio non eſſe par jus uxori ac viro. *Nihil enim tam ſimile eſt, quin aliqua ex parte ſit diſſimile* aut videri poſſit. *Idem.*

4 *Damnatum Rutilium.*] De Rutilii damnatione vide Florum lib. 3. *Rutilium.*] *Rutilius* juſtiſſime Aſiam adminiſtravit: ſed cum publicanorum injurias illic coërcuiſſet, inviſus eſt factus equitibus, penes quos erant judicia, ideoque in exilium miſſus. *Turneb.*

5 *Catilinam.*] Catilina prætor adminiſtravit Africam, poſtea accuſatus repetundarum fuit, ſed optimatum factione abſolutus eſt. *Idem.*

6 *Rogandi judices.*] Ut pro Cluentio Cic. refellendis & amoliendis præjudiciis, *Quamobrem à vobis, judices, antequam de ipſa dicere incipio*, & cætera quæ ſequuntur. *Idem.*

7 *Alieno.*] Eorum ſcilicet qui ex præ-

& decreta principum vel magistratuum, remedium nullum est, nisi aut inventa quantulacunque causſæ differentia, aut aliqua vel eorundem vel [1] ejusdem potestatis hominum posterior constitutio, quæ sit priori contraria: quæ si deerunt, lis non erit.

præjudiciis & temere judicium constituerunt, non penitus re inspecta. *Idem.*

1 *Ejusdem potestatis.*] Quemadmodum *lex posterior derogat priori*, ita quoque posterior constitutio aut posterius senatusconsultum derogat priori. *Idem.*

CAP. III.

De rumore & fama.

FAmam atque *rumores* pars altera consensum civitatis & velut publicum testimonium vocat: altera sermonem sine ullo certo auctore dispersum, cui *malignitas* initium dederit, incrementum *credulitas*: quod nulli non etiam innocentissimo possit accidere fraude inimicorum falsa vulgantium. Exempla utrinque non deerunt. 3

DOcet Cicero in Topicis *famam esse quoddam civitatis testimonium*, itaque esse quasi quædam multitudinis præjudicia: igitur momentum habet ad confirmandum. quid autem dici possit pro ea & contra eam, docet hoc loco Fabius. Quæ si contra pro nobis faciunt, dicemus vix unquam temere nasci, quin subsit aliquid veri, alioqui in ore omnium non posse versari: aut si quo casu falsa nata sint, evanescere protinus. Vera etiam nonnulla auctoritate comprobabimus. *Cæsar dimittit uxorem, non ob crimen, sed quod suspicione adulterii esset aspersa.* Cic. Philip. 2. Plausum trahit in consensum populi libertatem cupientis. Si vero contra nos faciant, dicemus minime tutum esse credere famæ populari, quæ ut nonnunquam vera dispergat, sæpissime tamen mentiatur. eamque primum ex loquutulei alicujus aut invidi fabula nasci, ei incrementum addere vulgi credulitatem: qua plurimos misere circumactos fuisse constet innocentissimos. Igitur instabilitatem auctoritate non esse amplectendam confirmabimus, & optima paucis semper placuisse. *Turneb.*

CAP. IV.

De tormentis.

SIcut *in tormentis* quoque, qui est locus frequentissimus, cum pars altera quæstionem, vera fatendi necessitatem vocet, 4

TOrmenta appellantur quæ adhibito corporis cruciatu veritatem exprimunt. dicuntur etiam *quæstiones*, quæ doloris vehementia verum inquirant. *Turn.*

vocet, altera sæpe etiam caussam falsa dicendi, [1] quod aliis patientia facile mendacium faciat, aliis infirmitas necessarium. Quid attinet de his plura? Plenæ sunt orationes veterum ac novorum. Quædam tamen in hac parte erunt propria cujusque litis. Nam sive [2] de habenda quæstione agetur, plurimum intererit, *quis*, & *quem postulet aut offerat*, & *in quem*, & *ex qua caussa*: sive jam erit habita, *quis ei præfuerit*, *quis & quomodo sit tortus*, an credibilia dixerit an inter se constantia: perseveraverit in eo quod cœperat, an aliquid dolore mutarit: prima parte quæstionis, an procedente cruciatu. Quæ utrinque tam infinita sunt, quam ipsa rerum varietas.

1 *Quod aliis patientia.*] Idem quoque testatur Ulpianus, titulo *de quæstionibus lib.* 48. Citatur & à Fabio periodus proverbialis in hanc sententiam, *Mentietur in tormentis qui dolorem feret, mentietur qui non feret.* Idem.

2 *De habenda quæstione.*] *Habere quæstionem* est inquisitionem per tormenta facere. olim autem servi postulabantur in quæstionem & dabantur. *Idem.*

Cap. V.

De tabulis.

5 Contra *tabulas* quoque sæpe dictum, sæpe dicendum est, cum eas non solum refelli, [1] sed etiam accusari, sciamus esse usitatum. Cum sit autem in his aut *scelus signatorum*, aut *ignorantia*: tutius ac facilius id quod secundo loco diximus, tractatur, quod [2] pauciores rei fiunt. Sed hoc ipsum argumenta ex caussa trahit, si forte aut incredibile est id actum esse quod tabulæ continent: aut (ut frequentius evenit) aliis probationibus æque inartificialibus solvitur: si aut is in quem signatum est, aut aliquis signator dicitur abfuisse vel

Tabularum nomine intelligimus quæcunque scripta & instrumenta, syngraphas, chirographa, & testamenta. habent autem tabulæ maximam vim ad probandum, si legitimæ sunt. *Turneb.*

1 *Sed etiam accusari.*] Nam cum malæ proferuntur *tabulæ*, competit accusatio falsi, & eum qui eas profert ut *falsarium* accusamus. *Idem.*

2 *Pauciores rei fiunt.*] *Tabulæ* olim fiebant adhibitis testibus & signatoribus. itaque jurisconsulti præcipiunt ut tabulæ testamenti fiant adhibitis septem signatoribus. *Idem.*

1 *In-*

vel prius esse defunctus: si tempora non congruunt: si vel antecedentia vel insequentia tabulis repugnant. [1] *Inspectio* ipsa sæpe etiam falsum deprehendit.

1 *Inspectio ipsa.*] Sæpenumero *tabulas inspicere* propius oportet, ut videamus, sitne in illis aliqua litura, sitne summa aliqua falsa, aut postremo aliquid subditicium. *Idem.*

CAP. VI.

De jurejurando.

IUsjurandum litigatores aut offerunt suum, aut [1] non reci- 6
piunt oblatum: aut ab adversario exigunt, aut recusant cum ab ipsis exigatur. Offerre suum sine illa conditione, ut vel adversarius juret, fere improbum est. Qui tamen id faciet, aut vita se tuebitur, ut eum non sit credibile pejeraturum: aut ipsa vi religionis: in qua plus fidei consequetur, si id egerit, ut non cupide ad hoc descendere, sed ne hoc quidem recusare videatur: [2] aut si caussa modo patietur litis, propter quam devoturus se ipse non fuerit: aut si præter alia caussæ instrumenta adjicit ex abundanti hanc quoque conscientiæ suæ fiduciam. Qui non recipiet conditionem, à multis contemni jurisjurandi metum dicet: [3] cum etiam philosophi quidam sint reperti, [4] *qui deos habere curam rerum humanarum negarent*: eum vero qui nullo offerente jurare sit paratus, & ipsum velle de caussa sua pronuntiare: & quam id quod offert, leve ac facile credat, ostendere. At is qui defert, agere modeste videtur cum litis adversarium judicem

IUrisjurandi magna est religio, ut ajunt jurisconsulti, utilisque ad decidendas causas, quarum alioqui prolixius foret judicium: sed ita demum auctoritatem habet, si ab adversario deferatur, aut à judice. *Turneb.*

1 *Non recipiunt.*] Non respuunt.

2 *Aut si caussa.*] Poterit etiam suum offerre *jurjurandum* si caussa erit exigua & vilis: non enim credibile videbitur ipsum sibi imprecaturum ob rem tam exiguam. Porro qui jurabant olim sibi devotionem imprecabantur si pejerarent, ut *in fœderibus conjurabant Jovem lapidem.* Idem.

3 *Cum & philosophi.*] Hæc sententia est *Epicureorum, qui mundum providentiæ regi negant*, quæ sententia tollit jurisjurandi religionem sublato metu deorum. *Idem.*

4 *Qui deos habere curam rerum.*] Cic. de natura deorum 1.

[1] judicem faciat, & eum cujus cognitio est, onere liberet, qui profecto alieno jurejurando stari quam suo malit. Quo difficilior recusatio est, nisi forte res est ea, quam credibile sit notam ipsi non esse. Quæ excusatio si deerit, hoc unum relinquetur, ut invidiam sibi quæri ab adversario dicat, atque id agi, ut in caussa in qua vincere non possit, quæri possit. Itaque hominem quidem malum occupaturum hanc conditionem fuisse, se autem probare malle quæ affirmet, quam dubium cuiquam relinquere an pejerarit. Sed nobis adolescentibus seniores, [2] in agendo facti præcipere solebant, *ne unquam jusjurandum deferremus*: sicut neque [3] optio judicis adversario esset permittenda: nec ex advocatis partis adversæ judex eligendus. Nam si dicere contraria turpe advocato videretur, certe turpius habendum, facere quod noceat.

1 *Judicem.*] Nam *jusjurandum* litem decidit, nisi forte velis perjurium probare. *Turneb.*

2 *In agendo facti.*] In actionibus exercitati. *Pith.*

3 *Optio.*] In judicum sortitione adversarii *voluntatem* & *optionem* sequi non oportet, nec in arbitrio compromissario eligendo. *Turneb. Optio judicis.*] Eligi scil. judex à litigatoribus solebat. *Pith.*

Cap. VII.

De testibus.

7 Maximus tamen patronis circa [1] *testimonia* sudor est. Ea dicuntur aut *per tabulas*, aut *à præsentibus*. Simplicior *contra tabulas* pugna. Nam & minus obstitisse videtur pudor inter paucos signatores, [2] & pro diffidentia premitur absentia. Si reprehensionem non capit ipsa persona, infamare signatores licet. Tacita præterea quadam significatione refragatur his omnibus, quod nemo *per tabulas* dat testimo-

1 *Testimonia* multum prosunt in causis, quæ fiunt vel *voce* vel *scripto*. cæterum quæ voce & à præsentibus, magni sunt momenti: quæ per *tabulas* & *scripta* ab absentibus, facilius solvuntur: jurisconsulti *testes* usurpant de præsentibus: *testimonia* de absentibus. *Turnebus.*

2 *Et pro diffidentia.*] Qui absens *testimonium* dicebat, tabulas conficiebat præsentibus signatoribus, in quibus suum testimonium perscribebat. *Idem.*

1 *Sua*

ſtimonium niſi [1] ſua voluntate: quo ipſo non eſſe amicum ei ſe contra quem dicit, fatetur. Neque tamen protinus ceſſerit orator, quo minus & amicus pro amico, & inimicus contra inimicum poſſit verum (ſi integra ſit ei fides) dicere. Sed late locus uterque tractatur. [2] Cum præſentibus vero ingens dimicatio eſt, ideoque velut duplici contra eos, proque his acie confligitur, *actionum*, & *interrogationum*. [3] *In actionibus* primum generaliter *pro teſtibus*, atque *in teſtes* dici ſolet. Eſt hic communis locus, cum pars altera nullam firmiorem probationem eſſe contendit, quam quæ ſit hominum ſcientia nixa: altera ad detrahendam illis fidem, omnia per quæ fieri ſoleant falſa teſtimonia, enumerat. [4] Sequens ratio eſt, cum ſpecialiter quidem, ſed tamen multos pariter invadere patroni ſolent. [5] Nam & gentium ſimul univerſarum elevata teſtimonia ab oratoribus ſcimus, & tota genera teſtimoniorum: ut [6] *de auditionibus*: non enim ipſos eſſe teſtes, ſed injuratorum afferre voces. ut *in cauſis repetundarum*, qui ſe reo numeraſſe pecunias jurant, litigatorum non teſtium habendos loco. Interim adverſus ſingulos dirigitur actio: quod inſectationis genus & permiſtum defenſioni legimus in orationibus plurimis, & ſeparatim editum, ſicut *in Vatinium teſtem*. [7] Totum igitur excutiamus locum, quando univerſam inſtitutionem aggreſſi ſumus. [8] Sufficiebant

1 *Sua voluntate.*] Nam aliis teſtibus ſolet perſæpe *denuntiari teſtimonium & dies dici*: at qui teſtantur per tabulas, voluntarii ſunt teſtes. *Idem.*

2 *Cum præſentibus.*] *Præſentes teſtes* difficilius oppugnantur, dupliciter tamen refutantur. aut enim adverſus eos utimur oratione perpetua, aut in altercatione eos interrogamus, diligenterque excutimus quid ab illis dicatur. *Idem.*

3 *In actionibus.*] Cum utimur oratione perpetua, dupliciter *pro teſtibus & contra teſtes* dicimus, primum *generaliter* per quæſtionem infinitam citra perſonarum circumſcriptionem, deinde *ſpecialiter* additis perſonarum circumſtantiis. *Idem.*

4 *Sequens ratio.*] Sic Cic. *pro Fonteio* Gallorum elevat teſtimonia, *pro Flacco* Græcorum Aſianorumque, atque ita pariter multos invadit. *Idem.*

5 *Nam & gentium.*] *Teſtes* ſunt quidam qui negotio interfuerunt gerendo: nonnulli ſunt qui quod ab aliis audiverunt, pro teſtimonio dicunt, quorum auctoritas eſt infirmior. unde vulgatum eſt iſtud, *Pluris eſt oculatus teſtis unus quam auriti decem.* Idem.

6 *De auditionibus.*] Cic. pro Flacco.

7 *Totum igitur excutiamus.*] Turpe enim eſſet aliquid prætermiſiſſe. *Pith.*

8 *Sufficiebat alioqui.*] Domitius Afer

bant alioqui libri duo *à Domitio Afro* in hanc rem compositi, quem adolescentulus senem colui: ut non lecta mihi tantum ea, sed pleraque ex ipso sint cognita. Is verissime præcepit, primum esse in hac parte officium oratoris, ut totam caussam familiariter norit: quod sine dubio ad omnia pertinet. [1] Id quomodo contingat explicabimus, quum ad destimatum huic parti locum venerimus. Ea res suggeret materiam interrogationi, & veluti tela ad manum subministrabit. Eadem docebit, ad quæ judicis animus actione sit præparandus. [2] Debet enim vel fieri, vel detrahi testibus fides oratione perpetua: quia sic quisque dictis movetur, ut est ad credendum vel non credendum ante formatus. [3] Et quoniam duo genera sunt testium, aut *voluntariorum*, aut *eorum quibus judex in publicis judiciis lege denuntiari solet*: quorum altero [4] utraque pars utitur, alterum accusatoribus tantum concessum est: separemus officium dantis testes, & refellentis. Qui *voluntarium* producit, scire quid is dicturus sit, potest: ideoque faciliorem videtur in rogando habere rationem. Sed hæc quoque pars acumen & vigilantiam poscit: providendumque, ne *timidus*, ne *inconstans*, ne *impru-*

celebris Orator, cujus meminit Fab. *lib.* 10. duos scripserat libros *de confirmandis & refellendis testimoniis*. cæterum colligere licet ex hoc loco deceptum fuisse divum Hieronymum, qui scribit Quintilianum ex Hispania adductum fuisse à Galba Romam, ut rhetoricam doceret. nam *Quintilianus* Romanus fuit, testante etiam Martiale. at deceptus fuit appellatione. alius enim fuit *Quintilianus* hujus pater. *Turneb.*

1 *Id quomodo.*] Fab. lib. 12. cap. 9. fusissime explicat quomodo *orator causam nosse debeat*. Idem.

2 *Debet etiam.*] Etiam antequam ad *interrogationem* veniamus, quædam in oratione nostra præparare debebimus, quibus fides quadantenus detrahatur testibus. ita enim facilius judici persuadebitur. *Idem.*

3 *Et quoniam duo.*] *Denuntiare testimonium* est testi diem dicere qua compareat ad judicium ut testimonium dicat. Fiebat autem *denuntiatio* duntaxat, ut innuit Fabius, in publicis judiciis, quo modo hominibus privatis cavebatur & re familiari occupatis, ne passim *denunciato testimonio* inquietarentur. *Idem.*

4 *Utraque pars.*] Plinius *Cæcilius l.* 6. epistolarum ait olim accusatori potestatem fuisse in publicis judiciis quærendi, testibusque denunciandi, atque Licinium petendum censuisse à Coss. ut referrent, an placeret in futurum adjici, ut sicut accusatoribus, ita reis quoque idem liceret. quod quidem facere videtur ad hujus loci interpretationem. *Idem.*

1 *Turban-*

imprudens testis sit. [1] Turbantur enim, & à patronis diversæ partis [2] inducuntur in laqueum: & plus deprehensi nocent, quam firmi & interriti profuissent. Multum igitur domi ante versandi; ac variis percontationibus, quales haberi ab adversario possunt, explorandi sunt. Sic fit ut aut constent sibi, aut siquid [3] titubaverint, oportuna rursus ejus à quo producti sunt, interrogatione velut [4] in gradum reponantur. [5] In his quoque adhuc qui constiterint sibi, vitandæ sunt insidiæ. nam frequenter subjici ab adversario solent, & omnia profutura polliciti, diversa respondent, & auctoritatem habent non arguentium illa, sed confitentium. Explorandum igitur quas causas lædendi adversarium afferant: nec id sat est [6] inimicos fuisse, sed an desierint, an per hoc ipsum reconciliari velint: ne [7] corrupti sint: ne pœnitentia propositum mutaverint. Quod cum in iis quoque, qui ea quæ dicturi videntur, re vera sciunt, necessarium est præcavere: tum multo magis in iis qui se dicturos quæ falsa sunt, pollicentur. Nam & frequentior eorum pœnitentia est, & promissum suspectius: & si perseveraverint, [8] reprehensio facilior. Eorum vero quibus denuntiatur, pars testium

1 *Turbantur enim, & à patronis.*] Vide Gebhard. Crepund. lib. 3. cap. 5. pag. 113. &c.

2 *Inducuntur in laqueum.*] *Metaphora est ducta à feris*, quas sensim venatores solent in casses & retia inducere, quod idem facit patronus cum interrogatiunculis & quibusdam inductionibus tandem fallit testem. *Turneb.*

3 *Titubaverint.*] Sic pro Flacco Cic. *Si vero titubaverint, quo revertantur non habebunt, &c.* quæ seq. *Idem.*

4 *In gradum.*] *Metaphora* est ducta ab illis qui supplantati sunt, aut à colluctatore dejecti, qui opportuno alicujus auxilio eriguntur. *Eras. Chil.* Idem.

5 *In his quoque.*] Vitandi sunt etiam atque etiam subjecti testes & subornati qui adversarii fraude pollicentur se dicturos testimonium pro te, cum tamen in ipsis judiciis contra se sint dicturi. *Idem.*

6 *Inimicos fuisse.*] Inimico testi olim creditum. *Pith.*

7 *Corrupti sint.*] *Corruptelam* in teste summopere *vitare decet*: & alioqui qui corrupti sunt, ex lege Julia à testimonio dicendo arcentur. Hunc locum quoque pro Flacco eleganter Cic. tractavit. Ut eos exire nolebant, testimonii denunciatione terreret, qui domi stare non poterant, largo & liberali viatico commoveret. sic adolescens ingenii plenus, locupletes metu, tenues præmio, stultos errore promovit, &c. quæ seq. *Turnebus.*

8 *Reprehensio facilior.*] Alii codices habent, *deprehensio facilior*, quemadmodum antea dixit *testem deprehensum.* Idem.

testium est quæ reum lædere velit, pars quæ nolit. [1] Idque interim scit accusator, interim nescit. fingamus in præsentia scire. in utroque enim genere summis artibus interrogantis opus est. Nam si habet testem cupidum lædendi, cavere debet hoc ipsum, ne cupiditas ejus appareat: nec statim de eo quod in judicium venit, rogare, sed aliquo circuitu ad id pervenire, ut illi quod maxime dicere voluit, videatur expressum. [2] Nec nimium instare interrogationi, ne omnia respondendo testis fidem suam minuat: sed in tantum evocare eum, quantum sumere ex uno satis sit. At in eo qui verum invitus dicturus est, prima felicitas interrogantis est extorquere quod is noluerit. [3] Hoc non alio modo fieri potest, quam longius interrogatione repetita. Respondebit enim quæ nocere causæ non arbitrabitur: ex pluribus deinde quæ confessus erit, eo perducetur, ut quod dicere non vult, negare non possit. Nam ut in oratione sparsa plerunque colligimus argumenta, quæ per se nihil reum [4] aggravare videantur, congregatione deinde eorum factum convincimus: ita hujusmodi testis multa *de anteactis*, multa de *insecutis*, *loco*, *tempore*, *persona*, cæteris, est interrogandus, ut in aliquod responsum incidat, post quod illi vel fateri quæ volumus necesse sit, vel iis quæ jam dixerit, repugnare. Id si non contingit, reliquum erit ut eum nolle dicere manifestum sit: [5] protrahendusque, ut in aliquo quod vel extra causam sit, deprehendatur. Tenendus etiam diutius,

1 *Idque interim.*] Nam testibus illis denuntiatur à judice testimonium, atque inde fit ut plerunque accusator ignoret qui pro reo dicturi sint, aut contra reum. *Idem.*

2 *Nec nimium instare.*] Si testis cupidus erit lædendi, non tamen ab eo petemus omnia quæ posita sunt in controversia, sed quod nobis utile erit ab eo petemus, reliqua ab aliis testibus. *Idem.*

3 *Hoc non alio.*] Opportuna est hoc loco *Socratica inductio*, de qua postea est acturus Fab. Fit autem quibusdam interogatiunculis & concessionibus, quibus demum elicimus quod absurdum est aut contrarium. ea utebatur Socrates adversus Sophistas. *Idem.*

4 *Aggravare.*] Sic quoque præcipiunt rhetores in *argumentorum collocatione & dispositione*, ut infirma argumenta multa simul congerantur. ita enim fiet ut ea quæ momento non pugnant, multitudine valeant. *Idem.*

5 *Protrahendus.*] Protrahitur testis quando interrogationibus extra causam educitur,

tius, ut omnia ac plura quam res desiderat, pro reo dicendo, suspectus judici fiat: quo non minus nocebit, quam si vera in reum dixisset. At si (quod secundo loco diximus) nescit actor quid propositi testis attulerit: paulatim, & (ut dicitur) pedetentim interrogando experietur animum ejus, & ad id responsum quod eliciendum erit per gradus ducet. Sed quia nonnunquam sunt hæ quoque testium artes, ut primo ad voluntatem respondeant, quo majore fide diversa postea dicant: est oratoris, suspectum testem dum prodest, dimittere. [1] Patronorum in parte *expeditior*, in parte *difficilior* interrogatio est. *Difficilior* hoc, quod raro unquam possunt ante judicium scire quid testis dicturus sit. *Expeditior*, quod cum interrogandus est, sciunt quid dixerit. [2] Itaque in eo quod incertum est, cura & inquisitione opus est, quis reum premat, quas & quibus ex caussis inimicitias habeat: eaque in oratione prædicenda atque amolienda sunt, sive odio conflatos testes, sive invidia, sive gratia, sive pecunia videri volumus. [3] Et si deficietur numero pars diversa, *paucitatem*: si abundabit, *conspirationem*: si humiles producet, *utilitatem*: si potentes, *gratiam* oportebit incessere. Plus tamen proderit caussas propter quas reum lædant, exponere: quæ sunt variæ, & pro conditione cujusque litis aut litigatoris. [4] Nam contra illa quæ supra diximus, simili ratione responderi locis communibus solet, quia & in paucis

educitur, diutiusque interrogatur: at tenetur, cum diutius interrogationi insistimus, ut utroque modo illum circumveniamus. *Idem.*

1 *Patronorum in parte.*] Officium patroni in testimoniis modo difficilius est, cum perpetua agit oratione, quia non scit adhuc quid sit dicturus testis: at in interrogatione est facilius, quia jam audivit quid responderit accusatori testis. *Idem.*

2 *Itaque in eo.*] Cum oratione perpetua utitur patronus, studiose debet exquirere qui testes reum sint pressuri, ut illis oratione sua fidem detrahat.

3 *Et si deficietur numero.*] Ajunt *legitimum esse testium numerum, si decem producantur.* si igitur vel plures vel pauciores habuerit accusator, id exagitabimus. *Idem. Et si deficietur.*] Hæc facit Cicer. pro Flac.

4 *Nam contra illa.*] Quid contra illas patroni rationes dici possit ab accusatore, exponit. nam loco utetur communi, qui quidem hac in re ita appellatur, quod multarum sit causarum communis, & alias ab *accusatore*, alias à *defensore* dicitur. *Turneb.*

1 *Qui*

cis atque humilibus accusator *simplicitate* gloriari potest, quod neminem præter eos [1] qui possunt scire, quæsierit: & multos atque honestos commendare aliquanto est facilius. [2] Verum interim & singulos ut exornare, ita destruere contingit, aut recitatis in actione, aut testibus nominatis. [3] Quod iis temporibus, quibus testis non nisi post finitas actiones rogabatur, & facilius & frequentius fuit. Quid autem in quenque testium dicendum sit, sumi nisi ex ipsorum personis non potest. [4] Reliquæ [5] interrogandi sunt partes. Qua in re primum est, *nosse testem.* nam timidus terreri, stultus decipi, iracundus concitari, ambitiosus inflari potest: prudens vero & constans, vel tanquam inimicus & pervicax dimittendus statim, vel non interrogatione, sed brevi interlocutione patroni refutandus est: aut aliquo, si continget, urbane dicto refrigerandus: aut siquid in ejus vitam dici poterit, [6] infamia criminum destruendus. Probos quosdam & verecundos non aspere incessere profuit. nam sæpe qui adversus insectantem pugnassent, modestia mitigantur. Omnis autem interrogatio, *aut in caussa* est, *aut extra caussam. In caussa*, sicut accusatori præcepimus, patronus quoque altius, & unde nihil suspecti sit, repetita percontatione, priora sequentibus applicando, sæpe eo perducit homines, ut invitis quod prosit extorqueat. [7] Ejus rei

1 *Qui possunt.*] Alii, *Quot putarit.*

2 *Verum interim.*] Pro *recitatis*, legendum putem *citatis:* ut sit sensus, aliquando perpetua oratione refutari testem, aut cum eum coram vocamus in conspectum judicum, aut cum duntaxat nominamus, non etiam coram advocamus. Quod si *recitatis testibus* legas, intelligemus recitando testimonia eorum: quod non perinde procedit. *Turn.*

3 *Quod iis temporibus.*] Alii codices habent, *quibus testis non post finitas actiones, ut etiam testis rogaretur primis actionibus.* Alii codices ita, *non modo post finitas actiones:* ut intelligamus olim etiam mediis actionibus interrogatos fuisse testes, cum Fabii tempore duntaxat actionibus finitis testes interrogarentur. *Idem.*

4 *Reliquæ.*] Docuit quo pacto patronus testem refutare deberet *in actione* sua, nunc quo pacto *interrogatione*, quæ fieri solet post actionem, uti debeat, docet. *Idem.*

5 *Interogandæ.*] Legendum est, *interrogandi.* Idem.

6 *Infamiam criminum.*] Ut pro A. Cæcinna Cic. *Venio ad Phormionem, qui non minus niger est quam Phormio Terentianus, qui erat sceleratus.* Idem.

7 *Ejus rei.*] Hanc ait partem non esse petendam à rhetoribus, sed à philosophis,

rei sine dubio nec disciplina ulla in scholis, nec exercitatio traditur: & naturali magis acumine, aut usu contingit hæc virtus. [1] Si quod tamen exemplum ad imitationem demonstrandum sit, solum est quod *ex dialogis Socraticorum*, maximeque *Platonis*, duci potest: in quibus adeo scitæ sunt interrogationes, ut cum plerisque bene respondeatur, res tamen ad id quod volunt efficere, perveniat. Illud fortuna interim præstat, ut aliquid quod inter se parum consentiat, à teste dicatur: interim (quod sæpius evenit) ut testis testi diversa dicat. Acuta autem interrogatio, ad hoc quod casu fieri solet, etiam ratione perducet. Extra caussam quoque multa quæ prosint, rogari solent, de vita testium aliorum, de sua quisque si turpitudo, si humilitas, si amicitia accusatoris: si inimicitiæ cum reo: in quibus aut dicant aliquid quod prosit, aut in mendacio vel cupiditate lædendi deprehendantur. Sed in primis *interrogatio debet esse circunspecta*, quia multa contra patronos venustè testis sæpe respondet, eique præcipue vulgo favetur. Tum verbis quam maxime ex medio sumptis: ut qui rogatur (is autem est sæpius & imperitus) intelligat, aut ne intelligere se neget, quod interrogantis non leve [2] frigus est. Illæ vero pessimæ artes, testem subornatum [3] in subsellia adversarii mittere, ut inde excitatus plus noceat, vel dicendo contra reum, cum quo sederit: vel cum adjuvisse testimonio videbitur, faciendo ex industria multa immodeste atque intemperanter, per quæ non à se tantum dictis detrahat fidem, sed [4] cæteris quoque

phis, præsertim Socraticis. cæterum retulit disciplinam ad eas præceptiones quibus alicujus *rationem* complectimur; *exercitationem* autem ad usum qui secundum disciplinam instituitur. *Idem.*

1 *Si quod tamen exemplum.*] *Socratici philosophi*, ut Plato, Xenophon, Æschines, plurimum sunt usi ea inductione quæ fit per interrogationem, cui non est absimilis *sorites*, id est, acervalis syllogismus Stoicorum. *Idem.*

2 *Frigus.*] Donatus interpretatur *parum adhærens* in Terentio, atque metaphoram esse ductam à picatione vasorum, quibus pix si frigida est non adhæret. Budæus pro *ineptitudine* accipit, & *minime plausibili specie.* Idem.

3 *In subsellia adversarii.*] *Judices* sedebant in tribunalibus, *patroni* in subselliis. rei quoque cum suis patronis & advocatis *dextrum* habebant subsellium, accusatores *sinistrum.* Idem.

4 *Cæteris quoque qui prof. &c.*] Vide Jan. Gebhard. Crepund. l. 1. c. 17. p. 55.

quoque qui profuerant, auferat [1] auctoritatem. Quorum mentionem habui, non ut fierent, sed ut vitarentur. [2] Sæpe inter se collidi solent, inde testatio, hinc testes, locus utrinque. Hæc enim se pars jurejurando, illa consensu signantium tuetur. Sæpe inter testes & argumenta quæsitum est. Inde scientiam in testibus & religionem, ingenia esse in argumentis dicitur: hinc testem gratia, metu, pecunia, ira, odio, amicitia, ambitu fieri argumenta ex natura duci: in his judicem sibi, in illis alii credere. Communia hæc pluribus caussis, multumque jactata sunt, semperque jactabuntur. [3] Aliquando utrinque sunt testes, & quæstio sequitur, ex ipsis, *utri meliores viri,* ex caussis, *utri magis credibilia dixerint.* ex litigatoribus, *utri gratia magis valuerint.* [4] His adjicere siquis volet ea quæ divina testimonia vocantur, ex responsis, oraculis, ominibus, [5] duplicem sciat eorum esse tractatum: *generalem* alterum, in quo inter Stoicos & Epicuri sectam secutos pugna perpetua est, regaturne providentia mundus. *Specialem* alterum, contra parteis divinationis, ut quæque in quæstionem cadit. Aliter enim *oraculorum*, aliter *aruspicum*, *augurum*, *conjectorum*, & *mathematicorum* fides confirmari, aut refelli potest, cum sit rerum earum ratio diversa. [6] Circa ejusmodi quoque instrumenta firmanda,

1 *Auctoritatem.*] Alii *Utilitatem.*

2 *Sæpe inter se.*] Hactenus simplicem *testium confirmationem & refutationem* docuit: nunc ex comparatione. cæterum appellat testationes, testimonia quæ ab absentibus injuratis per tabulas fiunt, cujuscemodi sunt hodie quæ *inquisitiones* vocantur. *Turneb. Sæpe inter se collidi.*] Divus Hadrianus rescripsit se testibus non testimoniis crediturum, aliamque esse auctoritatem præsentium testium, aliam testimoniorum quæ recitari solent. *Pithœus.*

3 *Aliquando utrinque.*] Tertius est *locus communis*, cum utrinque producuntur *testes.* tum autem & à personis & à rebus argumenta ducere oportet ad *confirmationem* & *infirmationem.* Turnebus.

4 *His adjicere.*] Dubitat Fabius debeatne *testimonia divina* testimoniis adjicere, ut fecit Cic. *in Top. & part.* porro Fab. 11. cap. hujus libri *testimonia divina* exemplis annumerat. *Idem.*

5 *Duplicem.*] Bifariam tractantur *testimonia divina: communiter*, ut quum de toto genere quærimus an sint ulla *testimonia divina*, an sit ulla *divinatio*: aut *particulariter*, cum à genere descendimus ad species, *ut fierine possit divinatio per aruspicinam, an non possit.* Idem.

6 *Circa hujusmodi.*] Cic. quoque *in fine Topicorum* vinolentiam, furorem, somnium, pueritiam testimoniis annumerat.

firmanda, vel destruenda, multum habet operis oratio, si quæ sint voces per vinum, somnum, dementiam emissæ, vel excepta parvulorum indicia, quos pars altera nihil fingere, altera nihil judicare dictura est. [1] Nec tantum præstari hoc genus potest, sed etiam ubi non est, desiderari solet: *Pecuniam dedisti, quis numeravit? ubi? unde? Venenum arguis, ubi emi? à quo? quanti? per quem dedi? quo conscio?* Quæ fere omnia pro Cluentio Cicero in crimine veneficii excutit. Hæc *de inartificialibus* quam brevissime potui.

merat. unde mutuatus videtur Fabius. *Idem.*

1 *Nec tantum præstari.*] Hermogenes in *lib. de statibus* hunc locum appellat *probationum ex petitione*, propriumque esse dicit conjecturalium causarum, cum scilicet testes & certiora ab adversario flagitamus judicia. *Idem.*

CAP. VIII.

De probatione artificiali.

PArs altera probationum, quæ est tota *in arte*, constat- 8
que rebus ad faciendam fidem positis, plerunque aut omnino negligitur, aut levissime attingitur ab iis qui argumenta velut horrida & confragosa vitantes, [1] amœnioribus locis desident: neque aliter quam ii qui traduntur à poëtis gustu cujusdam apud [2] Lotophagos graminis, & Sirenum cantu deliniti, voluptatem saluti prætulisse, dum laudis falsam imaginem sequuntur, ipsa, propter quam dicitur, victoria

INitio quosdam reprehendit qui spretis argumentis quibus veluti nervis *causæ* continentur, in locos communes excurrunt, quod vitium erat tempore Fabii frequentissimum. subnectit generalem omnium *probationum divisionem*, postmodum probationis species sigillatim exequitur. *Turneb.*

1 *Locis amœnioribus.*] *Argumenta* desiderant dialecticum acumen, neque tam capacia sunt eloquentiæ. igitur illi locos communes sectantur, qui & genere compositionis & figurarum varietate lasciviunt. *Idem.*

2 *Lotophagos.*] *Lotophagi* populi sunt Africæ, apud quos lotus arbor, quæ *celtis* à Theophrasto dicitur, dulcissimum gerit fructum, adeo ut si quis gustarit, illic perpetuo manere velit. Est etiam *lotus* Theophrasto herba quædam suavissima & esculenta: de qua intellexisse videtur & Homerus *lib. odyss.* & Fabius. Idem testatur & Plinius *lib.* 22. Idem. *Lotophagos graminis.*] Laur. Valla dubitat num legendum sit potius *germinis*, quod loton quidam velint esse cannam saccari quam appellant γλυκυκάλαμον. *Pith.* Homer. Odyss. 9. 12. Plin. l. 7. & 16.

1 *Atqui*

victoria cedunt. [1] Atqui cetera quæ continuo magis orationis tractatu decurrunt, in auxilium atque ornamentum argumentorum comparantur, [2] nerviſque illis quibus cauſſa continetur, adjiciunt ſuperinducti corporis ſpeciem: ut ſi forte quid factum *ira*, vel *metu*, vel *cupiditate* dicatur, latius quæ cujuſque affectus natura ſit, proſequamur. Iiſdem *laudamus*, *incuſamus*, *augemus*, *minuimus*, *deſcribimus*, *deterremus*, *quærimur*, *conſolamur*, *hortamur*. Sed horum eſſe opera in rebus aut certis, aut de quibus tanquam certis loquimur, poteſt. Nec abnuerim eſſe aliquid in *delectatione*, multum vero *in commovendis affectibus*: ſed hæc ipſa plus valent cum ſe didiciſſe judex putat: quod conſequi niſi argumentatione, aliaque omni fide rerum non poſſumus. Quorum priuſquam partior ſpecies, indicandum reor, eſſe quædam in omni probationum genere communia. [3] Nam nec ulla quæſtio eſt, quæ non ſit aut *in re*, aut *in perſona*: nec eſſe argumentorum loci poſſunt, niſi in iis quæ *rebus* aut *perſonis* accidunt: eaque aut per ſe inſpici ſolent, aut [4] ad aliud referri: [5] nec ulla confirmatio, niſi aut *ex antecedentibus*, aut *ex conſequentibus*, aut *ex pugnantibus*: & hæc neceſſe eſt

aut

1 *Atqui cætera.*] Non ſunt illi contenti *argumentorum* momentis, niſi etiam ex ipſis argumentis eruant aliquem locum communem ad argumentorum ornamentum, ut ſi quid dixerint *ira factum*, locum addant communem *de ira*. Turneb.

2 *Nerviſque.*] *Nervos* vocat *argumenta*, tanquam in illis ſit præcipuum auxilium. *Probationes inartificiales* habent cutem & carnem: *artificiales* autem nervos. ſicut caro & cutis veſtit *nervos*, in quibus eſt præcipua corporis fortitudo: ſic *probationes inartificiales* ſeu loci communes veſtiunt & ornant argumenta. *Idem.*

3 *Nam nec ulla quæſtio.*] Omnis *probatio* in theſi ducitur *à re* aut *à perſona communi*: in hypotheſi vero *tum à re tum à perſona ſingulari*. Eadem videtur Ariſt. *diviſio*, cum dixit probationes aut *rationales* eſſe, quæ & *negotiales* dicuntur, aut *morales*, aut *patheticas*. Cic. *attributa perſonarum & rerum* vocat. *Idem.*

4 *Aut ad aliud referri.*] Id ex Cic. topicis ſcire poſſumus. nam *argumenta* quæ ducuntur ex toto, ex partibus, per ſe inſpiciuntur: quæ autem ex rebus affectis, ad aliud referuntur. *Idem.*

5 *Nec ulla confirmatio.*] *Antecedentia*, *conſequentia*, *& repugnantia* apud Cic. in Topicis formulæ ſunt argumentationis hypotheticæ: Fabio vero in cap. de argumentis *antecedentia* & *conſequentia* pro adjunctis ſumuntur. Hoc loco generaliter accipit pro *anteceſſione* & *conſecutione rei* & repugnantia: quo pacto Ariſt. quoque ſumpſit cap. 29. libri primi Priorum, cum agit *de inventione medii*. Idem.

1 *Aut*

aut *ex præterito tempore*, aut *ex conjuncto*, aut ex *sequenti* petere. Nec ulla res probari nisi ex alia potest: eaque sit oportet [1] aut *major*, aut *par*, aut *minor*. Argumenta vero reperiuntur aut in quæstionibus, quæ etiam separatæ à complexu rerum personarumque spectari per se possint: aut in ipsa caussa, cum invenitur aliquid in ea non ex communi ratione ductum, sed ejus judicii de quo cognoscitur, proprium. [2] *Probationum* præterea omnium aliæ sunt *necessariæ*, aliæ *credibiles*, aliæ *non repugnantes*. [3] Adhuc, omnium probationum quadruplex ratio est, ut vel quia aliquid est, aliud non sit: ut, *dies est, nox non est.* vel quia est aliquid, & aliud sit: ut, *Sol est super terram, dies est.* vel quia aliquid non est, aliud sit: ut, *nox non est, dies est.* vel quia aliquid non est, nec aliud sit: ut, *non est rationale, nec homo est.* His in universum prædictis partes subjiciam.

1 *Aut major.*] Hoc simpliciter non est intelligendum de loco comparationis, sed generaliter de omni re. argumentamur itaque *à majori*, ut à genere ad speciem: *à pari*, ut à specie ad proprium: *à minori*, ut à specie ad genus. *Idem.*

2 *Probationum præterea.*] Paulo diversius Aristoteles. nam probationes aut necessarias ait, ex quibus fit *demonstratio*: aut probabiles, ex quibus *syllogismus dialecticus*: aut apparentes, ex quibus *syllogismus sophisticus*. Fabius addit *non repugnantes*, quæ adhuc infirmiores sunt credibilibus, ut, *verisimile est eum feciſſe furtum qui in ædibus solus fuerit.* Idem.

3 *Adhuc omnium.*] Hæc divisio pertinet ad *argumentationes hypotheticas*, quæ ex quadruplicibus constant propositionibus, aut duabus affirmativis, aut duabus negativis, aut affirmativa & negativa, aut negativa & affirmativa. Porro solent rhetores multum argumentari *ex conditione*. Idem.

CAP. IX.

De signis.

OMnis igitur probatio artificialis constat aut *signis*, aut 9
argumentis, aut *exemplis*. [1] Nec ignoro plerisque videri *signa* partem argumentorum: quæ mihi separandi ratio hæc

PRobationem artificialem dividit, *signa* ab argumentis distinguit, & eadem dividit: deinde eorum *præceptiones* subjungit. *signum* autem appellant quod sub sensum aliquem cadit, & ex se aliquid demonstrat. *Turneb.*

1 *Nec ignoro.*] Cic. in Topicis *signa* adjunctis subjecit: *adjuncta* autem ad argumenta referuntur. *Idem.*

hæc fuit prima, quod ſunt pene ex illis inartificialibus. *Cruenta* enim *veſtis*, & *clamor*, & *livor*, & talia, *ſunt inſtrumenta*, qualia *tabulæ*, *rumores*, *teſtes*: [1] nec inveniuntur ab oratore, ſed ad eum cum ipſa cauſſa deferuntur. [2] Altera, quod *ſigna* ſive indubitata ſint, non ſunt argumenta: quia ubi illa ſunt, quæſtio non eſt: argumento autem niſi in re controverſa locus eſſe non poteſt: ſive dubia, non ſunt argumenta, [3] ſed ipſa argumentis egent. [4] dividuntur autem in has primas duas ſpecies, quod eorum alia ſunt (ut dixi) quæ *neceſſaria* ſunt, quæ Græci vocant τεκμήρια: alia *non neceſſaria*, quæ σημεῖα. Priora illa ſunt, quæ aliter habere ſe non poſſunt: quæ mihi vix pertinere ad præcepta artis videntur. [5] Nam ubi eſt ſignum inſolubile, ibi ne lis quidem eſt. Id autem accidit, cum quid aut neceſſe eſt fieri, factumve eſſe, aut certe omnino non poteſt fieri, vel eſſe factum: [6] quo in cauſſis poſito, lis non eſt niſi facti. Hoc genus per omnia tempora perpendi ſolet. Nam & *coiſſe eam*

1 *Nec inveniuntur.*] *Signa* minus habent artis inventione, *argumenta* majori conſtant artificio, proinde à ſignis ſeparantur. *Idem.*

2 *Altera quod.*] Multis diſplicet iſta Fabii ratio, & inprimis Rodolpho Agricolæ. nam quanquam *ſigna indubitata* controverſiam tollunt, tamen antequam orator ea propoſuerit judici, de re dubitari poteſt. & alioqui *argumenta* ſunt quædam etiam *neceſſaria*, ut ἀποδείξεις. id eſt, *demonſtrationes*, quæ tollunt omnem quæſtionem. *Idem. Altera quod ſigna ſive indubitata ſint, &c.*] Vide Ger. Voſſium Inſtit. Orator. lib. 1. cap. 3. pag. 21.

3 *Sed ipſa.*] Hæc quoque ratio Fabii non ſatis eſt firma: nam quemadmodum *ſigna veriſimilia* aliis egent argumentis ad confirmationem, ita nonnulla quoque *argumenta* ita per ſe ſunt *infirma*, ut aliorum egeant adjumentis. Vide Rodolphum lib. 1. Sed Fabium removere ab arte, ratione inventionis magis quam tractationis intelligendum eſt, ut ſupra diximus. *Turneb.*

4 *Dividuntur autem.*] Hæc diviſio ex 1. *lib. Rhetor. Ariſt.* eſt ſumpta: quanquam Ariſt. *ſigna non neceſſaria* proprio nomine carere dixit. nam σημεῖον Ariſtoteli generale eſt ad *omnia ſigna*. τούτων δὲ, τὸ μὲν ἀναγκαῖον, τεκμήριον. τὸ δὲ μὴ ἀναγκαῖον, ἀνώνυμόν ἐστιν κατὰ τὴν διαφοράν. τεκμήριον vocat cum Fabio *ſignum neceſſarium*, Cic. *propriam rei notam*, Rodolph. *indicia.* Idem.

5 *Nam ubi eſt, &c.*] Vide cenſuram Agricolæ de hoc loco lib. 1. cap. 22.

6 *Quo in cauſis poſito.*] Legendum videtur, *lis non eſt facti.* nam *ſignum indubitatum*, factum neceſſario probat, ut non ſuperſit conjecturæ locus, cum tamen eſſe poſſit quæſtio juris. quod ſi hanc ſequamur lectionem, ſenſus erit hujuſmodi, ut poſſit aliquando *ſtatus* eſſe *conjecturalis* vel de perſona, quanquam factum indicarit ſignum, vel *de facto*, quanquam ſignum indicarit perſonam. *Turneb.*

1 *Ubi*

eam cum viro, quæ peperit, quod est præteriti: & *fluctus esse, cum magna vis venti in mare incubuit*, quod conjuncti: & *eum mori, cujus cor est vulneratum*, quod futuri, necesse est. Nec fieri potest *ut ibi sit messis*, [1] *ubi satum non est*: ut *quis Romæ sit, cum est Athenis: ut sit ferro vulneratus, qui sine cicatrice est.* [2] Sed quædam & retrorsus idem valent, *ut vivere hominem, qui spirat: & spirare, qui vivit.* Quædam in [3] contrarium non recurrunt. [4] Nec enim *quia movetur qui ingreditur, idcirco etiam ingreditur, qui movetur.* Quare potest *& coisse cum viro, quæ non peperit*: & *non esse ventus in mari*, cum esset fluctus: *nec utique cor ejus vulneratum esse qui perit*: ac similiter *satum fuisse* potest, *ubi non fuit messis: fuisse Romæ, qui fuit Athenis: nec fuisse ferro vulneratum, qui habet cicatricem.* [5] Alia sunt signa non necessaria, quæ εἰκότα Græci vocant: quæ etiamsi ad tollendam dubitationem sola non sufficiunt, tamen adjuncta cæteris, plurimum valent. *Signum* vocant (ut dixi) σημεῖον, quanquam id quidam *indicium*, quidam *vestigium* nominaverunt, per quod alia res intelligitur, ut *per sanguinem cædes.* At quia sanguis vel ex hostia respersisse vestem potest, vel è naribus profluxisse: non utique qui vestem cruentam habuerit, homicidium fecerit. Sed ut per se non sufficit, ita cæteris adjunctum, testimonii loco dicitur, *si inimicus, si minatus ante, si eodem loco fuit*: quibus signum cum accessit, efficit ut quæ suspecta erant, certa videantur. [6] Alioqui sunt

1 *Ubi satum.*] Non solum hæc referri possunt *ad signa*, verum etiam *ad argumenta tum à causis*, tum *ab effectu*, tum *à loco.* ponuntur autem exempla à Fabio *de impossibilibus*, ut antea *de necessariis.* Idem.

2 *Sed quædam.*] In quibusdam argumentamur *à signo ad signatum*, & *à signato* viciſſim *ad signum*, sed id in admodum paucis, quæ *necessaria* sunt, *inseparabilia*, & *exæquata.* Idem.

3 *Contrarium.*] Ἀντιπέπονθε.

4 *Nec enim, quia.*] Non videtur *argumentum* esse *à signo*, sed à specie ad genus. Porro *argumentatio* est mala quæ est *à genere ad speciem* affirmative. *Turneb.*

5 *Alia sunt signa.*] Quædam signa appellantur εἰκῆα, quasi tu dicas *levia* & *vulgaria*, illa à Cic. vocantur *verisimilia*, à Rodolpho *consentanea.* ea sunt hujusmodi uti verisimiliter & credibiliter rem probent, non tamen necessario. quanquam hoc loco quidam εἰκότα legunt, quæ *verisimilia* dicuntur, de quibus Fabius agit capite sequenti. *Idem.*

6 *Alioqui sunt.*] Nonnulla sunt signa quæ ex se ipsis varias res indicant. illis igitur & *actor* & *defensor* pro utilitate causæ suæ in eadem controversia uti potest. *Idem.*

sunt quædam signa utrique parti communia, *ut livores, tumores.* Nam videri possunt & *veneficii*, & *crudelitatis. Et vulnus in pectore*, sua manu, & aliena perisse dicentibus in æquo est. Hæc perinde firma habentur, atque extrinsecus adjuvantur. Eorum autem quæ signa sunt quidem, sed non necessaria, genus [1] Hermagoras putat, *non esse virginem* [2] *Atalantam*, quia cum juvenibus per sylvas vagetur. Quod si receperimus, vereor ne omnia [3] quæ ex facto ducuntur, signa faciamus. Eadem tamen ratione qua signa, tractantur. *Nec mihi videntur Areopagitæ cum damnaverunt puerum coturnicum oculos eruentem, aliud judicasse, quam id signum esse pernicioſissimæ mentis, multisque malo futuræ, si adolevisset.* [4] Unde *Spurii Melii, Marcique Manlii popularitas, signum affectati regni est existimatum.* Sed vereor ne longe nimium nos ducat hæc via. Nam si est signum adulteræ, lavari cum viris, erit & convivere cum adolescentibus, deinde etiam familiariter alicujus amicitia uti: ut fortasse corpus vulsum, fractum incessum, [5] vestem muliebrem, dixerit mollis & parum viri signa, sicui ([6] cum signum id proprie sit, quod ex eo de quo quæritur, natum sub oculos venit) ut sanguis è cæde, ita illa ex impudicitia fluere videantur. Ea quoque quæ quia plerunque observata sunt, vulgo signa creduntur, ut prognostica,

vento

1 *Hermagoras.*] Hermagoras attributa personæ inter signa connumerari voluit. *Pithœus.*

2 *Atalanta.*] *Atalanta* virgo fuit præstantissima venatrix, à Meleagro adamata, & ab eo Calydonii apri capite donata. Hoc *signum* potest vocari *à consuetudine*, quod tamen maxime dubium est, & vix meretur *signi* nomen. non enim sequitur, *virum esse bonum, si cum bonis versetur.* neque Atalantam virginem non esse, quia cum juvenibus vagetur. *Turneb.*

3 *Quæ ex facto.*] Nam ea sola quæ ex facto ducta sub aliquem sensum cadunt, *signa* vocantur. *Idem.*

4 *Unde Spurii.*] In annonæ caritate *Spurius Melius* eques Pop. Romano frumentum est largitus. at *M. Manlius* nexos & obæratos passim solvebat, & ære alieno liberabat. *Idem. Unde Spurii.*] Liv. lib. ab urbe condit. 4. & 5.

5 *Vestem muliebrem.*] Vide Lud. Cresollium Vocat. Autumnal. lib. 3. cap. 29. sect. 2. p. 644.

6 *Cum signum id.*] Cum sint ea proprie *signa* quæ ex aliquo orta sub oculos cadunt, superiora signa non erunt. cum tamen more *signi* ex se ipsis aliquid ostendant, quandam *cum signo* habebunt similitudinem, neque aliquis magnopere peccaverit qui *signa* esse dixerit. *Turn.*

1 *Vento*

[1] *vento rubet aurea Phœbe:*
Et cornix plena pluviam vocat improba voce:
si cauſſas ex qualitate cœli trahunt, ſane ita appellentur. [2] Nam ſi *vento rubet Luna, ſignum venti eſt rubor.* Et ſi, ut idem poëta colligit, denſatus & laxatus aër facit ut ſit inde ille avium concentus, idem ſentiemus. Sunt autem ſigna etiam parva magnorum, ut vel hæc ipſa cornix. *Nam majora minorum eſſe nemo miratur.*

1 *Vento, &c.*] Georg. 1.

2 *Nam ſi vento.*] Fabius exiſtimat *ſigna* illa *prognoſtica*, quorum certa eſt aliqua cauſa, pro ſignis habenda eſſe: nam pleraque ſunt quæ à ruſticis obſervantur non ſtabilia, cum præſertim non pendeant à qualitate aliqua cœli atque ratione: proinde illa pro *ſignis* non habenda. *Turneb.*

CAP. X.

De argumentis.

NUnc *de* [1] *argumentis*. Hoc enim nomine complecti- 10
mur omnia quæ Græci ἐνθυμήματα, ἐπιχειρήματα, ἀποδείξεις vocant: quanquam apud illos eſt aliqua horum nominum differentia, etiam ſi vis eodem fere tendit. Nam *enthymema* (quod nos *commentum* ſane aut *commentationem* interpretamur, quia aliter non poſſumus, Græco melius uſuri) unum intellectum habet, quo [2] omnia mente concepta ſignificat, ſed nunc de eo non loquimur: alterum, quo ſententiam cum ratione: tertium, quo certam quandam argumenti concluſionem, vel ex conſequentibus, vel ex repugnantibus: quanquam de hoc parum convenit. [3] Sunt enim qui

1 *Argumentis.*] *Argumenta* Fabius appellat rationes probationem præſtantes, quibus aliud ex alio probatur. *Argumentis* ſubjicit *enthymema*, *epicherema*, *apodixin*: quanquam revera iſta non tam ſunt *argumenta*, quam *argumentationes*, in ſe ipſis argumenta continentes. *Turneb.*

2 *Omnia mente concepta.*] Idem quoque teſtatur Cic. *in Topicis*, qui ſcribit omnem ſententiam *enthymema* appellari. Hermogenes nomine enthymematis appellat *confirmationem ergaſiæ*, quæ fit à circunſtantiis per comparationem. *Idem.*

3 *Sunt enim qui.*] Ex triplici *enthymematis* ratione, ultima magis propoſito propria eſt. Cic. in hac opinione eſſe videtur *in topicis*. ait enim, illa quæ ex contrariis ſunt concluſa, per excellentiam ſola appellari *enthymemata*, ut Homerus propter excellentiam com-

qui illud prius *epicherema* dicant: pluresque invenias in ea opinione, ut id demum quo pugna constat, *enthymema* accipi velint. Et ideo illud Cornificius [1] *contrarium* appellat: hunc alii [2] *rhetoricum syllogismum*, alii *imperfectum syllogismum* vocaverunt, quia nec distinctis, nec totidem partibus concluderetur: quod sane non utique ab oratore desideratur. [3] *Epicherema* Valgius *aggressionem* vocat; [4] Celsus autem judicat non nostram administrationem, sed ipsam rem quam aggredimur, id est argumentum quo aliquid probaturi sumus, etiam si nondum verbis explanatum, jam tamen mente conceptum, *epicherema* dici. Aliis videtur non destinata, vel inchoata, sed perfecta oratio hoc nomen accipere ultima specie. Ideoque propria ejus appellatio, & maxime in usu posita est, qua significatur certa quædam sententiæ comprehensio, quæ ex tribus partibus constat. [5] Quidam *epicherema*

mune poëtarum nomen effecit apud Græcos suum. Idem Rodolphus ex horum sententia tradit. cæterum Fabius existimat conclusionem quæ est ex consequentibus & repugnantibus, *enthymema* esse, ut docet cap. 14. *Idem.*

1 *Contrarium appellat.*] Cornificius *lib.* 4. *ad Herennium* contrarium finit, quod duabus rebus diversis propositis alteram facile concludit, ut, *Qui suis rationibus inimicus fuerit semper, eum quomodo alienis rebus amicum fore speres?* Et item, *Nam quem in amicitia perfidiosum cognoveris, eum quare putes immicitias cum fide habere posse?* Et illud Sall. in Jugurtha, *Quem alienum fidum invenies, si tuis hostis fueris?* Lucani item, *Quid satis est, si Roma parum?* Et iterum, *Audes fulcire ruinam sub qua Roma jacet?* Hic autem locus manifesto comprobat illum librum Ciceronis non esse. *Idem.*

2 *Rhetoricum syllogismum.*] Arist. lib. primo ad Theodecten *enthymema* appellat rhetoricum syllogismum, quia sæpius *enthymemate* utuntur oratores quam *syllogismo* integro. Idem Arist. in prioribus analyticis *imperfectum* vocat *syllogismum.* nam illi pars aliqua deesse solet, quæ tamen facile auditoris intellectu potest colligi. ἐνθύμημα, inquit, μὲν οὖν ἐστὶ συλλογισμὸς ἀτελὴς ἐξ εἰκότων ἢ σημείων. Idem ipse Fab. l. 1. cap. de Geometria, *enthymema rhetoricum vocat syllogismum.* Idem.

3 *Epicherema.*] *Epicherema* Hermogeni ratio est qua aliquid confirmatur, quæ ducitur à circunstantiis. Minutiano vero generaliter *omne argumentum.* Hic dupliciter accipitur *epicherema*, nunc pro eo invento quo rem aliquam confirmamus, nunc pro argumentatione certa, quæ tribus constat partibus, *majore, minore, & conclusione.* Idem. *Epicherema.*] Epicherema & propositione & ratione constat: ut si dicas, *vivit quia spirat.* Si vero, *Spirat, ergo vivit:* apodixis est, inest enim conclusio. Igitur in Epicheremate, ratio; in apodixi conclusio præcipue consideratur. *Pith.*

4 *Celsus autem judicat.*] Al. *Verrius.* al. *Verius autem judicio.*

5 *Quidam epicherema.*] Trapezuntius quoque Hermogenis æmulus, quod Hermogenes appellavit *epicherema*, vertit *rationem:* sed tamen *argumentum est*, non argumentatio. *Turneb.*

1 *Cicero.*]

cherema rationem appellarunt, [1] Cicero melius, *ratiocinationem:* quanquam & ille nomen hoc duxisse magis à syllogismo videtur. Nam & statum syllogisticum, *ratiocinativum* appellat, exemplisque utitur philosophorum. [2] Et quoniam est quædam inter *syllogismum* & *epicherema* vicinitas, potest videri hoc nomine recte abusus. [3] Ἀπόδειξις est evidens probatio, ideoque apud Geometras [4] γραμμικὴ ἀπόδειξις dicuntur. Hanc & ab *epicheremate* differre Cæcilius putat solo genere conclusionis, & esse *apodixin* [5] *imperfectum epicherema*, eadem caussa qua diximus *enthymema* à *syllogismo* distare. Nam & [6] *epicherema* syllogismi pars est. [7] Quidam inesse *epicheremati apodixin* putant, & esse partem ejus confirmantem. [8] Utrunque autem quanquam diversi auctores, eodem modo finiunt, ut sit ratio per ea quæ certa sunt, fidem dubiis afferens. quæ natura est omnium argumentorum, neque enim certa incertis declarantur. [9] Hæc omnia generaliter πίστις appellant: quod etsi propria interpretagumentatione evidenti cui pars aliqua deesset. *Idem.*

1 *Cicero.*] In Rhetoric. & alibi.

2 *Et quoniam est.*] Quod philosophis est *syllogismus*, id est rhetoribus *epicherema.* quanquam Fab. aliam affert differentiam, quod *epicherema* constet credibilibus, *syllogismus* necessariis: quæ differentia non est conclusionis, sed materiæ. & alioqui videtur illic *syllogismum* dixisse pro *apodixi.* Turneb.

3 Ἀπόδειξις.] *Demonstratio est syllogismus* certissimus *qui* ex primis & immediatis & prioribus ac notioribus causis conclusionis argumentatur & *scientiam parit.* Hoc *syllogismo* crebro utuntur geometræ, adduntque ad evidentiam quasdam linearum descriptiones. semper enim ex necessariis constructur. De hoc vide Melanchthonem. *Idem.*

4 Γραμμικὴ.] De his Fab. *l.* 1. *c. de Geomet.* Idem.

5 *Imperfectum epicherema.*] Cæcilius videtur accepisse *epicherema* pro evidenti argumentatione, quæ omnibus suis constaret partibus: *Apodixin* autem pro ar-

6 *Epicherema.*] Alii, *Enthymema.*

7 *Quidam inesse epicheremati.*] Alii existimant *apodixin* non esse argumentationem, sed duntaxat *argumentum.* id est, rationem illam certam & indubitatam quæ continetur in *epicheremate.* Turneb.

8 *Utrunque autem.*] Tam *epicherema* quam *apodixin.* Cic. 4. acad. Itaque argumenti conclusio, quæ est græce ἀπόδειξις, ita definitur, Ratio quæ ex rebus perceptis adducit ad id quod non percipiebatur. Unde hic *ratio*, non *oratio* legatur. Idem Fab. de *Epicheremate* cap. ultimo hujus libri. Itaque *utrunque* hic legendum, non *utcunque*, ut emendat Raph. *Idem.*

9 Πίστις.] Unde Halicarnass. πίστις σύντεχνος. Vide Laurentium Vallam, Budæum in *annot. in pandectas*, & *in Comment. Græcanicis.* Idem. *Hæc omnia generaliter πίστις appellant.*] Vide Vossium Instit Orat. lib. 3. cap. 5. p. 370. & 369.

pretatione dicere *fidem* possumus, apertius tamen *probationem* interpretabimur. Sed *argumentum* quoque plura significat. [1] Nam & fabulæ ad actus scenarum compositæ, *argumenta* dicuntur: & orationum Ciceronis velut thema ipse exponens Pedianus, *Argumentum*, inquit, tale est. & ipse Cicero ad Brutum ita scribit, *Veritus fortasse ne nos in Catonem nostrum transferamus illinc mali quid, etsi argumentum simile non erat.* Quo apparet omnem ad scribendum destinatam materiam ita appellari. [2] nec mirum cum id inter opifices quoque vulgatum sit: unde [3] Virgilio *Argumentum ingens:* vulgoque paulo numerosius opus dicitur *argumentosum.* [4] Sed nunc de eo dicendum argumento est, quod *probationem, indicium, fidem, aggressionem,* ejusdem rei nomina, Celsus facit, parum distincte, ut arbitror. Nam *probatio* & *fides* efficitur non tantum per hæc quæ sunt rationis, sed etiam per inartificialia. *Signum* autem, quod ille *indicium* vocat, ab argumentis jam separavi. [5] Ergo cum sit argumentum, ratio probationem præstans, qua colligitur aliud per aliud, & quæ quod est dubium, per id quod dubium non est, confirmat: necesse est esse aliquid in caussa quod probatione non egeat. Alioqui nihil erit quo probemus, nisi fuerit quod aut sit verum, aut videatur ex quo dubiis fides fiat. Pro certis autem habemus primum quæ sensibus percipiuntur, ut quæ videmus, audimus: qualia sunt *signa.* Deinde ea in quæ communi opinione consensum est,

Deos

1 *Nam & fabulæ.*] Cornificius etiam lib. primo ad Herennium *argumentum* appellat *rem fictam*, sed tamen verisimilem, cujusmodi esse solet in comœdiis. meminit & Fabius quarto capite libri secundi. *Turneb.*

2 *Nec mirum.*] Opifices non solum *materiam* appellant *argumentum*, verum etiam materiæ elaborationem & digestionem. Unde Cic. septima actione in Verrem scripsit, ex ebore diligentissime perfecta *argumenta* in valvis erant. id est, *simulachra descripta.* Idem.

3 *Virgilio.*] *Virgil.* Æneid. 7. cir. fin.

4 *Sed nunc.*] Deesse videtur hoc loco cujusdam auctoris nomen, qui à Fabio reprehenditur: nisi forte id hac ratione factum est, quod auctor ille tempore Fabii notissimus esset. suspicantur aliqui *Celsum* esse, aliqui *Plinium.* Turnebus.

5 *Ergo cum sit.*] Addit demum veram argumenti definitionem. cui subjicit generalia quædam præcepta & axiomata, antequam locos argumentorum sigillatim persequatur. *Idem.*

1 *Qua*

Deos esse, præstandam pietatem parentibus. Præterea quæ legibus cauta sunt, [1] quæ persuasione etiamsi non omnium hominum, ejus tamen civitatis aut gentis in qua res agitur, in mores recepta sunt: ut [2] pleraque in jure non legibus sed moribus constant. Si quid inter utranque partem convenit, si quid probatum est: denique cuicunque adversarius non contradicit. [3] Sic enim fiet argumentum, *Cum providentia mundus regatur, administranda est respublica: ut administranda respublica sit, si liquebit mundum providentia regi.* Debet etiam nota esse recte argumenta tractaturo, vis & natura omnium rerum, & quid quæque earum plerunque efficiat. hinc enim sunt quæ [4] εἰκότα dicuntur. *Credibilium* autem *genera* sunt *tria.* Unum firmissimum, quod fere accidit, ut *liberos à parentibus amari.* Alterum velut propensius, *Eum qui recte valeat, in crastinum perventurum.* [5] Tertium tantum non repugnans, *In domo furtum factum ab eo qui domi fuit.* [6] Ideoque Aristoteles in secundo de arte Rhetorica libro diligentissime est executus quid cuique rei, & quid cuique homini soleat accidere: & quas res, quosque homines, quibus rebus aut hominibus vel conciliasset vel alienasset ipsa natura: ut *divitias*

1 *Quæ persuasio.*] Hoc de consuetudine est intelligendum. nam *consuetudo recepta* (ut ait Justinianus) legis vim habet. hinc existit jus illud quod appellatur, *moribus constitutum.* Idem.

2 *Pleraque in jure non legibus.*] Senec. Quædam jura non scripta, omnibus scriptis certiora sunt. Jul. Inveterata consuetudo pro lege non immerito custoditur. Et hoc est jus quod dicitur, *moribus constitutum.* Pith.

3 *Sic enim fiet.*] Plato *philosophum ad remp. administrandam venire non debere dicebat nisi cogeretur.* idem tamen fatetur mundum providentia regi. igitur ex concessis argumentari poteris in Platonem. *Turneb.*

4 Εἰκότα.] Arist. l. 2. *priorum Analyticorum* ait εἰκὸς esse *propositionem probabilem*, quæ in his sit rebus ex quibus plerunque aliquid efficiatur & nascatur: ut invidi solent odisse. verba ejus sunt, εἰκὸς ἐστι προύπαισις ἔνδοξον. ὁ γὰρ ὡς ἐπιπολεῖσον ὅτως γινόμενον ἢ ὂν ἢ μὴ ὄν, τοῦτ' ἐστὶν εἰκὸς, οἷον τὸ μισεῖν φθονοῦντας, τὸ φιλεῖν τὸς ἐραμένους. *Idem.*

5 *Tertium tantum.*] Tertium hoc omnium est infirmissimum, ideoque vix habet credibilis naturam, & ea de causa mihi videbatur Fabius cap. 8. illud *à credibili* separare. *Idem.*

6 *Ideoque Aristoteles.*] Arist. lib. 2. *ad Theodecten* fusissime agit *de probationibus patheticis & ethicis*, ideoque latissime explicat quæ sit cujusque *affectus* & cujusque *hominis natura:* nam hoc multum prodest ad credibiliter argumentandum. Idem fere Horat. in arte poët. epist. & sermonibus. *Idem.*

vitias qui sequatur, aut *ambitum*, *aut superstitionem: quid boni probent*, *quid mali petant*, *quid milites*, *quid rustici*: *quo quæque modo res vitari vel appeti soleat*. Verum hoc exequi mitto: non enim longum tantum, sed etiam impossibile, ac potius infinitum est: præterea positum in communi omnium intellectu. Si quis tamen desideraverit, à quo peteret, ostendi. [1] Omnia autem credibilia, in quibus pars maxima consistit argumentationis, ex hujusmodi fontibus fluunt, *An credibile sit à filio patrem occisum*, *incestum cum filia commissum*: & *contra veneficium in noverca*, *adulterium in luxurioso*. Illa quoque, [2] *An scelus palam factum*, *an falsum dixerit*, *propter exiguam summam*: quia suos quisque horum velut mores habet, plerunque tamen, non semper: [3] alioqui indubitata essent non argumenta. Excutiamus nunc argumentorum locos: quanquam quibusdam ii quoque de quibus supra dixi videntur. *Locos* appello, [4] non ut vulgo nunc intelliguntur, *in luxuriam*, & *adulterium*, & similia: sed [5] *sedes argumentorum*, *in quibus latent*, *ex quibus sunt petenda*. [6] Nam ut in terra non omni generantur omnia, nec avem aut feram reperias, ubi quæque nasci aut morari soleat, ignarus: & piscium quoque genera alia planis gaudent, alia saxosis, regionibus etiam littoribusque discreta sunt, nec *helopem* [7] nostro

1 *Omnia autem.*] Exempla ponit duplicia hoc loco Fabius, propterea quod rhetores qui *hypothesin* tractant, *argumentis* utuntur duplicibus, tum *à re* tum *à persona* ductis. sic igitur Fabius *exempla credibilium subjecit*. Idem.

2 *An scelus.*] Alii codices ita legunt, *an scelus quia palam factum*. quanquam idem quoque est sensus in hac lectione. nam pleraque clandestina & dolosa scelus habent, quæ si palam fiant, *scelerosa* non videntur. *Idem.*

3 *Alioqui indubitata.*] *Causæ forenses*, de quarum argumentationibus loquitur, *ancipites* sunt in utranque partem: nam alioqui lites non essent. Proinde fit ut *argumenta* duntaxat admittant *probabilia*. nam si necessaria adhiberentur, protinus quæstio tolleretur, esset que genus *asystaton*. Idem.

4 *Non ut vulgo.*] De quibus tradidit *lib.* 2. *cap.* 4. & 1.

5 *Sedes argumentorum.*] Sic enim appellatæ ab Aristotele, è quibus argumenta promuntur, inquit Cicero *in Topicis*. τόποι græce, de quibus Aristot. 8. libris tradidit. *Idem.*

6 *Nam ut in terra.*] Comparatio elegans & varia, qua Varro lib. 1. *cap.* 6. *de re rustica*, & Columella *lib.* 8. utuntur. *Idem.*

7 *Nostro mari.*] Ovidius in *lib. de piscibus*, ait *Helopem* ignotum esse littoribus Italicis: unde colligit Plinius illos errare

ſtro mari, aut *ſcarum* ducas: ita non omne argumentum undique venit: ideoque non paſſim quærendum eſt. Multus alioqui error eſt: & exhauſto labore, quod non ratione ſcrutabimur, non poterimus invenire niſi caſu. At ſi ſcierimus ubi quicque naſcatur, cum ad locum ventum erit, facile quod in eo eſt, pervidebimus. [1] In primis igitur argumenta ſæpe *à perſona* ducenda ſunt: cum ſit, ut dixi diviſio, ut omnia in hæc duo partiamur, *res* atque *perſonas*: ut *cauſſa, tempus, locus, occaſio, inſtrumentum, modus*, & cætera, rerum ſint accidentia. *Perſonis* autem non quicquid accidit, exequendum mihi eſt, ut plerique fecerunt, ſed unde argumenta ſumi poſſunt. Ea porro ſunt, [2] *Genus*: nam ſimiles parentibus ac majoribus ſuis filii plerunque creduntur: & nonnunquam ad honeſte turpiterque vivendum inde cauſſæ fluunt. [3] *natio*: nam & gentibus proprii mores ſunt: nec idem in Barbaro, Romano, Græco, probabile eſt. *Patria*: quia ſimiliter etiam civitatum leges, inſtituta, opiniones habent differentiam. *Sexus*: ut latrocinium facilius in viro, venefi-

errare qui *Helopem* exiſtiment eſſe *acipenſerem*. tamen Gaza Plutarchum ſecutus *Helopem* in Ariſt. tranſtulit *acipenſerem*. Plurimus eſt piſcis in Pamphylio freto. *Scaurus* ſolus piſcium ruminat. reperitur *in mari Aſiatico* ad Siculum uſque, alibi non reperias. *Nec helopem noſtro mari aut ſcarum.*] Vide Plin. lib. 9. capite 17. Columell. libro 8. cap. 16. Agellium lib. 7. cap. 6. Pithœi Collectanea ad Petronium pag. 175. Edit. Goldaſti.

1 *In primis igitur.*] Nonnulli duplices faciunt *locos*: quoſdam *rhetoricos*, qui à circunſtantiis ducuntur, & pertinent ad hypotheſin: quoſdam rurſus *dialecticos*, qui *topici dicuntur*, magiſque pertinent ad theſeos confirmationem, nec perinde circunſtantias ſequuntur: quanquam re vera illi *rhetorici* ad dialecticos reduci poſſunt. *Turneb.*

2 *Genus.*] Cujus exemplum apud Cic. *pro Muræna*, de Catone proavo M. Catonis. 2. *Philip. de Antonio.* Idem.

3 *Natio.*] *Natio* nomen generalius eſt, complectiturque eas regiones quæ communi utuntur nomine: *patria* vero ſpecialius, certamque ſignificat regionem aut civitatem. Unde Ulpianus l. 21. de ædilitio edicto, *Præſumptum etiam quoſdam ſervos bonos eſſe, quia natione ſint non infamata: quoſdam malos videri, quia natione ea ſunt, quæ magis eſt infamis.* Et, ut inquit Livius lib. 5. Decad. 5. *Tam civitatum quam ſingulorum hominum mores ſunt: gentes quoque aliæ iracundæ, aliæ audaces, quædam timidæ, in vinum Veneremque proniores aliæ ſunt*, & cætera quæ ſequuntur. Exemplum eſt apud Cic. pro Cluentio, *Quid tu, inquit, Pacete? hoc enim ſibi Stalenus cognomen ex imaginibus aliorum delegerat: ne ſi ſe Ligurem feciſſet, nationis magis ſuæ quam generis uti cognomine videretur.* Et Virgil. lib. Æneid. undecimo, *Vane Ligur, &c.* quæ ſeq. & ſimilia infinita. *Idem.*

1 *Ætas*

veneficium in fœmina credas. [1] *Ætas:* quia aliud aliis annis magis convenit. [2] *Educatio, & disciplina:* quoniam refert à quibus, & quo quisque modo sit institutus. [3] *Habitus corporis:* ducitur enim frequenter in argumentum species libidinis, robur petulantiæ: his contraria in diversum. [4] *Fortuna:* nec enim idem credibile est in divite, ac paupere: propinquis, amicis, clientibus abundante, & his omnibus destituto. *Conditionis* etiam distantia est. nam clarus an obscurus, magistratus an privatus, pater an filius, civis an peregrinus, liber an servus, maritus an cœlebs, parens liberorum an orbus sit, plurimum distat. [5] *Animi natura:* etenim avaritia, iracundia, misericordia, crudelitas, severitas, aliaque his similia afferunt fidem frequenter, aut detrahunt: [6] sicut victus, luxuriosus, an frugi, an sordidus, quæritur. [7] *Studia* quoque: nam rusticus, forensis, negotia-

1 *Ætas.*] Quæ non *annis* semper æstimatur, sed *indole*. hunc locum juxta circunstantias Paulus ad Titum elegantissime tractat, quid senibus, quid aniculis, quid puellis, quid juvenibus, quid nuptis, quid viduis conveniat. Vide *Eras. in Eccles.* Idem.

2 *Educatio ac disciplina.*] Exemplum apud Cic. 5. in Verrem de filio Verris. & 2. Philippic. de Antonii educatione, ibi, *Quid tibi venit in mentem, &c.* Idem.

3 *Habitus.*] *Habitum corporis* appellat certam corporis constitutionem. *In formosa* credibilius adulterii crimen, quam in deformi: *in robusto* violentum facilius quam in imbecilli. *Qui corpore valent*, ad industriam extimulandi: *qui minus*, ad ea quæ animis præstantur. Est & *habitus animi*; quo significatur quædam animi affectio & dispositio, qua de re posterius aget. *Idem.*

4 *Fortuna, &c.*] Cicero hos duos locos nomine *fortunæ* complectitur, Fabius discernit, ac *fortunam* ponit in divitiis & opibus: *conditionem* in quodam personæ statu & quibusdam accidentibus. De his fuse Erasmus *in Ecclesiaste.* Idem.

5 *Animi naturæ.*] *Animi naturam* vocat, naturalem quandam animi propensionem ad aliquod vitium aut virtutem, multiplicemque habet in hominibus varietatem. Porro hæ omnes *circunstantiæ personarum* aut ducuntur ab animo, aut corpore, aut rebus extraneis. Exemplum est pro L. Muræna, initio orationis, *ubi se excusat Cic. Catoni quod non sit natura severus.* Idem.

6 *Sicut victus.*] Cic. atque alii *victum* sub educatione & disciplina complectuntur, Fabius tamen ista exactius distinguere voluit. Vide *Erasm. in Eccles.* Idem.

7 *Studia.*] *Studium* appellamus assiduam ac diuturnam aliqua in re occupationem ac vacationem. Complectitur igitur *studium* artes quas exercere solemus, & vitæ nostræ instituta. Horum proprietates diligenter animadversæ, in omni hominum genere varios locos suppeditabunt. Vide *Eras. in Eccles.* Idem.

1 *In-*

gotiator, miles, navigator, medicus, aliud atque aliud efficiunt. [1] Intuenduin & quid affectet quisque, locuples videri an disertus, justus an potens. Spectantur ante acta dictaque. [2] Ex præteritis enim æstimari solent præsentia. His adjiciunt quidam [3] *commotionem*: hanc accipi volunt temporarium animi motum, sicut *iram*, *pavorem*. *Consilia* [4] autem, & præsentis & præteriti & futuri temporis: quæ mihi [5] etiamsi personis accidunt, referenda tamen ad illam partem argumentorum videntur, quam *ex caussis* ducimus: sicut [6] *habitus* quidam animi, quo tractatur *amicus*, *an inimicus*. Ponunt in persona & [7] *nomen:* quod quidem ei accidere necesse est, sed in argumentum raro cadit: nisi cum aut ex caussa datum est, ut *sapiens*, *magnus*, *planus:* aut & ipsum alicujus cogitationis attulit caussam, ut *Lentulo conjurationis*, quod libris Sibyllinis aruspicumque responsis dominatio dari tribus Corneliis dicebatur, seque eum tertium esse credebat post Syllam Cinnamque, quia & ipse Cornelius erat. Nam & illud apud [8] Euripidem frigidum sane, quod

nomen

1 *Intuendum & quid.*] Addit Fabius *affectationem*, quæ à reliquis est omissa. est autem in eo posita, cum quidpiam affectamus. addit Cicero *affectionem*, sed huic diversam: est enim posita in temporario animi affectu aliqua de causa, ut *in ira*, & similibus. *Idem.*

2 *Ex præteritis.*] Cicero tamen *facta dictaque* tripliciter putat tractari, ex *præsenti*, *præterito*, *& futuro*. Idem.

3 *Commotionem*] Cum *repentinus* est *affectus*, neque perdurat, *commotio* dicitur aut *affectio*, ut manifestum est ex Cic. in Partit. *&* 1. *de Inventione*. cæterum cum animo quasi peculiaris est, referri debet ad animi naturam: itaque ira & timor *commotiones* sunt, timiditas & iracundia *vitia sunt animi*, ac referuntur ad *naturam* sive *habitum animi*. Idem.

4 *Autem.*] Alii *item*.

5 *Etiam si personis.*] Cicero consilium retulit inter *circunstantias personarum*, tamen ad illam potius circunstantiam pertinet quæ ducitur ex causa, quia propter aliquam causam de re solemus consilium inire. *Idem.*

6 *Habitus quidam animi.*] *Habitus animi*, animi quædam est constitutio, quæ ex deliberatione & consilio orta est. *Idem.*

7 *Nomen.*] Est, quod cuique tanquam proprium, quo appellatur, *vocabulum* attribuitur, ut *Cato sapiens*, *Pompejus magnus*. Raro tamen inde ducitur argumentum apud judices, nisi ex causa sit datum. Aristides dictus est justus: Alexander *Mammea*, quod nimium obsecundaret matri. Aut si nomen occasionem dederit facinoris aggrediendi, ut Lentulo. Cum enim incensum esset Capitolium, ajunt respondisse aruspices, *dominaturos esse tres Cornelios*. igitur cum vicesimo post anno cum Catilina Lentulus conjuraret, hac potissimum ducebatur ratione. *Idem.*

8 *Euripidem.*] *In Phœnissis* apud Euripidem

nomen Polynicis ut argumentum morum frater inceſſit. [1] *Jocorum* tamen ex eo frequens materia, qua Cicero in Verrem non ſemel uſus eſt. Hæc fere circa perſonas ſunt, aut his ſimilia. Nec enim complecti omnia vel hac in parte, vel in cæteris poſſumus, contenti rationem plura quæſituris oſtendere. [2] Nunc ad res tranſeo, in quibus maxime ſunt perſonis, juncta quæ agimus, ideoque prima tractanda. In omnibus porro quæ fiunt, quæritur aut *quare*, aut *ubi*, aut *quando*, aut *quomodo*, *aut per quæ facta ſunt*. Ducuntur igitur argumenta *ex cauſsis factorum, vel futurorum:* [3] quorum materiam, quam ὕλην alii, δύναμιν alii nominaverunt, in duo genera, ſed quaternas utriuſque dividunt ſpecies: Nam fere verſatur *ratio faciendi* circa bonorum adeptionem, incrementum: conſervationem, uſum: aut [4] malorum evitationem, liberationem, imminutionem, converſionem. nanque & hæc in deliberando plurimum valent. [5] Sed has cauſſas habent recta: prava contra ex falſis opinionibus veniunt. Nam eſt his initium ex iis quæ creduntur bona aut mala, [6] inde errores exiſtunt, & peſſimi affectus: in quibus ſunt

ripidem Etheocles fratrem exagitat, in eaque contentione ait merito illum appellari *Polynicem*, quaſi multum contentioſum, rectequeilli inditum eſſe à patre nomen, ἔξιθι χώρας, ἀληθῶς σ' ὄνομα πολυνείκην πατὴρ ἔθετό σοι θείᾳ φρενοίᾳ νεικέων ἐπώνυμον. *Idem.*

1 *Jocorum.*] Fabius putat ex nomine ſumi *materiam jocorum* potius quam *argumentorum*, quemadmodum multa Cic. jocatur in Verrem, *quod omnia verreret*, id eſt, raperet, *quod porcus*, id eſt ſordidus eſſet. ſic in oratione pro Roſcio Amer. in Phormionis teſtes, & pro Cluentio in Chryſogoni nomine jocatur. ſed de his fuſius *lib. 6. de riſu.* Item Eraſm. *in ſuo Eccleſ.* hunc locum prolixe tradit & docte. *Idem.*

2 *Num ad res tranſeo.*] Cicero *negotiis attributa* in quatuor diviſit, in *continentia* cum ipſo negotio, in ea quæ ſunt *in rei geſtione, in negotio adjuncta, & in conſecutione.* de quibus omnibus hic agit Fabius. *Idem.*

3 *Quorum materia.*] Locus hic eſt finalis. nam propter has res aliquid agere ſolemus. appellat autem *materiam* Fab. res ipſas quas vel expetimus vel fugimus. eſt autem hic *locus* maxime proprius *deliberationis*, ut docet Hermogenes *libro ſecundo de Inventione.* Idem.

4 *Malorum evitationem.*] In ſcrip. codicib. legitur duntaxat, aut malorum evitationem, & imminutionem. nanque & hæc, &c.

5 *Sed has cauſas.*] *Cauſas* dividit Cicero *in ratiocinationem*, quæ maturo conſtat conſilio, & boni expetitione aut mali fuga ducitur: & *in impulſionem*, quæ ex animi motu & affectione impellit ad aliquid agendum. *Turneb.*

6 *Inde errores.*] Id eſt falſæ opiniones. *Idem.*

1 *For-*

sunt *ira*, *odium*, *invidia*, *cupiditas*, *spes*, *ambitus*, *audacia*, *metus*, cæteraque generis ejusdem. Accedunt aliquando [1] fortuita, *ebrietas*, *ignorantia*. Quæ interim ad veniam valent, interim ad probationem criminis: ut *siquis dum alii insidiatur*, *alium dicatur interemisse*. [2] *Causse* porro non ad convincendum modo quod objicitur, sed ad defendendum quoque excuti solent, cum quis se recte fecisse, id est honesta causa contendit, qua de re latius in tertio libro dictum est. [3] *Finitiones* ex causis interim pendent. *An tyrannicida*, *qui tyrannum à quo deprehensus in adulterio fuerat*, *occidit*. *An sacrilegus qui ut hostes urbe expelleret*, [5] *arma templo affixa detraxit*. Ducuntur argumenta & *ex loco*. Spectatur enim ad fidem probationis, *montanus an planus*, *maritimus an mediterraneus*, *consitus an incultus*, *frequens an desertus*, *propinquus an remotus*, *oportunus consiliis an adversus*. quam partem videmus vehementissime [4] pro Milone tractasse Ciceronem. [6] Et hæc quidem ac similia ad conjecturam frequentius pertinent: sed interim ad jus quoque, *privatus an* [7] *publicus*, [8] *sacer an profanus*, *noster an alienus*: ut in persona, *magistratus*, *pater*, *peregrinus*. Hinc enim quæstiones oriuntur:

1 *Fortuita.*] *Homines* (ut ajunt jurisconsulti) *omnia agunt aut proposito*, *aut impetu*, *aut fortuito*. quibus de rebus agit hoc loco Fabius. *Idem.*

2 *Causæ porro.*] *In statu qualitatis* causas afferre solemus, ut factum esse nostrum justum probemus. qua de re Fabius egit ultimo cap. lib. 3. *Idem.*

3 *Finitiones.*] Fabius, ut initio pollicitus erat, non solum ea quæ sunt communia persequitur, verumetiam ipsis causis & statibus locos accommodat. *Idem.*

4 *Arma templo affixa.*] Nam emeriti milites arma sua templi postibus affigebant, iidem etiam spolia & arma hostium in ornamentum illic ponebant. *Idem.*

5 *Pro Milone.*] Cum ait, *Videamus nunc*, *id quod caput est*, *locus ad insidias ille ipse ubi congressi sunt*, *utri tandem fuerit aptior*, *&c.* quæ sequuntur. *Idem.*

6 *Et hæc quidem.*] Locus valet & *ad probandum* & *ad quæstionem* constituendam. Probare solet *in conjectura:* in cæteris statibus non tam probat, quam quæstionem constituit, quanquam in his quoque interdum valet ad augendam culpam aut minuendam. *Idem.*

7 *Publicus an privatus.*] Ut pro eodem Mil *Insidiator erat in foro collocatus*, *atque in vestibulo ipse senatus*, *&c.* Idem.

8 *Sacer an profanus.*] Ut ibidem, *de violatis Bonæ Deæ ceremoniis.* & iterum ibidem, *Comprehensus est in templo Castoris servus P. Clodii*, *quem ille ad Cn. Pompejum interficiendum collocarat.* hanc quoque circunstantiam maxime theologi tractant, ut videre potes latius apud *Erasm. in Eccles.* Idem.

1 *Mori-*

tur: *Privatam pecuniam sustulisti, verum quia de templo, non furtum, sed sacrilegium est. Occidisti adulterum*, quod lex permittit: sed quia in lupanari, cædes est. *Injuriam fecisti*, sed quia magistratui, majestatis actio est. Vel contra, *Licuit, quia pater* eram. *quia magistratus.* Sed circa facti controversiam argumenta, præstant circa juris lites materiam quæstionum. Ad qualitatem quoque frequenter pertinet *locus. Neque enim ubique idem aut licet, aut decorum est*, quinetiam in qua quicque civitate quæratur, interest. [1] Moribus enim & legibus distant. Ad commendationem quoque & invidiam valet. Nam & Ajax apud Ovidium, [2] *Ante rates*, inquit, *agimus caussam, & mecum confertur Ulysses.* [3] Et Miloni inter cætera objectum est, *quod Clodius in monumentis ab eo majorum suorum esset occisus.* [4] Ad suadendi momenta idem valet. sicut *tempus*, cujus tractatum subjungam. [5] Ejus autem (ut [6] alio loco jam dixi) duplex significatio est. *Generaliter* enim & *specialiter* accipitur. Prius illud est, *nunc, olim, sub Alexandro, cum apud Ilion pugnatum est.* denique *præteritum, instans, futurum.* Hoc sequens habet & constituta

1 *Moribus enim, &c.*] Nam cum sint *aliæ leges Lacedæmoniorum*, aliæ *Athenienſium*, aliæ *Romanorum*, diversum proinde exoritur jus. Licebat Athenis sedentaria opificia exercere, & oratoriam facultatem: neutrum licebat Lacedæmone. *Idem.*

2 *Ante rates, &c.*] Nam Ajax antea naves Græcorum ab incendio solus defenderat, cum cæteri duces fugissent, aut vulnerati essent. hoc igitur ipso & se commendavit, & adversario conflavit invidiam.

3 *Et Miloni.*] Quod Cicero eleganter elevat, *An eo mors atrocior erit P. Clodii, quod is in monumentis majorum suorum sit interfectus?* hoc enim sæpe ab ipsis dicitur. *Perinde quasi Appius ille Cæcus, &c.* quæ sequuntur. *Idem.*

4 *Ad suadendi momenta.*] Hinc illa Macedonum interrogatio, *Ecquid Romani volare possent, aut quo pacto Macedoniæ montes essent transituri.* hinc Hannibalis in Italiam transgressi exhortatio ad milites, ut acriter pugnarent: quippe qui à tergo Alpibus, à latere duobus maribus clausi, nulla sperarent aufugia: at contra Rom. timidis esse licere, qui in tuta fugam suam conferre possent. & similia alia. *Idem.*

5 *Ejus autem.*] Duplex est tempus: *generale*, quod citra circunscriptionem dicitur, referturque ad præsens, præteritum, & futurum, & χρόνος græce dicitur: *speciale*, quod rei agendæ vel non agendæ opportunitatem aut importunitatem indicat, græce καιρός. hoc posterius à quibusdam dicitur *occasio*. De hoc fusiss. *Eras. in Eccles.* & Rodolph. *lib.* 1. *cap.* 19. Idem.

6 *Alio loco.*] Lib. 3. cap. *de statib.* Idem.

1 *Si*

tuta discrimina, *æstate*, *hyeme*, *noctu*, *interdiu*: & fortuita, *in pestilenta*, *in bello*, *in convivio*. Latinorum quidam satis significari putaverunt, [1] si illud *generale*, hoc *speciale* vocarent. [2] Quorum utrorunque ratio & in consiliis quidem, & in illo demonstrativo genere versatur: sed in judiciis frequentissima est. [3] Nam & juris quæstiones facit, & qualitatem distinguit, & ad conjecturam plurimum confert: ut cum interim probationes inexpugnabiles afferat, quales sunt si dicatur (ut supra posui) *signator*, *qui ante diem tabularum decessit*: aut *commisisse aliquid vel cum infans esset*, *vel cum omnino natus non esset*. [4] præter id, quod omnia facile argumenta aut ex iis quæ ante rem facta sunt, aut ex conjunctis rei, aut insequentibus ducuntur. Ex antecedentibus, *Mortem minatus es*, *noctu existi*, *proficiscentem antecessisti*. [5] Caussæ quoque factorum, præteriti sunt temporis. Sed tempus subtilius quidam quam necesse erat, divisserunt, [6] ut esset juncti, *sonus auditus est*: adhærentis, *clamor sublatus est*: insequentis illa, *latuisti*, *profugisti*, [7] *livores & tumores apparuerunt*. Iisdem temporum gradibus defensor utetur ad detrahendam

1 *Si illud generale tempus.*] In codice Laurentii Vallæ aliter scribitur, & longe melius, *Si illud generale*, *tempus*: *hoc speciale*, *tempora vocarent*. Idem.

2 *Quorum utrorumque ratio.*] *In causis suasoriis* sæpenumero tractatur *præteritum*, *præsens*, & *futurum tempus*: præterea sæpenumero quæritur *de occasione rei* & *opportunitate*: at in *genere demonstrativo* laus hominum in tria tempora dividitur, ut docuit Fabius libro tertio. *Idem.*

3 *Nam & juris quæstiones.*] Legitimæ nonnullæ quæstiones à tempore oriuntur: ut *si quis adulterum qui effugerit*, *postea repertum interfecerit*. Tempus quoque interdum facit qualitatem assumptivam, *ut cum accusatur comessator in pestilentia*. nam quanquam comessari per se fortassis turpe non videatur, illo tempore tamen turpe erit. Hæc fusius apud *Erasm. in Eccles.* Idem.

4 *Præter id.*] Docere nititur latissime patere temporis rationem. nam (ut docuit cap. 8.) *argumenta* omnia *ducuntur aut ex præterito tempore*, *aut præsenti*, *aut futuro*. Idem.

5 *Causæ quoque factorum.*] *Tempus præsens* hoc loco metimur ex ipso facto, ac proinde non necessarium est, cum causæ factum præcedant, sint præteriti temporis. *Idem.*

6 *Ut esset juncti.*] *Junctum* appellare videtur *tempus*, quod paulum antecedit, sed tamen quasi præsens est, & cum facto jungitur: *adhærens* vero, quod omnino præsens est, & facto ipsi adhæret. Alii tamen *junctum* pro præsenti interpretantur, *adhærens* vero pro annexo & quasi præsenti. Hoc autem nimis est affectatum, & alioquí supervacaneum. *Idem.*

7 *Livores & tumores.*] Hæc omnia quæ hîc tractantur, referri debent *ad locum ab adjunctis*. nam, ut ait Cicero,

hendam ei quod objicitur, fidem. In his omnis factorum dictorumque ratio versatur, sed dupliciter. [1] Nam fiunt quædam, quia aliud postea futurum est: quædam, quia aliud antea factum est: ut *cum objicitur* [2] *reo lenocinii speciosæ marito*, quod adulterii damnatam quandam emerit aut parricidii reo luxurioso, *quod dixerit patri, Non amplius me objurgabis:* Nam & ille non quia emit, leno est: sed quia leno erat, emit. Nec hic quia sic erat locutus occidit: sed quia erat occisurus, sic locutus est. [3] *Casus* autem, qui & ipse præstat argumentis locum, sine dubio est ex insequentibus: sed quadam proprietate distinguitur: ut si dicam, *Melior dux Scipio quam Annibal: vicit Annibalem. Bonus gubernator: nunquam fecit naufragium. Bonus agricola: magnos sustulit fructus.* Et contra, *Sumptuosus fuit, patrimonium exhausit, turpiter vixit.* vel, *omnibus invisus est.* [4] Intuendæ sunt, præcipueque in conjecturis, & *falcultates.* Credibilius est enim occisos à pluribus pauciores, à firmioribus imbecilliores, à [5] vigilantibus dormientes, à præparatis inopinantes. Quorum contraria in diversum valent. Hæc & in deliberando intuemur, & in judiciis ad duas res solemus referre, *an voluerit quis, an potuerit.* nam & voluntatem spes facit. Hinc illa apud Ciceronem conjectura: *Insidiatus est Clodius Miloni, non Milo Clodio: Ille cum servis robustis, hic cum mulierum comitatu: ille in equo, hic in rheda: ille expeditus, hic penula irretitus.*

in eo loco tractatur *quid ante rem fuerit, quid cum re, quid post rem.* Idem.

1 *Nam fiunt quædam.*] Quædam facta rationem habent *ad futurum*, quædam *ad præteritum:* atque ea de causa fiunt: quo fit ut in ipsis factis trium temporum ratio concipiatur. *Idem.*

2 *Reo lenocinii.*] *Lenocinium facit*, qui quæstuaria habet & meritoria corpora. eodem crimine tenetur, qui finit uxorem suam adulterari. *Idem.*

3 *Casus autem.*] Subjicit Fab. quoque *casum tempori futuro.* observatur autem in ipso rei exitu & eventu: itaque de eo fusius agetur in eventis. *Idem.*

4 *Intuendæ sunt.*] *Facultatem* appellat opportunam & commodam rei gerendæ potestatem, & quandam quasi facilitatem. est autem hic locus magna ex parte conjecturalis, ut docebit Fabius lib. 7. cap. *de conjectura.* Exemplum est in oratione Cic. pro Sex. *Roscio Amerino, Videamus nunc, & quæ facultates suscipiendi maleficii fuerint, &c.* quæ sequuntur. Vide fuse *Erasm. in Eccles.* Idem.

5 *Vigilantibus dormientes.*] Exemplum est apud Cic. *in oratione pro Sext. Roscio de duobus juvenibus:* & Valerium Maximum. *Idem.*

1 *Modus.*]

tus. Facultati autem licet instrumentum conjungere. Sunt enim in parte facultatis & copiæ. Sed ex instrumento aliquando etiam signa nascuntur, ut *spiculum in corpore inventum.* His adjicitur [1] *modus*, quem τρόπον dicunt, quo quæritur quemadmodum quid sit factum: id quod tum ad qualitatem scriptumque pertinet: ut *si negemus adulterum veneno licuisse occidere, sed ferro oportuisse.* tum ad conjecturam quoque: *ut si dicam bona mente factum, ideoque palam: mala, ideoque ex insidiis, nocte in solitudine.* [2] In rebus autem omnibus, de quarum vi aut natura quæritur, quasque etiam citra complexum personarum, cæterorumque ex quibus fit caussa per se intueri possumus, tria sine dubio rursus spectanda sunt, *an sit, quid sit, quale sit.* [3] Sed quia sunt quidam loci argumentorum his omnibus communes, dividi hæc tria genera non possunt, ideoque locis potius, ut quosque incurrent, subjicienda sunt. Ducuntur igitur argumenta [4] *ex finitione*, seu *fine:* nam utroque modo traditur. Ejus duplex ratio est. [5] Aut enim simpliciter quæritur, *sitne hoc virtus.* aut antecedente finitione, *quid sit virtus.* [6] Id aut universum verbis complectimur, [7] *ut, Rhetorice est bene dicendi scientia*, aut per

1 *Modus.*] Hic locus instrumento tam vicinus est, ut prope sit idem. de quo item fuse *Erasm. in Eccles.* Idem.

2 *In rebus autem.*] Hactenus Fabius egit de locis illis qui *rhetorici* appellantur, magisque ad *hypothesin* referuntur: nunc de illis qui *dialectici* vocantur, magisque ad *thesin* referuntur. quanquam (ut antea diximus) utrique loci & *hypothesi* & *thesi* subservire possunt. *Idem.*

3 *Sed quia sunt.*] Aggressurus *locos topicos*, objectioni statim occurrit. nam cum sint *tres quæstiones*, locos suppeditare debuit uniuscujusque proprios, atque ita dividere in quæstiones locos topicos: quod tamen fieri non potuit, quia quanquam quidam proprii sunt alicujus quæstionis, multi tamen sunt omnium communes. *Idem.*

4 *Ex finitione.*] Quoniam autem nemo quærit naturam eorum quæ non sunt, ideo primum locum tenet ὅρος: quem quidam *finem* aut *finitionem*, alii *definitionem* appellare maluerunt. *Idem.*

5 *Aut enim.*] Primum quærimus in definitione de tota rei essentia, postea nonnunquam quærimus an alicui singulari illa speciei & formæ definitio competat. Potest autem hoc loco etiam optime legi, *Aut enim simpliciter quæritur quid sit virtus, aut antecedente finitione, sitne hoc virtus.* Idem.

6 *Id aut universum.*] In codice Veneto scribitur, *ita aut universam vim verbi complectimur*: ut hæc efficiant superiorum interpretationem, alio quam dicimus sensu. *Idem.*

7 *Ut rhetorice est, &c.*] *Duplex* est Cic. *definitio.* nam *altera* explicat notionem & proprietatem rei: *altera* formarum

per partes, ut, *Rhetorice est recte inveniendi, & disponendi, & eloquendi cum firma memoria, & cum dignitate actionis, scientia.* Præterea finimus aut vi, sicut superiora. [1] aut ἐτυμολογίᾳ, ut [2] *assiduum ab ære dando, & locupletem* à locorum, *pecuniosum à* pecorum copia. [3] Finitioni subjecta maxime videntur *genus, species, differens, proprium.* Ex his omnibus argumenta ducuntur. [4] *Genus* ad probandam speciem minimum valet, plurimum ad refellendam. Itaque *non quia est arbor, platanus est: at quod non est arbor, utique platanus non est. Nec quod non est virtus, utique non potest esse justitia.* [5] Itaque à genere perveniendum est ad ultimam speciem: ut *homo est animal*, non est satis: id enim genus est: *mortale*, etiam si est species, cum aliis tamen communis finitio: *rationale*, nihil supererit ad demonstrandum quod velis. [6] Contra species firmam probationem habet generis, infirmam refutationem. Nam *quod justitia est, utique virtus est: quod non est justitia, potest esse virtus, si est fortitudo, constantia, continentia.* [7] Nunquam itaque tolletur à specie genus, nisi ut omnes species

rum aut partium enumeratione rem complectitur. Vide Cic. in Partitionibus, & 2. *de Orat.* Idem.

1 *Aut ἐτυμολογίᾳ.*] Solemus nonnunquam definire à vi seu interpretatione nominis seu vocabuli, quam appellant *etymologiam.* id est, *veriloquium*, Cic. *notationem:* propterea quod nominis interpretatio rei veritatem solet indicare. Vide Ciceronem in Top. & 2. de Orat. & Erasmum *in Ecclesiaste.* Idem.

2 *Assiduum.*] Vide Cic. *in Top.* & Gellium *lib.* 15. Fabium 7. cap. 4. Cic. item 2. *de Rep. Pecuniosos à* pecore, & *locupletes à* locorum possessione appellatos dicit. *Idem.*

3 *Finitioni subjecta.*] Hæc idcirco *definitioni* subjecta videntur, propterea quod ad rem definiendam conducunt, & nonnunquam in eandem definitionem omnia concurrunt. Vide Cic. in Top. 2. de Orat. Fab. lib. 7. cap. 4. *Idem.*

4 *Genus ad probandam speciem.*] *Affirmative* non possumus argumentari *à genere ad speciem*, sed *negative*, nisi omnes species subjiciamus, aut genus universaliter capiamus. *Idem.*

5 *Itaque à genere.*] *Definitionis* est canon ex Cic. desumptus. sic enim ille præcipit, ut cum sumpserimus ea quæ sunt rei quam definire velimus, communia tantisper persequamur, dum ad id quod proprium est perveniamus. Vide Cic. in Top. *Idem. Itaque à genere perveniendum, &c.*] Argumentum à genere ad speciem valet negative, affirmative non item. *Pith.*

6 *Contra species.*] Quia *genus* in species sine ullius prætermissione dividitur, & *specierum differentiæ* ad caput generis quasi fontem referuntur. *Turn.*

7 *Nunquam itaque tolletur.*] Id quod Cic. in Top. ait, *Forma enim à genere, quoad suum nomen retinet, nunquam sejungetur.* Idem.

1 *Quod*

ſpecies quæ ſunt generi ſubjectæ, removeantur: hoc modo, [1] *Quod neque immortale eſt, neque mortale, animal non eſt.* His adjiciunt *propria*, & *differentia.* Propriis confirmatur finitio, differentibus ſolvitur: [2] *Proprium* autem eſt aut quod ſoli accidit, *ut homini ſermo, riſus:* aut quod utique accidit, ſed non ſoli, *ut igni calefacere.* Et ſunt ejuſdem rei plura propria, ut ipſius ignis *lucere, calere.* [3] Itaque quodcunque proprium deerit, ſolvet finitionem: non utique quodcunque erit, confirmabit. [4] Sæpiſſime autem quid ſit proprium cujuſque, quæritur: ut ſi per ἐντυμολογίαν dicatur, *Tyrannicidæ proprium eſt tyrannum occidere*, negemus. non enim ſi traditum ſibi eum carnifex occiderit, tyrannicida vocetur: nec ſi imprudens, vel invitus. [5] Quod autem proprium non erit, differens erit, ut *aliud eſt ſervum eſſe, aliud ſervire:* [6] qualis eſſe in addictis quæſtio ſolet, *Qui ſervus eſt, ſi manumittatur, fit libertinus, non idem addictus:* & plura, de quibus alio loco. Illud quoque *differens* vocant, quum genere in ſpecies diducto, ſpecies ipſa diſcernitur. *Animal*, genus: *mortale*, ſpecies: *terrenum vel bipes*, differens. Nondum enim proprium eſt, ſed jam differt à marino vel quadrupede. Quod non tam ad argumentum pertinet, quam [7] ad diligentem

1 *Quod neque immortale.*] Dictum eſt hoc ex opinione Platonis, *qui deos quoſdam animalia eſſe immortalia dicebat*, ut Lunam, Solem, & reliquos planetas. *Idem.*

2 *Proprium autem.*] Dialectici *quadruplex* agnoſcunt *proprium*; Fabius duntaxat *duplex*, quod convenit *ſoli*, & quod *omni*, ſed non ſoli. Vid. Eraſ. *in Ecc.* Idem.

3 *Itaque quodcunque proprium.*] Si definitionem alicujus rei feceris, cui aliqua rei ipſius proprietas repugnet, *definitio* infirmabitur: nec tamen bona erit protinus *definitio*, quæ proprietates quaſdam habebit. nam quædam propria non conveniunt *ſoli*. Poteſt etiam intelligi primum membrum hoc modo, ut dicatur mala definitio, quæ non perſecuta ſit ea quæ ſunt communia ad ipſam uſque proprietatem. *Idem.*

4 *Sæpiſſime autem.*] De hoc vide l. 7. cap. 4 *Idem.*

5 *Quod autem proprium.*] *Differens* duobus modis à Fabio accipitur, pro eo quod proprium non eſt, ſed diſſidet ac diſcrepat: tum pro eo quod genus dividit & ſpeciem conſtituit, quo ſane modo uſurpatur à dialecticis. *Idem.*

6 *Qualis eſſe in addictis.*] Ut cum quæritur an *addictus*, quem lex ſervire donec ſolverit jubet, *ſervus* ſit. *Idem.*

7 *Ad diligentem finitionis comprehenſionem.*] Superius *differens* maxime valet ad argumentandum, quoniam infirmat *definitionem*: poſterius non ad argumentandum, ſed ad definiendum. nam dialectici *definitionem* conſtituunt ex *genere* & *differentia.* Idem.

tem finitionis comprehensionem. [1] Cicero *genus & speciem*, quam eandem *formam* vocat *à finitione* diducit, & iis quæ ad aliquid sunt subjicit: *ut si is cui argentum omne legatum est, petat signatum quoque, utatur genere: at si quis cum legatum sit ei quæ viro materfamilias esset, neget debere ei quæ in manum non convenerit specie:* quoniam [2] duæ formæ sint matrimoniorum. [3] Divisione autem adjuvari finitionem docet, eamque differre à partitione: quod hæc sit totius in partes, illa generis in formas. [4] Partes incertas esse, ut *quibus constet respublica:* formas certas, ut *quot sint species rerumpublicarum*, [5] quas tres accipimus, quæ populi, quæ paucorum, quæ unius potestate regerentur. [6] Et ille quidem non his exemplis utitur, quia scribens ad Trebatium, ex jure ea ducere maluit: ego apertiora posui. [7] *Propria* vero ad conjecturæ quoque pertinent partem: ut quia *proprium est boni, recte facere:* iracundi verbis excandescant. At contra quædam in quibusdam utique non sunt, & ratio quamvis [8] ex diverso, eadem est.

1 *Cicero genus & speciem.*] Vide Cic. in Top. ex quo hæc desumpta sunt. *Idem.*

2 *Duæ formæ.*] *Duæ* sunt *species nuptiarum:* aut enim fiunt *per coëmptionem*, quando mulier in viri manum convenit, ejusque potestatem. erant autem hæ nuptiæ legitimæ, ac illa quæ ita convenerat *in manum*, dicebatur materfamilias. erant aliæ quoque nuptiæ *quæ citra coëmptionem fiebant*, quibus uxores habebantur solo usu, ut *concubinæ*. De his latius Boëtius *in Top. Cic.* Idem.

3 *Divisione autem.*] Quædam sunt etiam definitiones divisionum & partitionum, ut docet Cicer. *in Top.* quæ fiunt vel enumeratione *formarum*, vel enumeratione *partium*. Differunt autem partes à formis, quod illæ sunt tanquam quædam membra, neque nomen totius usurpant, hæ autem notiones sunt quædam generis subjectæ, quæ generis nomen sibi vendicant. Latius hæc apud Cic. *in Topic.* & Erasm. *in Eccles.* & Fab. *lib. 7. cap. 5.* Idem.

4 *Partes incertas.*] Certus est semper *formarum* numerus: itaque aliquam in divisione omittere, peccatum sit: sæpenumero vero solet infinitior esse partium numerus, ut si quam omittas, non magnopere erres. *Idem.*

5 *Quas tres accipimus.*] *Democratia* dicitur reipub. species, cum potestas est omnis penes populum, ut olim Athenis: *Oligarchia*, cum paucorum dominatu resp. gubernatur: *Monarchia*, cum unus imperat. Addunt alii *Aristocratiam*, cum optimates imperant, sed referri potest ad *Oligarchiam.* Idem.

6 *Et ille quidem non his.*] Ad Trebatium enim libro, huic uni rei destinato, copiosius omnia executus est. *Idem.*

7 *Propria.*] Non solum *proprio* utimur ad finitionis confirmationem, ut antea docuit Fabius, verum etiam ad conjecturæ probationem: *ut si de alicujus probitate dubites*, eam colligere possis ex bonitatis proprietate. *Idem.*

8 *Ex diverso.*] Ut, *clementis est hominis & misericordis, injuriam non facere:* quod

est. *Divisio* & ad probandum simili via valet, & ad refellendum. [1] Probanti interim satis est unum habere, hoc modo, *Ut sit civis, aut natus sit oportet, aut factus.* Neganti, utrunque tollendum est, *nec natus nec factus est.* Fit hoc & multiplex, idque est argumentorum genus [2] ex remotione, quo modo efficitur totum falsum: modo id quod relinquitur, verum. Totum falsum est hoc modo, *Pecuniam te credidisse dicis: aut habuisti ipse, aut ab aliquo accepisti, aut inveniſti, aut surripuisti. Si neque domi habuisti, neque ab aliquo accepisti* [3] & cætera, *non credidisti.* Reliquum fit verum sic, *Hic servus, quem tibi vendicas aut verna tuus est, aut emptus, aut donatus, aut testamento relictus, aut ex hoste captus, aut alienus.* deinde remotis prioribus supererit alienus. Periculosum, & cum cura intuendum genus: quia si in proponendo unum quodlibet omiserimus, cum risu quoque tota res solvitur. Tutius quod [4] Cicero pro Cecinna facit, cum interrogat, *Si hæc actio non sit, quæ sit?* Simul enim removentur omnia. Vel cum duo ponentur inter se contraria, quorum tenuisse utrumlibet sufficiat: quale Ciceronis est, *Unum quidem certe, nemo erit tam iniquus Cluentio, qui mihi non concedat, si constet corruptum illud esse judicium, aut ab Habito, aut ab Oppianico esse corruptum. si doceo non ab Habito, vinco ab Oppianico: si ostendo ab Oppianico, purgo Habitum.* [5] Fit etiam ex duobus, quorum necessaria est alterutrum eligendi adversario potestas,

quod si facias injuriam, colligam te misericordem non esse. *Idem.*

1 *Probanti interim.*] Contrario modo argumentamur à *partitione.* nam si *probare* volumus, partes omnes sunt constituendæ: sin autem *negamus*, una duntaxat est tollenda. *Idem.*

2 *Ex remotione.*] Hoc argumentandi genus à Cic. in Top. vocatur *à partium enumeratione*, à Cornificio vero *expeditio.* Ideo autem *ex remotione* dicitur, quia ea quæ proposuimus, negando removere postea solemus. *Idem.*

3 *Et cætera.*] Alii, *nec certam.*

4 *Cic. pro Cæcinna.*] Hæc Cic. *argumentatio* quanquam expressam non habet partium enumerationem, potestate tamen eam complectitur, & ex remotione argumentatur, cum interea periculum enumerationis evitarit. Sic autem pro Cæcinna Pisonem Ebutii advocatum Cic. interrogat, *Age, nunc, si neutrorum quidem quisquam loco motus sit.* & cætera quæ sequuntur. *Turneb.*

5 *Fit etiam ex duobus.*] Argumentamur etiam *ex remotione* per complexionem & *dilemma*, cum duo contraria proponimus, ac eadem adversario, utrunvis concesserit, contraria efficimus. *Idem.*

stas, efficiturque ut utrum elegerit, noceat. Facit hoc Cicero pro Oppio, *Utrum cum Cottam appetisset*, [1] *aut cum ipse sese conaretur occidere*, [2] *telum ei è manibus ereptum est?* Et pro Vareno, *Optio vobis datur, utrum velitis casu illo itinere Varenum usum esse an hujus persuasu & inductu.* Deinde utraque facit accusatori contraria. [3] Interim duo ita proponuntur, ut utrumlibet electum, idem efficiat, quale est, *Philosophandum est, etiam si non est philosophandum.* Et illud vulgatum, [4] *Quo schema, si intelligitur? quo, si non intelligitur?* Et, *Mentietur in tormentis, qui dolorem pati potest: mentietur, qui non potest.* [5] Ut sunt autem tria tempora, ita ordo rerum tribus momentis consertus est. habent enim omnia *initium, incrementum, summam: ut jurgium, deinde cædes.* Est ergo hic quoque argumentorum locus invicem probantium. [6] Nam & ex initiis summa colligitur: quale est, [7] *Non possum togam prætextam sperare, cum* [8] *exordium pullum videam:* & contra,

Non

1 *Aut.*] Alii, *an.*

2 *Telum ei è manibus ereptum est.*] MS. Codex, *erutum est.* Vide Jan. Gebhard. Crepund. lib. 1. cap. 4. pag. 11.

3 *Interim duo.*] Pædianus *in Divinat.* Cic. Gell. *lib.* 4. *cap.* 15. hujusmodi dicta appellat *oxymora & affectata.* Cæterum hæc sententia significat, operam esse philosophiæ impendendam, non tamen in ea consenescendum. Neoptolemi sententia è tragœdia quapiam. Sunt qui ita hæc intelligi velint, *Nemo non philosophandum non esse probaverit, nisi rationibus ex philosophia ductis:* qui ergo id probaverit, philosophandum ei fuerit: qui probare non potuerit, non fuerit audiendus: ergo philosophandum est. *Studendum est eloquentiæ, etiamsi non est studendum eloquentiæ:* quia id nemo convicerit, nisi viribus *eloquentiæ.* Turneb.

4 *Quo schema, &c.*] *Quo schema*, si oratio intelligatur sine eo, q. d. *frustra*: sed adhuc magis si non intelligatur per ipsum. hæc enim etsi verbis contraria videntur, sensu tamen minime. sed de his fusius lib. 9. *Idem.*

5 *Ut sunt autem tria.*] Fabius *initium, incrementum*, & *summam* divisioni subjicit, propterea quod unumquodque negotium in *principium, progressum, & consummationem* dividi potest. hic tamen locus Erasmo videtur referendus *ad temporis rationem*, de quo jam dictum est: & *eventus*, de quo mox dicetur. ipsum lege in suo Ecclesiaste. *Idem.*

6 *Nam ex initiis.*] Si Fabii interpretationem sequamur, hic locus *divisioni* non subjicietur, sed à *divisione* erit alius. hoc autem exemplum est allegoricum. significat enim sperari magistratum non posse, cum tam sit infœlix & infaustum petitionis exordium. nam *prætexta* vestis est magistratuum, quæ purpureo limbo prætexitur. metaphora ducta est à texentibus. *Idem.*

7 *Non possum togam prætextam sperare.*] Vide Joh. Brodæi Miscellan. lib. 6. cap. 12. p. 557. & Cl. Salmasii notas ad Tertullian. lib. de Pallio. p. 63. 213. 365. 372.

8 *Exordium pullum.*] Erasmus legit, *exordium nullum.* Turneb. *Exordium.*]

Nos

[1] *Non dominationis causſa Syllam arma ſumpſiſſe*, argumentum eſt *dictatura depoſita*. Similiter & ex incremento in utranque partem ducitur ratio, cum in conjectura tum etiam in tractatu æquitatis, [2] an ad initium ſumma referenda ſit: id eſt *an ei cædes imputanda ſit à quo jurgium cœpit*. [3] Eſt argumentorum locus ex ſimilibus, *Si continentia virtus, utique & abſtinentia*. [4] *Si fidem debet tutor, & procurator*. Hoc eſt ex eo genere, quod ἐπαγωγὴν Græci vocant, [5] Cicero *inductionem*. [6] Ex diſſimilibus, *Non ſi lætitia bonum, & voluptas*. [7] *Non quod mulieri, idem pupillo*. [8] Ex contrariis, *Frugalitas bonum, luxuria enim malum. Si malorum causſa bellum eſt, erit emendatio pax. Si veniam meretur qui imprudens nocuit, non meretur præmium qui imprudens profuit*. [9] Ex pugnantibus, *Qui eſt ſapiens, ſtultus non eſt*.

Ex

Nos *exomium* non *exordium* legimus. Græci ἐξωμίδα vocant. Eſt autem ſubſtricta ac brevis tunica, citra humerum deſinens. Brodæus lib. 6. cap. 12.

1 *Non dominationis causſa.*] Hiſtoria nota ex Plutarch. in *Syllæ vita*. Turn.

2 *An ad initium.*] *Cædes* progreſſus eſt quidam medius inter jurgium & ſtragem. hoc igitur argumentum eſt ab incremento ad initium. Sic Eraſmus. *Idem.*

3 *Eſt argumentorum locus.*] Similia ſunt, quæ in eadem qualitate inter ſe conferuntur. differunt à *comparatione*. eſt enim *comparatio* in quantitate, *ſimilitudo* in qualitate. De hoc vide *Cic. in Top.* & 2. *de Oratore*. Idem.

4 *Si fidem debet.*] *Debet ille fidem*, qui ſatisdare debet datis fidejuſſoribus, ne ſe male gerat in tuis negotiis. eſt autem hoc exemplum ex Cic. ductum, *in Top.* Idem.

5 *Cic. inductionem.*] *Inductio* à Cic. in *Top.* ſimilitudini ſubjicitur. nam multorum ſimilium collectione eo pervenit quo vult. *Idem.*

6 *Ex diſſimilibus.*] Hæc à differentia in *Top.* vocat Cic. *in* 2. *de Oratore* à diſſimilitudine. *Idem.*

7 *Non quod mulieri.*] Hoc exemplum ſumptum eſt ex Cic. in *Top.* cujus eſt ſenſus, non ſi mulieri argentum ſolvere poſſis ſine tutoris auctoritate, idem facere poſſis pupillo. Porro olim mulieres erant in perpetua tutela: quæ ratio eſt hujus exempli. *Idem.*

8 *Ex contrariis.*] *Contraria* dicuntur, quæ ſub eodem genere poſita multum à ſeipſis diſtant. quanquam Fabius hoc loco *contraria* accepiſſe videtur pro his quæ vulgo *oppoſita* vocantur. Vide Cic. in *Topicis*. Idem.

9 *Ex repugnantibus.*] *Conſequentia, repugnantia*, & *antecedentia* apud Cic. *argumentationes ſunt hypotheticæ*, apud Fab. *loci* ſunt *argumentorum*, qui ſignificant rei quandam connexionem & adjunctionem. Itaque *conſequentia* Fabii, ſunt *adjuncta* Ciceronis. Itaque Fabius multis hic non placet, quod, ut ajunt, *conſequentia* & *adjuncta* tam confuſe tradat, potiſſimum quod ea conjungat quæ natura ſunt diverſa. ſiquidem alius eſt locus *ab adjunctis*, alius *à conſequentibus*. *Adjuncta* enim à Cic. dicuntur, quæ negotium antecedunt, ut apparatus, aut in ipſo ſunt negotio, aut poſt negotium: quem locum oratorum proprium eſſe dicit, & ſæpenumero tractari in cauſa conjecturali. Verum locus ex *conſequentibus* longe alius *ab adjunctis*. nam ſicut alter *rhetoricus* eſt, ita totus iſte *dialecti-*

Ex consequentibus, sive adjunctis, *Si est bonum justitia, recte judicandum. Si malum perfidia, non est fallendum.* Idem retro. Nec sunt his dissimilia, ideoque huic loco subjicienda, cum & ipsa naturaliter congruant: *Quod quis non habuit, non perdidit. Quem quis amat sciens, non lædit. Quem quis hæredem suum esse voluit, charum habuit, habet, habebit.* [1] Sed cum sint indubitata, vim habent pene signorum immutabilium. Sed hæc consequentia dico ἀκόλουθα. est enim consequens sapientiæ bonitas. illa sequentia ἐπαγόμενα, quæ postea facta sunt, aut futura. [2] Nec sum de nominibus anxius. vocet enim ut voluerit quisque, dum vis rerum ipsa manifesta sit: appareatque, hoc temporis, illud esse naturæ. Itaque non dubito hæc quoque consequentia, quamvis ex prioribus dent argumentum ad ea quæ sequuntur. Quorum quidam duas species esse voluerunt: *actionis*, ut pro Oppio, *Quos educere invitos in provinciam non potuit, eos invitos retinere quî potuit? Temporis*, in Verrem, [3] *si finem Prætoris edicto afferunt Calendæ Januarii, cur non initium quoque edicti nascatur à Calendis Januarii?* Quod utrunque exemplum tale est, ut idem in diversum, si retroagas, valeat. Consequens enim est, *eos qui inviti duci non potuerint, invitos non potuisse retineri.* [4] Illa quoque quæ ex rebus mutuam confirmationem præstantibus ducuntur, quæ

cus. Item hoc differunt inter se, quod ab *adjunctis* spectatur in tempore, à *consequentibus* in natura. item quod Cic. locum ab *antecedentibus*, *consequentibus* & *repugnantibus* eundem esse dicit, & in conditione consistere. *Idem.*

1 *Sed cum sint.*] *Consequentia* & *adjuncta* magna ex parte adjunctionis necessitatem non habent: quæ tamen necessitatem habent, illa non minus sunt indubitabilia, quam signa necessaria. *Idem.*

2 *Nec sum de.*] Videtur Fab. velle se excusare quod locos hos confuderit, hoc prætextu, quod non est solicitus admodum de nominibus, modo res ipsa percipi possit. Confundendo nomina, confundit & res ipsas. quanquam enim prior debet esse rerum cura, verborum tamen non est negligenda diligentia, per quæ res intelliguntur. *Idem.*

3 *Si finem Prætoris edicto, &c.*] Olim *Prætoris edictum* annua duntaxat lex erat. cum igitur magistratum inirent Calendis Januariis, inde quoque vis edicti nascebatur. *Idem.*

4 *Illa quoque quæ.*] Quæ Cic. in *lib. de Inventione* appellat ex rebus sub eandem rationem venientibus, videntur esse *relativa*, quæ inter se mutuum habent respectum, ut alterum absque altero esse non possit. & subjici posse loco *ab oppositis* sive *contrariis* rectius videntur. *Idem.*

1 *Ego*

quæ proprii generis videri quidam volunt, & vocant ἐκ τῶν πρός ἄλληλα, Cicero ex rebus sub eandem rationem venientibus, fortiter consequentibus junxerim: *Si portorium Rhodiis locare honestum est, & Hermacreonti conducere.* &, *Quod discere honestum, & docere.* Unde illa, non hac ratione dicta, sed efficiens idem Domitii Afri sententia est pulchra, [1] *Ego accusavi, vos damnastis.* Est invicem consequens & quod ex diversis idem ostendit: *ut qui mundum nasci dicit, per hoc ipsum & [2] deficere significet, quia deficit omne quod nascitur.*[3] Simillima est his argumentatio, qua colligi solent ex iis quæ faciunt, ea quæ efficiuntur, aut contra: quod genus *à causis* vocant. Hæc interim necessario fiunt, interim plerunque sed non necessario. Nam corpus in lumine utique umbram facit, & umbra ubicunque est, ibi esse corpus ostendit. [4] Alia sunt, ut dixi, *non necessaria*, vel utrinque, vel ex altera parte. *Sol colorat: non utique qui est coloratus, à sole est. Iter pulverulentum facit: sed nec omne iter pulverem movet: nec quisquis est pulverulentus, ex itinere est.* Quæ utique fiunt, talia sunt. *Si sapientia bonum virum facit, bonus vir est utique sapiens.* Ideoque boni est honeste facere: mali, turpiter: & qui honeste faciunt, boni: qui turpiter, mali recte judicantur. Ad hoc, *exercitatio plerunque robustum corpus facit: sed non quisquis est robustus, exercitatus: nec quisquis exercitatus,*

1 *Ego accusavi.*] Eadem dixisset ratione, si ita extulisset, *Si vobis honestum fuit damnare, & mihi accusare.* nunc aliter extulit, sed idem effecit. Videtur autem hæc sententia Domitii desumpta ex 13. Ovidii *Metamorph.* ubi Ulysses in hunc modum argumentatur per locum à relative oppositis, *An Palamedem crimine falso Accusasse mihi turpe est, vobis damnasse decorum?* Idem.

2 *Quia deficit, &c.*] Secundum Physicos, *quicquid natum est, interibit*, & quicquid interibit natum est. Hæc igitur invicem se consequuntur: & hac ratione Platonem oppugnat Arist. qui dixit *mundum esse quidem natum, nunquam tamen interiturum.* Idem.

3 *Simillima est his.*] Ex quatuor causis duæ magis tractantur à rhetoribus & dialecticis, *finalis* & *efficiens.* nam reliquæ magis sunt *physici*, & alioqui magis sunt cum causa quam causæ, ut adeo sub duas priores reduci possint. De his vide Cic. in *Top.* & Rodolph. *lib.* 1. Idem.

4 *Alia sunt, ut dixi.*] *Causas* appellat *necessarias* Fab. in quibus necessaria est argumentatio, ut ab effectu ad causam, & à causa ad effectum: reliquas vero non *necessarias*, quanquam alii *necessarias* appellant causas, quæ effectum necessarium gignunt, quanquam non sit recursus. *Idem.*

1 *Et*

citatus, robustus est. Nec quia fortitudo præstat ne mortem timeamus, quisquis mortem non timuerit, vir fortis erit existimandus. *Nec si capitis dolorem facit, inutilis hominibus Sol est.* [1] Et hæc ad hortativum maxime genus pertinent. *Virtus facit laudem, sequenda igitur: at voluptas infamiam, fugienda igitur.* [2] Recte autem monemur, causas non utique ab ultimo esse repetendas: [3] ut Medea, [4] *Utinam ne in nemore Pelio.* Quasi vero id eam fecerit miseram aut nocentem, quod illic ceciderit Abiegna ad terram trabes. Et Philocteta Paridi, [5] *Si imperasses tibi, ego nunc non essem miser.* Quo modo pervenire quo libet, retro causas legentibus licet. [6] His illud adjicere ridiculum putarem, nisi eo Cicero uteretur, quod conjugatum vocant: ut, [7] *Eos qui rem justam faciant, juste facere.* quod certe non eget probatione. [8] *Quod compascuum est, compascere licere.* [9] Quidam hæc quæ vel

1 *Et hæc ad hortativum.*] Nam cum duo sint loci generis deliberativi, *an fieri possit, an expediat*, primum colligimus ab *efficientibus*, postremum *à finalibus causis*. Ioci igitur *causarum* maxime ad genus *deliberativum* spectant. *Idem.*

2 *Recte autem monemur.*] *Causa* hæc est *materialis*, quæ tamen (ut dixit) sub efficientibus comprehenditur. non est autem causa ab ultimo repetenda; nam Cic. quoque remotum argumentandi genus vitiosum putat. Vide Cic. in *Top.* Idem.

3 *Ut Medea.*] Forte melius, *ut in Medea.* nam hæc verba in tragœdia Ennii & Euripidis non sunt *Medeæ*, sed nutricis ejus. *Idem.*

4 *Utinam ne in nemore Pelio.*] Apud Eurip. initio Medeæ. v. 3. Μὴ δ' ἐν νάπαισι Πηλίου. &c. *Pith.*

5 *Si imperasses.*] Sic emendat Raphael contra veterem lectionem, quæ est, *Si par esses tibi, ego nunc non essem miser*, id est, tibi si moderari potuisses. *Turneb.*

6 *His illud.*] Locum *à conjugatis*, quem interdum Cic. vocat *à conjunctis*, parum probare videtur Fab. Cicero tamen non semel hoc loco usus est etiam in causis gravissimis, proinde non est negligendus. Aristotel. tamen & Themistius separant locum à *conjugatis*, à *loco*, à *casibus*, ut conjugata sint quæ eodem fonte manant, qualia sunt, *sapio, sapiens, sapientia.* A casibus vero putant duci à verbo aut nomine ad adverbium. Cicero tamen *à conjugatis* non separat, & conjugatorum nomine complectitur. *Conjugata* Cicer. in *Top.* συζυγίαν vocari ait Arist. 1. Top. σύστοιχα. Fabius autem ideo *conjugata* subjicit causis, quia conjugatum conjugatæ est causæ, ut *justitia hominem efficit justum.* alii tamen *à causa* separant. *Idem.*

7 *Eos qui rem justam faciant, &c.*] Deuteron. 16. 20. *Quod justum est, juste persequaris.* Arist. Pol. *Impossibile esse ait juste agere non justa agentibus.* Pith.

8 *Quod compascuum est.*] *Compascuus ager* dicitur publicus, in quo pascere licet omnibus. Erat & *ager scriptuarius*, in quo pascere licebat pecora omnibus, constituta tamen certa pecunia. *Turneb.*

9 *Quidam hæc.*] Tamen hæc appellatio potius significat id quod efficitur & exit ex causis, id est, *eventa*: quæ Fabius quoque causis subjecit. *Idem.*

1 *Appositæ*

vel ex causſis vel ex efficientibus diximus, alieno nomine vocant ἐκβάσεις, id est *exitus*. Nam, nec hîc aliud tractatur, quam quid ex quoque eveniat. [1] *Appoſita* vel *comparativa* dicuntur, quæ minora ex majoribus, majora ex minoribus, paria ex paribus confirmantur. Conjectura ex majore, [2] *Si quis ſacrilegium facit, faciet & furtum.* Ex minore, [3] *Qui facile ac palam mentitur, pejerabit.* [4] Ex pari, *Qui ob rem judicandam pecuniam accepit, & ob dicendum falſum teſtimonium accipiet.* Juris confirmatio est ejuſmodi, Ex majore, *Si adulterum occidere licet, & loris cædere.* Ex minore, [5] *Si furem nocturnum occidere licet, quid latronem?* Ex pari, *Quæ pœna adverſus interfectorem patris juſta eſt, eadem adverſus matris.* [6] Quorum omnium tractatus versatur in syllogiſmis. Illa magis finitionibus aut qualitatibus proſunt, *Si robur corporibus bonum non eſt, minus ſanitas. Si furtum ſcelus, magis ſacrilegium.* [7] *Si abſtinentia virtus, & continentia.* [8] *Si mundus providentia regitur, adminiſtranda eſt reſpublica. Si domus ædificari ſine ratione non poteſt, quid agendum in navalium cura,*

1 *Appoſita vel.*] Ultimum locum *ab effectis* Cic. vocat *comparationem*, qui locus à comparatione maxime est oratorius, valetque ad probandum, exornandum & amplificandum. differt à *ſimilitudine*, quia in *comparatione* duo in aliquo tertio conferuntur, *in ſimilitudine* utrunque in ſingulis comparatur. *Appoſita* vocat *comparata*, quia quæ comparantur, juxta ſe collocantur & apponuntur. alii legunt *appoſitiva*. De his vide Cic. *in Top.* & 2. *de Orat.* Idem.

2 *Si quis ſacrilegium.*] Cum argumentamur à *majori* ad *minus*, valet argumentatio affirmative, non etiam negative. *Idem.*

3 *Qui facile.*] Cum argumentamur ex *minore*, valet argumentatio negative, non etiam affirmative: alioqui argumentum fiet duntaxat veriſimile, & longe infirmius. *Idem.*

4 *Ex pari.*] Argumentum *à pari* valet affirmative & negative. *Idem.*

5 *Si furem nocturnum.*] Ulpianus *ad legem Aquiliam* ait permiſſum fuiſſe *lege* 12. *tabul.* ut fur *diurnus* impune interficeretur ſi ſe defenderet: *nocturnus* etiam ſi ſe non defenderet, dum tamen proclamaret interfector. *Idem.*

6 *Quorum omnium.*] Cum ſyllogiſmus oriatur ex ea re quæ ſcripto cauta non eſt, cum ſcripto tamen habet ſimilitudinem, nullo certiore poteſt confirmari argumento quam per comparationem. *Idem.*

7 *Si abſtinentia.*] Hoc exemplum antea poſuit in *ſimilitudine*, ut videatur confundere *ſimilitudinem* quadantenus cum *comparatione*. videtur autem magis eſſe exemplum *comparationis*. Idem.

8 *Si mundus.*] Hoc exemplum pertinere videtur ad *proportionem* & *analogiam*, quæ merito quoque ſubjicitur comparationi. *ut* enim *deus eſt in mundo regendo, ſic magiſtratus in regenda Republica.* Idem.

1 *Ac*

cura, & armorum? [1] Ac mihi quidem sufficeret hoc genus, sed in species secatur. Nam & ex pluribus ad unum, & ex uno ad plura ([2] unde est, *Quod semel, & sæpius*) & *ex parte ad totum*, & *ex genere ad speciem*, & *ex eo quod continet, ad id quod continetur*, & *ex difficilioribus ad faciliora*, & *ex longe positis ad propiora*, & ad omnia quæ contra sunt: eadem ratione argumenta ducuntur. Sunt enim & hæc majora & minora, aut certe vim similem obtinent: quæ si persequamur, nullus erit ea concidendi modus. Infinita est enim rerum comparatio, *jucundiora, graviora, magis necessaria, honestiora, utiliora.* Sed mittamus plura, ne in eam ipsam quam vito loquacitatem incidam. Exemplorum quoque ad hæc infinitus est numerus, sed pauciſſima attingam. Ex majore, pro Cecinna, [3] *Quod exercitus armatos movet, id advocationem togatorum non videbitur movisse?* Ex faciliore, [4] in Clodium & Curionem, *Ac vide an facile fieri tu potueris, cum is factus non sit, cui tu concessisti.* Ex difficiliore, [5] *Vide quæso, Tubero, ut qui de meo facto non dubitem, de Ligarii audeam confiteri.* Et ibi, *An sperandi Ligario causſa non sit, cum mihi apud te locus sit etiam pro altero deprecandi?* Ex minore, pro Cecinna, *Itane vero scire esse armatos sat est ut vim factam probes, in manus eorum incidere non est satis?* [6] Ergo ut breviter contraham summam, ducun-

1 *Ac mihi quidem.*] Tres illas species comparationis Cic. in 4. formas dividit, in *numerum, speciem, vim, & affectionem* ad res aliquas. Arist. quoque *lib.* 3. *Top.* locos omnes comparationis fusissime tractat, quem magna ex parte sequutus est in *Top.* Cic. *Idem.*

2 *Unde est, Quod semel.*] Hæc particula videtur esse proverbialis: ac certe latissimam potest habere significationem, ut dicamus, verbi causa, *minus graviter esse plectendum qui semel deliquerit, quam qui sæpius:* aut *ut rara bona vulgaribus præstantiora dicamus*, ac sic in reliquis. *Idem.*

3 *Quod exercitus, &c.*] *Advocationem* appellat cœtum advocatorum, id est, amicorum qui cum Cæcinna venerant in rem præsentem, qui ab adversario de fundo metu fuerunt dejecti: unde argumentatur Cic. in *oratione pro Cæcinna.* Idem.

4 *In Clodium & Curionem.*] Exemplum est ex oratione edita in competitores Clodium & Curionem, quæ fortasis est Cic. Citatur autem à Fabio *in cap. de genere demonstrativo.* Idem.

5 *Vide quæso.*] Difficilius enim erat Ciceroni se *Pompejanum* fateri, quam hoc ipsum de Ligario concedere. *Idem.*

6 *Ergo.*] *Epilogus* prædictorum locorum, à quibus argumenta fere duci solent. *Idem.*

1 *Esse-*

ducuntur argumenta à personis, causis, locis, tempore (cujus tres partes diximus, conjunctum, præcedens, insequens) facultatibus (quibus instrumentum subjecimus) modo (id est ut quicque sit factum) finitione, genere, specie, differentibus, propriis, remotione, divisione, initio, incrementis, summa, similibus, dissimilibus, pugnantibus, consequentibus, efficientibus, [1] effectis, eventis, jugatis, comparatione, quæ in plureis diducitur species. [2] Illud adjiciendum videtur, duci argumenta non à confessis tantum, sed etiam à fictione, quod Græci κατὰ ὑπόθεσιν vocant. Et quidem ex omnibus iisdem locis quibus superiora, quia totidem species esse possunt fictæ, quot veræ. Nam fingere hoc loco est proponere aliquid, quod si verum sit aut solvat quæstionem, aut adjuvet: deinde id de quo quæritur, facere illi simile. Id quo facilius accipiant juvenes nondum scholam egressi, primo familiaribus magisque usitatis exemplis ostendam. Lex est, [3] *Qui parentes non aluerit vinciatur. Non alit quis, & vincula nihilo minus recusat.* Utitur fictione, [4] *si miles, si infans sit, si reipublicæ caussa absit.* Et illa contra [5] optionem fortium, *si tyrannidem petat, si templorum eversionem.* [6] Plurimumque ea res virium habet contra scriptum. Utitur his Cicero pro Cecinna, [7] *Unde tu, aut familia, aut pro-*

1 *Effectis.*] *Effecta* proprie dicuntur causarum efficientium, *eventa* reliquorum: quanquam *eventa* quoque quicquid ex causis evenit significant. *Idem.*

2 *Illud adjiciendum.*] Non solum argumentamur *asseveranter*, hoc est ex confessis & veris, verum etiam *ex conditione* & proposito, quod κατὰ ὑπόθεσιν vocant Græci. tamen Rodolph. *lib.* 2. *c.* 8. hæc ait non tam esse *argumenta* quam novas quæstiones. Cic. tamen in Topicis exempla quædam ponit ficta, quæ ad hunc locum reduci debent. Utrunque conferre poteris. Hermogenes quoque ponit *enthymemata* quædam ficta. Argumentamur autem hoc modo, *cum posito* (ut ajunt) *casu aliquid probamus.* Idem.

3 *Qui parentes, &c.*] Hæc lex olim erat in Græcia, appellabaturque *Pelargica*, id est, Ciconialis, quia erat de parentum alimentis. eam tamen emendavit Solon Athenis, ut filius duntaxat hoc casu parentes alere cogeretur, si ab illis optime esset literis institutus. *Idem.*

4 *Si miles.*] His fictionibus adversus scriptum nititur, suntque *enthymemata* quæ dicuntur *elenctica.* Idem.

5 *Optionem fortium.*] Fortem virum hic appellat *tyrannicidam*, cui lex permittebat optare quicquid vellet. *Idem.*

6 *Plurimumque ea res virium.*] Ubi quæstio est *de lege* aut *scripto*, ambiguitatemque in se habent, nulla re magis refelluntur quam argumento per fictionem. *Idem.*

7 *Unde tu.*] Verba sunt edicti prætoris,

procurator tuus. Si me villicus tuus solus dejecisset: [1] *non familia dejecisset, ut opinor, sed aliquis de familia. Si vero ne habeas quidem servum præter eum qui me dejecerit*, & alia in eodem libro plurima. Verum eadem fictio valet & ad qualitates, [2] *Si Catilina cum suo consilio nefariorum hominum, quos secum eduxit, hac de re posset judicare, condemnaret L. Murænam.* Et ad amplificationem, [3] *si hoc tibi inter cœnam in illis immanibus poculis tuis accidisset.* Sic &, [4] *Si respub. vocem haberet.* Has fere sedes accepimus probationum in universum: quas neque generatim tradere sat est, cum ex qualibet earum innumerabilis argumentorum copia oriatur: neque per singulas species exequi patitur natura rerum: [5] quod qui sunt facere conati, duo pariter subierunt incommoda, ut & nimium dicerent nec tamen totum. Unde plurimi cum in hos inexplicabiles laqueos inciderunt, omnem etiam quem ex ingenio suo potuerant habere conatum, velut astricti certis legum vinculis perdiderunt: & magistrum respicientes, naturam ducem sequi desierunt. [6] Nam ut per se non sufficit scire *omnes probationes aut à personis aut à rebus peti*, quia utrunque in plura dividitur: ita ex antecedentibus & junctis & insequentibus trahenda esse argumenta qui acceperit, protinus in hoc sit instructus, ut quid in quaque caussa dicendum

ris, quæ hodie quoque habentur in titulo *de vi & vi armata*. Idem.

1 *Non familia dejecisset.*] Ulpianus titulo de *vi armata*, ait, servum unum non efficere familiam, ac ne duos quidem. *Idem.*

2 *Si L. Catilina.*] Exemplum ex oratione Cic. *pro Muræna*. Idem.

3 *Si hoc tibi.*] Ex Antoniana 2. *Idem.*

4 *Si resp. vocem haberet.*] *Prosopopœiam* Fab huic loco subjicit, ut Cic. quoque in *Topicis*. ait enim permissum esse hoc loco oratoribus & philosophis, ut muta inducant loquentia: res quoque supra fidem augeatur, quæ dicitur *hyperbole*. Est autem exemplum ex oratione Cic. *pro Milone*. Idem.

5 *Quod qui sunt facere conati.*] Ut in *comparatione* reprehendebat eos qui *comparationis* species persequerentur, idem quoque facit adversus eos qui in singulis locis species sectantur. cui vitio sunt obnoxii, qui infinita singulorum locorum congerunt axiomata: ipsi *maximas* vocant. Arist. quoque in *Top.* hoc genere plerunque peccat. *Idem.*

6 *Nam ut per se.*] Fabii sententia est, non omnia esse petenda ab illis *argumentorum sedibus*, sed permulta esse ducenda ex ipsius causæ proprietate. non igitur loci satis instruunt oratorem ad probandum, nisi etiam *natura* & *experientia* valuerit, ut ipsum thema diligenter excutere possit. *Idem.*

1 *Hoc*

dum sit ex his sciat: præsertim cum plurimæ probationes in ipso caussarum complexu reperiantur, ita ut sint cum alia lite nulla communes, eæque sint & potentissimæ, & minime obviæ, quia communibus ex præceptis propria invenienda sunt. [1] Hoc genus argumentorum sane dicamus *ex circunstantia*, quia περίστασιν dicere aliter non possumus: vel ex iis quæ cujusque caussæ propria sunt: ut in illo adultero sacerdote, qui lege qua unius servandi potestatem habebat, se ipse servare voluit, proprium est controversiæ dicere. *Non unum nocentem servabis quia te dimisso adulteram occidere non licebit.* Hoc enim argumentum lex facit, quæ prohibet adulteram sine adultero occidi. Et illa, in qua lex est, [2] *ut argentarii dimidium ex eo quod debebant, solverent:* [3] *creditum suum totum exigerent.* Argentarius ab argentario solidum petit. Proprium ex materia est argumentum creditoris, idcirco adjectum esse in lege, *ut argentarius totum exigeret.* Adversus alios enim [4] non opus fuisse lege: cum omnes præterquam ab argentariis totum exigendi jus haberent. Cum multa autem novantur in omni genere materiæ, tum præcipue in iis quæstionibus quæ scripto constant, quia vocum est in singulis ambiguitas frequens, adhuc [5] in conjunctis magis. Et hæc ipsa plurium legum aliorumve scriptorum vel congruentium vel repugnantium complexu varientur necesse est: cum res rei, aut jus juris quasi signum est:

1 *Hoc genus arg.*] *Argumenta* illa quæ ex peculiari thematis natura ducuntur, appellat Fab. *ex circumstantia*, quia rem ipsam de qua quæstio est circumstant. Fabius lib. 3. περίστασιν *negotium* vertit, non *circunstantiam.* Idem.

2 *Ut argentarii.*] *Argentarii*, qui & *trapezitæ* dicuntur, sunt, qui per mensam argentum credere solent ad usuram. erant hujuscemodi, quales nunc sunt *majores campsores*, ut minores olim dicebantur *numularii* & ἀργυραμοιβοί. *Idem.*

3 *Creditum.*] Debitam sibi pecuniam. *Creditum* autem dicit, ut præceptum, mandatum. *Creditum* autem & *creditam pecuniam* docti: *debitum* vel *debitam pecuniam* vulgus dicit. *Idem.*

4 *Non opus fuisse lege.*] Quia unusquisque etiam si *argentarius* non est, creditum totum exigere potest. est igitur adjectum in lege, ut *argentarius* totum exigeret non solum ab alio, verum etiam ab argentario. *Idem.*

5 *In conjunctis magis.*] Innuit Fab. in quæstionibus legitimis maxime versari argumenta quæ *ex circumstantia* ducuntur, propter earum causarum innovationem, frequentem *amphibologiam*, & *homonymiam.* Idem.

est: *Non debui tibi pecuniam, nunquam me appellasti. Usuram non accepisti, ultro à me mutuatus es.* [1] Lex est, *Qui patri proditionis reo non affuerit, exheres sit.* Negat: *nisi si pater absolutus sit.* Quid signi? Lex altera. *Proditionis damnatus, cum advocato exulet.* [2] Cicero pro Cluentio *Publium Popilium & Tiberium Guttam dicit non judicii corrupti, sed ambitus esse damnatos.* Quid signi? *quod accusatores eorum, qui erant ipsi ambitus damnati,* [3] *è lege sint post hanc victoriam restituti.*

[4] Nec minus in hoc curæ debet adhiberi, quid proponendum, quam quomodo sit quod proposueris probandum. Hic omnino vis inventionis si non major, certe prior. [5] Nam ut tela supervacua sunt nescienti quid petat: sic argumenta, nisi prævideris cui rei adhibenda sint. Hoc est quod [6] comprehendi arte non possit. Ideoque cum plures eadem didicerint, generibus quidem argumentorum similibus utentur: alius tamen alio plura quibus utatur, inveniet. [7] Sit exempli

1 *Lex est, Qui patri.*] Ex lege altera, qua filius si patri affuerit *proditionis damnato*, mittitur in exilium, colligimus, si pater damnatus fuerit, eique filius non affuerit, filium nullo modo plectendum. lex igitur superior de exhæredatione hunc habet intellectum, ut filius si patri reo proditionis non adfuerit, paterque absolutus sit, exhæredetur, alias non exhæredetur. *Idem.*

2 *Cic. pro Cluentio.*] *Popilius* & *Gutta* judices fuerunt cum Oppianicus est damnatus, iidemque postea damnati sunt. igitur accusator Cluentii ait eos fuisse damnatos corrupti judicii: Cic. negat, sed ait damnatos ambitus. *Idem.*

3 *E lege sint post hanc victoriam restituti.*] Lex est apud jurisconsultos, ut qui ex aliqua lege condemnatus fuerit, si ejusdem criminis reum aliquem peragere possit, in integrum & pristinum statum restituatur. *Idem.*

4 *Nec minus.*] Fabius docet non solum pleraque *argumenta* duci à causæ proprietate, verum etiam *propositiones* & *quæstiones.* itaque vis inveniendi cum magna ex parte posita sit in argumentis & propositionibus, magna ex parte à proprietate causæ ducitur. Itaque utrunque curandum diligenter, ut inveniamus quid proponamus, & quo proposita probemus: in quibus duobus fere omnis *inventionis* vis consistit. De hoc vide Eras. lib. 2. *de Copia*, qui & ipse tractat fusissime thema sequens *de Thesßalis*, quod in certas propositiones dividit, easque amplificat. *Idem.*

5 *Nam ut tela.*] Non aliter quam qui in tenebris digladiantur, quique nesciunt in quos tela conjiciunt, *frustra* id *facere* dicuntur: sic orator nisi cognoverit quo probationes suas sit directurus, videbitur more *andabatarum* pugnare: quos scribunt auctores temere nullaque arte tela jaculari. *Idem.*

6 *Comprehendi arte non possit.*] Nam ars duntaxat comprehendit, quæ *generalia* sunt: quæ autem oriuntur à proprietate litis, sunt *singularia*, & in singulis causis evariant, ita non cadunt sub artis comprehensionem & præcepta. *Idem.*

7 *Sit exempli gratia.*] Huc pertinent ea quæ

exempli gratia propoſita controverſia, quæ minime communes cum aliis quæſtiones habet: *Cum Thebas evertiſſet Alexander, invenit tabulas quibus centum talenta mutua Theſſalis dediſſe Thebanos continebatur. Has, quia erat uſus commilitio Theſſalorum, donavit his ultro. poſtea* [1] *reſtituti à Caſſandro Thebani repoſcunt Theſſalos.* [2] Apud Amphictyonas agitur. *Centum talenta & credidiſſe eos conſtat, & non recepiſſe.* Lis omnis ex eo quod Alexander ea Theſſalis donaſſe dicitur, pendet. Conſtat illud quoque, *non eſſe his ab Alexandro pecuniam datam.* quæritur ergo, *an perinde ſit quod datum eſt, ac ſi pecuniam dederit.* Qui proderunt argumentorum loci, niſi hæc prius videro, *nihil eum egiſſe donando, non potuiſſe donare, non donaſſe?* Et prima quidem actio facilis ac favorabilis, repetentium jure, quod vi ſit ablatum: ſed hinc aſpera & vehemens quæſtio exoritur de jure belli, dicentibus Theſſalis hoc regna, populos, fines gentium atque urbium contineri. Inveniendum contra eſt quod diſtet hæc cauſſa à cæteris [3] quæ in poteſtatem victoris venirent: nec circa probationem res hæret, ſed circa propoſitionem. Dicamus in primis in eo quod in judicium deduci poteſt, *nihil valere jus belli: nec armis erepta, niſi armis poſſe retineri.* Itaque ubi illa valeant, *non eſſe judicem: ubi judex ſit, illa nihil valere.* Hoc inveniendum eſt, ut adhiberi poſſit argumentum. [4] *Ideo captivos, ſi in patriam ſuam redierint, liberos eſſe, quia bello parta, non niſi eadem vi poſſideantur.* Proprium eſt & illud cauſſæ, quod

ea quæ à Rodolpho Agricola ſcribuntur *lib. 2. cap. 11.* de una quæſtione in plures multiplicanda. nam ea res ſuppeditat multitudinem propoſitionum. huc etiam faciunt quæ ab Hermogene tractantur *de capitibus*, tum in libro *de ſtatibus*, tum in tertio *de inventione*. Idem.

1 *Reſtituti à Caſſandro.*] Caſſander unus ex Alexandri ducibus, Thebas quas Alexander everterat, poſt ejus mortem reſtituit. eſt autem hæc hiſtoria apud *Diodorum Siculum*. Idem.

2 *Apud Amphictyonas.*] *Amphictyones* judices erant totius Græciæ, qui in *Thermopylis* de litibus diſceptabant. eo autem conventus fiebat ab omnibus Græciæ populis. *Idem.*

3 *Quæ in poteſtatem victoris venirent.*] Nam corpora omnia in poteſtatem victoris veniunt, non etiam jura quæ corpore carent. agitur autem de *jure crediti*. Idem.

4 *Ideo captivos.*] *Juriſconſulti* ajunt, ea quæ capta ſunt ab hoſtibus, ſi denuo redeant, jure poſtliminii priſtina jura recuperare. *Idem.*

quod Amphictyones judicant: [1] ut alia apud centumviros, alia apud privatum judicem in iisdem quæstionibus ratio sit. Tum secundo gradu *non potuisse donari à victore jus, quia id demum sit ejus, quod ipse teneat:* [2] *jus, quod sit incorporale, apprehendi manu non posse.* Hoc reperire difficilius, quam cum inveneris, argumentis adjuvare: ut *alia sit conditio hæredis: alia victoris:* quia ad illum jus, ad hunc res transeat. Proprium deinde materiæ, jus [3] publici crediti transire ad victorem non potuisse, quia quod populus crediderit: omnibus debeatur: & quandiu quilibet unus superfuerit, esse eum totius summæ creditorem: *Thebanos autem non omnes in Alexandri manu fuisse.* Hoc non extrinsecus probatur, quæ vis est argumenti, sed ipsum per se valet. Tertii loci pars prior magis vulgaris, *non in tabulis esse jus:* itaque multis argumentis defendi potest. Mens quoque Alexandri duci debet in dubium, [4] *honorarit eos, an deceperit.* Illud jam rursus materiæ proprium, & velut novæ controversiæ, *quod* [5] *restitutione recepisse jus, etiam siquod amiserint, Thebani videntur.* Hîc & quid Cassander velit, quæritur: sed vel potentissima apud Amphictyonas [6] æqui tractatio est. [7] Hæc non idcirco dico, quod inutilem horum locorum, ex quibus argumenta

1 *Ut alia apud Centumviros.*] *Centumviri* tempore Cic. de litibus *privatis* cognoscebant. apparet Fabii tempore immutatam fuisse horum cognitionem, ut etiam *de publicis* causis judicarent. sic antea eos dixit cognoscere de *causis capitalibus.* Idem.

2 *Jus, quod sit incorporale.*] Jurisconsulti *res* ajunt alias esse *corporales*, alias *incorporales*: illas tangi & videri posse, has non posse. *corporales* igitur ad victorem tranſeunt, *incorporales* non item. *Idem.*

3 *Publici crediti.*] *Publicum creditum* vocat, quod universa gens aut natio mutuo dedit: idque debetur quandiu unus ex gente illa aut natione superstes est. *Idem.*

4 *Honorarit eos.*] Alii codices habent, *oneraverit*, alia *exoneraverit*, id est, debitis absolverit, quæ lectio constare potest: qua voce utuntur jurisconsulti frequenter. *Idem.*

5 *Restitutione recepisse jus.*] Significat non simul cum tabulis *jus* etiam transire, alias si quis tabulas meas haberet aut surriperet, *jus* etiam haberet, cum tamen sit *jus incorporale.* Idem.

6 *Æqui tractatio est.*] Quidam judices sententiam ferunt ex legum præscripto, alii (ut *Amphictyones*, quorum libera est cognitio) æquitatem magis sectantur. illic igitur proderit æquitatis tractatio. *Idem.*

7 *Hæc non.*] *Artis loci* non satis instruunt hominem, nisi solertia quadam & experientia peculiares causæ propositiones & argumenta possit eruere. *Idem.*

menta ducuntur cognitionem putem, alioqui nec tradidissem, sed ne si qui cognoverint ista, si cætera negligant, perfectos se protinus atque consumnatos putent: & nisi in cæteris quæ mox præcipienda sunt, elaboraverint, mutam quandam scientiam consecutos intelligant. [1] Nec enim artibus editis factum est ut argumenta inveniremus: sed dicta sunt omnia antequam præciperentur: mox ea scriptores observata & collecta ediderunt. Cujus rei probatio est, quod exemplis eorum veteribus utuntur. & ab oratoribus illa repetunt: ipsi nullum novum, & quod dictum non sit, inveniunt. Artifices ergo illi, qui dixerunt: sed habenda iis quoque gratia est, per quos labor nobis detractus est. [2] Nam quæ priores beneficio ingenii singula invenerunt, nobis & non sunt requirenda, & nota omnia. [3] Sed non magis hoc sat est, quam palæstram didicisse, nisi corpus exercitatione, continentia, [4] cibis ante omnia natura juvetur, sicut contra ne illa quidem satis sine arte profuerint. [5] Illud quoque studiosi eloquentiæ cogitent, neque omnibus in caussis ea quæ demonstravimus, cuncta posse reperiri: neque cum proposita fuerit materia dicendi, scrutanda singula, & velut ostiatim pulsanda, ut sciant an ad probandum id quod intendimus, forte respondeant: nisi cum discunt, & adhuc usu carent. Infinitam enim faciet ipsa res dicendi tarditatem, si semper necesse sit ut tentantes unumquodque eorum, quod sit aptum atque conveniens, experiendo noscamus: nescio an etiam impedimento futura sint,

1 *Nec enim.*] Ante artem ullam dicendi conscriptam fuit *dicendi facultas*. nam ars ipsa initium habuit ab observatione. *Idem.*

2 *Nam quæ priores.*] Μελέτη πάντα δύναται.

3 *Sed non magis.*] Significat præceptiones artis non prodesse sine *studio*, *exercitatione*, & *natura*, ut docuit lib. primo. *Turneb.*

4 *Cibis.*] Athletæ certam victus formulam sequebantur, ac valentissimis alimentis nutriebantur: unde dicitur Celso *victus athleticus*, & Juvenali athletarum panis dicitur *coliphium*. Idem.

5 *Illud quoque.*] Non omnes loci (ut docet Cic.) cadunt in quamlibet disputationem, ac quidam magis proprii sunt conjecturæ, ut *causæ* & *adjunctæ* quidam finitionis, ut *proprium*, *differens*, *genus*, atque ita deinceps in reliquis. *Idem.*

sint, nisi & animi quædam ingenita natura, & studio exercitata velocitas, recta nos ad ea quæ conveniunt caussæ, ferant. [1] Nam ut cantus vocis plurimum juvat sociata nervorum concordia, si tamen tardior manus, nisi inspectis dimensisque singulis quibus quæque vox fidibus jungenda sit: dubitet, potius fuerit esse contentum eo quod simplex canendi natura tulerit: ita hujusmodi præceptis debet quidem aptata esse & citharæ modo intenta ratio doctrinæ: sed hoc exercitatione multa consequendum, ut quemadmodum illorum artificum, etiam si alio spectent, manus tamen ipsa consuetudine ad graves, acutos, medioque horum [2] sonos fertur: sic oratoris cogitationem nihil moretur hæc varietas argumentorum & copia, sed quasi offerat se, & occurrat: & ut literæ syllabæque scribentium cogitationem non exigunt, sic rationes sponte quadam sequantur.

1 *Nam ut cantus vocis.*] Sic olim faciebant *citharœdi*. nam & citharam pulsabant & accinebant. at *citharistæ* duntaxat citharam pulsant, non etiam accinunt. *Idem.*

2 *Sonos graves.*] *Hypate* & *parhypate* gravem efficiunt sonum in cithara & lyra, *nete* & *paranete* acutum, *mese* & *paramese* & *lichanos* medium. *Idem.*

Cap. XI.

De exemplis.

11 Tertium genus ex iis quæ extrinsecus adducuntur in caussam, Græci vocant παράδειγμα, quo nomine & generaliter usi sunt in omni similium appositione, & [1] specialiter

Exemplum à Fabio latius accipitur. nam & *similitudinem* complectitur, & id quod speciali nomine *exemplum* nuncupamus. porro *exempla* Fabius separavit ab *argumentis*, qui non tam sunt *argumenta* quam *argumentationes*. unde Græci argumentationem partiuntur in *syllogismum, enthymema, inductionem, & exemplum*. Idem.

1 *Specialiter.*] Nam *exemplum species est similitudinis*, ut testatur Cic. in *Top.* *Exempla* enim idem efficiunt quod *similia*, nec quicquam interest nisi quod hæc sumuntur à factis cum auctoritate. Ut, quemadmodum equum si exerceas, paulatim redditur ad ferendos summos labores tolerabilior: ita corpus hominis si per gradus assuescat majoribus, tolerat quæ alius non auderet attingere: Simile est. Exemplum erit, Milo Crotoniates qui

cialiter in iis quæ rerum gestarum auctoritate nituntur. Nostri fere *similitudinem* vocare maluerunt, quod ab illis [1] παραβολὴ dicitur: hoc alterum, *exemplum:* quanquam & hoc simile est: & illud, exemplum. Nos quo facilius propositum explicemus, utrumque παράδειγμα esse credamus, & ipsi appellemus *exemplum.* [2] Nec vereor ne videar repugnare Ciceroni, qui *collationem* separat ab *exemplo.* [3] Nam idem omnem argumentationem dividit in duas partes, *inductionem* & *rationem*, ut plerique Græcorum in παράδειγμα & ἐπιχείρημα: dixeruntque παράδειγμα ῥητορικὴν ἐπαγωγήν. [4] Nam illa qua plurimum Socrates est usus, hanc habuit viam, ut cum plura interrogasset quæ fateri adversario necesse esset, novissime id de quo quærebatur, inferret, cui simile concessisset. Id est *inductio.* [5] Hoc in oratione fieri non potest: sed quod illic interrogatur, hic fere sumitur. Sit igitur illa interrogatio talis, *quod est pomum generosissimum? nonne quod optimum?* concederetur. [6] *Quid equus? qui generosissimus: nonne*

qui singulis diebus ad aliquot stadia gestando vitulum, eundem post taurum factum ad tantundem spacii facile gestavit. Vide Erasm. in Eccles. & Rod. Agricolam. *Idem.*

1 Παραβολὴ] *Parabola* comparatio est qualitati similis. est etiam nonnunquam *sermo ænigmaticus*, latentem habens utilitatem. primo modo latinis dicitur *similitudo*, estque prior species paradigmatis, dicta quod alteri παραβάλλει, hoc est *assimilatur*, & quasi umbra prævium veritatis est, inquit Hieronymus *ad Algasiam quæst.* 6. Idem.

2 *Nec vereor.*] Cic. in *lib. de Inventione* comparabilia ponit in collatione, exemplo, & imagine, atque ita *collationem* ab *exemplo* separat: se tamen Ciceroni non refragari ostendet Fabius. *Idem*

3 *Nam idem.*] Eodem *lib. de Inventione.* Ut enim dialectici *argumentationem* omnem dividere solent in *syllogismum* & *inductionem*, ita quoque rhetores in *epicherema* & *exemplum.* ac certe *epicherema* respondet syllogismo, *paradigma* autem inductioni, ut testatur Arist. primo cap. *posteriorum analyticorum.* Fab. autem superiori cap. *de epicherematibus* egit, nunc *de exemplis:* atque ita Ciceronis divisionem sequitur. *Idem.*

4 *Nam illa qua.*] Tres ponuntur à Suida inductionis species: *dialectica*, quæ ex enumeratione singularum colligit universale: *oratoria*, quæ multarum similitudinum appositione conficit quod vult: *Socratica*, quæ similium interrogatione rei similis tandem elicit confessionem. duæ posteriores pertinent ad *exemplum.* Idem.

5 *Hoc in ratiocinatione fieri non potest.*] Sunt qui impense laborarunt, sed frustra, ut *inductionem* ad syllogismum redigerent: cæterum Fabius hoc in loco satis indicat hoc fieri non posse: tum quia *inductio* progreditur à singularibus ad universalia, contra vero *syllogismus:* tum quia in *inductione* fere utimur interrogatione, quod in *syllogismo* non licet. *Idem. Oratione.*] Alii, *ratiocinatione.*

6 *Quid equus? qui generosissimus.*] Juvenal.

nonne qui optimus? & plura in eundem modum. Deinde, cujus rei gratia rogatum est, *quid homo? nonne is generosissimus, qui optimus?* fatendum erit. Hoc in testium interrogatione valet plurimum, in oratione perpetua dissimile est. etenim sibi ipse respondet orator. *Quod pomum generosissimum? puto quod optimum: & equus, qui velocissimus:* ita hominum, non qui claritate nascendi, sed qui virtute maxime excellet. Omnia igitur ex hoc genere sumpta necesse est aut similia esse, aut dissimilia, aut contraria. [1] Similitudo assumitur interim & ad orationis ornatum, sed illa cum res exiget: nunc ea quæ ad probationem pertinent, exequar. Potentissimum autem est inter ea quæ sunt hujus generis, quod proprie vocamus *exemplum*, id est rei gestæ, [2] aut ut gestæ, utilis ad [3] persuadendum id quod intenderis, commemoratio. Intuendum igitur, totum simile sit, an ex parte: ut aut omnia ex eo sumamus, aut quæ utilia erunt. Simile est, *Jure occisus est Saturninus, sicut Gracchi.* Dissimile, *Brutus occidit liberos proditionem molientes*, [4] *Manlius virtutem filii morte multavit.* Contrarium, [5] *Marcellus ornamenta Syracusanis hostibus restituit, Verres eadem sociis abstulit.* [6] Et probandorum & culpandorum ex his confirmatio eosdem

venal. *Quis generosa putat nisi fortia? nempe volucrem Sic laudamus equum.*

1 *Dissimilitudo assumitur.*] *Similitudo* legendum hoc loco videtur. nam Fab. lib. 8. *duo* facit *similitudinis genera, alterum* quod ad illustrationem orationisque ornamentum pertineat: *alterum* quod ad probationem. Prior *ornatui* subjicitur, posterior ad *confirmationem* spectat, de qua hoc loco agit. *Idem. Similitudo.*] Alii, *Dissimilitudo.*

2 *Aut ut gestæ.*] Hanc addit particulam propter exempla fabulosa & poëtica, quæ per fictionem fiunt: de quibus egit cap. *de argumentis*, & post etiam ager. Vel ideo hoc addit, ut significet non semper *exemplum* verum esse, sed interdum verisimile tantum. *Turneb.*

3 *Persuadendum.*] Alii, *suadendum.*

4 *Manlius virtutem.*] *Manlius Torquatus* consul filium adolescentem fortissimum, quod extra ordinem absque consulis imperio cum hoste manum conseruisset, cum alioqui victoriam reportasset, securi percussit. Bruti historia nota ex 2. lib. Livii *ab urb. cond.* Turneb.

5 *Marcellus.*] Exemplum sumptum ex sexta Verrina Cic. *Pugna, inquit, erat Agathoclis regis in tabulis picta præclare, &c.* quæ seq. *Idem.*

6 *Et probandorum.*] Significat *exempla* locum habere in genere *demonstrativo*, sicque ut in *judiciali* duci à simili, dissimili, & contrario. addit etiam locum habere in *deliberationibus* quæ de futuro sunt. *Idem.*

1 *Diony-*

dem gradus habet. Etiam in iis quæ futura dicemus, uti lis similium admonitio est: ut si quis dicens, [1] *Dionysium idcirco petere custodes salutis suæ, ut eorum adjutus armis tyrannidem occupet:* hoc referat exemplum, *eadem ratione* [2] *Pisistratum ad dominationem perveniisse.* Sed ut sunt exempla interim tota similia, ut hoc proximum: sic interim ex majoribus ad minora, ex minoribus ad majora ducuntur. *Si propter matrimonia violata* [3] *urbes eversæ sunt, quid fieri adultero par est?* [4] *Tibicines cum ab urbe discessissent publice revocati sunt: quanto magis* [5] *principes civitatis viri, & bene de republica meriti, cum invidiæ cesserint, ab exilio reducendi?* Ad exhortationem vero præcipue valent imparia. *Admirabilior in fœmina quam in viro* [6] *virtus.* Quare *si ad fortiter faciendum accendatur aliquis, non tantum afferent momenti Horatius & Torquatus,* [7] *quantum illa mulier cujus manu Pyrrhus est interfectus: & ad moriendum non tam Cato & Scipio quam Lucretia:* quod ipsum est ex minoribus ad majora. Singula igitur horum generum ex Cicerone (nam unde potius?) exempla ponamus. Simile est hoc pro Muræna, [8] *Etenim mihi ipsi accidit, ut cum duobus patritiis, altero improbissimo atque audacissimo, altero modestissimo*

1 *Dionysium.*] *Patrem* intelligi puto, qui perpetui imperii cupidissimus fuit usque ad crudelitatem. *Idem. Dionysium.*] Arist. 1. Rhet. Justin. l. 11.

2 *Pisistratum.*] *Pisistratus* multis vulneribus corpori illatis lectica delatus est in forum, conquestusque est sibi illata ab inimicis: impetratisque à populo corporis custodibus, tyrannidem occupavit. Simile refert de M. Antonio Cic. *in Philip.* Idem.

3 *Si, &c. urbes eversæ.*] Ut *Troia.* Idem.

4 *Tibicines.*] *Tibicines* certo die solebant epulari in Jovis templo. id cum essent vetiti facere, *Tybur* secessserunt, ex senatusconsulto tamen sunt revocati, quod sacra fieri non possent absque musica. *Idem.*

5 *Principes civitatis.*] Valer. lib. 2 tit. de instit. antiq.

6 *Virtus.*] Fortitudo, quæ vulgo *audacia* dicitur, quum *audacia* fere in malo est, ut *virtus* in bono. Qua ratione *fortiter* dicimus, pro *audaciter.* Idem.

7 *Quantum illa mulier.*] *Pyrrhus rex Epirotarum* Argos irruperat. in conflictu à quodam sauciatus, cum ulciscivellet, mater illius quem Pyrrhus insequebatur, conspicata filii periculum, de tecto regulam in caput Pyrrhi devolvit, Pyrrhumque interfecit. *Idem.*

8 *Etenim mihi ipsi.*] Servius Sulpitius *Muræna* dicebat ad consulatum ambitu perveniisse: quia cum ipse patricius esset, à *Muræna* dignitate superari non potuisset. quod ut refutet Cicero, exemplum suum confert, qui anno priore novus homo duobus patriciis in consulatu prælatus fuerit. *Idem.*

simo atque optimo viro peterem: superavi tamen dignitate Catilinam, gratia Galbam. Majus minoris, pro Milone, *Negant intueri lucem esse fas ei qui à se hominem occisum esse fateatur. In qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant? nempe in ea, quæ primum judicium de capite vidit M. Horatii fortissimi viri, qui nondum libera civitate, tamen populi Romani comitiis liberatus est, cum sua manu sororem esse interfectam fateretur.* Minus majoris, *occidi, non Spurium Melium, qui annona levanda, jacturaque rei familiaris, quia nimis amplecti plebem putabatur, in suspicionem incidit regni appetendi, &c.* deinde, *Sed cum* (auderet enim dicere, cum patriam periculo liberasset) *cujus nefarium adulterium in pulvinaribus. & totus in Clodium locus.* Dissimile plures [1] caussas habet, fit enim genere, modo, tempore, loco, cæterisque, per quæ fere omnia Cicero præjudicia quæ de Cluentio videbantur facta, subvertit: [2] Contrario vero exemplo censoriam notam, laudando censorem Africanum, qui eum quem [3] pejerasse conceptis verbis palam dixisset, testimonium etiam pollicitus si quis contradiceret, nullo accusante, [4] traducere equum passus est. quæ quia erant longiora, non suis verbis exposui. Breve autem apud [5] Virgilium contrarii exemplum est,

At non ille, satum quo te mentiris, Achilles
Talis in hoste fuit Priamo.

Quædam autem ex iis quæ gesta sunt, tota narrabimus: ut Cicero pro Milone, *Pudicitiam cum eriperet militi tribunus militaris in exercitu Caji Marii, propinquus ejus imperatoris, interfectus ab eo est, cui vim afferebat. Facere enim probus adolescens periculose, quam perpeti turpiter maluit: atque hunc ille summus vir scelere solutum, periculo libera-*

1 *Caussas.*] Alii, *casus.*

2 *Contrario vero.*] Valer. lib. 4. tit. de animi moderat.

3 *Pejerasse conceptis verbis.*] Antiqui in jurejurando certam verborum formulam observabant, idque *conceptis verbis jurare* dicebant. quod si quis tum falsum dixisset, *conceptis verbis pejerasse* ferebatur. *Turneb.*

4 *Traducere equum.*] Hoc factum dicitur à Valerio in Cajum Licinium sacerdotem, equitem Romanum. porro Romani equites Idibus Quintilibus recognoscebantur, *equumque traducebant.* id autem *traductio* appellatur & *transvectio*, vulgo *monstra.* Idem.

5 *Virgilium.*] Virgil. Æneid. 2.

liberavit. Quædam significare satis erit, ut idem, ac pro eodem, *Neque enim posset aut Hala ille Servilius, aut P. Nasica, aut L. Opimius, aut me consule senatus non nefarius haberi, si scelleratos interfici nefas esset.* Hæc ita dicentur: prout nota erunt, vel utilitas causſæ aut decor postulabit. [1] Eadem ratio est eorum quæ ex poëticis fabulis ducuntur, nisi quod iis minus affirmationis adhibetur: cujus usus qualis esse deberet, idem optimus auctor ac magister eloquentiæ ostendit. Nam hujus quoque generis eadem in [2] oratione reperietur exemplum: *Itaque hoc, judices, non sine causſa etiam fictis fabulis doctissimi homines memoriæ prodiderunt, eum cui patris ulciscendi causſa matrem necavisset,* [3] *variatis hominum sententiis, non solum humana, sed etiam sapientissimæ deæ sententia liberatum.* [4] Illæ quoque fabulæ, quæ etiam si originem non ab Æsopo acceperunt (nam videtur earum primus auctor Hesiodus) nomine tamen Æsopi maxime celebrantur, ducere animos solent, præcipue rusticorum, & imperitorum: qui & simplicius quæ ficta sunt audiunt, & capti voluptate, facile iis quibus delectantur, consentiunt. Si quidem & Menenius Agrippa plebem cum patribus in gratiam traditur reduxisse nota illa de membris humanis adversus ventrem discordantibus fabula. Et Horatius ne in poemate quidem humilem generis hujus usum putavit, in illis versibus,

[5] *Olim quod vulpes ægroto cauta leoni, &c.*

[6] Αἶνον Græci vocant, & αἰσωποποιῆσαι, ut dixi, λόγους μυθικούς: nostrorum

1 *Eadem ratio est.*] *Exempla fabulosa* imbecilla sunt, ideoque illis in oratione vix est utendum, nisi aliorum quoque exemplorum copia suppeditet. *Turneb.*

2 *Oratione.*] Cic. pro Milone.

3 *Variatis hominum sententiis.*] Nam *Orestes*, ut Græci scholiastæ scribunt, causſam dixit apud Areopagitas, illicque absolutus est. *Turneb.*

4 *Illæ quoque fabulæ.*] *Fabulæ* variis nominibus appellantur, pro inventorum diversitate. nam quædam dicuntur *Cypriæ*, quædam *Ciliſſæ*, quædam *Sibariticæ*: cum tamen hoc fabularum genus maxime sit ab Æsopo celebratum, factum est ut *Æsopicæ* dicerentur fabulæ. *Idem.*

5 *Olim.*] Epist. lib. 1. epist. 1.

6 *Αἶνον Græci vocant.*] Αἶνος, ut ait Ammonius, explicatio quædam est sumpta ab animalibus brutis, aut plantis, ad commonitionem: παροιμία autem est ipsius αἴνου caput & compendium, ut,

cantharus

nostrorum quidam non sane recepto in usum nomine [1] apologationem. Cui confine est παροιμίας genus illud, quod est velut fabula brevior, & per allegoriam accipitur. [2] *Non nostrum, inquit, onus: bos clitellas?* [3] Proximas exempli vires habet *similitudo*, præcipueque illa quæ ducitur citra ullam translationum misturam ex rebus, pene paribus. [4] *Ut qui accipere in Campo consueverunt, iis candidatis quorum nummos suppressos esse putant, inimicissimi solent esse: sic ejusmodi judices infesti tum reo venerant.* [5] Nam συμβολὴν, quam Cicero *collationem* vocat, longius res quæ comparentur, repetere solet. Nec hominum modo inter se opera similia spectantur, ut Cicero pro Muræna facit, [6] *Quod si è portu solventibus, ii qui jam in portum ex alto invehuntur, prædicere summo studio solent & tempestatum rationem, & prædonum, & locorum: quod natura fert, ut iis faveamus qui eadem pericula quibus nos perfuncti sumus, ingrediantur: quo me tandem animo esse oportet prope jam ex magna jactatione terram videntem, in hunc, cui video maximas reip. tempestates esse subeundas?* Sed & à mutis atque etiam inanimis interim hujusmodi dicitur. Et quoniam similium alia facies tali ratione, admonendum est, rarius esse in oratione illud genus [7] quod εἰκόνα Græci vocant (quo expri-

cantharus aquilam. hæc enim paræmia in se continet etiam *apologum.* hoc tamen non fit in omnibus proverbiis. *Idem.*

1 *Apologationem.*] Plaut. Sticho Apologum vide.

2 *Non nostrum, inquit.*] Ductum est hoc proverbium ex Epistolis Cic. *ad Attic.* quo significamus injunctam alicui provinciam non idoneam, aut impositum onus non commodum. nam *bovi non imponuntur clitellæ*, sed mulis, equis, cæterisque dorsuariis animalibus. *Turn.*

3 *Proximas exempli vires.*] Vide Rodolph. *lib.* 1. *cap.* 16. Idem.

4 *Ut qui accipere.*] In magistratuum comitiis *divisores* quidam ac *sequestres pecunias* distribuebant in tribus & centurias, quo suffragia emerent candidatis. *Idem.*

5 *Nam* συμβολὴν] *Similitudo à collatione* discrepat: nam è propinquo ducitur & rebus pene paribus, *collatio* vero longius repetitur, nec solum res hominum comparat, verum etiam brutorum & rerum inanimatarum. *Idem.*

6 *Quod si è portu.*] Hujusmodi similitudinis comparationem solent appellare *à proportione* plerique dialectici: de qua posterius. *Idem.*

7 *Quod* εἰκόνα *Græci vocant.*] *Imago* formæ est, cum *forma* expressa repræsentatio & similitudo. Arist. *imaginem* differre putat *à metaphora*, sola quasi enunciatione. nam si Achillem voces leonem, *metaphora* est: si illum ut leonem in hostes irruisse dicas, est εἰκὼν, id est, *imago.* Idem.

1 *Quis*

exprimitur rerum aût perſonarum imago: ut Caſſius: [1] *Quis iſtam faciem* [2] *planipedis ſenis torquens?*) quam id quo probabilius fit quod intendimus: ut ſi animum dicas excolendum, ſimilitudine utaris terræ, quæ neglecta ſentes atque dumos, culta fructus creat: aut ſi ad curam reip. horteris, oſtendas [3] apes etiam, formicaſque non modo muta, ſed etiam parva animalia, in commune tamen laborare. Ex hoc genere dictum illud eſt Ciceronis, *Ut corpora noſtra ſine mente, ita civitas ſine lege, ſuis partibus ut nervis ac ſanguine & membris uti non poteſt.* Sed ut hac corporis humani pro Cluentio, ita pro Cornelio, *equorum:* pro Archia, *ſaxorum* quoque uſus eſt ſimilitudine. Illa (ut dixi) propiora, *ut remiges ſine gubernatore, ſic milites ſine imperatore nihil valere.* [4] Solent tamen fallere ſimilitudinum ſpecies: ideoque adhibendum eſt his judicium. Neque enim *ut navis utilior nova quam vetus, ſic amicitia: vel ut laudanda quæ pecuniam ſuam pluribus largitur, ita quæ formam.* Verba ſunt in his ſimilia, [5] vetuſtatis, & largitionis: vis quidem longe diverſa, *pecuniæ*, & *pudicitiæ.* Itaque in hoc genere maxime quæritur, an ſimile ſit quod infertur. [6] Etiam in illis interrogationibus Socraticis, quarum paulo ante feci mentionem, cavendum ne incaute reſpondeas: ut apud Æſchinem Socraticum male reſpondit [7] Aſpaſia Xenophontis uxor: quod Cicero his verbis

1 *Quis iſtam faciem planipedis ſenis.*] Gebhard. Crepund. lib. 2. cap. 15. p. 95. ex Ms. Cod. *Lanipedis* legit.

2 *Planipedis ſenis.*] *Planipedes* dicitur comœdia admodum humilis, cujus actio ab hiſtrionibus citra ſoccum plano pede peragitur. Eodem quoque nomine appellatur *mimus*, qui eam comœdiam agit. *Turneb.*

3 *Apes etiam formicaſque.*] Ariſt. *primo cap. lib. primi de hiſtoria animalium*, ait *apes* monarchiam habere, *formicas* democratiam. *Idem.*

4 *Solet tamen*] Ideo apud ruſticos ſæpius quam doctos uſurpari ſolet. *Idem*

5 *Vetuſtatis & largitionis.*] *Largitionem* referre debemus ad pecuniam, *vetuſtatem* ad amicitiam & navim. Alii legunt *venuſtatem*, ut de eodem dictum accipiamus, quemadmodum in redditione dixit Fabius. *Idem.*

6 *Etiam in illis interrog.*] *Inductio Socratica* quæ per interrogationem fit, maxime ſolet reſpondentem illaqueare. cum enim res multas proponat, nec ſatis intelligat qui reſpondet quæ ſit ſecutura concluſio, facile decipitur. hoc genere fallebat *ſophiſtas* Socrates.

7 *Aſpaſia.*] Legendum videtur *Aſpaſiæ*, ut ex Cic. *lib. 1. de Inventione* apparet. nec enim *Aſpaſia* vocatur Xenophontis uxor: & cum Xenophontis uxore di-

verbis transfert, *Dic mihi, quæso, Xenophontis uxor si vicina tua melius habeat aurum, quam tu habes, utrum illius, an tuum malis? Illius, inquit. Quid si vestem & cæterum ornatum muliebrem pretii majoris habeat, quam tu habes, tuum, an illius malis? Illius vero respondit. Age, inquit, si virum illa meliorem habeat, quam tu habes, virumne tuum, an illius malis?* Hîc mulier erubuit, merito. male enim responderat, *se malle alienum aurum, quam suum:* nam est id improbum. At si respondisset, *malle se aurum suum tale esse, quale illud esset,* potuisset pudice respondere, *malle se virum suum talem esse, qualis melior esset.* Scio quosdam inani diligentia per minutissimas ista partes secuisse, & esse aliquid minus simile, ut *simia homini*, & ut marmora [1] deformata prima manu: aliquid plus, ut illud, *Non ovum tam simile ovo.* Et dissimilibus inesse simile, [2] ut est *formicæ* & *elephanto* genus, quia sunt animalia. Et similibus dissimile:

— Ut canibus catulos, & matribus hœdos:

differunt enim ætate. Contrariorum quoque aliter accipi oppositа ut *noctem luci*, aliter noxia, ut *frigidam febri:* aliter repugnantia, ut *verum falso:* [3] aliter disparata, ut *dura non duris.* Sed quid hæc ad præsens propositum magnopere pertineant, non reperio. Illud est annotandum, magis argumenta duci ex jure simili: ut Cicero in Topicis, *Ei cui domus* [4] *ususfructus relictus sit, non restituturum hæredem si corruerit,*

re disputat *Aspasia* apud Æschinem. *Idem. Aspasia Xenophontis uxor.*] Fuit Sophistria quæ Rhetoricem docuit & Periclem amavit. Vide Vossium lib. 3. Instit. Orat. VI. p. 377.

1 *Deformata prima manu.*] *Primam manum* appellant primam scalpturam quæ opus exhibet adhuc impolitum & rude. at *summam manum* vocant, cum opus ad unguem expolitur. *Turneb.*

2 *Ut est formicæ & elephanto genus.*] Nam *genus* nihil aliud quam collectio similitudinis, quæ in speciebus reperitur. quanquam igitur *species* inter se discrepant genere, tamen consentiunt & similes sunt. *Idem.*

3 *Aliter disparata.*] *Disparata* vocat Cic. quæ negationis oppositione efferuntur: dialectici vero ea dicunt *disparata*, quæ cum nec relativa sint, nec privantia, nec contraria, nec contradicentia, tamen inter se discrepant: ut *lapis* & *homo.* Idem.

4 *Ususfructus.*] *Ususfructus* est potestas alienis rebus utendi fruendi, salvo rerum dominio. Constituitur autem in corporibus, quibus pereuntibus deperit etiam jus illud. *Idem.*

1 *Nihil*

vit, quia non restituat servum si is decesserit. Ex contrario, [1] *nihil obstat quo minus justum matrimonium sit mente coëuntium, etiam si tabulæ signatæ non fuerint. Nihil enim proderit signâsse tabulas, si mentem matrimonii non fuisse constabit.* Ex dissimili, quale est Ciceronis pro Cecinna: *Ut si quis me exire domo coëgisset armis, haberem actionem: si quis intrare prohibuisset, non haberem.* Dissimilia sic deprehenduntur, *Non si qui argentum omne legavit, videri potest signatam quoque pecuniam reliquisse:* ideo etiam quod est in nominibus, dari voluisse creditur. [2] Ἀναλογίαν quidam à simili separaverunt, nos eam subjectam huic generi putamus. Nam *ut unum ad decem, sic decem ad centum,* simile certe est: & *ut hostis, sic malus civis,* quanquam hæc ulterius quoque procedere solent. *Si turpis dominæ consuetudo cum servo, turpis domini cum ancilla, Si mutis animalibus finis voluptas, idem homini.* Cui rei facillime occurrit ex dissimilibus argumentatio. *Non idem est dominum cum ancilla coisse, quod dominam cum servo. Nec si mutis finis voluptas, rationalibus quoque.* Immo ex contrario, *quia mutis, ideo non rationalibus.* [3] Adhibetur extrinsecus in caussam & auctoritas. Hæc secuti Græcos, à quibus κρίσεις dicuntur, *judicia* aut *judicationes* vocant, non de quibus ex caussa dicta sententia est: (nam ea quidem in exemplorum locum cedunt) sed si quid ita visum gentibus, populis, sapientibus viris, claris civibus, illustribus poëtis, referri potest. Ne hæc quidem vulgo dicta, & recepta persuasione populari, sine usu fuerint testimonia. Sunt enim quodammodo vel potentiora etiam, quod non caussis accommodata, sed liberis odio & gratia mentibus: ideo tantum dicta factaque, quia

1 *Nihil obstat quo minus.*] Ulpianus scribit consensu *matrimonium* fieri. Papinianus quoque ait tabulas consignatas non *matrimonium* protinus contrahere. *Idem.*

2 Ἀναλογίαν.] Boëtius ac plerique dialectici *proportionem à similitudine* separant, nam in *similitudine* est qualitatis collatio, in *proportione* habitudinum & affectionum comparatio. *Idem.* Ἀναλογίαν *quidam à simili, &c.*] Vide Vossium Instit. Orator. lib. IV. 11. p. 86.

3 *Adhibetur extrinsecus.*] Cic. quoque in Topicis *auctoritatem* ait extrinsecus assumi, eamque refert inter locos inartificiales, & subjicit testimonio. Appellatur hic locus *à pronunciatis* à Rodolpho. *Turneb.*

quia aut honestissima, aut verissima videbantur. An vero me de incommodis vitæ differentem non adjuvabit earum persuasio nationum, [1] *quæ fletibus natos, lætitia defunctos prosequuntur?* Aut si misericordiam commendabo judici, nihil proderit quod prudentissima civitas Athenienſium, *non eam pro affectu, sed pro numine accepit?* Nam illa septem præcepta sapientum, nonne quasdam vitæ leges existimamus? Si causſam veneficii dicat audultera, non Marci Catonis judicio damnata videatur, [2] *qui nullam adulteram non eandem esse veneficam dixit?* [3] Jam sententiis quidem poëtarum non orationes modo sunt refertæ, sed libri etiam philosophorum: qui quamquam inferiora omnia præceptis suis ac literis credunt, repetere tamen auctoritatem à plurimis versibus non fastidierunt. Neque est ignobile exemplum, *Megareos ab Athenienſibus, cum de Salamine contenderent,* [4] *victos Homeri versu*, qui tamen ipse non in omni editione reperitur, significans *Ajacem naves suas Athenienſibus junxisse.* Ea quoque quæ vulgo recepta sunt, hoc ipso quod incertum auctorem habent, velut omnium fiunt: quale est, [5] *Ubi amici, ibi opes:* &, [6] *Conscientia mille testes.* & apud [7] Ciceronem. *Pares* autem ut

1 *Quæ fletibus natos, &c.*] Herodotus hoc refert de *Thraussi populis* Thraciæ finitimis, id alii etiam de Thracibus referunt, ut scribitur in epigrammate græco Archiæ. *Idem.*

2 *Qui nullam adulteram, &c.*] Hoc etiam exemplum fusius explicatur à Cornificio lib. 4. ad Herennium cum de *ratiocinatione* loquitur. *Idem.*

3 *Jam sententiis quidem.*] Cic. pro Cælio *testimonio* utitur Terentii & Cæcilii comici. Plato quoque in lib. de Rep. & Arist. in Moralibus persæpe utuntur testimonio Hesiodi & Homeri. *Idem.*

4 *Victos Homeri versu.*] Plutarchus in Solone ait Solonem illum versum inseruisse, & causam obtinuisse. Versus Homeri sunt hi,

Αἴας δ' ἐκ Σαλαμῖνος ἄγεν δυοκαίδεκα νῆας,
Στῆσε δ' ἄγων, ἵνα Ἀθηναίων ἵσταντο φάλαγγες.

Bis senis Salamine Aiax cum navibus ibat,
Cecropidum quo castra loco pesuere phalanges.

Idem exemplum affertur ab Aristot. 1. *rhetor.* quo victos Megareos ab Athenienſibus dicit. *Idem.*

5 *Ubi amici, ibi opes.*] Proverbium significat potiores esse amicos quacunque pecunia ad vitæ præsidia. potest etiam accipi in diversum sensum, ut significemus *vulgo æstimari amicitias utilitate.* Idem. *Ubi amici, &c.*] Plaut. in Trucul.

6 *Conscientia mille testes.*] Proverbium significat *conscientiam nunquam mentiri*, sed ejus compunctione pravos semper agitari. *Turneb.*

7 *Ciceronem.*] De senectute.

1 *Quæ*

(ut est in vetere proverbio) *cum paribus facillime congregantur.* Neque enim durassent hac in æternum, nisi vera omnibus viderentur. Ponitur à quibusdam, & quidem in parte prima, deorum auctoritas, quæ est ex responsis: ut *Socratem esse sapientissimum.* Id rarum est: tamen utitur eo Cicero in libro de aruspicum responsis: & in concione contra Catilinam, cum *signum Jovis columnæ impositum populo ostendit:* & pro Ligario, *cum caussam Caji Cæsaris meliorem, quia hoc dii judicaverint, confitetur.* [1] Quæ cum propria caussæ sunt, *divina testimonia* vocantur: cum aliunde arcessuntur, *argumenta.* [2] Nonnunquam contingit judicis quoque, aut adversarii, aut ejus qui ex diverso agit, dictum aliquod aut factum assumere ad eorum quæ intendimus, fidem. Propter quod fuerunt qui exempla & has auctoritates, probationum inartificialium esse arbitrarentur, quod ea non inveniret orator, sed acciperet. Plurimum autem refert. Nam *testis,* & *quæstio,* & his similia, & de ipsa re quæ in judicio est, [3] pronuntiant: extra petita, nisi ad aliquam præsentis disceptationis utilitatem ingenio applicantur, nihil per se valent.

1 *Quæ cum propria.*] Deorum auctoritas interim est *artificialis*, interim *inartificialis*, *artificialis*, cum eam causa ultro non suppeditat. sed extrinsecus assumitur oratoris industria: *inartificialis* vero, cum illam ultro causa suggerit citra oratoris industriam. *Idem.*

2 *Nonnunquam contingit.*] Sic *Asilius* cum probare vellet à Cluentio judices esse corruptos, testimonio Cic. utebatur, qui secunda Verrina dixerat, etiam ab accusatore Cluentio judices esse corruptos in judicio Juniano. *Idem.*

3 *Pronutiant.*] Alii, *renunciant.*

CAP. XII.

De usu argumentorum.

HÆc fere de *probatione* vel ab aliis tradita, vel usu percepta in hoc tempus sciebam. Nec mihi fiducia est, ut ea sola esse contendam: quinimmo hortor ad quærendum, 12

EXplicatis argumentis sequitur eorum *usus.* tradit autem Fabius communes quasdam præceptiones, quæ ad *argumentorum usum* spectant: addit quædam de eorum collatione & dispositione. *Turnebus.*

dum, & inveniri posse fateor: quæ tamen adjecta fuerint, non multum ab his abhorrebunt. Nunc breviter quemadmodum sit utendum his, subjungam. Traditum fere est, *argumentum oportere esse confessum. Dubiis enim probari dubia qui possunt?* [1] Quædam tamen quæ in alterius rei probationem ducimus, ipsa probanda sunt. *Occidisti virum, eras enim adultera.* Prius de adulterio convincendum est: ut cum id cœperit esse pro certo, fiat incerti argumentum: *Spiculum tuum in corpore occisi inventum est.* negat *suum.* ut probationi prosit, probandum est. [2] Illud hoc loco monere inter necessaria est, nulla esse firmiora, quam quæ ex dubiis facta sunt certa. *Cædes à te commissa est, cruentam enim vestem habuisti.* non est tam grave argumentum si fatetur quam si convincitur. Nam si fatetur, multis ex caussis potuit cruenta esse vestis. Si negat hic causæ cardinem ponit, in quo si victus fuerit, etiam in sequentibus ruit. Non enim videtur in negando mentiturus fuisse, nisi desperasset id posse defendi si confiteretur. [3] Firmissimis argumentorum, singulis instandum, infirmiora congreganda sunt: quia illa per se fortia, non oportet circunstantibus obscurare, ut qualia sunt appareant: hæc imbecilla natura, mutuo auxilio sustinentur. Itaque si non possunt valere quia magna [4] sunt, valebunt quia multa sunt, quæ ad ejusdem rei probationem omnia spectant: ut si quis hæreditatis gratia hominem occidisse dicatur, *Hæreditatem sperabas, & magnam hæreditatem, & pauper eras, & tum maxime à creditoribus appellabaris: & offenderas eum cujus hæres eras, & mutaturum tabulas*

1 *Quædam tamen.*] Cum ad rei alicujus probationem *argumento* utimur non confesso, illud *argumentum* non est existimandum donec confirmatum fuerit, quia ante fidem non facit. *Idem.*

2 *Illud hoc loco.*] *Argumenta* illa quæ in dubium revocantur ab adversario, si probari possunt, omnium sunt certissima, at certe longe certiora, quam si initio essent concessa. *Idem.*

3 *Firmissimis argumentorum.*] Hoc præceptum sæpius à Fabio repetitum est. Contrarium autem fieri solet in *refutatione.* nam infirmiora separantur, firma autem quasi prætereunt, quoniam cum illis pedem conferre non audemus. qua de re postea Fabius. *Idem.*

4 *Sunt.*] Alii, *non sunt.*

1 *Et*

bulas sciebas. Singula levia sunt, [1] & communia: universa vero nocent, [2] etiam si non ut fulmine, tamen ut grandine. Quædam argumenta ponere satis non est, [3] adjuvanda sunt: *ut si cupiditas caussa sceleris fuit, quæ sit vis ejus: ira, quantum efficiat in animis hominum talis affectio.* Ita & firmiora erunt ipsa, & plus habebunt decôris, si non nudos & velut carne spoliatos artus ostenderint. [4] Multum etiam refert, si argumento nitemur odii, *utrum* hoc *ex invidia* sit, *an ex injuria, an ex ambitu: vetus, an novum: adversus inferiorem, parem, an superiorem: alienum, an propinquum.* Suos habent omnia ista tractatus, & ad utilitatem partis ejus quam tuemur, referenda sunt. Nec tamen omnibus semper quæ invenerimus argumentis onerandus est judex: [5] quia & tædium afferunt, & fidem detrahunt. Neque enim potest judex credere satis esse ea potentia, quæ non putamus ipsi sufficere qui dicimus. [6] In rebus vero apertis argumentari tam sit stultum, quam in clarissimum solem [7] mortale lumen inferre. His quidam probationes adjiciunt, quas [8] παθητικὰς vocant,

1 *Et communia.*] *Communia* appellat *argumenta*, quæ non magis pro nobis faciunt, quam pro adversariis: quæ denique nullam vim probandi habent. *Turnebus.*

2 *Etiam si non ut fulmine.*] Non eas habent vires, ut more fulminis unico possint ictu percellere, possunt tamen more grandinis repetita & multiplicata plaga adversarium lædere. *Idem.*

3 *Adjuvanda sunt.*] Quanquam *argumenta* sunt adjuvanda, non tamen id faciendum est ita copiose ut semper incidamus in locos communes amplos & copiosos. Id enim 8. cap. hujus libri vetuit Fabius. *Idem.*

4 *Multum etiam refert.*] Alia ratio est confirmandi argumenti, *à causa*, cæterisque *circumstantiis*. Solent enim hæc etiam multum prodesse: ideoque diligenter examinandæ erunt. quod etiam lib. 4. de *proœmio & narratione* præcepit. *Idem.*

5 *Quia & tædium afferunt.*] Sic Cicero pro Muræna, cum permultas leves Servii Sulpitii objectiones diluisset, demum adjecit *illum nimis esse diligentem accusatorem*, qui tot argumenta & crimina afferat. Ut enim vitio datur supina negligentia in oratore, ita nimia curiositas interdum. *Idem.*

6 *In rebus vero apertis.*] Sed Cic. se in hujusmodi excusare solet, ut pro Cluentio, *Sed quid ego hæc pluribus quasi dere obscura disputem? &c.* quæ seq. Et iterum in eadem, *Neque in re nota consumam tempus exemplis.* Ideo Cic. 2. de offic. Panætium quodammodo perstringit, quod utatur in re non dubia testibus non necessariis. *Idem.*

7 *Mortale lumen.*] Sic vocat σοφὸν. Vide Jan. Gebhard. Crep. lib. 3. cap. 7. pag. 119.

8 *Παθητικὰς vocant.*] Videtur Fabius *patheticas* dixisse pro ethicis. *ethicæ* enim Aristoteli sunt, quæ ab hominum

vocant, ductas ex affectibus. Atque Aristoteles quidem potentissimum putat ex eo qui dicit, si sit vir optimus: quod ut optimum est, ita longe quidem, sed sequitur tamen, videri. [1] Inde enim illa nobilis Scauri defensio, *Quintus Varius Sucronensis ait Æmilium Scaurum rempub. populi Romani prodidisse: Æmilius Scaurus negat:* [2] Cui simile quiddam fecisse *Iphicrates* dicitur, *qui cum Aristophontem, quo accusante simili criminis reus erat, interrogasset an is accepta pecunia rempub. proditurus esset, isque id negasset: Quod igitur, inquit, tu non fecisses, ego feci?* Intuendum autem & qui sit apud quem dicimus: & id quod illi maxime probabile videatur, requirendum. Qua de re locuti sumus & in proœmii & suasoriæ præceptis. [3] Altera ex asseveratione probatio est, *Ego hoc feci. Tu mihi hoc dixisti. &, O facinus indignum.* & similia. Quæ non debent quidem deesse orationi, & si desunt, multum nocent: non tamen habenda sunt inter magna præsidia, cum hoc in eadem caussa fieri ex utraque parte similiter possit. illæ firmiores ex sua cujusque persona probationes, quæ credibilem rationem subjectam habent: ut *vulneratus aut filio orbatus non fuerit alium accusaturus, quam nocentem: quando si* [4] *negotium innocenti facit, liberet eum noxa qui admiserit.* [5] Hinc & patres adversus liberos, & adversus suos quisque

motibus ducuntur. de quibus agit hoc loco Fabius, ut *de patheticis lib. 6.* Turnebus.

1 *Inde enim illa, &c.*] Ita scribitur à Valerio. Q. Varius *Æmilium Scaurum.* Remp. prodidisse ait, *Æmilius* negat, nulli sunt testes: utri igitur Quirites fidem habetis? aitque hac probitatis fiducia absolutum esse Scaurum. *Idem.*

2 *Cui simile quiddam.*] Hoc exemplum ductum est ex secundo rhetoricorum Aristotel. quo loco agit de *enthymematum locis.* Item historia est apud Plutarch. *Idem.*

3 *Altera ex affirmatione.*] Aut *affirmationem* usurpat pro *asseveratione*, quæ vis est animi & motus, quædamque contentio argumentis admixta, ut vult Raphael, ex *affirmatione* asseverationem faciens contra omnem codicum fidem, & rei veritatem: aut adeo dixit *argumentum* fieri à moribus dupliciter, *negando*, ut supra: *affirmando*, ut hoc loco. qui sensus videtur esse commodior, ut apparebit ex cap. de *refutatione.* itaque *affirmatione* legendum est. *Idem*

4 *Negotium facit innocenti.*] Id est, *innocentem accusat.* idem, & crebrius, facessere & exhibere negotium. *Idem.*

5 *Hinc & patres.*] *Ut si pater filium abdicaret*, auctoritatem facti sui peteret à filii sui pravitate. cum alioqui parentes sint liberis semper benevoli: aut aliter, unusquisque se putat auctoritatem habere

quisque necessarios auctoritatem petunt. Quæsitum etiam, potentissima argumenta primone ponenda sint loco, ut occupent animos: an summo ut inde dimittant: an partita primo summoque. ut [1] Homerica dispositione in medio sint infirma: an à minimis crescant. Quæ prout ratio caussæ cujusque postulabit, ordinabuntur uno (ut ego censeo) excepto, *ne à potentissimis ad levissima decrescat oratio.* [2] Ego hæc breviter demonstrasse contentus, ita posui, ut locos ipsos & genera quam possem apertissime ostenderem. Quidam executi sunt verbosius, quibus placuit proposita locorum communium materia, quæque res modo dici posset, ostendere: sed mihi supervacuum videbatur. Nam & fere apparet *quid in invidiam*, quid *in avaritiam*, quid *in testem inimicum*, quid *in potentes amicos* dicendum sit. Et de omnibus his omnia dicere infinitum est, tam hercule, quam si controversiarum, quæ sunt, quæque futuræ sunt, quæstiones, argumenta, sententias tradere velim. Ipsas autem argumentorum velut sedes non me quidem omnes ostendisse confido, plurimas tamen. [3] Quod eo diligentius faciendum fuit, quia declamationes, quibus ad pugnam forensem [4] velut præpilatis exerceri solebamus, olim jam ab illa vera imagine

bere in suos consanguineos, quia sit propinquus, ac justum sit necessarios propinquis parere. *Idem.*

1 *Homerica dispositione.*] Suadent plerique omnes, ut primo loco *potentia* ponantur *argumenta*, medio *infirma*, ultimo *potentissima*. Sic Nestor apud Homerum lib. 4. Iliados, fortes prima collocat acie, imbelles media, præstantes ultima. Ejus verba sic habent, ἱππῆας μὲν πρῶτα σὺν ἵπποισιν, &c. Plura apud Cic. 2. de Orat. & in Orat. *Idem.*

2 *Ergo hæc.*] Reprehendit Fabius genus illud dicendi, quod ejus ætate inoleverat, solamque sectabatur voluptatem cum lepore. Reprehendit item quorundam artes qui in traditione *argumentorum* materiam locorum communium sigillatim tractabant, ut Aristoteles prolixe, & Boëtius multo prolixissime. qua de re supra quoque egit. *Idem.*

3 *Quod eo diligentius.*] Eo diligentius tractandum fuit *de locis*, quia eloquentia Fabii tempore ab *argumentandi* ratione degeneraverat *ad voluptatem* dicendi. quæ ratio etiam Fabium impulit ut libros de *corrupta eloquentia* conscriberet. qua de re extat quoque *dialogus Taciti*. Idem.

4 *Velut præpilatis.*] Metaphora est ducta *à Trojæ lusu*, quo hastis inter se equites decertant. Dicuntur autem *præpilatæ hastæ* præferratæ & spiculo armatæ, ad differentiam *pilarum*. quanquam *præpilatas* nonnulli explicant pro mucronatis & exacuminatis absque ferro, ut Plinius dixit, *præpilata cornicula locustarum*. Idem.

imagine orandi receſſerunt, atque ad ſolam compoſitæ voluptatem, nervis carent, non alio medius fidius vitio dicentium, quam quo [1] mancipiorum negotiatores, formæ puerorum virilitate exciſa lenocinantur. Nam ut illi robur ac lacertos barbamque ante omnia, & alia quæ natura propria maribus dedit, parum exiſtimant decora: quæque fortia, ſi liceret, forent, ut dura molliunt: ita nos habitum ipſum orationis virilem, & illam vim ſtricte robuſteque dicendi, tenera quadam elocutionis cute operimus: [2] & dum lævia ſint ac nitida, quantum valeant, nihil intereſſe arbitramur. Sed mihi naturam intuenti, *nemo non vir* [3] *ſpadone formoſior erit:* nec tam averſa unquam videbitur ab opere ſuo providentia, ut debilitas inter optima inventa ſit. Nec id ferro ſpecioſum fieri putabo, quod ſi naſceretur, monſtrum erat. [4] Libidinem juvet ipſum effœminati ſexus mendacium, nunquam tamen hoc continget malis moribus regnum, ut *ſi qua precioſa fecit, fecerit & bona.* Quapropter [5] eloquentiam licet hanc (ut ſentio enim dicam) libidinoſam reſupina voluptate auditoria probent: nullam eſſe exiſtimabo, quæ ne minimum quidem in ſe [6] indicium maſculini & incorrupti, ne dicam gravis & ſancti viri, oſtendet. An vero ſtatuarum artifices, pictoreſque clariſſimi, cum corpora quam ſpecioſiſſima fingendo pingendove efficere cuperent, nunquam in hunc inciderunt errorem, ut [7] *Bagoam* aut *Megabyzum aliquem* in exemplum operis ſumerent

1 *Mancipiorum.*] Alii, *Sunt mangones.*

2 *Et dum levia ſint, &c.*] Hac de re etiam Fabius agit lib. 2. cap. 6. cum ait illos *laſciviæ floſculos* in oratione eſſe vitandos. *Turneb.*

3 *Spadone formoſior.*] *Spado* dicitur, cui cremaſteres, id eſt, *nervuli* quibus ſuſpenſi ſunt colei, execti ſunt. *Idem.*

4 *Libidinem juvet, &c.*] Solebant enim *mangones* pueros execare ut eos carius divenderent, utpote formoſiores. id tamen ne in poſterum fieret cautum eſt imperialibus & eccleſiaſticis edictis. *Idem.*

5 *Eloquentiam libidinoſam.*] Sic vocat eam quæ ſuaviter animos & flagitioſiſſime titillat, & ingenuæ mentis robur infringit. Vide Lud. Creſollium Vacat. Autumn. l. 3. c. 19 ſect. 2. p. 568. & ſeqq.

6 *Indicium maſculini, &c.*] *Qualis eſt oratio, talis eſt etiam homo.* igitur ſi illa libidinoſa erit & laſciva nimiumque mollis, tales etiam exiſtimare hominis mores conveniet. *Turneb.*

7 *Bagoam.*] *Bagoas* lingua Perſica dicitur

rent sibi, sed [1] *Doriphorum* illum aptum vel militiæ vel palæstræ, aliorumque juvenum bellicosorum & athletarum corpora, [2] quæ esse decora vere existimarint: nos qui oratorem studemus effingere, non arma, [3] sed tympana eloquentiæ demus? [4] Igitur & ille quem instituimus, adolescens, quam maxime potest componat se ad imitationem veritatis: inituruſque frequenter forensium certaminum pugnam, jam in schola victoriam spectet, & [5] ferire vitalia ac tueri sciat: & præceptor id maxime exigat, & inventum præcipue probet. Nam ut ad pejora juvenes laude ducuntur, ita laudari in bonis [6] mallent. [7] Nunc illud mali est, quod necessaria plerunque silentio transeunt, nec in dicendo videtur inter bona [8] utilitas. Sed hæc & in [9] alio nobis tractata sunt opere, & in hoc sæpe repetenda. Nunc ad ordinem inceptum revertamur.

CAP.

citur *eunuchus*: sicque permulti apud Persas sunt appellati, ut ille à quo interfectus est *Ochus*. Hermolaus tamen Barbarus *bacelum* putat esse legendum: sic enim appellamus *semivirum*, stultum & bardum. Vide Erasm. in proverb. *bacelo similis*. Strabo autem scribit *Megabyzos* seu *Megalobyzos* appellari Dianæ sacerdotes: quod etiam testatur Plinius. Illi porro erant emasculati. Fuit & *Megabyzus* unus ex concubitoribus Darii Persarum regis, postea turpiter ab Alexandro amatus. *Idem. Ut Bagoam aut Megabysum, &c.*] Vide Gebhardi Animadvers. in Propertii illum versum lib. 2. Eleg. 3. v. 42. p. 163. & Cæl. Rhodig. Antiq. lect. l. 15. c. 8. p. 675.

1 *Doryphorum illum.*] *Doryphoros* appellant Græci satellites ac prætorianos milites, qui regibus ad custodiam corporis solent apparere. Sunt autem hi excelsa statura & egregia fere forma. Cæterum Polycletus *Doryphorum* finxit, quam statuam sibi magistram dixit fuisse Lysippus. Meminit Plin. lib. 34. *Idem.*

2 *Quæ esse decora vere existimarunt.*] Dan. leg. *decere se.* Pith. *Quæ esse, &c.*] Plutarchus in vita Alexand.

3 *Tympana.*] Vel *tympana* dixit, quia instrumentum illud simpliciter est molliciei, vel respiciens ad *Megabyzum*. sacerdotes enim Dianæ evirati, & sacerdotes Cybeles tympana pulsare solebant. *Turneb. Tympana.*] Plin. l. 35. c. & l. 34. c. 8. & Cic. in Orat.

4 *Igitur & ille.*] Hoc frequenter repetit, ut lib. 1. & lib. 2. & l. 10. fusius. *Turneb.*

5 *Ferire vitalia.*] Metaphora est ducta *à gladiatoribus*. significat autem firmamentis causæ maxime esse insistendum, illicque adversarium lædendum. sunt autem *vitalia*, viscera illa quibus vita potissimum continetur. *Idem.*

6 *Mallent.*] Alii, *Gaudent.*

7 *Nunc illud mali est, &c.*] Vide Jan. Gebhard. Crepund. lib. 1. cap. 12. p. 34. 35. Tacitum l. 2. Annal. cap. 38. lib. 14. cap. 12.

8 *Utilitas.*] An *Virilitas*?

9 *Alio opere.*] *De causis corruptæ eloquentiæ.* Turneb.

Cap. XIII.

De refutatione.

13 *Refutatio* dupliciter accipi potest. Nam & pars defensoris tota est posita in refutatione: & quæ dicta sunt ex diverso, debent utrinque dissolvi: & hæc est proprie, cui in causis quartus assignatur locus. Sed utriusque similis conditio est. Neque vero ex aliis locis ratio argumentorum in hac parte peti potest, quam in confirmatione: nec [1] locorum aut sententiarum, aut verborum & figurarum alia est conditio. [2] Affectus plerunque hæc pars mitiores habet. [3] Non sine caussa tamen difficilius semper est creditum (quod Cicero sæpe testatur) *defendere*, quam *accusare:* Primum, quod est res illa simplicior, proponitur enim uno modo, dissolvitur varie: cum accusatori satis sit plerunque, verum esse id quod objecerit: [4] patronus *neget, defendat, transferat, excuset, deprecetur, molliat, minuat, avertat, despiciat, derideat*: [5] quare indirecta fere, atque, ut sic dixerim, clamosa est actio. Hinc mille flexus & artes desiderantur. Accusator præmeditata pleraque domo affert:

PRimum *refutationis* intellectus duos ponit: subnectit eosdem esse ejus locos & confirmationis: addit *refutandi rationem* longe difficiliorem esse, quam *confirmandi:* demum explicat quibus rationibus adversariorum argumenta solvere possimus. *Refutare* autem & *refutationem* sæpius multo quam *confutare* & *confutationem* apud Cic. & Quintil. reperies. *Reprehensio* dicitur à Cic. lib. 1. de *Inventione*. Turneb.

1 *Locorum.*] Alii, *jocorum.*

2 *Affectus mitiores.*] Nam qui confirmat, utitur *contentione* & *asseveratione*, demum etiam nonnunquam judicem ad iram impellit: at qui *refutat* omnia lenius agit, ac sibi plerunque proponit æquitatem. hoc tamen non est perpetuum. *Turnb.*

3 *Non sine causa.*] Cic. lib. 2. Offic. ait duobus generibus in foro laudem parari, *accusatione* & *defensione:* defensionem tamen laudabiliorem esse, & longe difficiliorem. quod idem testatur in oratore. Et Fabius fusius *libro* 12. *cap.* 7. *Idem.*

4 *Patronus neget.*] Fabius *definitionem* omisit, eam tamen *sub negatione* intelligere debemus: quæ duplex est, *conjecturalis*, cum negamus factum: *definitiva*, cum negamus hoc esse factum. ac sic utetur in sequentibus Fabius. *Idem.*

5 *Quare indirecta.*] Hoc intelligendum videtur de *actione accusatoris*, quæ non magnam desiderat artem, sed temerario fertur impetu & indirecto. quod si intelligere id velis de actione patroni (quod tamen non æque placet) *indirecta* dicetur actio flexuosa, sinuosa & ambagiosa. *Idem.*

1 *Accusa-*

affert: patronus etiam inopinatis frequenter occurrit. Accusator dat testem: patronus ex re ipsa refellit. [1] Accusator criminum invidia, etsi falsa sit, materiam dicendi trahit, *de parricidio, sacrilegio, majestate.* quæ patrono tantum neganda sunt. Ideoque accusationibus etiam mediocres in dicendo sufficerunt: bonus defensor nemo, nisi qui eloquentissimus fuit. Nam ut quod sentio semel finiam, *tanto est accusare quam defendere, quanto facere quam sanare vulnera facilius.* [2] Plurimum autem refert, & quid protulerit adversarius, & quomodo. Primum igitur intuendum est, id cui responsuri sumus, proprium sit ejus judicii, an ad causam extra accersitum. Nam si est proprium: aut negandum aut defendendum, aut transferendum. extra hæc in judiciis fere nihil est. [3] *Deprecatio* quidem quæ est sine ulla specie defensionis, rara admodum & apud eos solos judices, qui nulla certa pronuntiandi forma tenentur: quanquam illæ quoque apud C. Cæsarem & triumviros pro diversarum partium hominibus actiones, etiam si precibus utuntur, adhibent tamen patrocinia: nisi hoc non fortissime defendentis est, dicere, *Quid aliud egimus Tubero, nisi ut quod hic potest, nos possemus?* Quod si quando apud principem, aliumve cui utrum velit liceat, dicendum erit, [4] dignum quidem morte eum pro quo loquemur, clementia tamen servandum

1 *Accusator criminum invidia.*] Accusator locis communibus in vitia, onerare solet rei personam: *loci* autem *communes* permultum valent ad suadendum, & inflammandum judicem: *patronus* autem vitium illud quod amplificatur, duntaxat negare potest aut diminuere. Hac igitur in re est longe inferior accusatore. *Idem.*

2 *Plurimum autem refert.*] Docere incipit quibus rationibus debeamus *refellere.* videndum igitur primum an adversarii objectio propria sit causæ, an non propria: deinde qua sit usus elocutione in *objectionibus* & *dispositione.* hinc hujus capitis partes dependent. *Idem.*

3 *Deprecatio quidem.*] *Deprecatio* duplex est: nam quædam habet adjunctam defensionem, ut primum scilicet factum defendamus, deinde judicem deprecemur. ea possumus uti etiam apud judicem ordinarium, eumque qui ex præscripto legum judicat. Altera est *deprecatio* cui defensio non adjungitur: qua duntaxat possumus uti apud eos qui liberam habent judicandi potestatem, nec legum vinculo astringuntur, ut *apud principem*, apud *populum*, in *senatu.* Idem.

4 *Dignum quidem morte, &c.*] *Locos deprecationis* Fabius pluribus explicat lib. 7. cap. de qualitate. *Idem.*

dum esse vel talem: primum omnium non erit res nobis cum adversario, sed cum judice: deinde forma deliberativæ magis materiæ, quam judicialis utemur. Suadebimus enim ut laudem humanitatis potius quam voluptatem ultionis concupiscat. [1] Apud judices quidem secundum legem dicturos sententiam, de confessis præcipere ridiculum est. [2] Ergo quæ neque negari neque transferri possunt, utique defendenda sunt, qualiacunque sunt: aut caussa cadendum. Negandi duplicem ostendimus formam: *aut non esse factum: aut non hoc esse, quod factum sit.* Quæ neque defendi neque transferri possunt, utique neganda: nec solum si finitio potest esse pro nobis, sed etiam si nuda inficiatio supereſt. [3] *Testes* erunt? multa in eos dicere licet. *Chirographum?* de similitudine literarum differendum. Utique nihil erit pejus quam confessio. Ultima est actionis controversia, cum defendendi negandive non est locus: translatio. Atqui quædam sunt quæ neque negari, neque defendi, neque transferri possunt. *Adulterii rea est,* [4] *quæ quum anno vidua fuisset, enixa est.* Iis non erit. Quare illud stultissime præcipitur, quod defendi non possit, silentio dissimulandum, si quidem est id de quo judex pronunciaturus est. At si extra caussam sit adductum, & tamen conjunctum, malim quidem dicere, nihil id ad quæstionem: nec esse in his morandum, & minus esse quam adversarius dicit: tamen velut huic simulationi oblivionis ignoscam. Debet enim bonus advocatus pro rei salute brevem negligentiæ reprehensionem non per-

1 *Apud judices.*] Significat *deprecationem* nudam absque defensione apud judices quibus, potestas non est judicandi libera, locum non habere. *Idem.*

2 *Ergo quæ neque.*] Ait factum non solum ita negandum esse si finitione uti possumus, sed sæpenumero *conjectura esse* utendum: est enim ea defensio firmissima. *Idem.*

3 *Testes erunt?*] Est *anthypophora:* etenim aliquis objicere potest, vix conjecturæ locum esse, quia si factum negaremus, *testes* producerentur, & *chirographa:* hoc tamen non obest, quia locum habes communem ad refutationem *testium* & *chirographorum.* Idem.

4 *Quæ quum anno vidua fuisset.*] *Gellius* tamen quandam matronam ait undecimo mense post mariti mortem esse enixam, *Adrianumque* imperatorem illam judicasse non esse adulteram. Docet quoque *Gellius* mulieres parere duodecimo mense. *Idem.*

1 *Plura*

pertimescere. Videndum etiam, simul nobis plura aggredienda sint, an amolienda singula. [1] Plura simul invadimus, si aut tam infirma sunt, ut pariter impelli possint: aut tam molesta, ut pedem conferre cum singulis non expediat. Tum enim toto corpore enitendum, & ut sic dixerim, directa fronte pugnandum est. [2] Interim si resolvere ex parte diversa dicta difficilius erit, nostra argumenta cum adversariorum argumentis conferemus. si modo, hæc, ut valentiora videantur, effici poterit. Quæ vero turba valebunt, dilucenda erunt: ut quod paulo ante dixi: *Hæres eras, & pauper, & magna pecunia appellabaris à creditoribus, & offenderas, & mutaturum tabulas testamenti sciebas.* Urgent universa. At si singula quæque dissolveris, jam illa flamma quæ magna congerie convaluerat, diductis quibus alebatur, concidet: ut si vel maxima flumina in rivos diducantur qualibet transitum præbent. [3] Itaque propositio quoque secundum hanc utilitatem accommodabitur, ut ea nunc singula ostendamus, nunc complectamur universa. Nam interim quod pluribus collegit adversarius, sat est semel proponere: ut si multas causas faciendi quod arguit, reo dicet accusator fuisse: nos non enumeratis singulis, semel hoc intuendum negemus, quia non quisquis causam faciendi sceleris habuit, & fecerit. Sæpius tamen accusatori congerere argumenta, reo dissolvere expediet. Id autem quod erit ab adversario dictum, quomodo refutari debeat, intuen-

1 *Plura simul invadimus, &c.*] Contrarium erat præceptum in *confirmatione*. nam argumentis firmis singulis insistendum erat. cæterum *impellere* dixit metaphorice pro *evertere*, ducta translatione à rebus non satis firmis, quas viribus impellere solemus & deturbare. Quo & spectat proverbialis sententia sequens *detecta fronte pugnandum*. quod fieri solet, cum hostis omni impetu invaditur. *Idem.*

2 *Interim si resolvere.*] Hanc refutationis speciem appellant *per compensationem*, cum scilicet adversariorum argumenta non diluimus, sed potiora illis opponimus. *Idem. Si resolvere, &c.*] Utitur & hoc Rhetorum verbo Petron. Satyr. p. 132. vers. 10.

3 *Itaque propositio quoque.*] Cum aliquid refutare paramus, *propositione* id de quo dicturi sumus aperimus. proinde cum vel *singula* aggredimur, vel etiam *universa*, pro eorum ratione *propositionem* instituere debemus. hoc autem præceptum pertinet ad modum *refutandi*. Turnebus.

1 *Palam*

intuendum est. Nam si erit palam falsum, negare satis est: ut pro Cluentio Cicero, *eum quem dixerat accusator epoto poculo concidisse, negat eodem die mortuum.* [1] Palam etiam contraria & supervacua & stulta reprehendere, nullius est artis: ideoque nec rationes eorum nec exempla tradere necesse est. [2] Id quoque (*obscurum* vocant) quod secreto & sine teste aut argumento dicitur factum, satis natura sua infirmum est. Sufficit enim quod adversarius non probat. Item si ad causam non pertinet. Sed tamen interim oratoris est efficere, ut quid [3] aut contrarium esse, aut à causa diversum, aut incredibile, aut supervacuum, [4] aut nostræ potius causæ videatur esse conjunctum. *Objicitur Oppio, quod de militum cibariis detraxerit asperum crimen:* sed id contrarium ostendit Cicero, quia iidem accusatores objecerint Oppio quod is voluerit exercitum largiendo corrumpere. *Testes in Cornelium accusator lecti à tribuno codicis pollicetur:* facit [5] hoc Cicero supervacuum, quia idem fateatur ipse. *Petit accusationem in Verrem Quintus Cæcilius quod fuerat quæstor ejus:* ipsum Cicero ut pro se videretur effecit. [6] Cætera quæ proponun-

1 *Palam etiam.*] Cicero *contrarium* ab *adverso* separat, ut sit *contrarium* quod ita dicitur, ut judicis factis repugnet, *Adversum* autem quod nostræ repugnet causæ. utrunque *contrarii* nomine complectitur Fabius. cæterum omnes hi loci apud Cic. habentur *libro primo de Inventione.* Idem. *Palam contraria.*] Videatur Scip. Gentilis Comment. in Apuleii Apolog. pag. 389.

2 *Id quoque.*] Fab. cap. *de Narratione*, cum de falsa expositione loquebatur, tutam esse dicebat his in rebus mentiendi occasionem. Exemplum est apud Cic. 2. Philip. de literis Antonii, ubi ait, *Atque etiam literas quas me sibi misisse diceret, recitavit homo & humanitatis expers & vitæ communis ignarus, &c.* Et paulo post, *Si quid opponat tandem, si negem me unquam istas literas ad te misisse? quo me teste convinces? an chirographo, in quo habes scientiam quæstuosam? quî possis? sunt enim librarii manu. Jam invideo magistro tuo, qui te tanta mercede quanta jam proferam, nihil sapere docuit.* Quid est enim minus, non dico oratoris, sed hominis, quam objicere adversario, quod ille si verbo negarit, longius progredi non possit qui objecerit? *Turneb.*

3 *Aut contrarium.*] Id autem facimus, cum capita quæ objecit, aut argumenta inter se conferimus, & aliquam eruimus *repugnantiam.* Idem.

4 *Aut nostræ potius causæ.*] Hæc est refutandi ratio quæ appellatur ab Hermogene βίαιον, à Latinis *violatio* aut *inversio:* quod genus omnium est firmissimum. *Idem.*

5 *Hoc Cicero.*] In divinat.

6 *Cætera quæ proponuntur.*] Quæ superioribus generibus non refelluntur, in hos locos reduci possunt, atque ita solvi. cæterum *locos communes* idcirco appellat, propterea quod omnis objectio his

ponuntur, communes locos habent. Aut enim *conjectura* excutiuntur, an vera sint : aut *finitione*, an propria : aut *qualitate*, an inhonesta, iniqua, improba, inhumana, crudelia, & cætera quæ ei generi accidunt. Eaque non modo in propositionibus aut rationibus, sed in toto genere actionis intuenda. An sit crudelis, ut [1] *Labieni Rabirium lege perduellionis* : [2] Inhumana, *ut Tuberonis Ligarium exulem accusantis, atque id agentis, ne ei Cæsar ignoscat.* Superba, ut *in Oppium ex epistola Cottæ reum factum.* Proinde præcipites, insidiosæ, impotentes deprehenduntur. Ex quibus tamen fortissime invaseris, quod est aut omnibus periculosum, ut dicit Cicero pro Tullio, [3] Quis hoc statuit unquam, aut cui concedi sine summo omnium periculo potest, ut eum jure potuerit occidere, à quo metuisse se dicat ne ipse posterius occideretur ? Aut ipsis judicibus, ut pro Oppio monet pluribus, ne illud actionis genus [4] in equestrem ordinem admittant. Nonnunquam tamen quædam bene contemnuntur, vel tanquam levia, vel tanquam ad caussam nihil pertinentia. [5] Multis hoc locis facit Cicero. Sed hæc simulatio interim hucusque procedit, ut quæ dicendo refutare non possumus, quasi [6] fastidiendo calcemus. [7] Quoniam vero

his generibus potest dilui, ut initio quoque dixit. Sunt igitur loci, ut pertinent ad *refellendum.* sunt quæstiones, ut pertinent ad *statum constituendum.* Turn.

1 *Labieni.*] Accusatus est à Labieno Rabirius *perduellionis*, quod Saturninum seditiosum trib. plebis in turba interfecisset. *accusatio* autem *perduellionis* est, quando quis accusatur quod hostili animo in rempub. fuerit. Cic. in tota oratione pro Rabirio, Labienum ut crudelem vexat, ejusque accusationem. *Idem.*

2 *Inhumana, ut.*] *Si enim in exilio est, quid amplius postulatis ? an ne ignoscatur ?* & cætera quæ sequuntur. *Idem.*

3 *Quis hoc statuit.*] Non est idonea cædis ratio, si dicas, ideo te hominem jure interfecisse, quod timeres ne ab eo interficereris nisi hoc fecisses. *Idem.*

4 *In equestrem ordinem.*] Nam *ex lege Sempronia* quibusdam actionibus equites non tenebantur, ut Cicero ostendit pro Cluentio, equites lege corrupti judicii accusari non potuisse. Porro quod sit illud actionis genus, ignoramus, cum desideretur oratio. *Idem.*

5 *Multis hoc locis facit Cicero.*] Ut *pro Cælio.* docet enim totam illam accusationem levem esse, potiusque continere amoris *expostulationem*, quam criminis insectationem. *Idem.*

6 *Fastidiendo.*] *Contemptus* non solum in rebus levibus est, & nihil ad causam pertinentibus, sed in gravissimis quoque: cum data occasione à levibus auspicati, ita procedimus ut gravia quoque pari fastidio contemnamus. *Idem.*

7 *Quoniam vero.*] Similitudinis exempli hoc

vero maxima pars eorum similibus constat, rimandum erit diligentissime, quid sit in quoque quod assumitur, dissimile. Id in jure facile deprehenditur. [1] Est enim scriptum de rebus utique diversis, tantoque magis ipsarum rerum differentia potest esse manifesta. Illas vero similitudines quæ ducuntur ex mutis animalibus, aut inanimis, facile est eludere. Exempla rerum varie tractanda sunt, si nocebunt. quæ si vetera erunt, *fabulosa* dicere licebit: si indubia, maxime quidem *dissimilia*. Neque enim fieri potest, ut paria sint omnia: *ut si Nasica post occisum Gracchum defendatur exemplo Halæ, à quo Melius est interfectus: Melium regni affectatorem fuisse, à Graccho leges modo latas esse populares: Halam magistrum equitum fuisse: Nasicam privatum esse* dicatur. [2] Si defecerint omnia, tum videndum erit an obtineri possit, ne illud quidem recte factum. Quod de exemplis, idem etiam de judicatis observandum. Quod autem posui, referre, quo quicque modo accusator dixerit, huc pertinet, ut si est minus efficaciter elocutus, ipsa ejus verba ponantur: si acri & vehementi fuerit usus oratione, eandem rem nostris verbis mitioribus proferamus: ut Cicero pro Cornelio: *Codicem attigit, & protinus cum quadam defensione: ut si pro luxurioso dicendum sit, Objecta est populo liberalior vita.* [3] *Sic & pro sordido parcum, pro maledico liberum dicere licebit.* Utique nunquam committendum est, ut adversariorum dicta cum sua confirmatione referamus, aut etiam [4] loci alicujus

pli hoc loco *refutationem* docet, ut sequenti cap. argumentorum, id est, *epicherematis* & *enthymematis*: nec quo ordine antea proposuit, hæc tractat. *Confirmationem* eorum vide c. 10. & 11. *Idem*

1 *Est enim scriptum.*] In jure cum adversarius *similitudine* utitur, *similitudinem* ab alia lege ducit: porro alia lex de alia quoque rescisci: proinde *dissimilitudo* est illic facillima. *Idem.*

2 *Si defecerint omnia.*] Si non poterimus in exemplo *dissimilitudinem* ostendere, reliquum est ut ostendamus *iniquitatem*, probemusque ne illud quidem quod in exemplum affertur, recte factum fuisse. *Idem.*

3 *Sic & pro sordido.*] Hæc defendendi ratio fit per nominum derivationem, quam mutuamur à vicinitate virtutum & vitiorum. de ea Fab. egit *cap. de demonstrativo genere, lib.* 3. Idem.

4 *Loci alicujus.*] *Locum* appellat uberiorem aliqua de re disputationem, aut adeo *amplificationem*. sequitur autem hujus rei exemplum. *Idem. Loci alicujus executione.*] Alii, *Joci alicujus excusionem.*

1 *Apud*

cujus executione adjuvemus, nisi cum eludenda: [1] Apud exercitum mihi fueris, inquit: tot annis forum non attigeris: abfueris tandiu: & cum tam longo intervallo veneris, cum iis qui in foro habitarint, de dignitate contendas? [2] Præterea in contradictionibus interim totum crimen exponitur: ut Cicero pro Scauro contra Bostarem facit, velut orationem diversæ partis imitatus. Aut pluribus propositionibus junctis: ut pro Vareno, *Cum iter per agros & loca sola faceret cum Populeno, in familiam Ancharianam incidisse dixerunt: deinde Populenum occisum esse: illico Varenum vinctum adservatum, dum hic ostenderet quid de eo fieri vellet.* Quod est utique faciendum, si erit incredibilis rei ordo, & ipsa expositione fidem perditurus. [3] Interim per partes dissolvitur, quod contextu nocet: & plerunque id est tutius. Quædam contradictiones natura sunt singulæ. id exemplis non eget. [4] *Communia* bene apprehenduntur, non tantum quia utriusque sunt partis, sed quia plus prosunt respondenti. [5] Neque enim pigebit, quod sæpe monui, referre. Commune qui prior dicit, contrarium facit. Est enim contrarium, quo adversarius bene uti potest. *At enim non verisimile est tantum scelus M. Cottam esse commentum. Quid? hoc veri-*

1 *Apud exercitum.*] Cic. *locum* quo utebatur Servius Sulpitius retulit colludendo.conquerebatur ille quod *Muræna* qui tandiu bello Mithridatico fuisset in exercitu, reversus statim consulatum adeptus esset, cum ipse esset repulsus cum semper in Repub. mansisset. *Idem.*

2 *Præterea in contradictionibus.*] *Contradictionem*, quam Æschines appellat *antithesin*, vocat Fab. cum id quod ab adversario dici contra nos poterit, occupamus ac dissolvimus: at certe hæc de *contradictione* intelligi nullo modo videtur. cumque in aliis codicibus, de *contradictionibus* legatur, hoc apparet in margine notatum fuisse, postea per imperitiam in contextum irrepsisse. *Idem.*

3 *Interim per partes.*] Qui modus tamen est adhibendus maxime, quum id, quod est ab adversario, hujusmodi est, ut una pars alteram confirmare videatur. Quare si *complexione* quadam aut *complicatione* partium insolubilis objectio adversarii videatur, unumquodque per se considerandum refutandumque venit. *Idem.*

4 *Communia bene.*] *Communia* appellantur quæ non magis pro adversario faciunt quam pro nobis: ut, *quia causam optimam habebam, idcirco Judices breviter peroravi.* Idem.

5 *Neque enim pigebit.*] Pessime accusator facit, si quod *commune* est prior ipse arripit. Festive igitur potest à defensore reprehendi, quoniam quod antea *commune* erat, postquam vendicavit sibi tanquam *proprium*, idipsum fecit sibi contrarium. *Idem.*

verisimile est tantum scelus Oppium esse conatum? [1] Artificis autem est invenire in actione adversarii, quæ inter semet ipsa pugnent, aut pugnare videantur: quæ aliquando ex rebus ipsis manifesta sunt: ut in caussa Cæliana: *Clodia aurum se Cælio commodasse dicit, quod signum magnæ familiaritatis est: venenum sibi paratum, quod summi odii argumentum est.* [2] *Tubero Ligarium accusat, quod is in Africa fuerit: & quæritur quod ab eo ipse in Africam non sit admissus.* Aliquando vero præbet ejus rei occasionem minus considerata ex adverso dicentis oratio: [3] quod accidit præcipue cupidis sententiarum, ut ducti occasione dicendi non respiciant quid dixerint, dum locum præsentem non totam caussam intuentur. Quid tam, videri potest contra Cluentium, quam censoria nota? Quid tam contra eundem quam filium ab Egnatio corrupti judicii quo Cluentius Oppianicum circunvenisset, crimine exhæredatum? At hæc Cicero pugnare invicem ostendit. [4] *Sed tu Acci consideres censeo diligenter, utrum censorium judicium grave velis esse, an Egnatii.* Si Egnatii leve est quod censores de cæteris [5] subscripserunt. Ipsum enim Egnatium quem tu gravem esse vis, ex senatu ejecerunt. Sin autem censorium hunc ipsum Egnatium quem pater censoria subscriptione exheredavit, censores in senatu, cum patrem ejicerent: retinuerunt. [6] Illa magis vitiose dicuntur,

1 *Artificis autem.*] Hoc præceptum antea posuisse videtur Fabius: nisi forte superiora dicas contrarietatem habere *per se*, hæc autem ex *consecutione*. Idem. *Artificis autem est invenire, &c.*] Videatur Scip. Gentilis Comment. ad Apul. Apolog. p. 390. 509.

2 *Tubero Ligarium accusat.*] *Ligarius* accusabatur quod in Africa fuisset adversus *Cæsarem*: quam accusationem in adversarium retorquet Cic. qui in Africam adversus *Cæsarem* ire voluerit, nec à *Ligario* admissus sit. *Turn.*

3 *Quod accidit præcipue, &c.*] Fabii tempore quibusdam nullus erat *sententiarum* modus. fieri autem solet ut ab illis qui ita *sententiis* delectantur, quædam dicantur, quæ seorsum blandiantur, non tamen in summam causæ consentiant. *Idem.*

4 *Sed tu acci.*] Argumentatio est *ex remotione*, proposita duorum necessitate, quæ *dilemma* efficit. qua de re Fab. in c. *de argumentis*. Idem.

5 *Subscripserunt.*] *Subscribere* significat adscriptione testari aliquem esse infamem. hinc *subscriptiones Censorum* dicuntur *Censoriæ notæ*. Idem.

6 *Illa magis.*] *Dubium* est *argumentum* quod est ambiguum & dubitabile. Illud igitur necessario rem non probavit, imo ne probabit quidem. *Controversum* est, cum

cuntur, quam acute reprehenduntur, *argumentum dubium* pro necessario, *controversum* pro confesso, [1] *commune* pro proprio, [2] vulgare, [3] supervacuum, [4] constitutum contra fidem. Nam & illa accidunt parum cautis, ut crimen augeant, quod probandum est: de facto disputent, [5] cum de auctore quæratur: impossibilia aggrediantur, pro effectis relinquant vixdum inchoata: de homine dicere quam de caussa malint: hominum vitam rebus assignent: ut si quis [6] decemviratum accuset, non Appium, manifestis repugnent: dicant quod aliter accipi possit: summam quæstionis non intueantur: non ad proposita respondeant: [7] quod unum aliquando recipi potest, cum mala caussa adhibitis extrinsecus remediis tuenda est, [8] *ut cum peculatus reus Verres, fortiter & industrie tuitus contra piratas Siciliam dicitur.* [9] Eadem adversus contradictiones nobis oppositas præcepta

cum id quo aliquid probatur, inter utranque partem habet controversiam. *Confessum*, perspicuum, ut ait Cicero. *Idem.*

1 *Commune pluribus.*] Ut si cædem ab hoc diceres factam, quia mortuum odisset, cujus permulti essent inimici. *Idem.*

2 *Vulgare.*] *Vulgare* quod in aliam rem quoque non probabilem, si hic locum habeat, sit valiturum. *Idem.*

3 *Supervacuum.*] *Leve*, ut ait Cicero. *Idem.*

4 *Serius constitutum.*] Videtur argumentum esse *serius constitutum*, quo adversarius opportuno & suo loco non est usus, sed alieno: itaque facile est refutatu. *Idem.*

5 *Cum de auctore quæratur.*] Ut in conjecturali statu, cum *de facto* constet, sit autem controversia *de auctore facti*, de eo disceptandum est, non *de facto*. Idem.

6 *Decemviratum.*] *Decemviri* creati sunt absolutæ potestatis, ut jus civile Romæ conderent. ex his *Appius* cum virginem quam deperibat, in servitutem asserere vellet ut ea frueretur, pater cultro eam interfecit, coactique sunt *Decemviri* se magistratu abdicare. *Idem.*

7 *Quod unum.*] Aliquando utile est ad proposita non respondere, quando factum quod nobis objicitur, per se tueri non possumus, sed *assumptiva qualitate* defendimus. Ut ille apud Pacuvium, qui *vituperat musicam, laudat sapientiam.* Cujusmodi fecit & D. noster, si in humodi re in testem vocari patitur, in adultera deprehensa dimittenda contra legem, *Qui sine peccato, primus jactet in eam lapidem.* Id & Cic. pro Cælio fecit, cum amolitur suspicionem veneni dati à Cælio, quod domi habuisset, & in servo expertus esset, digrediens ad mortem Q. Metelli, suspicionem facit Clodii scelere sublatum veneno fuisse: ipsam mortem gemitu & lachrymis prosequitur, simulque reprimit adversarios, veluti simili ictos crimine, simul impetu dictionis & affectu mentem judicum ad hujus criminis cognitionem divertit.

8 *Ut cum, &c.*] Actione 7.

9 *Eadem adversus.*] In his allegationibus quibus nostræ causæ adjumentis adversarius contradicit, suamque causam defendit, idem spectandum est, quibus de rebus antea egit. *Turneb.*

pta sunt: hoc tamen amplius, quod circa eas multi duobus vitiis diversis laborant. Nam quidam [1] etiam in foro tanquam rem molestam & odiosam prætereunt: & iis plerunque quæ composita domo attulerunt, contenti, sine adversario dicunt: & scilicet multo magis in scholis, in quibus non solum contradictiones omittuntur, [2] verum etiam materiæ ipsæ sic plerunque finguntur, ut nihil dici pro parte altera possit. Alii diligentia lapsi, verbis etiam vel sententiolis omnibus respondendum putant quod est & infinitum, & supervacuum. non enim caussa reprehenditur, sed actor: quem ego semper videri malim sic disertum, ut si dixerit quod rei prosit, ingenii credatur laus esse, non caussæ: si forte quod lædat, caussæ, non ingenii culpa. [3] Itaque illæ reprehensiones, aut obscuritatis, qualis *in Rullum* est: aut infantiæ in dicendo, qualis [4] *in Pisonem:* aut inscitiæ rerum verborumque, & insulsitatis etiam, qualis [5] *in Antonium* est, [6] animo dantur, ut justis odiis: suntque utiles ad conciliandum iis quos invisos facere volueris, odium. [7] Alia respondendi patronis ratio: & aliquando tamen eorum non *oratio* modo, sed *vita* etiam, *vultus* denique, *incessus*, *habitus* recte incusari solet: ut adversus Quintium [8] Cicero, *non hæc solum, sed ipsam etiam* [9] *prætextam demissam ad talos, insectatus*

1 *Etiam.*] Alii, &c.

2 *Verum etiam materiæ.*] Hoc *thema* ab Hermogene *inconsistens* ponitur, ac μονομερὲς nuncupatur, quando duntaxat ab altera parte causa probabilitatem habet. tamen quanquam hoc thema non cadit in *forum*, tractatur in *declamatione*. Idem.

3 *Itaque illæ reprehensiones.*] Cic. *Rullum* reprehendit quod in concione frequentissima ita orasset, ut quid sibi vellet nemo intelligeret. *Idem.*

4 *In Pis.*] Cujus stuporem ingenii linguæque debilitatem Cic. notat. *Idem.*

5 *In Antonium.*] Tertia Philippica reprehendit Antonium quod dixisset in edicto, *nulla est contumelia quam facit dignus.* insulsitatem taxat 2. Philip. cum literas protulit. *Idem.*

6 *Animo dantur, &c.*] Alii, *Accommodantur justis od.*

7 *Alia respondendi.*] Antea dixit *minime esse actori convitiandum*, est tamen *interdum patrono convitiandum*, quemadmodum Cic. Quintium trib. pl. qui Oppianici condemnati patronus fuerat, ac concionibus populum Cluentio infestum faciebat, insectatur. *Turneb.*

8 *Cicero.*] Pro Cluent.

9 *Prætextam.*] Cic. *purpuram* appellat pro Cluentio: ac certe *prætexta* purpureo limbo prætexebatur, eratque magistratuum vestis, & honores gerentium. *Turneb.*

1 *Nam*

ctatus est. *Presserat enim turbulentis concionibus Cluentium Quintus.* Nonnunquam elevandæ invidiæ gratia, quæ asperius dicta sunt, eluduntur: ut à Cicerone Triarius. [1] Nam cum Scauri columnas per urbem plaustris vectas esse [2] dixit, *Ego porro inquit, [3] qui Albanas habeo columnas, clitellis eas apportavi.* Et magis hoc in accusatores concessum est, quibus convitiari aliquando patrocinii fides cogit. Illa vero adversus omnes & recepta, & non inhumana conquestio, si callide quid [4] tacuisse, breviasse, obscurasse, distulisse dicuntur. [5] Defensionis quoque permutatio reprehenditur sæpe, ut Accius *adversus Cluentium*, Æschines *adversus Ctesiphontem* facit: cum ille Ciceronem lege usurum modo, [6] hic mimine de lege dicturum Demosthenem queritur. Declamatores vero in primis sunt admonendi, ne contradictiones eas ponant, quibus facillime responderi possit: [7] neu sibi stultum adversarium fingant. Facimus autem, quod maxime uberes loci, populariesque sententiæ nascuntur, materiam dicendi nobis quod volumus ducentibus: ut non sit inutilis ille versus, [8] *Non male respondit, male enim prior*

ille

1 *Nam cum Scauri.*] Locum sæpenumero habent in refutatione *joci opportuni*, de quibus aget Fab. lib. 6. Cæterum Scaurus in atrio ædium suarum permultas habuit columnas quinquagenûm pedum *ex marmore Lucullæo.* illa autem luxuria Romanis legibus puniebatur. *Idem.*

2 *Dixit.*] *Dixisset.* Pithœus.

3 *Qui Albanas habeo columnas.*] *Albanæ columnæ* dicuntur, quæ ex Albano lapide fiunt. sunt enim *Albanæ lapicidinæ* ad montem Albanum. est autem hic lapis marmore vilior: quamobrem apparet illas quoque columnas ingentissimas fuisse. *Idem.*

4 *Tacuisse.*] *Acuisse* habent omnes cod. veteres, & item Vallæ scriptus, in quem locum notarat, ut quando Demosthenes interrogavit auditores, an Æschines esset Alexandri μιαφωτος, pro μιαφωτός. *Idem.*

5 *Defensionis quoque.*] Appellat Fab. *defensionis permutationem*, quando defensor non illud judicium aut illam actionem sequitur qua ab accusatore premitur: ut cum Accius accusaret *Cluentium* corrupti judicii, suspicabatur Ciceronem usurum defensione legis, qua tutus erat *Cluentius.* Idem.

6 *Hic minime de lege.*] Nam accusatus est ab Æschine *Ctesiphon*, quod *Demosthenem*, qui rationes non reddiderat, corona donasset contra legem. *Idem.*

7 *Neu sibi stultum.*] *Declamator* si contradictiones sibi proponat, acriter intueatur quod fortissimum habeat adjumentum adversarius ad contradicendum, non autem contradictiones sibi solutu faciles proponat. *Idem.*

8 *Non male.*] Versus est proverbialis, quo significamus *non esse difficile malæ interrogationi bene respondere:* quemadmodum non est etiam difficile, ineptæ

ille rogarat. Fallet hæc nos in foro consuetudo, ubi adversario, non ipsi nobis respondebimus. Ajunt Accium interrogatum cur caussas non ageret, cum apud eum in tragœdiis tanta vis esset: hanc reddidisse rationem, *quod illic ea dicerentur quæ ipse vellet, in foro dicturi adversarii essent quæ minime vellet.* [1] Ridiculum est ergo in exercitationibus quæ foro præparantur, prius cogitare quid responderi, quam quid ex diverso dici possit. Et bonus præceptor non minus laudare discipulum debet si quid pro diversa, quam si quid pro sua parte acriter excogitarit. [2] Rursus [3] aliquid in scholis permittendum semper, in foro raro. Nam loco à petitore primo contradictione uti qui possumus, ubi vera res agitur, cum adversarius adhuc nihil dixerit? Incidunt tamen plerique in hoc vitium vel consuetudine declamatoria, vel etiam cupiditate dicendi: dantque de se respondentibus venustissimos lusus, cum modo se vero nihil dixisse, neque tam stulte dicturos: modo bene admonitos ab adversario, & agere gratias, quod adjuti sint, jocantur, frequentissime vero, id quod firmissimum est, nunquam iis responsurum adversarium fuisse, quæ proposita non essent, nisi illa sciret vera esse, & ad fatendum conscientia esset impulsus: ut pro Cluentio Cicero, *Nam hoc persæpe dixisti, tibi sic renunciari, me habere in animo caussam hanc præsidio legis defendere. itane est? ab amicis imprudentes videlicet prodimur? & est nescio quis de iis quos amicos nobis arbitramur, qui nostra consilia ad adversarium deferat? Quisnam hoc tibi renunciavit? quis tam*

contradictioni bene respondere. *Idem. Non male respondit, &c.*] Homer. Iliad. *v.* ὑ̓ſ. 250. Ὁ ἱπποῖον κ' εἴπῃσθα ἔπος τοῖον κ' ἐπακούσαις. *Pith.*

1 *Ridiculum.*] Ineptum est *in declamationibus* captare occasionem boni responsi ex infirma contradictione, cum potius in contradictionibus intueri debeamus quod sit firmissimum adversarii adjumentum. Itaque bonus orator non tam quid ipse dicturus sit, quam quid adversarius, examinat. *Turneb.*

2 *Rursus.*] Liberior esse debet *contradictionum* ratio in declamationibus quam in causis forensibus. si enim petitor in foro primum dicat, *contradictione* uti non poterit, quia ignorat quibus adjumentis seipsum sit defensurus adversarius: declamator tamen in pari themate *contradictionem* fingere poterit. *Idem.*

3 *Aliquid.*] Alii, *Illud.*

1 *Vibius*

tam improbus fuit? cui ego autem narravi? Nemo (ut opinor) in culpa est. nimirum tibi istud lex ipsa renunciavit. At quidam contradictione non contenti, totos etiam locos explicant, *Scire se hoc dicturos adversarios, & ita persecuturos.* Quod factum venuste nostris temporibus elusit [1] Vibius, Crispus, vir ingenii jucundi & elegantis: *Ego vero, inquit, ista non dico.* quid enim attinet illa bis dici? [2] Nonnunquam tamen aliquid simile contradictioni poni potest, si quid ab adversario testationibus comprehensum, in advocationibus jactatum sit. Respondebimus enim rei ab illis dictæ, non à nobis excogitatæ: [3] aut si id genus erit causæ, ut proponere possimus certa, extra quæ dici nihil possit: ut cum res furtiva in domo deprehensa sit, dicat necesse est reus, aut se ignorante illatam, aut depositam apud se, aut donatam sibi. quibus omnibus etiam si proposita non sint, responderi potest. [4] At in scholis recte & contradictionibus occurremus, ut in utrunque locum, id est primum & secundum, simul exerceamur. hoc nisi fecerimus, nunquam utemur contradictione. non enim erit cui respondeamus. Est & illud vitium, nimium soliciti, & circa omnia momenta luctantis. Suspectam enim facit judici causam, & frequenter quæ statim dicta omnem dubitationem sustulissent, dilata, ipsis præparationibus fidem perdunt, quia patronus & aliis crediderit

1 *Vibius Crispus.*] Ejusdem est illud de Domitiano: *ne musca quidem.* Sueton. lib. XII. *Pith.*

2 *Nonnunquam tamen.*] Limitatio est superioris præcepti: nam loco à petitore primo *contradictione uti* possumus, si ante primam actionem testimonia produxerit adversarius, aut in advocationibus aliquid dixerit. Cæterum appellat *testationes* Fab. aut testimonia absentium, ut supra, aut generaliter *quæcunque testimonia: Advocationes* vero, patronorum & amicorum consultationes. *Turneb.*

3 *Aut si id genus.*] Etiam *contradictione* primo loco poterimus uti, cum res de qua est controversia cadet duntaxat in certa membra. tum enim remotione uti poterimus, atque ita *contradictiones* solvere. *Idem.*

4 *At in scholis.*] Major est libertas in declamationibus quam in causis forensibus. itaque illic actor potest *probationibus* adversarii & *contradictionibus* respondere. sic enim exercebitur duplici refutandi genere, tum in *probationibus*, tum in *contradictionibus*, aut exercebitur in primum & secundum locum, quia fungetur actoris partibus & partibus respondentis, cum occurret *contradictionibus.* Idem.

diderit opus fuisse. [1] Fiduciam igitur orator præ se ferat, semperque ita dicat, tanquam de caussa optime sentiat. [2] Quod (sicut omnia) in Cicerone præcipuum est. Nam illa summa cura securitatis est similis, tantaque in oratione auctoritas, ut probationis locum obtineat, dubitare nobis non audentibus. [3] Porro qui scierit quid pars adversa, quid nostra habeat valentissimum, facile judicabit quibus maxime rebus vel occurrendum sit, vel instandum. Ordo quidem in parte nulla minus affert laboris. Nam si agimus, nostra confirmanda sunt primum: tum quæ nostris opponuntur, refutanda. [4] Si respondemus, prius incipiendum est à refutatione. [5] Nascuntur autem ex his quæ contradictioni opposuimus, [6] aliæ contradictiones, euntque interim longius: [7] *ut gladiatorum manus quæ secundæ vocantur fiunt & tertiæ, si prima ad evocandum adversarii ictum prolata erat: & quartæ, si geminata captatio est, ut bis cavere, bis repetere oportuerit.* Quæ ratio & ultra ducit. [8] Sed illa etiam quam supra ostendi, simpli-

1 *Fiduciam igitur.*] Idem *de fiducia* præcipit Fab. lib. 11. ea tamen temperanda est: nam lib. 4. dixit *fiduciam* non debere se nimium exerere. *Idem.*

2 *Quod (sicut omnia).*] Ut pro Rosc. Amerino, *Multa sunt falsa Judices, quæ tamen argui suspicioſe possent. in his rebus si suspicio reperta fuerit, culpam inesse concedemus.* & per totam fere orationem in hoc elaborat, ut innocentiam Roscii suo periculo defendat. Quod & in aliis orationibus facit, perinde ac ei causa semper maxime cognita sit, deque ejus æquitate nequaquam dubitet. *Idem.*

3 *Porro qui.*] Hoc præceptum scopum continet *confirmationis* & *refutationis*, quod enim firmissimum habemus, illo maxime est nitendum: quod adversarius valentissimum, illud maxime refutandum. *Idem.*

4 *Si respondemus.*] Itaque in *anticategoria* utrinque prius est *refutandum*, postea *confirmandum.* prius est enim ut nos *purgemus*, deinde nostra *confirmemus.* *Idem.*

5 *Nascuntur autem.*] Cum adversarii *contradictionem* rationibus & firmamentis solvimus, interdum ex illis *contradictionibus* potest alia contradictio oriri, quæ solvenda est quoque. *Idem.*

6 *Aliæ contradictiones.*] Quas *triplicationes* consulti appellant. *Puth.*

7 *Ut gladiatorum manus.*] Hermolaus in septimum Plinii, appellat *secundas* & *tertias manus*, quando paria gladiatorum aliis paribus succedunt. unde à Plinio appellantur quidam *gladiatores secundani & tertiarii.* Budæus tamen *manum* interpretatur *ictum & petitionem:* atque ita videtur intelligere Fabius. nam lib. 9. ait *rectam & simplicem manum* facilius vitari, quam aversam. *Turneb.*

8 *Sed illa etiam.*] Morales probationes locum etiam habent *in refutatione*, quemadmodum *in confirmatione*, fiuntque vel per affirmationem, vel per negationem, cum non probatione, sed morum fiducia nitimur. *Idem.*

1 *Nam*

simplicem ex affectibus atque ex affirmatione sola probationem recipit refutatio; qualis est illa Scauri, de qua supra dixi: quin nescio an etiam frequentior, ubi quid negatur. Videndum præcipue utrique parti, ubi sit rei summa. [1] Nam fere accidit ut in caussis multa dicantur, de paucis judicetur. In his probandi refutandique ratio est, sed adjuvanda viribus dicentis, & adornanda. Quamlibet enim sint ad dicendum quod volumus accommodata, tamen erunt infirma, nisi majore quodam oratoris spiritu impleantur. [2] Quare & illi communes loci *de testibus*, *de tabulis*, *de argumentis*, aliisque similibus, magnam vim animis judicum afferunt, & hi proprii, quibus factum quoque laudamus, aut contra, justum vel injustum docemus, majus, aut minus, asperius aut mitius. Ex his autem alii ad comparationem singulorum argumentorum faciunt, alii ad plurium, alii ad totius caussæ inclinationem. Ex quibus sunt qui præparent animum judicis, sunt qui confirment. Sed præparatio quoque aut confirmatio, aliquando totius caussæ est, aliquando partium, & perinde ut cuique conveniunt, subjicienda. [3] Ideoque miror inter duos diversarum sectarum velut duces non mediocri contentione quæsitum, singulisne quæstionibus subjiciendi essent loci, ut Theodoro placet: an prius docendus judex quam movendus, ut præci-

1 *Nam fere accidit.*] Quanquam interdum causa unicam habet quæstionem *summam*, de qua judicare oportet, varie tamen definitur, & multis quæstionibus adjuvatur: tamen *summam quæstionem* semper respicere oportet in confirmando & refutando. *Idem.*

2 *Quare & illi communes.*] *Tractatio locorum* multum facit ad confirmationem argumentorum atque causarum. sed loci sunt *duplices: communes*, qui inartificiales dicuntur: *proprii*, qui à rerum circunstantiis aut personarum ducuntur *ad exornationem*, *vituperationem*, *amplificationem*, *diminutionem*. Cornificius tamen *proprios* appellat *locos*, quibus altera pars utitur, ut proprius est locus accusatoris, iracundiam movere, rei misericordiam. *Idem.*

3 *Ideoque miror.*] *Theodorus* existimabat singularum quæstionum tractationi singulos esse subjiciendos locos ad amplificandum & confirmandum: *Apollodorus* vero omnibus tractatis quæstionibus locum esse subjiciendum existimabat. utrunque reprehendit Fabius, aitque interdum faciendum esse quod præcipit *Theodorus*, interdum quod præcipit *Apollodorus*: adeoque locis utendum esse interdum ad *præparationem*, interdum ad *confirmationem*. Idem.

præcipit Apollodorus: tanquam perierit hæc ratio media, & nihil cum ipsius causſæ utilitate sit deliberandum. Hæc præcipiunt qui ipsi non dicunt in foro: ut [1] acies à securis otiosisque compositæ, ipsa pugnæ necessitate turbentur. [2] Namque omnes fere qui legem dicendi quasi quædam mysteria tradiderunt, certis [3] non inveniendorum modo argumentorum locis, sed concludendorum quoque nos præceptis alligaverunt: de quibus brevissime prælocutus, quid ipse sentiam, id est quid clarissimos oratores fecisse videam, non tacebo.

1 *Acies.*] Alii, *Artes.*

2 *Namque omnes.*] Fabius existimat majorem esse libertatem in arte dicendi, quam ut necessariis alliganda sit præceptis. itaque sæpenumero antea dixit, *utilitate* quæcunque præcepta mutari, cum ipsa præcepta *utilitatis* causa sint reperta. *Idem.*

3 *Non inveniendorum modo, &c.*] *Argumenta* primum inveniuntur ad faciendam fidem, deinde in formam quandam argumentationis effinguntur, ut optime concludant. Itaque alterum *inventionis* est, alterum *judicii.* Idem.

Cap. XIV.

Quid enthymema, & quotuplex: quibus constet epicherema, & quomodo refellatur.

14 IGitur *enthymema*, & [1] *argumentum* ipsum, id est rem quæ probationi alterius adhibetur, appellant, & argumenti elocutionem. [2] Eam vero dixi duplicem. Ex consequentibus, quod habet propositionem, conjunctamque ei protinus probationem: quale pro Ligario, *Causſa tum dubia, quod erat aliquid in utraque parte quod probari posſet: nunc melior ea certe*

Hoc caput pertinere videtur magna ex parte ad *judicium.* nam de partibus argumentationis loquitur, quoque pacto *epicherema* refutetur: quod ad refutationem quoque spectat. nec enim solum refellimus adversariorum *contradictiones* & rationes, verum etiam *argumentationes* male conclusas. *Turnebus.*

1 *Argumentum ipsum.*] Boëth. in Top. Vis sententiæ ratioque ea qua clauditur oratio cum aliquid probatur ambiguum, *argumentum* vocatur. Ipsa argumenti elocutio, *argumentatio* dicitur. *Pithœus.*

2 *Eam vero.*] *Enthymema* Fabio, ut est argumentatio, significat conclusionem à consequentibus & pugnantibus: Arist. vero significat *omnem syllogismum imperfectum.* cæterum hoc exemplum potius ab eventis videtur esse quam à consequentibus. atque adeo Fab. cap. de exemplis, argumentum esse dixit à deorum auctoritate. *Turneb.*

1 *Habet*

ea certe judicanda est, quam etiam dii adjuverunt. [1]Habet enim propositionem probationemque, non habet conclusionem. Ita est ille imperfectus syllogismus. Ex pugnantibus vero, quod etiam solum *enthymema* quidam vocant, fortior multo probatio est. Tale est Ciceronis pro Milone, *Ejus igitur mortis sedetis ultores, cujus vitam si putetis per vos restitui posse, nolitis.* Quod quidem etiam aliquando multiplicari solet ut est ab eodem & pro eodem reo factum, *Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc voluit cum aliquorum querela? quem jure, quem loco, quem tempore, quem impune, non est ausus, hunc injuria, iniquo loco, alieno tempore, cum periculo capitis non dubitavit occidere?* Optimum autem videtur enthymematis genus, cum proposito dissimili vel contrario ratio subjungitur: [2]quale est Demosthenis, *Non enim si quid unquam contra leges factum est, idque tu es imitatus, idcirco te convenit pœna liberari: quin è contrario damnari multo magis. Nam ut si quis eorum damnatus esset, tu hæc non scripsisses: ita damnatus tu si fueris, non scribet alius.* [3]Epicherematos & quatuor & quinque, & sex etiam factæ sunt partes à quibusdam [4]Cicero maxime quinque defendit, ut sit *propositio*, deinde *ratio* ejus, tum *assumptio*, & ejus *probatio*, quinta *complexio:* quia vero interim & propositio non egeat rationis, & assumptio probationis, [5]nonnunquam etiam complexione opus non sit.

1 *Habet enim.*] Tametsi Fab. dicat *enthymema* à consequentibus non habere conclusionem, sed propositionem cum ratione, recentiores tamen nullum putant esse *enthymema* quod non habeat conclusionem, cum nihil aliud sit *enthymema* quam syllogismus mutilatus, ubi festinata conclusio colligitur omissa propositione aut assumptione. Itaque *enthymema* à consequentibus non proprie erit *enthymema.* Idem.

2 *Quale est Demosthenis.*] Exemplum hoc sumptum est ex oratione Demosth. *contra Androtionem*, qui decretum tulerat contra consuetudinem & leges, se tamen aliorum exemplo tuebatur. cæterum annotandum est Fabium scribere *usurpasse* pro decretum facere, scisscere, decernere, more Græcorum, qui γράφειν sic usurpant. Ita usurpavit Cic. quoque de optimo genere oratorum. *Idem.*

3 *Epicherematos.*] Fab. multas opiniones de partibus *Epicherematis* ponit, demum ex Arist. opinione colligit, physica quasi, tres ejus esse partes necessarias, *propositionem, assumptionem, & complexionem.* Id enim de quo quæritur, in propositione, quam dialectici *majorem* vocant, comprehenditur. Id per quod probatur, appellatur *assumptio* vel *minor:* denique id quod colligitur ex utraque parte, *conclusio* sive *connexio.* *Idem.*

4 *Cicero.*] De inven. lib.

5 *Nonnunquam etiam complexione opus non sit.*] Si *epicheremati* deerit complexio,

nunquam etiam complexione opus non sit, & quadripartitam, & tripartitam, & bipartitam quoque fieri posse ratiocinationem. Mihi & plurimis nihilo minus auctoribus tres summum videntur. Nam ita se habet natura, [1] ut sit de quo quæratur, [2] & per quod probetur: tertium adjici potest velut ex consensu duorum antecedentium. Ita erit prima *intentio*, secunda *assumptio*, tertia *connexio*. Nam confirmatio primæ, [3] ac secundæ partis exornatio, eisdem cedere possunt, quibus subjiciuntur. Sumamus autem ex [4] Cicerone quinque partium exemplum. *Melius gubernantur ea quæ consilio reguntur, quam quæ sine consilio administrantur.* Hanc primam partem numerant: eam deinceps rationibus variis, & quam copiosissimis verbis approbari putant oportere. Hoc ego totum cum sua ratione, unum puto: alioqui si ratio pars est, est autem varia ratio, plures partes esse dicantur. Assumptionem deinde ponit. *Nihil autem omnium rerum melius quam omnis mundus administratur.* Hujus assumptionis quarto in loco aliam porro inducunt probationem, de quo idem quod supra dico. Quinto inducunt loco complexionem, [5] quæ aut id infert solum, quod ex omnibus partibus

non amplius *epicherema* erit, sed *enthymema*, secundum Arist. nec tamen protinus Fabio, nisi sit à *consequentibus* & *repugnantibus*. Turneb.

1 *Ut sit de quo quæratur.*] Ita appellat *propositionem argumentationis*, propterea quod argumentationis summam de qua quæritur explicat. forte etiam respexit ad oratores, qui id de quo quæritur proponere solent cum probare volunt. ac hujusmodi formulam argumentandi Fab. subjicit: ut, *anima est immortalis*. Idem.

2 *Et per quod probetur.*] Fabius videtur per id quod probat, duas illas complecti *propositiones*, quæ propositioni de qua quæritur subjiciuntur: ac videtur has præceptiones ad illam potissimum argumentandi formam aptasse. Aliter autem sentiendum, cum id de quo quæritur non proponitur, sed statim summa argumentationis aperitur, cui *assumptio* subnectitur. *Idem.*

3 *Ac secundæ partis exornatio.*] Plerunque *assumptioni* loco probationis subjungitur *exornatio* sive *expolitio*, quæ est idonea oratio ad locupletandum & augendum. alii certam quoque faciunt speciem argumentationis, ex *propositione, ratione, rationis confirmatione, expolitione:* eamque appellant *collectionem*. Idem.

4 *Cicerone.*] Rhetor. 2.

5 *Quæ aut id infert solum.*] Duplex est in *epicheremate* concludendi ratio: altera simplex & directa, ut prior: altera veluti more epilogi: quæ si seorsum consideretur, efficit eam argumentationem quam appellant *simplicem conclusionem*. Turneb.

partibus cogitur, hoc modo, *Consilio igitur mundus administratur.* aut unum in locum cum conduxerit breviter propositionem & assumptionem, adjungit quid ex his conficiatur, ad hunc modum, *Quod si melius geruntur quæ consilio, quam quæ sine consilio administrantur: nihil autem omnium rerum melius quam omnis mundus administratur: consilio igitur mundus administratur.* Cui parti consentio. In tribus autem quas fecimus partibus, non est forma semper eadem, sed una, [1] in qua idem concluditur quod intenditur. *Anima immortalis est.* [2] *Nam quicquid ex seipso movetur, immortale est: anima autem ex seipsa movetur, immortalis igitur est anima.* [3] Hoc fit non solum in singulis argumentis, sed in totis caussis quæ sunt simplices, & in quæstionibus. Nam & hæ primam habent propositionem, *Sacrilegium commisisti, hominem occidisti. Non quisquis hominem occidit, cædis reus tenetur.* Deinde rationem. Sed hæc est in caussis & quæstionibus longior, quam in singulis argumentis. [4] Et plerunque summa complexione, vel per [5] enumerationem, vel per brevem conclusionem testantur quid effecerint. In hoc genere propositio dubia est, de hac enim quæritur. [6] Altera est complexio, non par

1 *In qua idem concluditur.*] Ait quoddam *epicherema* esse, cujus eadem sit propositio & conclusio: quoddam cujus propositio diversa sit à conclusione *Idem.*

2 *Nam quicquid ex seipso movetur.*] Argumentatio hæc est Platonis in Phædone. cæterum in hoc genere *epicherematis*, quæstio est *propositio*, reliqua quæ conclusionem præcedunt, pro *assumptione* habentur. *Idem.*

3 *Hoc fit non solum in singulis.*] *Duplex* est *propositio:* altera enim *dubitabilis* est, ipsamque continet quæstionem: altera vero *prior est argumentationis pars*, quæ probat. Illa igitur superior non solum in argumentis locum habet, sed in totis etiam causis, nimirum simplicibus, quæ una propositione comprehendi possunt, non etiam conjunctis, quia non una propositione comprehendi possunt, sed multis. *Idem.*

4 *Et plerunque summa complexione.*] Quemadmodum antea dixit duplicem esse *epicherematis* conclusionem, ita quoque scribit duplicem esse *complexionem* in causa: cum præsertim omnis causa contineatur *syllogismo* & *epicheremate.* Fit igitur aut per repetitionem superiorum, ut in *epicheremate:* aut simpliciter concludendo, quod efficitur in causa. *Idem.*

5 *Enumerationem.*] Platonis argumentatio in Axiocho.

6 *Altera est complexio.*] Aliquando ita contexitur *epicherema*, ut propositio non videatur esse eadem cum conclusione, potestate tamen & virtute sit eadem. id fit quando id de quo quæritur proponimus, neque argumentationem ad ultimam deducimus conclusionem, sed in eo

par intentioni, sed vim habens parem. [1] *Mors nihil ad nos, nam quod est dissolutum, sensu caret, quod autem sensu caret, nihil ad nos.* [2] In alio genere non eadem propositio est, quæ connexio. [3] *Omnia animalia meliora sunt quam inanima, nihil autem melius est mundo, mundus igitur animal.* [4] Hîc potest videri de re contentio. Potuit enim sic constitui ratiocinatio, *Animal est mundus, omnia enim animalia meliora sunt quam inanima.* Cæterum hæc propositio aut confessa est, ut proxima: aut probanda, ut, *Qui beatam vitam vivere volet, philosophetur oportet.* Non enim conceditur. Cætera sequi, nisi confirmata prima parte, non possunt. Est & assumptio interim confessa: ut, *Omnes autem volunt beatam vitam vivere.* Interim probanda, ut illa, *Quod est dissolutum, sensu caret:* cum soluta corpore anima, [5] an sit immortalis, vel ad tempus certum maneat, sit in dubio. Quam assumptionem [6] alii *rationem* vocant, [7] alii *epicherema.* [8] *Epicherema* autem nullo

in eo sistimus quod virtute sit idem. *Idem.*

1 *Mors nihil ad nos.*] Hoc *argumentum* erat Epicuri. reprehenditur tamen à Plutarcho, quia *major propositio* (à qua vis argumentationis pendet) deest, scilicet, mors est dissolutio corporis & animi: defenditur tamen à Gellio lib. 2. cap. 8. Est autem *sorites*, id est, syllogismus acervalis, quando ex primo colligimus ultimum. *Idem.*

2 *In alio genere non eadem propositio est.*] Alia species est *epicherematis*, quando id de quo dubitatur non proponitur. tum enim propositio est alia à conclusione. & hæc vera dicitur *argumentationis propositio.* Idem.

3 *Omnia animalia.*] Hæc ratio est Platonis & Stoicorum, qua *mundum animal esse probant.* Progrediuntur etiam ulterius, ut docet Cic. *secundo de natura deorum*, ac docent mundum *sapientem esse, rationalem, deum.* Idem.

4 *Hic potest videri de re.*] Potest etiam constitui ex hoc *epicheremate* superior argumentandi forma, ut initio ponatur de quo contenditur. *Idem. Hic potest videri de re, &c.*] Quæ sequuntur desunt omnia in vetust. exempl. usque ad librum VIII. cap. de Ornatu, eo loco qui est à nobis notatus. Unde apparet mutila esse illa libris duobus VI. & VII. & dimidia fere VIII. parte. *Pith.*

5 *An sit immortalis.*] Plato enim *animam* existimavit *immortalem:* at Stoici *mortalem* esse putaverunt, non tamen statim cum corpore perire. itaque (ut ait Cicero) usuram illi temporis dederunt, ut *corvis & cornicibus.* Turneb.

6 *Alii rationem vocant.*] Vel quod in ipsa collectione, de qua diximus, rationis confirmatio, quæ quidem etiam ratio est, assumptionem facit: vel quod etiam in priori specie *epicherematis*, ratio quæ propositioni subvertitur, *assumptio* vocatur. *Idem.*

7 *Alii epicherema.*] Nam Hermogeni *epicherema* est ratio quæ ad propositionem dubitabilem probandam affertur. hoc quoque modo *argumentum* est, non *argumentatio.* Idem.

8 *Epicherema autem nullo.*] Arbitror inter

nullo differt à syllogismis, nisi quod illi & plures habent species, & vera colligunt. veris epicherematis frequentior circa credibilia est usus. [1] Nam si contingeret semper controversa confessis probare, vix esset in hoc genere usus oratoris. Nam quid ingenio est opus ut dicas, *Bona ad me pertinent*, [2] *solus enim sum filius defuncti, vel solus hæres, cum jure bonorum possessio testati* [3] *secundum tabulas testamenti detur, ad me igitur pertinent?* Sed cum ipsa ratio in quæstionem venit, efficiendum est certum id quod probaturi sumus, quod incertum est: ut si ipsa forte intentione dicatur, *Aut filius non es, aut non es legitimus, aut non es solus.* Itemque, *Aut hæres non es, aut justum testamentum non est, aut capere non potes, aut habes cohæredes. Efficiendum est justum, propter quod bona adjudicari nobis debeant.* [4] Sed tum est necessaria illa summa connexio, cum intervenit [5] oratio largior. Aliquando sufficiunt intentio ac ratio, *Silent leges inter arma, nec*

inter *epicherema* & *syllogismum* nihil interesse, nisi quod *rhetores epicherema* frequentius usurpant & nominant, qui versantur circa credibilia magna ex parte, *Dialectici* autem raro *epicherema* nominant, frequentius *syllogismum*, qui magis ex necessariis & veris argumentantur. atque inde differentiam *epicherematis* & *syllogismi* petivit Fab. à materiis circa quas rhetores & philosophi versantur, alioqui concludendi genere nihil discrepant. sed & Aristoteli syllogismus est necessarius, *demonstratio*, syllogismus probabilis, *dialecticus* appellatus, syllogismus sophisticus qui dicitur *elenchus*, ut videatur *epicherema* esse syllogismus dialecticus. præterea *epicherema* fusius est & largius. adjicit enim sæpenumero propositionis & assumptionis rationes & expolitiones: atque hoc videbitur à *syllogismo* differre, cum hæc in syllogismo raro sint. *Species* autem dicit, quas dialectici *modos* & *figuras*. Idem.

1 *Nam si contingeret.*] Cum philosophus certis & confessis ad probationem utatur, fit proinde ut brevius complectatur *syllogismum*: at cum orator magna ex parte probabilibus utatur, rationes afferre solet suarum propositionum & assumptionum, nec tam breviter *epicherema* complectitur. *Idem.*

2 *Solus enim sum filius.*] Hæc *ex hypothesi* afferuntur in exemplum tanquam necessaria, ut doceat in necessariis non esse opus ingenio oratoris, ideoque oratorem circa credibilia maxime versari. *Idem.*

3 *Secundum tabulas.*] Nam interdum possessio *contra tabulas* datur à prætore, cum scilicet testamento præteriti sunt libri: aliquando *secundum tabulas*, quando scriptis hæredibus datur possessio. *Idem.*

4 *Sed tum est necessaria.*] Quando *epicherema* habet plures rationes & confirmationes, illi subjici debet *conclusio*, ut intelligatur quid sit *effectum*: cum autem rationes desunt & expolitiones, potest esse *enthymematica argumentatio*, ut desit conclusio. *Idem.*

5 *Oratio largior.*] Pro Milone.

1 *Rationi*

nec se expectari jubent, cum ei qui expectare velit, ante injusta pœna luenda sit, quam justa repetenda. Ideoque id enthymema quod est ex consequentibus, [1] rationi simile dixerunt. [2] Sed & singula quoque interim recte ponuntur: ut ipsum illud, *Silent leges inter arma.* Et à ratione fas est incipere, deinde concludere: ut ibidem, *Quod si duodecim tabulæ nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem si se telo defenderet, interfici impune voluerunt: quis est qui quoquo modo quis interfectus sit, puniendum putet?* Variat autem hic adhuc, & rursus rationem tertio loco ponit, cum videat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipsis porrigi legibus. [3] Prioris autem partis duxit ordinem: *Insidiatori autem & latroni quæ potest inferri injusta nex?* hæc intentio. *Quid comitatus nostri, quid gladii volunt?* hæc ratio. Quos habere certe non liceret, si uti illis nullo pacto liceret. hæc ex intentione & ratione connexio. Huic generi probationis tribus occurritur modis, id est per omnes partes: [4] Aut enim expugnatur intentio, aut assumptio, aut conclusio, nonnunquam omnia: sed hæc omnia tria sunt. Intentio expugnatur, *Jure occidi eum, qui insidiatus sit.* Nam prima statim pro Milone quæstio est, *an sit ei fas lucem intueri, qui à se hominem necatum esse fateatur.* Expugnatur assumptio omnibus iis quæ de refutatione diximus. Et ratio quidem nonnunquam est vera, cum ejus propositio vera non sit. Interim veræ propositio-

1 *Rationi simile dixerunt.*] *Enthymema* à consequentibus simile est *ætiologiæ*, quæ propositionis reddit rationem: *enthymema* enim illud propositionem habet, conjunctamque ei protinus probationem, non item enthymema à repugnantibus, quod duntaxat constat oppositione contrariorum. *Turneb.*

2 *Sed & singula.*] Aut ait Fabius aliquando singularem & unicam poni partem, ut si quæratur, *an latronem interficere oporteat:* an auxilium legum expectare, simpliciter dicas, *silent leges inter arma:* aut significat singula ita poni, ut sit interdum propositio cum ratione: interdum ratio cum conclusione: interdum propositio, ratio, & conclusio. *Idem.*

3 *Prioris autem partis.*] Duplex esse potest sensus: nam aut significat Ciceronem dixisse ordinem prioris argumenti incepisse à propositione; aut significat illam argumentationem proximam produxisse, & alia argumentatione firmasse. *Idem.*

4 *Aut enim expugnatur intentio.*] *Intentio* solvitur tribus statibus, aliisque rationibus, de quibus egit in refutatione. Hermogenes ait eam solvi *enstasi* & *antiparastasi.* Idem.

1 *Sed*

positionis falsa ratio est. *Virtus bonum est*, verum est. si quis rationem subjiciat, *quod ea locupletes faciat*, veræ intentionis falsa sit ratio. Connexio aut vera negatur, cum aliud colligit quam id quod ex prioribus conficitur: aut nihil ad quæstionem dicitur pertinere. Non est vera, sic, *Insidiator jure occiditur.* nam qui curavit ut vim afferat ut hostis, debet etiam ut hostis repelli. recte igitur Clodius ut hostis occisus est. Non utique. Nondum enim Clodium insidiatorem ostendimus: sed fit vera connexio, *Recte igitur insidiator ut hostis occiditur.* Nihil ad nos. Nondum enim Clodius insidiator apparet. [1] Sed ut potest esse vera connexio & tamen falsa intentio & ratio: ita si illa vera sunt, nunquam est falsa connexio. *Enthymema* ab aliis [2] oratorius syllogismus, ab aliis pars dicitur syllogismi, propterea quod syllogismus utique conclusionem & propositionem habet, & per omnes partes efficit quod proposuit: enthymema tantum intentum intelligi contentum sit Syllogismus talis, *Solum bonum virtus: nam id demum bonum est, quo nemo male uti potest. virtute nemo male uti potest. bonum est ergo virtus.* Enthymema ex consequentibus, *Bonum est virtus, qua nemo male uti potest.* Et contra, *Non est bonum pecunia: non enim bonum, quo quisquam male uti potest: pecunia potest quis male uti: non igitur bonum est pecunia.* Enthymema ex pugnantibus, *An bonum est pecunia, qua quisque potest male uti?* [3] Si pecunia quæ est in argento signato, argentum est: qui argentum omne legavit & pecuniam, quæ est in argento signato, legavit. Argentum autem omne legavit, igitur & pecuniam, quæ est in argento, legavit. Habebit formam syllogismi. Oratori satis

1 *Sed ut potest esse vera.*] Præceptum hoc est ductum ex prioribus analyticis Arist. nam ex propositionibus falsis in recta argumentatione verum sequi potest, nunquam tamen ex veris falsum. *Idem.*

2 *Oratorius syllogismus.*] Propterea quod oratores sæpenumero & crebrius *enthymemate* utuntur, quam *epicheremate*, omissa nimirum aliqua perfectæ argumentationis parte: maximeque à repugnantibus & consequentibus. nam philosophi *syllogismo* integro utuntur. *Idem.*

3 *Si pecunia.*] Superiora exempla erant *syllogismorum* & *enthymematum categoricorum.* hoc exemplum *syllogismi* est, & *enthymematis hypothetici.* Idem.

1 *Peccasse*

satis est dicere, *Cum argentum legaverit omne pecuniam quoque legavit, quæ est in argento.* [1] Peregisse mihi videor sacra tradentium artes, sed consilio locus supereſt. Namque ego ut in oratione syllogismo quidem aliquando uti nefas non duco, ita constare totam, aut certe confertam esse aggressionum & enthymematum stipatione minime velim. Dialogis enim & dialecticis disputationibus erit similior, quam [2] nostri operis actionibus, quæ quidem inter se plurimum differunt. Nanque illi homines docti, & inter doctos verum quærentes, minutius & scrupulosius scrutantur omnia, & ad liquidum confessumque perducunt: ut qui sibi & inveniendi & judicandi vindicent partes, quarum alteram [3] τοπικὴν, alteram κριτικὴν vocant. Nobis ad aliorum judicia componenda est oratio, & sæpius apud omnino imperitos, atque aliarum certe ignaros literarum loquendum est: [4] quos nisi & delectatione allicimus, & viribus trahimus, & nonnunquam turbamus affectibus: ipsa quæ justa ac vera sunt, tenere non possumus. [5] Locuples & speciosa vult esse eloquentia: quorum nihil consequetur, si conclusionibus certis & crebris, & in unam prope formam cadentibus concisa, & contemptum ex humilitate, & odium ex quadam servitute,

1 *Peregisse mihi videor.*] Hac illi peroratione quædam tradit præcepta vice commonitionis, quæ pertineant ad *argumentorum usum:* atque hic locus pertinet ad *consilium* & *judicium*, quibus de rebus agit Fab. in fine lib. 6. hîc igitur docet aliter argumentari debere *dialecticum*, aliter *oratorem*. Idem. *Peregisse mihi videor sacra tradentium.*] Consule si placet Is. Casauboni Comment. ad Persii prolog. pag. 18. 19.

2 *Nostri operis.*] Opus oratoris vocat *orationem*, non quamlibet, sed *continentem* & *perpetuam*. quanquam nonnunquam orator utitur *altercatione* post orationem perpetuam: quæ si multitudinem habuerit argumentorum & constipationem, nihil peccaverit. *Idem.*

3 Τοπικὴν.] *Topice* dicitur ea pars dialectices, quæ propositis certis locis methodum docet argumenta inveniendi. *Critice* vero, quæ argumenta ipsa in certas argumentationum formas redigit, ut nunquam aberremus, & propositum conficiamus & colligamus. *Idem.*

4 *Quos nisi & delectatione.*] *Dialectici argumentatio* simpliciter docet, non item *orator* cum argumentatur. quare argumenta non debet constipare, ut *dialecticus*, sed illis admiscere delectationem, & affectum, sæpenumero vero contentionem. *Idem.*

5 *Locuples & speciosa vult esse, &c.*] Quod multis ostendit Melchior Sumius Method. Eloquentiæ. pag. 179.

1 Non

vitute, & ex copia satietatem, & ex amplitudine fastidium tulerit. Feratur igitur non semitis, sed campis: [1] non uti fontes angustis fistulis colliguntur, sed ut latissimi amnes totis vallibus fluat, ac sibi viam, si quando non acceperit, faciat. [2] Nam quid lege miserius illa velut præformatas infantibus literas persequentium, & ut Græci dicere solent, [3] quem mater amictum dedit, solicite custodientium? Propositio ac conclusio ex consequentibus & repugnantibus, non inspiret, non augeat, non mille figuris variet ac versetur: ut ea nasci, & ipsa provenire natura, non manu facta, & arte suscepta, magistrum fateri ubique videantur? Quis unquam sic dicit Orator? Nonne apud ipsum Demosthenem pauciſſima hujusmodi reperiuntur? Quæ apprehensa Græci magis (nam hoc solum nobis pejus faciunt) [4] in catenas ligant, & inexplicabili serie connectunt, & indubitata colligunt, & probant confessa, & se antiquis per hoc similes vocant. Deinde interrogati: [5] nunquam respondebunt quem imitentur. Sed de figuris alio loco. Nunc illud adjiciendum, ne iis quidem consentire me, qui semper argumenta sermone puro & dilucido & distincto, cæterum minime lato ornatoque putant esse dicenda. Nanque ea distincta quidem ac perspicua debere esse confiteor: in rebus vero minoribus etiam sermone ac verbis quam maxime propriis, & ex usu. [6] At si major erit materia, nullum ornatum

1 *Non uti fontes angustis fistulis coll.*] Vide Jan. Gebhard. Crepund. lib. 3. cap. 5. pag. 113. Ut & Joh. Passeratii Prælection. in Propert. lib. 3. pag. 515.

2 *Nam quid.*] Præcipit Fab. lib. primo, ut literæ insculperentur tabellæ, quo facilius illos ductus literarum & quasi sulcos manus pueri sequeretur, nec aberraret. Idem quoque faciendum suadet Plato in *graphide*. id est, in graphiaria tabella. *Turneb.*

3 *Quem mater amictum, &c.*] Proverbium est de his qui ab imbuta semel opinione deduci non possunt, sed qui accepta semel auditaque, qualiacunque sint, mordicus retinent. *Idem.*

4 *In catenas ligant.*] Reprehendit *rhetores Græcos sophistas*, oratoresque sui temporis, qui ex imitatione prava Demosthenis, argumenta constipabant & conferciebant. *Idem.*

5 *Nunquam respondebunt.*] Qui si responderent se imitari aliquem ex veteribus, ridiculi essent ex dissimilitudine orationis. *Idem.*

6 *At si major.*] Elocutio argumentorum temperanda est ex genere materiæ. nam si *gravior erit* causa, elocutio esse debebit ornatior & amplior: *si minor*, purior & simplicior. *Idem.*

natum his, qui modo non obscuret, subtrahendum puto. Nam & sæpe plurimum lucis affert illa translatio, cum etiam ipsi jurisconsulti, quorum summus circa verborum proprietatem labor est, [1] *littus* esse audeant dicere, [2] qua fluctus eludit. Quoque quid natura magis asperum, hoc pluribus condiendum est voluptatibus: [3] & nimis suspecta argumentatio, dissimulatione: & multum ad fidem adjuvat audientis voluptas. Nisi forte existimamus Ciceronem male in hac ipsa argumentatione dixisse, *silere leges inter arma, & gladium nobis interim ab ipsis porrigi legibus.* His tamen habendus modus, ut sint ornamento, non impedimento.

1 *Littus esse audeant dicere, qua fluctus eludit.*] Id est, ludendo procedit. ut sit quidam undarum ludus & fluctuum. *Passeratius* in Propert. p. 512. b.

2 *Qua fluctus eludit.*] Hæc definitio est Aquilii jurisconsulti, poniturque à Cicerone *in Topicis.* Justinianus *in titulo de rerum divisione* paulo aliter definivit: ait enim littus esse, quatenus maximus hybernus fluctus excurrit. *Turneb.*

3 *Et nimis suspecta.*] *Dissimulatio* locum habet inter figuras, ut sequentibus libris docebit. hanc igitur figuratam rationem argumentandi utilem esse ait. Potest & alter esse sensus, ut *dissimulationem* appellet orationem remissam & dissimulatam: de qua egit *l.4. in exordio.* Idem.

M. Fab.

M. Fab. Quintiliani De Institutione Oratoria Liber Sextus.

Proœmium, in quo de fortuna sua queritur.

HÆC, Marcelle Victori, ex tua voluntate maxime ingressus, tum si qua ex nobis ad juvenes bonos pervenire posset utilitas, noviſſime pene & neceſſitate quadam [1] officii delegati mihi, ſedulo laborabam, reſpiciens tamen illam curam meæ voluptatis, qui filio, cujus eminens ingenium, ſolicitam quoque parentis diligentiam merebatur, hanc optimam partem relicturus hæreditatis videbar: ut ſi me, quod æquum & optabile fuit, fata intercepiſſent, præceptore tamen patre uteretur. [2] At me fortuna id agentem diebus ac noctibus feſtinantemque metu meæ mortalitatis, ita ſubito proſtravit, ut laboris mei fructus ad neminem minus quam ad me pertineret. Illum enim, de quo ſumma conceperam, & in quo ſpem unicam ſenectutis meæ reponebam, [3] repetito vulnere orbitatis amiſi. [4] Quid nunc agam? aut quem ultra eſſe uſum mei diis reprobantibus credam? Nam ita forte acci-

IDoneo loco conqueſtionem ponit calamitatis ſuæ. eſt ſiquidem hoc libro potiſſimum *de affectibus* acturus. Proœmium igitur continet *Fabii conqueſtionem*, quod orbatus ſit duobus liberis & uxore, eſtque totum *patheticum*. Turneb.

1 *Officii delegati.*] Quia Domitianus imperator Quintiliano commiſerat curam nepotum ſororis ſuæ, quemadmodum dixit Fab. l. 4. hæc igitur propoſitio complectitur *cauſas* quibus eſt adductus ut *de inſtitutione oratoria* inſcriberet. *Idem.*

2 *At me fortuna.*] *Antitheſis* eſt, quæ habet amplificationem calamitatis ex fruſtratione finis. *Idem.*

3 *Repetito vulnere.*] Nam prius filiolum quinquennem amiſerat, deinde amiſit Quintilianum decennem. *Idem.*

4 *Quid nunc agam?*] Explicata orbitate affectus movet, atque ex calamitatis occaſione indignam comminiſcitur & confingit cauſam. nam exiſtimat opera ſua mortem attuliſſe liberis, quod eo tempore quo ſcribebat perierint. *Idem.*

accidit, ut eum quoque librum, quem *de cauſsis corruptæ eloquentiæ* emiſi, jam ſcribere aggreſſus, ſimili ictu ferirer. Tunc igitur optimum fuit, infauſtum opus, & quicquid hoc eſt in me infelicium literarum, ſuper immaturum funus conſumpturis viſcera mea flammis injicere, neque hanc impiam vivacitatem novis inſuper curis fatigare. [1] Quis enim mihi bonus parens ignoſcat, ſi ſtudere amplius poſſum? ac non oderit hanc animi mei firmitatem, ſi quis in me eſt alius uſus vocis, quam ut incuſem deos, ſuperſtes omnium meorum? nullam terras deſpicere providentiam teſter? ſi non meo caſu, cui tamen nihil objici, niſi quod vivam, poteſt: at illorum certe, [2] *quos utique immeritos mors acerba damnavit:* erepta mihi prius eorundem matre, [3] quæ nondum expleto ætatis undeviceſimo anno duos enixa filios, quamvis acerbiſſimis rapta fatis, felix deceſſit. Ego vel hoc uno malo ſic eram afflictus, ut me jam nulla fortuna poſſet efficere felicem. [4] Nam cum omni virtute quæ in fœminas cadit, functa, inſanabilem attulit marito dolorem: tum ætate ea puellari præſertim meæ comparata, poteſt & ipſa numerari inter vulnera orbitatis. [5] Liberis tamen ſuperſtitibus oblectabar: & quod nefas erat, [6] ſæva, [7] ſed optabat ipſa, me ſalvo maximos cruciatus præcipiti via effugit. Mihi filius minor quintum egreſſus annum, ut in malis agerem, prior alterum ex duobus eruit lumen.

Non

1 *Quis enim.*] Confirmat quod nuper dixit, ab aliorum judicio, indeque ducit affectum: ac demum ut Epicureus *negat dei providentia mundum gubernari*, alioqui enim non eſſet orbatus liberis. *Idem.*

2 *Quos utique immeritos mors acerba.*] Vide Plin. lib. 5. Epiſt. 5. Jan. Gebhard. p. 29. ad illud Tibulli lib. 1. Eleg. 3. ℣ſ. 55. Papinio Statio eleganter dicitur *cruda mors*, lib. 9. Thebaid. ℣ſ. 380. & 716. Vide Virg. l. 4. Æneid. ℣ſ. 696.

3 *Quæ nondum expleto ætatis undev.*] Vide M. Ant. Mureti Var. Lection. l. 18. cap. 20. pag. 1221. Lamp. Critic. Part. 2.

4 *Nam cum.*] Commemorat *uxoris dotes & virtutes*, ut majorem inde efficiat calamitatem. eſt etiam *pathos* ab ætate. *Turneb.*

5 *Liberis tamen ſuperſtitibus.*] In hunc locum vide Muretum jam ante citatum.

6 *Sæva.*] An *ſera*? Pith.

7 *Sed optabat ipſa, &c.*] Commemorat *pium uxoris affectum*, quæ ante maritum mori optabat. ipſe quoque mutuum reddit, atque ita oratio *pathetica* eſt & moralis. *Turneb.*

1 Non

[1] Non sum ambitiosus in malis, nec augere lacrymarum causas volo: utinamque esset ratio minuendi. [2] Sed dissimulare quî possum, quid illi gratiæ in vultu, quid jucunditatis in sermone, quos [3] ingenii igniculos, [4] quam præstantiam placidæ, & (quod scio vix posse credi [5] tantum) altæ mentis [6] ostenderit? qualis amorem quicunque alienus infans mereretur. Illud vero insidiantis, quo me validius cruciaret, fortunæ fuit, ut ille mihi blandissimus, me suis nutricibus, me aviæ educanti, me omnibus [7] qui solicitare solent illas ætates, anteferret. Quapropter illi dolori, quem ex matre optima, atque laudem omnem supergressa, paucos ante menses ceperam, gratulor. Minus enim est quod flendum meo nomine, [8] quam quod illius gaudendum est. [9] Una post hæc Quintiliani mei spe ac voluptate nitebar: & poterat sufficere solatio. Non enim flosculos, sicut prior, sed jam decimum ætatis ingressus annum, certos atque [10] deformatos fructus ostenderat. Juro per mala mea, per infelicem conscientiam, [11] per illos manes numina doloris mei, has me in illo vidisse virtutes ingenii, non modo ad percipiendas disciplinas, quo nihil præstantius cognovi, plurima

1 *Non sum ambitiosus in malis.*] Hac prolepsi deprecatur quod objici poterat. cæterum *ambitiosus* dicitur *in malis*, qui suas calamitates magnopere exaggerat, more nimirum *ambitiosorum*, qui ditiores aut fortunatiores haberi volunt. *Idem.*

2 *Sed dissimulare.*] Commemoratis *filioli virtutibus*, majorem quoque movet affectum. hic autem locus est *ab indole* futuræ virtutis. *Idem.*

3 *Ingenii igniculos.*] Alludit *ad dogma Platonicum.* Plato enim existimat nostris animis insitos esse igniculos ac semina virturum, scientiarumque omnium: idque fuse probat in Menone. *Idem.*

4 *Quam præstantiam, &c.*] Dan. *velut substantiam*: alii, *præsubstantiam.* Pith.

5 *Tantum.*] Alii, *Jam tum.*

6 *Ostenderint.*] Muretus, *ostenderet.*

7 *Qui.*] Dan. *Quæ.*

8 *Quam quod illius.*] Propterea quod antea defuncta fuerat, nec aliquem ex interitu filiorum sensérat dolorem. *Turneb.*

9 *Una post.*] Alia est commemoratio calamitatis, quæ amplificatur *ex filii laude* ab attributis personæ petita. *Idem.*

10 *Deformatos fructus.*] Venustissima est *metaphora. deformati* enim appellantur *fructus*, cum delapso flore *formati* apparent, & (ut dicitur) *nodati.* Idem.

11 *Per illos manes numina doloris mei.*] Jusjurandum est *ad attestationem & asseverationem.* jurabant autem antiqui vel per res charas, vel per res invisas. iidem etiam *manes*, id est, animas corpore liberatas deos esse credebant. Auctor Cicero. *Idem.*

plurima expertus, ſtudiique jam tum non coacti (ſciunt præceptores) ſed *probitatis*, *pietatis*, *humanitatis*, *liberalitatis*, [1] ut prorſus poſſit hinc eſſe tanti fulminis metus, quod obſervatum fere eſt, [2] *celerius occidere feſtinatam maturitatem*: & eſſe neſcio quam quæ ſpes tantas decerpat, invidiam, ne videlicet ultra quam homini datum eſt, noſtra provehantur. [3] Etiam illa fortuita aderant omnia, *vocis jucunditas claritaſque, oris ſuavitas*, & *in utracunque lingua*, tanquam ad eam demum natus eſſet, *expreſſa proprietas omnium literarum*. Sed hæc ſpes adhuc: illa majora, *conſtantia*, *gravitas*, contra dolores etiam ac metus *robur*. Nam quo ille animo, qua medicorum admiratione, menſium octo valetudinem tulit? ut me in ſupremis conſolatus eſt? [4] quam etiam deficiens, quamque non tunc ipſum illum alienatæ mentis errorem [5] circa ſolas literas habuit? [6] *Tuoſne ego, ô meæ ſpes inanes labentes oculos, tuum fugientem ſpiritum vidi? Tuum corpus frigidum exangue complexus, animam recipere, auramque communem haurire amplius potui?* dignus his cruciatibus quos fero, dignus his cogitationibus. [7] Tene conſulari nuper adoptione

1 *Ut prorſus poſſit.*] Videtur alludere ad *Catonis apophthegma*. dicit enim ſenilem pueritiam indicium eſſe præproperæ mortis. cujus rei Fab. affert cauſam nimis impiam, vulgarem tamen, quod ſcilicet *deus hujuſmodi præſtantiæ invideat*. Idem.

2 *Celerius occidere feſtinatam matur.*] Catonis eſt apud Plin. lib. 7. *Senilem juventam præmaturæ mortis ſignum eſſe.* Et *Præcoces fructus raro ad maturitatem perveniunt.* Pith.

3 *Etiam illa fortuita.*] Præter ingenium, quod utile eſt ad percipiendas diſciplinas, in eloquentia opus eſt quibuſdam adjumentis naturæ, quas omnes habebat dotes ejus filius. hinc igitur auguratur futuram eloquentiam ſi ſuperſtes fuiſſet. *Turneb. Etiam illa fortuita aderant.*] Vide Lud. Creſollium Vacat. Autumnal. lib. 2. cap. 7. ſect. 1. p. 212. &c.

4 *Quam etiam deficiens, quamque, &c.*] Muretus elegantius: *Quam etiam deficiens, jamque non noſter ipſum illum, &c.* Significat eum jam in poteſtate mortis fuiſſe.

5 *Circa ſolas literas.*] Mirum eſt ſignum futuræ eruditionis. nam cum ex vi morbi pateretur *delirium*, cæterarum rerum præterquam *literarum* eſt oblitus. *Turneb.*

6 *Tuoſne ego.*] *Apoſtrophe eſt ad pathos*, eſtque mortis ſignificatio ab accidentibus. porro alludit ad quorundam philoſophorum opinionem, qui *animam* crediderunt eſſe *aërem* quendam & ſpiritum quo totum corpus foveretur. Imitatio eſt Cic. *in oratione pro Milone.* Idem.

7 *Tene conſulari.*] Duplex poteſt eſſe ſenſus, aut quod re vera à quodam conſule adoptatus eſſet: aut certe per *metaphoram* hoc de Quintiliano eſt intelligendum, qui conſulatum eſt adeptus.

quanquam

ptione ad omnium spes honorum patris admotum, te avunculo prætori generum destinatum, [1] te omnium spe Atticæ eloquentiæ candidatum, superstes parens tantum ad pœnas, amisi? Et si non cupido lucis, certe patientia vindicet te reliqua mea ætate. [2] *Nam frustra mala omnia ad crimen fortunæ relegamus. Nemo nisi sua culpa diu dolet.* Sed vivimus & aliqua vivendi ratio quærenda est: [3] credendumque doctissimis hominibus, qui unicum adversorum solatium *literas* putaverunt. Si quando tamen ita resederit præsens impetus, ut aliqua tot luctibus alia cogitatio inferi possit, non injuste petierim moræ veniam. Quis enim dilata studia miretur, quæ potius non abrupta esse mirandum est? Tum si qua minus fuerit effecta iis quæ levius adhuc afflicti cœperamus, [4] imperitiæ aut fortunæ remittantur: quæ si quid mediocrium alioqui nostro ingenio virium fuit, ut non extinxerit, debilitavit tamen. Sed vel propter hos nos contumacius erigamus, quod illam ut perferre nobis difficile est, ita [5] facile contemnere. Nihil enim sibi adversus me reliquit, & infelicem quidem, sed certissimam tamen attulit mihi ex his malis securitatem. Boni autem consulere nostrum laborem [6] vel propter hoc certum est, quod in nullum jam proprium usum perseveramus, [7] sed omnis hæc

quanquam hoc multis displicet. *Idem. Tene consulari nuper adoptione.*] Vide Jan. Gulielmum Verisimil. lib. 3. cap. 14. pag. 92.

1 *Te omnium spe Atticæ, &c.*] Gulielm. & Muret. *Te omnium spe acutis eloquentiæ candidatum. Atticæ eloquentiæ.*] In aliis, *Acutæ eloquentiæ* legitur, quæ tempore Fabii regnabat, eratque posita in sententiis argutis & crebris. Sic acumen tribuit Fabio Hieronymus. reprehenditur tamen à Valla, qui Fabium ait non magis acumine quam reliquis excellere virtutibus. Aldus *Atticæ* reposuit. est enim ea eloquentia omnium perfectissima. *Turneb.*

2 *Nam.*] Plin. lib. 2. cap. 7.

3 *Credendumque doctissimis.*] Sic Cicero mortua *Tulliola*, consolationem à philosophia petivit, ac librum *de consolatione* conscripsit. *Turneb.*

4 *Imperitiæ aut fortunæ, &c.*] Legend. *Tum si quæ minus fuerint effecta iis, quæ levius adhuc afflicti cœperamus, fortunæ remittantur. Imperitiæ aut fortunæ.*] Dan. *non imperitiæ, at fortunæ, &c.* Pith.

5 *Facile contemnere.*] Quia in posterum non poterit lædere fortuna Fabium, cum nihil supersit in quo illum offendat. *Turneb.*

6 *Vel propter hoc certum est.*] MS. Codex, *cæcum est.* Muretus & Gulielm. *Æcum est.* Ita enim scribebant, pro *æquum*: ut *acam* pro *aqua*.

7 *Sed omnis hæc cura ad alienos.*] Jan. Gulielm-

hæc cura ad alienos, ut alienis utilis (si modo quid utile scribimus) spectat. Nos miseri, sicut facultates patrimonii nostri, ita hoc opus [1] aliis paramus, aliis relinquemus.

Guilielmius: *Sed omnis hæc cura alienas utilitates, &c.*

1 *Aliis paramus, &c.*] Jan. Guilielm. lib. 3. cap. 14. legend. censet *properabamus*. Recte Properasse autem hos Commentarios se metu mortalitatis suæ, ait ipsemet, Fabius hoc ipso proœmio. *Paramus.*] Alii, *præparavimus.*

Cap. I.

De conclusione, seu peroratione.

1 Peroratio sequebatur, quam cumulum quidam, *conclusionem* alii vocant. [1] Ejus duplex ratio est, posita aut in rebus, aut in effectibus. Rerum repetitio & congregatio, quæ Græce dicitur [2] ἀνακεφαλαίωσις, à quibusdam Latinorum *enumeratio*, & memoriam judicis reficit, & totam simul caussam ponit ante oculos, & etiam si per singula minus moverat, turba valet. In hac quæ repetemus quam brevissime dicenda sunt, & quod Græco verbo patet, decurrendum per capita. Nam si morabimur, non jam enumeratio, sed altera quasi fiet oratio. [3] Quæ autem enumeranda videntur, cum pondere aliquo dicenda sunt, & aptis excitanda sententiis, & figuris utique varianda: alioqui nihil est odiosius

Hermogenes in *lib. de Inventione*, hanc videtur omisisse partem, cum præsertim nullo in loco meminerit: attamen cum *conclusio id* colligat quod positum est in confirmatione aut confutatione, merito *confirmationis* pars judicabitur. & alioqui in *lib. de statibus*, inter capita confirmandorum statuum ponit *communem qualitatem*, quæ maxime propria est *conclusionis*. Turneb.

1 *Ejus duplex ratio est.*] Cic. tamen tres efficit partes in libr. *de Inventione*, *enumerationem*, *indignationem*, *conquestionem*: in Partitionibus duas, *enumerationem & amplificationem*. quæ quidem omnia consentiunt: nam *in amplificatione* moventur affectus: item *indignatio* & *conquestio* referuntur ad affectum. *Idem.*

2 *Ἀνακεφαλαίωσις.*] Sic appellatur à Græcis ea pars quæ res per causam dispersas colligit & in summam redigit. nomen habet, ut interpretatur Fabius, quia decurrit per capita, quæ sunt præcipua firmamenta causæ. Primus *anacephalæosin* appellavit Isocrates, Phalereo teste. *Idem.*

3 *Quæ autem.*] Cum in omni oratione fugiendum est illud dicendi genus, ut docebit postea Fabius, quod caret *schematibus*, tum maxime in peroratione. alioqui enim proditur affectatio repetitionis & diffidentia. Vide Cic. *in* 1. *de Invent.* & *in Partit.* Idem.

1 *Ex*

odiosius recta illa repetitione velut memoriæ judicum diffidentis. Sunt autem innumerabiles: optimeque in Verrem Cicero, *Si pater ipse judicaret, quæ diceret cum hæc probarentur?* & deinde subjecit enumerationem. Aut cum idem in eundem, per invocationem deorum spoliata prætore templa dinumerat. Licet & dubitare nunquid nos fugerit, & quid responsuri sint adversarii his & his: aut quam spem accusator habeat omnibus ita defensis. Illa vero jucundissima, si contingat aliquod [1] ex adversario ducere argumentum: ut si dicas, *Reliquit vero hanc partem caussæ.* aut, *Invidia premere maluit.* aut, *Ad preces confugit.* &, *Merito, cum sciret hæc & hæc.* Sed non sunt singulæ species prosequendæ, ne sola videantur, quæ forte nunc dixero: cum occasiones & ex caussis, & ex dictis adversariorum, & ex quibusdam fortuitis quoque oriantur. Nec referenda modo nostra, sed postulandum etiam ab adversariis, [2] ut ad quædam respondeant. Id autem, si & actionis supererit locus, & ea proposuerimus, quæ refelli non possunt. Nam provocare quæ desint fortia, non arguentis est, sed monentis. Id unum epilogi genus visum est plerisque Atticorum, & philosophis fere omnibus, qui *de arte oratoria* scriptum aliquid reliquerunt. Id sensisse Atticos credo, [3] quia Athenis affectus movere

1 *Ex adversario ducere argumentum.*] Hermogenes quoque docet illam esse argumentationem firmissimam, quæ *ex prætermissis* ducitur. ea etiam locum habet *in enumeratione.* Idem.

2 *Ut ad quædam respondeant.*] Hoc enim ostendet causæ fiduciam: sed tum demum est faciendum, cum quod rogamus solvi non potest, aut post responsionem adversarii locus superest etiam nobis orandi. *Idem.*

3 *Quia Athenis, &c.*] Præsertim *apud Areopagitas*, qui usque adeo severi fuerunt, ut in tenebris judicarent, ne misericordia erga reum aliqua moverentur: usque adeo abhorrebant ab omni affectu. Meminit Lucianus in Anacharsi, cum ait, ἦν δέ τις ἢ προοίμιον πρὸ τοῦ λόγου ὡς εὐνουστέρους ἀπεργάζαιτο αὐτοὺς, ἢ οἶκτον ἢ δείνωσιν ἔξωθεν ἐπάγοι τῷ πράγματι, οἷα πολλὰ ῥητόρων παῖδες ἐπὶ τοὺς δικαστὰς μηχανῶνται, προσελθὼν ὁ κῆρυξ κατεσιώπησεν εὐθὺς, οὐκ ἐῶν ληρεῖν, πρὸς τὴν βουλὴν, καὶ περιπέττειν τὸ πράγμα ἐν τοῖς λόγοις, ὡς γυμνὰ τὰ γεγενημένα οἱ ἀρειοπαγῖται βλέποιεν. Quod si quis in auspicanda oratione *proœmium* ad conciliandos eorum animos aut commiserationem exaggerationemve extrinsecus ductum agendæ causæ accommodaret, qualia multa *machinamenta* oratorum natio capiendis judi-

movere etiam per præconem prohibebatur orator. [1]Philosophos minus miror, apud quos vitii est loco, affici: nec boni mores videntur, sic à vero judicem averti: nec convenire bono viro vitiis uti. Necessarios tamen affectus fatebuntur, si aliter obtineri vera & justa & in commune profutura non possint. Cæterum illud constitit inter omnes, etiam in aliis partibus actionis, si multiplex caussa sit, & pluribus argumentis defensa [2] utiliter ἀναπεφαλαίωσιν fieri solere: sicut nemo dubitaverit multas esse caussas: in quibus nullo loco sit necessaria, si breves & simplices fuerint. [3] Hæc pars *perorationis* accusatori patronoque, æque communis est. Affectibus quoque eisdem fere utuntur: sed rarius hic, ille sæpius ac magis. Nam huic concitare judices, illi flectere convenit. [4] Verum & accusator habet interim lacrymas ex miseratione ejus rei quem ulciscitur: & reus de indignitate calumniæ conspirationis vehementius interim queritur. Dividere igitur hæc officia commodissimum, quæ plerumque sunt, ut dixi, procœmio similia, sed liberiora, plenioraque. Inclinatio enim judicum ad nos, petitur initio parcius, cum admitti satis est, & oratio tota superest. In epilogo vero est, qualem animum judex in consilium ferat, & jam nihil amplius dicturi sumus, nec restat quo servemus. Est igitur utrisque commune, conciliare sibi, avertere ab adversario judicem, concitare affectus, & componere. [5] Et brevissimum quidem hoc præceptum dari utri-

cum animis comminisci solet, extemplo *præco* prodiens, tacere eum jubebat, non sinens inaniter verba fundere, verborumque involucris, qua de re agitur, implicare, ut nuda apertaque ipsa facta cernere *Areopagitæ* possent. Meminit & Fabius libro *quinto initio.* & *decimo de Demosthenis Ciceronisque comparatione.* Item Plutarchus. *Idem.*

1 *Philosophos.*] Vide Aristotelem in principio Rhetoric. lib. 1.

2 *Utiliter* ἀναπεφ.] Commonitio in narratione, de qua Fab. egit lib. 4. perquam similis est *anacephalæosi:* est tamen ea usus Cic. in brevissima narratione. *Turneb. Utiliter.*] Alii *viriliter.*

3 *Hæc pars perorationis.*] Cic. tamen in Partit. ea sæpius uti *accusatorem* quam *defensorem* ait: quod tamen consentire potest cum præcepto Fabii. *Idem.*

4 *Verum & accusator.*] Proposita est *iracundia* accusatori, *misericordia* reo: attamen persæpe mutantur vices, ut accusator *misericordia* utatur, reus *iracundia.* Idem.

5 *Et brevissimum quidem.*] Idem sunt loci

utrique parti potest, ut totas causſæ ſuæ vires orator ante oculos ponat: & cum viderit quid *invidioſum*, *favorabile*, *inviſum*, *miſerabile* aut ſit in rebus, aut videri poſſit: ea dicat, quibus, ſi judex eſſet ipſe, maxime moveretur. Sed certius eſt ire per ſingula. Et quæ conciliant quidem accuſatorem, in præceptis exordii jam diximus. Quædam tamen quæ illic oſtendere ſatis eſt, in peroratione implenda ſunt magis ſi contra impotentem, inviſum, pernicioſum ſuſcepta cauſſa eſt: ſi judicibus ipſis aut gloriæ damnatio rei, aut deformitati futura abſolutio. [1] Nam egregie in Vatinium Calvus, *Factum*, inquit, *ambitum ſcitis omnes, & hoc vos ſcire omnes ſciunt.* Cicero quidem in Verrem etiam *emendari poſſe* [2] *infamiam judiciorum damnato reo dicit:* quod eſt unum ex ſupradictis. [3] Metus etiam ſi eſt adhibendus, ut facit idem, hunc habeat locum fortiorem quam in proœmio. Qua de re quid ſentirem, alio jam libro expoſui. Concitare quoque invidiam, odium, iram, liberius in peroratione contingit: quorum *invidiam* gratia, *odium* turpitudo, *iram* offenſio judicis facit, ſi contumax, arrogans, [4] ſecurus ſit, qui non ex facto modo, dictove aliquo, ſed vultu, habitu, aſpectu moveri ſolet. [5] Egregieque nobis adoleſcentibus dixiſſe accuſator Coſſu-

loci ducendorum affectuum qui & argumentorum. igitur ut *argumenta* ducuntur *à rebus* & *perſonis*, itidem quoque *affectus*. intueri igitur circunſtantias cauſæ oportet. Vide item Rodol. Agricolam lib. 3. cap. 1. *Idem.*

1 *Nam egregie.*] *Calvus orator* qui tempore Ciceronis vixit, Vatinium ambitus accuſavit, multaſque in eum edidit orationes, quæ maxime probantur, ut ait Cornelius Tacitus. *Idem.*

2 *Infamiam judiciorum.*] *Act. 2. in Verrem.* Nam vulgatum erat ob corruptelam judiciorum hominem pecunioſum, etiam nocentem, damnari non poſſe: quæ infamia emendari poterat, damnato Verre. *Idem.*

3 *Metus etiam.*] Dupliciter tamen tractatur metus, altero *favorabili modo*, ut ne porro male ſentiat de judicibus: altero *modo graviore*, ut cum Cicero corruptis judicibus accuſationem minatur, in *eadem ſecunda actione in Verrem.* De hoc Fabius *lib.* 4. tradidit. *Idem.*

4 *Securus ſit.*] Sic Cic. *pro Roſcio* ſecuritatem Erutii vexat, qui ob potentiam Chryſogoni neminem fore patronum Roſcio arbitrabatur. Vel *ſecurum* intellige oſcitantem, & cauſæ ſuæ nimium confidentem, quia judex odit litigatoris ſecuritatem. *Idem.*

5 *Egregieque nobis.*] Significat *arrogantem* & *impudentem adverſarium*, qui nulla Cæſaris reverentia moveretur. Cæterum annotandum eſt, olim non licuiſſe vel in ſenatu, vel in foro Græcam habere orationem: idque primum eſt permiſſum Apollonio Moloni, deinde

Cossutiani Captionis videbatur Græce quidem, sed in hunc sensum, *Erubescit Cæsarem timere.* Summa tamen concitandi affectus accusatori in hoc est, ut id quod objicit, aut quam atrociſſimum, aut etiam si fieri potest, quam maxime miserabile esse videatur. [1] Atrocitas crescit ex his, *quid factum sit, à quo, in quem, quo animo, quo tempore, quo loco, quo modo:* quæ omnia infinitos anfractus habent. Pulsatum querimur: de re primum ipsa dicendum: tum *si senex, si puer, si magistratus, si probus, si bene de repub. meritus.* Etiam si percussus sit à vili aliquo contemptoque: vel ex contrario à potente nimium vel ab eo à quo minime oportuit. Et si die forte solenni, aut iis temporibus, cum judicia ejus rei maxime exercerentur, aut in solicito civitatis statu. [2] Item *in theatro, in templo, in concione.* Crescit invidia [3] & si non errore, nec ira, vel etiam si forte ira sed iniqua, quod patri affuisset, quod respondisset, quod honores contra peteret: & si plus etiam videri potest voluisse quam fecit. [4] Plurimum tamen affert atrocitatis, modus, si graviter, si contumelioſe: [5] ut Demosthenes ex parte percussi corporis, ex vultu

inde postea hac patefacta janua, cæteris id licuit. *Idem.*

1 *Atrocitas.*] Ulpianus *lib.* 47. *de injuriis*, Atrocem injuriam, quasi contumeliosiorem & majorem accepimus. *Atrocem* autem *injuriam* aut persona, aut tempore, aut re ipsa fieri, Labeo ait. *Persona atrocior fit*, cum magistratui, cum parenti, patronove fiat. *Tempore*, si in ludis & conspectu Prætoris, aut in solitudine facta sit injuria, multum interesse ait. *Re atrociorem* Labeo ait, ut vulnus illatum alicui, vel os percussum. Paulus, Vulneris magnitudo *atrociorem* facit *injuriam.* Et nonnunquam *locus*, ut oculo percusso. Sed & si in theatro vel in foro cædit & vulnerat, quanquam non atrociter, *atrocem injuriam* facit. *Idem.*

2 *Item in theatro, in templo.*] MS. Palat. elegantius: *Item in theatro, in templo, in concione glisicit invidia. Et sic, &c.* Vide Jan. Gebhard. Crepund. l. 3. c. 5. p. 112.

3 *Etsi non errore.*] Nam *error* & *imprudentia* valet ad excusationem & deprecationem: & quæ primis motibus aguntur, minus gravia sunt, quam quæ præmeditato & destinato, ut sunt *error* & *ira*, quæ est motus repentinus, & ut ait Horat. *furor brevis.* Cic 1. Off. Leviora sunt ea quæ repentino aliquo animi motu, quam quæ meditata præparataque inferuntur. *Turneb.*

4 *Plurimum tamen.*] Plurimum potest in illustratione & amplificatione *modus*, teste Hermogene: inde enim fit δεισιδυὴ, quæ rem aperte repræsentat & splendide. Hinc etiam pendet δείνωσις, quæ est oratio gravitatem & asperitatem rebus addens. *Idem.*

5 *Ut Demosthenes.*] Cum Demosthenes esset *choragus*, id est, ludorum curator, ipsis Liberalibus à Midia cive potente,

vultu ferientis, ex habitu invidiam Midiæ quærit. *Occisus est, utrum ferro, an igne, an veneno, uno vulnere an pluribus, subito, an expectatione tortus*, ad hanc partem maxime pertinet. [1] Utitur frequenter accusator & miseratione, cum aut ejus casum quem ulciscitur, aut liberorum aut parentum solitudinem conqueritur. [2] Etiam futuri temporis imagine judices movet qui maneant eos casus, qui de vi & injuria questi sunt, nisi vindicentur: *fugiendum de civitate, cedendum bonis, aut omnia quæcunque inimicus fecerit, perferenda.* Sed sæpius id est accusatoris avertere judicem à miseratione qua reus sit usurus, atque ad fortiter judicandum concitare. Cujus loci est etiam occupare quæ dicturum facturumve adversarium putes. Nam & cautiores ad custodiam suæ religionis judices facit, & gratiam responsuris aufert, cum ea quæ prædicta sunt ab accusatore, jam si pro reo petentur, non sint nova: ut Servius Sulpitius contra Aufidiam, *ne signatorum ab ipsis discrimen objiciatur sibi, præmonet.* [3] Nec non ab Æschine, quali sit usurus Demosthenes actione, prædictum est. Docendi interim quoque judices, quid rogantibus respondere debeant: [4] quod est unum repetitionis genus. [5] Periclitantem vero commendat *dignitas*, & *studia fortia* & *susceptæ bello cicatrices*, & *nobilitas*, & *merita majorum.* Hoc quod proxime dixi, Cicero atque Asinius certatim sunt usi:

tente, pugno percussus est in malam. itaque Midiam accusavit 32. anno, accusationem tamen amicorum precibus postea omisit. extatque ejus oratio κατὰ Μειδίου περὶ κονδύλου. *Idem.*

1 *Utitur frequenter accusator, &c.*] Alii *Miserationem accusator etiam interdum movet.*

2 *Etiam futuri, &c.*] Hæc ratio affectus movendi fit per *metabasim*, cum à præsentibus incommodis ad futura transimus. solet autem multum judicem movere. *Turneb.*

3 *Nec non ab Æschine.*] Æschines contra Ctesiphontem, præmonuit Demosthenem pauca *de lege* dicturum, permulta vero *de suis actionibus* & aliis rebus. monet igitur judices ut cogatur dicere *de lege* Demosthenes. *Idem.*

4 *Quod est unum repetitionis genus.*] Jam enim in *confirmatione* & *confutatione* his occurrimus & respondimus, quæ ab adversario dici potuerunt: quæ hoc genere de quo nunc ait, diversa dicendi forma repetuntur. *Idem.*

5 *Periclitantem vero.*] Nunc explicat locos, quibus affectus movere potest defensor. est autem hoc proprium ejus, *movere commiserationem*, nonnunquam tamen etiam *invidiam.* Idem.

1 *Pro*

usi: [1] pro Scauro patre hic, ille pro filio. [2] Commendat & causſa periculi, si suscepisse inimicitas ob aliquod factum honestum videtur: præcipue *bonitas, humanitas, misericordia.* Juste enim tunc petere ea quisque videtur à judice: quæ alii ipse præstiterit. Referenda pars hæc quoque ad utilitatem reipub. *ad judicum gloriam, ad exemplum, ad memoriam posteritatis.* Plurimum tamen valet miseratio, quæ judicem flecti non tantum cogit, sed motum quoque animi sui lacrymis confiteri. [3] Hæc petentur aut *ex iis quæ passus est reus*, aut ex iis *quæ tum maxime patitur*, aut ex iis *quæ damnatum manent:* quæ & ipsa duplicantur cum dicimus *ex qua illi fortuna, & in quam recidendum sit.* Affert in his momentum & ætas, & sexus & pignora: *liberi*, dico & *parentes*, & *propinqui.* Quæ omnia tractari varie solent. [4] Nonnunquam etiam & ipse patronus has partes subit: ut Cicero pro Milone, *O me miserum, ô me infelicem. Revocare me tu in patriam Milo potuisti per hos, ego te in patria per eosdem retinere non potero?* Maximeque si (ut tunc accidit) non convenient ei qui accusatur, preces. Nam quis ferret Milonem pro capite suo supplicante, qui à se virum nobilem interfectum, quia id fieri oportuisset, fateretur? Ergo & ille captavit ex illa præstantia animi favorem, & in locum lacrymarum ejus ipse successit. His præcipue locis [5] utiles sunt *prosopopœiæ*, id est fictæ

1 *Pro Scauro.*] Vide Valer. Max. *l.* 8. *tit. de jud. publicis.* Idem.

2 *Commendat & causa periculi.*] Dixit more Græco *periculum* pro reatu & accusatione. cum igitur ob honestum aliquod factum incidimus in periculum capitis, aut fortunarum, inde affectum movere possumus. *Idem.*

3 *Hæc petentur.*] *Miseratio* (ut ait Cic.) à tribus ducitur temporibus: quod etiam hoc loco ait Fabius. Hæc tamen ratio geminatur amplificando, cum fortunam superiorem cum futura comparamus. Hæc fere ex Cic. *Orat. & Partitionibus* desumpta sunt. *Idem.*

4 *Nonnunquam etiam.*] Cic. *in oratione pro Milone*, Milonem semper inducit fortem, constantem, & magnanimum. Illi igitur preces non conveniebant: itaque Cic. decorum servavit, & suam personam in Milonis locum substituit, hocque modo implevit affectus. *Idem.*

5 *Utiles sunt prosopopœiæ.*] Nomine *prosopopœiæ* quamcunque orationem intelligit, quæ sub aliena dicitur persona. itaque complectitur *ethopœiam*, *idolopœiam*, & eam quam peculiari nomine *prosopopœiam* vocamus, quæ mutis rebus accommodat sermonem. *Idem.*

1 Sub

ctæ alienarum personarum orationes, quales litigatorem decent, vel patronum. Mutæ tamen res movent, aut cum ipsis loquimur: aut cum ipsas loqui fingimus. Ex personis quoque trahitur affectus. Non enim audire judex videtur aliena mala deflentes, sed sensum ac vocem auribus accipere miserorum, quorum etiam mutus aspectus lacrymas movet: quantoque essent miserabiliora si ea dicerent ipsi, tanto sunt quadam sua portione ad efficiendum potentiora, cum velut ipsorum ore dicuntur: ut scenicis actoribus eadem vox, eadem pronunciatio plus ad movendos affectus [1] sub persona valet. Itaque idem Cicero quanquam preces non dat Miloni, eumque potius animi præstantia commendat, accommodavit ei tamen & verba, & convenientes etiam forti viro conquestiones. *O frustra, inquit, mei suscepti labores. O spes fallaces. O cogitationes inanes meæ.* [2] Nunquam tamen debet esse longa miseratio: nec sine caussa dictum est, [3] *Nihil facilius quam lachrymas inarescere.* [4] Nam cum etiam [5] veros dolores mitiget tempus, citius evanescat necesse est illa, quam dicendo effinximus, imago: in qua si moramur, lacrymis fatigatur auditor, & requiescit, & ab illo quem ceperat impetu, [6] ad rationem redit. Non patiamur igitur frigescere hoc opus: & affectum cum ad summum perduxerimus, relinquamus: nec speremus fore, ut aliena

1 *Sub persona valet.*] Quia persona repræsentat similitudinem illius, cujus personam histrio sustinet. quocirca videtur homo ille, non autem histrio loqui. *Idem.*

2 *Nunquam tamen debet esse longa.*] Vide Lud. Cresollii Vacat. Autumnal. lib. 3. pag. 687.

3 *Nihil facilius quam lachrymas.*] Hoc sumptum ex *Partitionibus Cic. & primo de Inventione.* Turneb.

4 *Nam cum etiam veros dolores.*] Vide Jani Gebhardi Animadvers. ad Propertii lib. 3. Eleg. 20. pag. 32. Plin. lib. 8. Epist. 2.

5 *Veros dolores.*] Ut Sulpitius ait ad *Cic. lib. 4. epist. famil.* Nullus dolor est, quem non longinquitas temporis minuat atque molliat. & ut ait Euripides, χρόνῳ μαλάξει. *Turneb.*

6 *Ad rationem redit.*] Unde eleganter Plin. *lib. 2. epist.* Adnotarumque experimentis, quod *favor* & *misericordia* acres & vehementes primos impetus habent: paulatim consilio & ratione quasi restincta considunt. Unde evenit, ut quod multi clamore permisto tuentur, nemo tacentibus cæteris dicere velit. patescit enim cum separaris à turba, contemplatio rerum quæ turba reguntur. *Idem.*

aliena quiſquam diu ploret. Ideoque cum in aliis, tum maxime in hac parte debet creſcere oratio: quia quicquid non adjicit prioribus, etiam detrahere videtur: & facile deficit affectus qui deſcendit. [1] Non ſolum autem dicendo ſed etiam faciendo quædam, lacrymas movemus: unde & producere ipſos qui periclitentur, ſqualidos atque deformes: & liberos eorum ac parentes, inſtitutum, & ab accuſatoribus oſtendi cruentum gladium, & lecta è vulneribus oſſa, & veſtes ſanguine perfuſas videmus, & vulnera reſolvi, ac verberata corpora nudari. Quarum rerum ingens plerunque vis eſt, velut in rem præſentem animos hominum ducentium. [2] *Et populum Romanum egit in furorem prætexta Caii Cæſaris prolata in foro cruenta.* Sciebatur interfectum eum, corpus denique ipſum [3] impoſitum lecto erat: veſtis tamen illa ſanguine madens, ita repræſentavit imaginem ſceleris, ut non occiſus eſſe Cæſar, ſed tum maxime occidi videretur. Sed non ideo probaverim, quod factum & lego, & ipſe aliquando vidi, depictam tabulam [4] ſupra Jovem in imaginem rei cujus atrocitate judex erat commovendus. Quæ enim eſt actoris infantia, qui mutam illam effigiem magis quam orationem pro ſe putet locuturam? At ſordes, & ſquallores, [5] & propinquorum quoque ſimilem habitum ſcio profuiſſe, & magnum ad ſalutem momentum preces attuliſſe. Quare & *obſecratio* illa judicum

per

1 *Non ſolum autem.*] Affectus moventur *rebus* & *verbis*. *verba* ſignificant, *res* oſtendunt. utriuſque idem eſt propoſitum, non tamen eadem tractatio & imitatio, ut hoc capite docebit. *Idem.*

2 *Et populum Romanum.*] M. Antonius *interfecto Cæſare* concionem habuit apud populum, veſtemque Cæſaris in qua confoſſus fuerat, pilo impoſitam porro oſtendit, atque ita commovit ut populus ſtatim impetum faceret in ædes conjuratorum. *Idem. Et populum.*] Suet. in vita Cæſaris, & Apppianus l. 2. bel. civil.

3 *Impoſitum lecto erat.*] *Lectis* olim efferebantur cadavera, interdumque in ornamentum lectuli plures ponebantur: adeo ut in funere ſexcentos aliquando fuiſſe legamus. *Turneb.*

4 *Supra Jovem.*] In foro Romano *ſtatua Jovis* erat poſita, ut ex numinis religione ſanctius judices ſententiam ferrent. *Idem.*

5 *Et propinquorum quoque.*] Solebant quoque proquinqui reorum habitum mutare, ſordidatique populum prehenſare, judicumque miſericordiam captare. Hac de re vide Bud. *in poſter. annot. in Pandect.* Idem.

1 *Genibus*

per charissima pignora, utique si & reo sint *liberi*, *conjunx*, *parentes*, utilis erit. Et deorum etiam invocatio, velut ex bona conscientia profecta videri solet. Stratum denique jacere, & [1] genua complecti: nisi tamen persona nos, & anteacta vita, & rei conditio prohibebit. [2] Quædam enim tam fortiter tuenda, quam facta sunt. Verum sic est habenda auctoritatis ratio, ne sit invisa securitas. [3] Fuit quondam inter hæc omnia potentissimum id, quo [4] Lucium Murænam Cicero accusantibus clarissimis viris, eripuisse præcipue videtur. Persuasit enim nihil esse ad præsentem rerum statum utilius, *quam* [5] *pridie Calend. Januarias ingredi Consulatum.* [6] Quod genus nostris temporibus totum pene sublatum est, cum omnia curæ tutelæque unius innixa periclitari [7] nullo judicii exitu possint. De accusatoribus & reis sum locutus, quia in periculis maxime versatur affectus. [8] Sed privatæ quoque causæ utrunque habent perorationis genus: & illud quod est ex enumeratione probationum, & hoc quod ex lacrymis: si aut [9] statu periclitari, aut [10] opinione litigator videtur. Nam in parvis quidem litibus has tragœdias movere, tale est, quale si *personam Herculis & cothur-*

1 *Genibus complecti.*] Plinius docet in auriculis positam esse *memoriam*, ut in genibus *misericordiam*. quapropter supplices solent aliorum genua amplexari. *Idem.*

2 *Quædam enim tam fortiter.*] Ut Milonem non debuit Cic. supplicem facere, quoniam fortiter se fecisse dicebat, interficiendo insidiatorem. *Idem.*

3 *Fuit quondam.*] Cum esset nondum oppressa Catilinæ conjuratio, essetque Cic. in exitu sui consulatus, suasit optimum esse ut consules designati inirent magistratum quam primum, ne illis consulatum præriperet Catilina. *Idem.*

4 *Lucium Murænam.*] Cic. ipse pro Flacco, ait, se defendente Murænam ob metum ne rempub. Catilina opprimeret, fuisse absolutum. *Pith.*

5 *Pridie Calend. Januarias.*] Longe ante designabantur consules, quam inirent magistratum. Inibant autem magistratum Cal. Januariis, ac tum justum habebant imperium, & imperii fasces. *Turneb.*

6 *Quod genus.*] Assentatur Domitiano Fabius. significat enim reipub. periculum imminere non posse, si Cos. antequam magistratum ineat damnetur, cum ea sub Domitiano principe orba esse non possit, à quo uno commode regeretur, etiam ut nulli essent consules. *Idem.*

7 *Nullo judicii exitu.*] Sive *damnetur*, sive *absolvatur*. Idem.

8 *Sed privatæ, &c.*] Tamen causæ privatæ aut magna ex parte affectibus carent, aut habent affectus leniores. *Idem.*

9 *Statu.*] De dignitate. *Idem.*

10 *Opinione.*] Bonæ existimationis. *Idem.*

[1] *cothurnos aptare infantibus velis.* Illud ne indignum quidem admonitione, ingens in epilogis meo judicio verti discrimen, quomodo se dicenti, qui excitatur, accommodet. Nam & *imperitia*, & *rusticitas*, & *rigor*, & *deformitas afferunt* interim *frigus*: diligenterque hæc sunt actori providenda. [2] Equidem repuganteis eos patrono, & nihil vultu commotos, & intempestive ridentes, & facto aliquo vel ipso vultu risum moventes sæpe etiam vidi, præcipue vero cum aliqua velut scenice fiunt. Transtulit patronus aliquando puellam, quæ soror esse adversarii dicebatur (nam de hoc lis erat) [3] in adversa subsellia, tanquam in gremio fratris relicturus. at is à nobis præmonitus discesserat. Tum ille alioqui vir facundus, inopinatæ rei casu obmutuit, & infantem suam frigidissime reportavit. Alius, imaginem mariti pro rea proferre magni putavit: at ea sæpius [4] risum fecit. Nam & ii quorum officii erat, ut traderent eam, ignari qui esset epilogus, quoties respexisset patronus, offerebant palam, [5] & prolata novissime, deformitate ipsa, ([6] nam senis cadaveris infusa) præteritam quoque orationis gratiam perdidit.

1 *Cothurnos aptare.*] Hoc proverbiale est, ut refert Erasmus, usurpaturque cum rei parvæ aliquid maximum. quod minime deceat, accommodatur. ductum est ab histrionibus, quibus persona quæ repræsentat Herculem imponitur in tragœdia. sed quemadmodum altus fuit Hercules, ita histrio procerus esse debet qui illius personam sustinet. *Idem.*

2 *Equidem repugnantes.*] Significat Fabius eum qui producitur sese debere orationi dicentis accommodare, ut si oratio moveat misericordiam, videatur ipse miserabilis: alioqui enim summopere nocebit. *Idem.*

3 *In adversa subsellia.*] *Reus* erat in subselliis dextris, *accusator* in subselliis sinistris. Igitur transtulit puellam patronus à suo subsellio ad subsellium adversarii, ut affectum moveret. *Idem.*

4 *Risum fecit.*] Porro docebit Fab. in sequentibus, nihil esse melius ad solvendum affectum, quam *risum*. Idem.

5 *Et prolata novissime, deformitate ipsa (nam ceris cadaver attulerant infusum.*] Sic legendum censet Turneb. advers. lib. 29. cap. 1. vel 2.

6 *Senis cadaveri infusa.*] Hoc intelligendum videtur de *typo*, sive *protypo*. Scribit enim Plinius lib. 35. cap. 12. in hunc modum, *hominis imaginem gypso ex ipsius facie cera infusa formæ exprimebant.* præterea apud Romanos (ut alio loco docet Plin.) *imagines è cera fiebant, ac expressi cera vultus singulis ponebantur armariis.* Igitur intelligendum est juvenculam fuisse uxorem. Cum igitur prolata esset imago mariti senis, id affectum non movebat, quia lætandum videbatur uxori, quod maritum senem perdidisset. *Turneb.*

1 *Spiri-*

perdidit. Nec ignotum quid Glyconi, cui [1] *Spiridion* fuit cognomen, acciderit. *Huic puer, quem in jus productum, quid fleret interrogabat,* [2] *ex pædagogo se vellicari respondit.* Sed nihil illa contra [3] Cepasios Ciceronis fabula efficacius ad pericula epilogorum. Omnia tamen hæc tolerabilia, quibus [4] actionem mutare facile est: atqui à stylo non recedunt, aut conticescunt ad hos casus, aut frequentissime falsa dicunt. Inde est enim, *Tendit ad vestra genua supplices manus.* &, *Hæret in complexu liberorum miser.* &, *Revocat ecce me.* etsi nihil horum is de quo dicitur, faciat. [5] Et è scholis hæc vitia, in quibus omnia libere fingimus, & impune, quia pro facto est quicquid volumus. non admittit hoc idem veritas fori. Egregieque Cassius Severus dicenti adolescentulo, *Quid me torvo vultu intueris Severe? Non me hercule, inquit, faciebam,* [6] *sed sic scripsisti, ecce. & quam potuit, truculentissime eum aspexit.* Illud præcipue monendum, ne quis nisi summis ingenii viribus ad movendas lacrymas aggredi audeat. Nam ut est longe vehementissimus hic cum invaluit affectus, ita si nihil efficit, tepet: quem melius infirmus actor tacitis judicum cogitationibus reliquisset. Nam & vultus, & vox, & ipsa illa excitati rei facies, ludibrio etiam plerunque sunt hominibus quos non promoverunt. Quare metiatur ac diligenter æstimet vires suas actor:

1 *Spiridion.*] Forte quod similis esset quadantenus *spiræ* aut *resticulæ* obvolutæ, ex gracilitate & curvitate corporis. *Idem.*

2 *Ex pædagogo se vellicari.*] Puero additus fuerat *pædagogus* à quo vellicaretur cum flendum esset ad misericordiam movendam. Igitur cum debuisset respondere puer se fiere ob calamitates patris, dixit se flere quia pungeretur à *pædagogo.* Idem.

3 *Cepasios fratr.*] In oratione pro Cluentio. de quo Fab. l. 4. & paulo post aget. *Idem.*

4 *Actionem mutare.*] Oratores qui valent *extemporali facundia*, hoc vitium emendare possunt *ex tempore:* at qui nihil nisi compositum ad causas afferunt, tum obmutescunt. qui *à stylo* non recedere dicuntur, hoc est à præscripta domi præmeditataque oratione. *Idem.*

5 *Et è scholis.*] In *declamationibus* orator hæc omnia ad voluntatem fingit: at non eadem est libertas in foro. illic enim duntaxat quod fit dicendum est. *Idem.*

6 *Sed sic scripsisti.*] Mire notavit scriptam illius adolescentis orationem. nec enim hoc dixerat, quia torve inspexisset Severus, sed quia ita domi orationem composuerat. *Idem.*

actor: & quantum onus subiturus sit, intelligat. Nihil habet ista res medium, sed aut lacrymas meretur, aut risum. [1] Non autem commovere tantum miserationem, sed etiam discutere, *epilogi* est proprium quum oratione continua, quæ motos lacrymis judices ad justitiam reducat, tum etiam quibusdam urbane dictis: quale est, *Date puero panem, ne ploret.* Et corpulento litigatori, cujus adversarius item puer circa judices erat, ab advocato latus, [2] *Quid faciam? ego te bajulare non possum.* Sed hæc tamen, non debent esse mimica. Ita neque illum probaverim, qui inter clarissimos sui temporis oratores fuit, *qui pueris in epilogum productis,* [3] *talos projecit in medium, quos illi diripere cœperunt.* Nanque hæc ipsa discriminis sui ignorantia potuit esse miserabilis. Neque illum, *qui cum esset cruentus gladius ejus ab accusatore prolatus, quo is hominem probabat occisum, subito ex subselliis ut territus fugit, & capite ex parte velato, cum ad agentem ex turba prospexisset, interrogavit an jam ille cum gladio recessisset.* [4] Fecit enim risum, sed ridiculus fuit. [5] Discutiendæ tamen oratione hujusmodi scenæ. Egregieque Cicero, qui & [6] contra imaginem Saturnini pro Rabirio graviter, & contra juvenem cujus subinde vulnus in judicio resolvebatur, pro

1 *Non autem commovere.*] Quemadmodum *in epilogo commovetur* affectus, ita etiam *sedatur:* alioqui judicis animus miseratione occupatus, præter justum judicaret. est igitur *composito affectu* reducendus ad rationem. Hæc est una ratio solvendorum affectuum, ut pacata rursus compositaque mens tranquillitati reddatur. Fit autem hoc vel per *continuam orationem*, vel *per locos*, de quibus nunc exempla ponit, & fusius cap. *de risu.* Idem.

2 *Quid faciam?*] Illusit homini corpulento, quem negavit se bajulare posse, quo modo advocatus puerum circa judices tulerat. *Idem.*

3 *Talos projecit.*] *Tali* sunt ossicula quædam in suffragine animalium bisulcorum, quibus solent pueri lusitare. *Idem.*

4 *Fecit enim risum, sed ridiculus fuit.*] Eleganter ista duo distinxit. nam & aliquis *facere risum* potest, ut tamen ludibrio non sit. Hic vero ludibrio fuit. *ridiculus* enim passive accipitur. *Idem.*

5 *Discutiendæ tamen.*] Antea docuit quo pacto *urbanis* quibusdam *dictis* discuti posset affectus: nunc quo pacto *oratione perpetua.* cæterum appellat *scenas* hujusmodi *tragœdias*, quas adversarii excitant movendis affectibus, productis quibusdam personis, aut rebus quibusdam prolatis. *Idem.*

6 *Contra imaginem Saturnini.*] In C. Rabirii accusatione T. *Labienus* L. Saturnini imaginem produxit ad movendos affectus. *Idem.*

1 *Sunt*

pro Vareno multa dixit urbane. [1] Sunt & illi leniores epilogi, quibus adversario satisfacimus: si forte sit ejus persona talis, ut illi debeatur reverentia, aut quum amice aliquid commonemus, & ad concordiam hortamur: quod est genus egregie tractatum à Passieno, *cum Domitiæ uxoris suæ pecuniariam litem adversus fratrem ejus Ænobarbum ageret.* Nam quum de necessitudine multa dixisset, de fortuna quoque, qua uterque abundabat, adjecit, *Nihil vobis minus deest, quam de quo contenditis.* [2] Omnes autem hos affectus, etiam si quibusdam videntur in procœmio atque in epilogo sedem habere, in quibus sane sunt frequentissimi, tamen aliæ quoque partes recipiunt, sed breviores, ut cum ex his plurima sint reservanda. At hîc si usquam, totos eloquentiæ aperire fontes licet. Nam ex his, si bene diximus reliqua, possidemus jam judicum animos: [3] & *confragosis atque asperis evecti, tota pandere possumus vela:* & cum maxima pars epilogi [4] amplificatio, verbis atque sententiis uti licet magnificis, atque ornatis. Tunc est commovendum theatrum, quum ventum est ad ipsum illud, quo veteres tragœdiæ comœdiæque clauduntur, *Plaudite.* In aliis autem partibus tractandus affectus erit [5] ut quisque nascetur. Nam neque exponi sine hoc res atroces & miserabiles debent. Cum de qua-

1 *Sunt & illi.*] Quanquam vulgo ajunt *in exordio* leniores esse affectus, *in conclusione* graviores, tamen *conclusio* nonnunquam lenes habet affectus, ut cum conciliare nobis volumus adversarium, cum eum amice objurgamus, aut commonefacimus. *Idem.*

2 *Omnes autem hos affectus.*] Significat in omni causæ parte locum habere *affectus* posse, dum tamen causa sit affectuum capax. quanquam nonnulli duas partes tribuunt affectibus, *exordium* & *conclusionem:* duas docendo deputant, *narrationem* & *confirmationem.* quod si verum est, ita intelligendum est, *illic* frequentiores, *hîc* rariores esse affectus. *Idem.*

3 *Et confragosis.*] *Metaphora est à re nautica* ducta. nam in locis scopulosis & confragosis solent contrahere vela nautæ, ne impetu venti impingant in scopulos. significat autem *confirmationem* & *refutationem* minus admittere orationis ubertatem quam *conclusionem.* Idem.

4 *Amplificatio.*] Intelligere etiam contrarium debemus, nimirum *diminutionem,* quia illos affectus quos adversarius concitavit, extenuare debemus ac sedare. *Idem.*

5 *Ut quisque nascetur.*] Nam docuit lib. 4. si quid miserabile aut atrox narretur, non esse explicandum *sine affectibus,* sero enim tractarentur *in conclusione,* qui non essent positi *in explicatione.* Idem.

qualitate alicujus rei quæstio est, probationibus uniuscujusque rei recte subjungitur. Ubi vero conjunctam ex pluribus causam agimus, etiam necesse erit uti pluribus quasi epilogis: ut in Verrem [1] Cicero fecit. *Nam & Philodamo, & navarchis, & cruciatis civibus Romanis, & aliis plurimis suas lacrymas dedit.* Sunt qui hos μελετὰς ἐπιλόγους vocent, quo partitam perorationem significant. [2] Mihi non tam partes ejus quam species videntur. Si quidem hæc epilogi & perorationis nomina ipsa aperte satis ostendunt hanc esse consummationem orationis.

1 *Cicero.*] Act. 3. & 7.

2 *Mihi non tam.*] *Epilogi* illi qui subjiciuntur singulis criminibus, non sunt epilogorum partes quædam & quædam membra, sed *species* & *rationes*, quæ totam epilogi conditionem complectuntur, & quodammodo *conclusiones* seu *epilogi speciales*. Turneb.

Cap. II.

De divisione affectuum: & quomodo movendi sint.

3 Quamvis autem pars hæc judicialium causarum sit summa præcipueque constet *affectibus*, & aliqua de his necessario dixerim, non tamen potui, ac ne debui quidem locum istum in unam speciem concludere. Quare adhuc opus supereſt, cum ad obtinenda quæ volumus, potentissimum, tum supradictis multo difficilius, movendi judicum animos, atque in eum quem volumus habitum formandi, & velut transfigurandi. Qua de re pauca, quæ postulabat hæc materia, sic attigi, ut magis quid oporteret fieri, quam quo id modo consequi possemus, ostenderem. Nunc altius omnis rei repetenda ratio est. [1] Nam & per totam (ut diximus) causam locus est *affectibus*: & eorum non simplex

Pollicetur se *de omnibus affectuum generibus* dicturum: ante tamen docet quantum in animis hominum valeat *affectus*, eos deinde affectus dividit in *patheticos* & *ethicos*: quoque pacto moveantur explicat. *Turneb.*

1 *Nam & per totam.*] Quædam causæ sunt *patheticæ* & *ethicæ*, quibus totis admisceri debet *affectus*: alioqui (ut superiori docuit cap.) non solum *in exordio* & *epilogo* locum habent affectus, verum etiam in cæteris partibus, dum sint breviores. *Idem.*

1 *Nam*

simplex natura, nec in transitu tractanda, quo nihil majus afferre vis orandi potest. [1] Nam cætera forsitan tenuis quoque & angusta ingenii vena, si modo vel doctrina vel usu sit adjuta, generare atque ad frugem aliquam perducere queat. [2] Certe sunt, semperque fuerunt non parum multi, qui satis perite, quæ essent probationibus utilia, reperirent: quos equidem non contemno, sed hactenus utiles credo, ne quid per eos judici sit ignotum: atque (ut dicam quod sentio) [3] dignos à quibus causas diserti docerentur. Qui vero judicem rapere, & in quem vellet habitum animi posset perducere, quo dicto flendum & irascendum esset, rarius fuit. Atque hoc est quod dominatur in judiciis. hæc eloquentiam regunt. [4] Namque argumenta plerunque nascuntur *ex caussa*, & pro meliore parte plura sunt semper: ut qui per hæc vicit, tantum non defuisse sibi advocatum sciat. Ubi vero animis judicum vis afferenda est, & ab ipsa veri contemplatione abducenda mens, ibi proprium oratoris opus est. Hoc non docet litigator: [5] hoc libellis non continetur. *Probationes* enim efficiunt sane ut caussam nostram meliorem esse judices putent: *affectus* præstant ut etiam velint. [6] Sed id quia volunt, credunt quoque. Nam cum *irasci*,

1 *Nam cætera.*] Comparat hoc loco Fabius *officium docendi* cum affectu, quantaque sit *affectuum* vis docet. Cæterum illustri metaphora *ingenii venam* dixit. translatio ducta est à subterraneis aquarum conceptaculis. *Idem.*

2 *Certe sunt.*] *Tenues oratores* non sunt vituperandi: possunt enim apte rem explicare & probare, quia in illis partibus tenui plerunque utimur stylo: non tamen possunt movere, quoniam motus graviori orationis stylo explicatur, cui non sunt pares. *Idem.*

3 *Atque dignos à quibus, &c.*] Illos tenues oratores quadantenus *laudat*, quadantenus *vituperat*. possunt enim fungi officio litigatoris, qui causam suam patrono explicat citra ullum affectum. *Idem.*

4 *Namque argumenta.*] Lib. 5. docuit Fab. argumenta non solum ducenda *à locis argumentorum*, qui vulgo traduntur, verum etiam *à proprietate causæ*. Idem.

5 *Libellis.*] Appellat *libellos* commentarios quosdam qui memoriæ causa fiunt. Suetonius appellavit *libellos memoriales*. hunc igitur locum alio loco sic interpretatur Fabius, pessimam esse consuetudinem qua libelli conficiuntur à litigatoribus, qui confugiunt ad patronos, aut etiam ab aliis advocatis. *Idem.*

6 *Sed id quia volunt, credunt.*] Sic Cæsar de bell. Gallic. lib. 3. c. 18. *Fere libenter homines id quod volunt, credunt.* Vide Joh. Brantii Notas Politicas in Jul. Cæsaris lib. 3. de Bell. Gall. p. 44.

sci, *favere*, *odisse*, *misereri* cœperint, agi jam rem suam existimant: & [1] sicut amantes de forma judicare non possunt, [2] quia sensum oculorum premit amor, ita omnem inquirendæ veritatis rationem judex amittit occupatus affectibus: æstu fertur, & velut rapido flumini obsequitur. [3] Ita *argumenta* ac *testes* quid egerint, pronunciatio ostendit: commotus autem ab oratore judex, quid sentiat, sedens adhuc atque audiens confitetur. An cum ille, qui pleriſque perorationibus petitur, fletus erumpit, non palam dicta sententia est? Huc igitur incunbat orator, hoc opus ejus, hic labor est: sine quo cætera nuda, jejuna, infirma, ingrata sunt. adeo velut spiritus operis hujus atque animus est *in affectibus*. Horum autem sicut antiquitus traditum accepimus, duæ sunt species: Alteram Græci [4] πάθος vocant, quam nos vertentes recte ac proprie [5] *affectum* dicimus: [6] Alteram ἦθος, cujus nomine, ut ego quidem sentio, caret sermo Romanus, *mores* appellantur: atque inde pars quoque illa philosophiæ ἠθικὴ, *moralis* est dicta. Sed ipsam rei naturam spectanti mihi, non tam *mores* significari videntur, quam *morum quædam proprietas*. nam ipsis quidem omnes habitus mentis continentur. Cautiores, voluntatem complecti, quam nomina interpretari maluerunt. Affectus igitur

1 *Sicut amantes, &c.*] Proverbium hoc ductum est *ex sympoſio Platonis*, ubi scribitur amatorem cæcutire circa rem amatam. & hac de causa poëtæ forte fingunt *amorem cæcum*. Turneb.

2 *Quia ſenſum oculorum premit amor.*] Vide Jan. Gebhard. Crepund. lib. 1. c. 1. pag. 2.

3 *Ita argumenta.*] Quantum valeant *argumenta* ac cæteræ probationes incertum est oratori, donec judex de causa pronunciarit: at *affectus* ita deprehendit judicis voluntatem omni in loco, & cum causa agitur, & post. *Turneb.*

4 Πάθος *vocant.*] Πάθος divus Hieronymus transtulit *paſſionem*. posset tamen ad verbum transferri (ut ait Cic.) *morbus*, si caderet in consuetudinem Latinam. itaque à Cic. *perturbatio* vertitur, nonnunquam etiam *affectio*: à Fabio *affectus*. de his vide Cic. 3. & 4. Tusculana. Illic enim omnes *affectus* explicat. *Idem.*

5 *Affectum.*] Sic etiam Gell. lib. 1. *perturbationem* rectius quam *paſſionem*, ut & Hieronym. Comment. in Esaiam lib. 2. & in Daniel. *Pith.*

6 *Alteram* ἦθος.] Alio quoque loco Fab. ait, hanc dictionem verti latine non posse. significat autem *proprietatem affectuum* cujusque personæ: qua ratione dicuntur (ut ait Fabius) quidam pictores *ethici*, propterea quod sensum personarum & mores cum forma exprimunt. Vide de his Ciceronem *in Oratore*. Turnebus.

1 *Illos*

tur hos concitatos, illos mites atque compositos esse dixerunt. in altero vehementer commotos, in altero lenes. denique hos imperare, illos persuadere. hos ad perturbationem, [1] illos ad benevolentiam prævalere. [2] Adjiciunt quidam peritorum πάθος temporale esse. Quod ut accidere frequentius fateor, ita nonnullas credo esse materias, quæ continuum desiderent affectum. Nec tamen minus artis aut usus hi leniores habent, virium atque impetus non tantundem exigunt. In caussis vero etiam pluribus versantur, imo secundum quendam intellectum in omnibus. [3] Nam cum nisi ex illo & hoc loco nihil ab oratore tractetur, quicquid de *honestis*, *& utilibus*, denique *faciendis & non faciendis* dicitur, [4] huc vocari potest. Quidam *commendationem* atque *excusationem* propria hujus officii putaverunt: nec abnuo esse ista in hac parte, sed non concedo ut sola sint: quin illud adhuc adjicio πάθος atque ἦθος esse interim ex eadem natura, ita ut illud majus sit, hoc minus: ut [5] *amor* πάθος, *charitas* ἦθος. Interdum diversa inter se, sicut in epilogis. Namque πάθος *concitat*, ἦθος solet *mitigare*. Propria tamen mihi hujus nominis exprimenda natura est, quatenus appellatione ipsa non satis significari videtur. ἦθος quod intelligimus, quodque à docentibus desideramus, id erit, quod ante omnia

1 *Illos ad benevolentiam.*] Igitur si hos affectus partibus attribuere velimus, *in conclusione* locum habebit πάθος, & nonnunquam ἦθος, si judicem placare volumus: *in exordio* vero frequentius erit ἦθος, ut *benevolentiam* colligamus: in cujus tamen fine nonnunquam etiam πάθος. *Idem.*

2 *Adjiciunt quidam.*] Est alia item differentia. nam ἦθος per totam spargitur *causam*: sic enim fit illa longe credibilior: πάθος vero non habet ubique locum, sed *in conclusione* & *exordio*. quanquam nonnullæ causæ sunt *patheticæ*, quarum partes omnes habent affectum. *Idem.*

3 *Nam cum nisi ex illo & hoc loco.*] Secutus est ambiguitatem vocis Fabius. ἦθος enim duo significat, *proprietatem morum* cujusque personæ, & *probitatem morum* aut *improbitatem*, à quo posteriore intellectu dicitur philosophia *ethice*, id est, moralis. in hunc igitur posteriorem intellectum *affectus* duo possunt reduci. *Idem.*

4 *Huc vocari potest.*] Dan. ἦθος vocari non potest. *Pith.*

5 *Amor* πάθος.] Cic. in Part. *amicitiam* ait cerni amore & charitate, esseque charitatem erga patriam & parentes, erga conjuges autem & liberos quanquam sit charitas, amorem tamen maxime apparere. *Turneb.*

omnia bonitate commendabitur: non ſolum mite ac placidum, ſed plerunque blandum & humanum, & audientibus amabile atque jucundum: in quo exprimendo ſumma virtus ea eſt, ut fluere omnia ex natura rerum hominumque videantur, quo mores dicentis ex oratione pelluceant, & quodammodo agnoſcantur. Quod eſt ſine dubio inter conjunctas maxime perſonas, quoties perferimus, ignoſcimus, ſatisfacimus, monemus, procul ab ira, procul ab odio. Sed tamen alia patris adverſus filium, tutoris adverſus pupillum, mariti adverſus uxorem moderatio eſt. [1] Hi enim præ ſe ferunt eorum ipſorum à quibus læduntur, charitatem: neque alio modo inviſos eos faciunt quam quod amare ipſi videntur. Alia cum ſenex adoleſcentis, [2] alia cum convitium honeſtus inferioris fert. Hîc enim tantum concitari, illic etiam affici debet. Sunt & illa ex eadem natura, ſed motus adhuc minoris veniam petere, adoleſcentiæ defendere amores. [3] Nonnunquam etiam levis aliena caloris deriſus ex hac forma venit: ſed non his ex locis tantum, verum aliquanto magis propriæ ſunt virtutes ſimulationis, *ſatisfaciendi*, *rogandi*, & εἰρωνείας, quæ diverſum ei quod dicit, intellectum petit. Hinc etiam ille major ad concitandum odium naſci affectus ſolet, cum hoc ipſo quod nos adverſariis ſubmittimus, intelligitur tacita impotentiæ exprobratio. Nanque eos graves & intolerabiles id ipſum demonſtrat, quod cedimus: & ignorant cupidi maledicendi, aut affectatores libertatis, plus invidiam quam convitium poſſe. nam invidia adverſarios, convitium nos inviſos facit. Ille jam pene medius affectus eſt, ex amoribus & ex deſideriis amicorum & neceſſariorum. Nam & hoc major eſt,

1 *Hi enim præ ſe ferunt.*] In his perſonis de quibus dixit, videtur ἦθος eſſe paulo ſeverius. itaque cum objurgant, *objurgatio* tamen ab amore proficiſci videtur. orator igitur hanc formam obſervare debet in oratione. *Idem.*

2 *Alia.*] D. *Aut.*

3 *Nonnunquam etiam levis.*] *Simulatio* pertinet ad ἦθος & πάθος. nam cum aliquem *ſimulatione* quadam leni irridemus, eſt ἦθος: at cum fingimus nos alicui ſummittere, hoc ipſo illum ſuperiorem ſignificamus & in invidiam rapimus, eſtque πάθος. *Turneb.*

1 Non

est, & illo minor. [1] Non parum significanter etiam illas in scholis ἤθη dixerimus, quibus plerunque rusticos, superstitiosos, avaros, timidos, secundum conditionem propositorum effingimus. Nam sic ἤθη *mores* sunt, cum hos imitamur, & ex his ducimus orationem. [2] Denique hoc omne, bonum & comem virum poscit. Quas virtutes cum etiam in litigatore debeat orator, si fieri potest, approbare, utique ipse aut habeat, aut habere credatur. Sic proderit plurimum caussis, quibus ex sua bonitate faciet fidem. Nam qui dum dicit, malus videtur, utique male dicit. non enim videtur justa dicere, alioqui [3] ἦθος videretur. Quare ipsum etiam dicendi genus in hoc placidum debet esse ac mite: nihil superbum, nihil elatum saltem ac sublime dederet. Proprie, jucunde, credibiliter dicere, sat est. Ideoque & medius ille orationis modus maxime convenit. Diversum est huic quod πάθος dicitur, quodque nos *affectum* proprie vocamus: & ut proxime utriusque differentiam signum illud comœdiæ, hoc tragœdiæ simile. [4] Hæc pars circa *iram, odium, metum, invidiam, miserationem*, fere tota versatur. Quæ quibus ex locis ducenda sint, & manifestum omnibus, & à nobis in ratione procœmii atque epilogi dictum est. Et metum tamen duplicem intelligi volo, quem patimur: & quem facimus. [5] Et invidiam, nanque altera invidum, altera invidiosum facit. Hoc autem hominis, illud rei est, in

1 *Non parum.*] Hoc præceptum pertinet ad *ethopœiam*, sive ad *ethologiam*, quæ fit cum orationem ex aliena dicimus persona, cujus mores apte exprimimus: quo modo declamatores solent interdum orare ex persona *rustici*, aut *avari*, aut *timidi*. Idem.

2 *Denique hoc omne.*] Repetit præceptum quod posuit lib. 5. ut *orator optimus* sit, aut saltem optimus videatur: nam mores (ut docet Arist.) præcipuam faciunt fidem. cum igitur ἤθος sit placidum & mansuetum, oratoris quoque mores placidos & mansuetos esse oportet, ut optime affectu possit uti. *Idem.*

3 Ἦθος.] Tum maxime servatur ἦθος *in oratione*, quando oratio cum rebus & personis consentit, neque discrepat à moribus dicentis. ac tum certe maxime videtur patroni oratio esse probabilis, & justa dicere. *Idem.*

4 *Hæc pars.*] Quatuor sunt generales perturbationes, *cupiditas, lætitia gestiens, metus, ægritudo.* ab his reliquæ perturbationes fluunt. *Idem.*

5 *Et invidiam.*] Cic. quoque in Tusculanis, *invidiam* & active & passive sumi dicit. eam tamen sæpius *passive* usurpat: nam *active* dicit *invidentiam*. Idem.

1 *Nam*

in quo & plus habet operis oratio. [1] Nam quædam videntur gravia per se, *parricidium*, *cædes*, *veneficium*. quædam efficienda sunt. Id autem contingit, aut cum magnis alioqui malis gravius esse id quod passi sumus, ostenditur: quale est apud Virgilium,

[2] *O felix una ante alias Priameïa virgo,*
Hostilem ad tumulum Trojæ sub mœnibus altis
Jussa mori. —

Quam miser enim casus *Andromachæ*, si comparata ei felix *Polyxena?* Aut cum ita exaggeramus injuriam nostram, ut etiam quæ multo minora sunt, intoleranda dicamus: *Si pulsasses, defendi non poteras: vulneraſti.* Sed hæc diligentius, cum *ad amplificationem* venerimus, dicemus. Interim notasse contentus sum, non id solum agere affectus, [3] ut quæ sunt ostendantur acerba ac luctuosa, sed etiam ut quæ toleranda haberi solent, gravia videantur: [4] ut cum in maledicto plus injuriæ, quam in manu: in infamia plus pœnæ dicimus, quam in morte. Namque in hoc eloquentiæ vis est, ut judicem non ad id tantum impellat, in quod ipsa rei natura duceretur: sed aut qui non est, aut majorem quam est, faciat affectum. Hæc est illa quæ [5] δείνωσις vocatur, rebus indignis, asperis, invidiosis addens vim oratio: qua virtute præter

1 *Nam quædam videntur.*] *Amplificatio* quæ *fit per comparationem* (de qua aget Fab. lib. 8.) prodesse solet ad exaggerandum; ut factum aut gravius videatur, aut etiam invidiosius. *Idem.*

2 *O felix.*] *Polyxenæ* quæ post Trojæ excidium ad Achillis tumulum mactata occubuit, casus gravior esse debebat *Andromachæ*, quæ captiva abducta Heleno Priami filio, iridemque captivo nupsit: hæc tamen 3. Æneid. suum casum graviorem facit, ex hocque Polyxenam feliciorem, *quod fortitus non pertulit ullos, Nec victoris heri tetigit captiva cubile.* Idem.

3 *Ut quæ sunt ostendantur.*] Concisum loquendi genus. id est, quæ sunt acerba & luctuosa, ostendantur esse talia. Id quod facit Cic. *in Divinatione*, cum ait, *Putasne posse*, (id quod in ejusmodi reo necessarium) *ut quæ ille libidinose, quæ nefarie, &c.* quæ sequuntur. *Idem.*

4 *Ut cum in maledicto, &c.*] Propterea quod *pulsatio* adfert duntaxat dolorem præsentem, at *maledictum* solet plerunque notam inurere quæ nunquam possit elui. *Idem.*

5 Δείνωσις.] Δείνωσις, id est *gravitas* & *vehementia*, vel adeo *exaggeratio*, oratio est acris, augens rei indignitatem: quæ eadem δεινολογία appellatur. hujus meminit Fabius libro 8. capite 3. *Idem.*

1 *Quod*

præter alios plurimum Demosthenes valuit. [1] Quod si tradita mihi sequi præcepta sufficeret, satisfeceram huic parti, nihil eorum quæ legi vel didici, quod modo probabile fuit, omittendo; sed mihi in animo est, quæ latent penitus, ipsa hujus loci aperire penetralia: quæ quidem non aliquo tradente, sed experimento meo, ac natura ipsa duce accepi. [2] Summa enim (quantum ego quidem sentio) circa movendos affectus in hoc posita est, *ut moveamur ipsi.* Nam & luctus & iræ & indignationis aliquando ridicula fuerit imitatio, si verba vultumque tantum, non etiam animum accommodaverimus. Quid enim aliud est causſæ, ut lugentes utique recenti dolore disertissime quædam exclamare videantur, & ira nonnunquam in indoctis quoque eloquentiam faciat, quam quod illis inest vis mentis, & veritas ipsa morum? Quare in iis quæ verissimilia esse volemus, simus ipsi similes eorum, qui vere patiuntur, affectibus: & à tali animo proficiscatur oratio, qualem facere judicem volet. An ille dolebit, qui audiet me hoc cum dicam non dolentem? Irascetur, si nihil ipse qui in iram concitat idque exigit, simile patietur? Siccis agenti oculis lacrymas dabit? fieri non potest. [3] Nec incendit nisi ignis, nec madescimus nisi humore: nec res ulla dat alteri colorem, quem ipsa non habet. Primum est igitur, ut *apud nos valeant ea quæ valere apud judicem volumus: afficiamurque antequam afficere conemur.* [4] At quomodo fiet ut afficiamur? Neque enim sunt motus in nostra potestate. Tentabo etiam de hoc dicere.

1 *Quod si tradita mihi.*] Atqui ista omnia lib. 2. *de Orat.* apud Cic. reperiuntur. illic enim ait Antonius primum esse, si *movere* velimus judicem, ut ipsi moveamur: si *iracundia efficere*, ira flagremus. Igitur impudenter hunc locum dissimulavit Fab. *Idem.*

2 *Summa enim.*] Atqui idem dixerat Horatius, *Nam ridentibus arrident & flentibus adsunt Humani vultus: si me vis flere, dolendum est Primum ipsi tibi: tunc tua me infortunia lædent, Telephe vel Peleu.* Idem.

3 *Nec incendit nisi ignis, &c.*] Sententia est epiphonematica per allegoriam enunciata, hoc sensu, *si iratum velis efficere judicem, irascere:* si *judici lachrymas extorquere lachrymare.* Idem.

4 *At quomodo fiet.*] Motus illi & affectus sunt in ea animæ parte quæ *irrationalis est*, nec voluntaria & arbitraria. quærit ergo Fab. quo pacto fieri possit, ut pro voluntate moveamur & afficiamur. *Idem.*

1 *Quas*

cere. [1] Quas φαντασίας Græci vocant, nos sane *visiones* appellemus: per quas imagines rerum absentium ita repræsentantur animo, ut eas cernere oculis, ac præsentes habere videamur. has quisquis bene conceperit, is erit in affectibus potentissimus. Hunc quidam dicunt εὐφαντασιωτὸν, qui sibi res, voces, actus secundum verum optime finget: quod quidem nobis volentibus facile continget. Nam ut inter ocia animorum, & spes inanes, & [2] velut somnia quædam vigilantium, ita nos hæ de quibus loquimur imagines prosequuntur, ut peregrinari, navigare, præliari, populos alloqui, divitiarum, quas non habemus, usum videamur disponere: nec cogitare, sed facere, hoc animi vitium ad utilitatem non transferemus? Ut hominem occisum querar: non omnia quæ in re præsenti accidisse credibile est, in oculis habebo? non percussor ille subitus erumpet? non expavescet circumventus? exclamabit? vel rogabit? vel feriet? non ferientem, non concidentem videbo? non animo sanguis, & pallor, & gemitus, extremus denique expirantis hiatus insidet? Insequetur [3] ἐνάργεια, quæ à Cicerone *illustratio & evidentia* nominatur: quæ non tam dicere videtur, quam ostendere: [4] & affectus non aliter, quam si rebus ipsis interfimus, sequentur. An non ex his visionibus illa sunt,

[5] *Excussi manibus radii, revolutaque pensa?* &,

-- Levi-

1 *Quas φαντασίας.*] *Phantasiam* appellant vulgo *imaginationem*, quæ tamen interpretatio non est vituperanda. nam antea dixit Fab. *imaginari*. Cic. in Academicis & aliis locis vertit *visum*, nonnunquam etiam *informationem*. Cæterum *phantasia* vis est animæ, cui species à sensu profectæ insculpuntur, & quæ hinc data occasione ex libertate sua pleraque comminiscitur. hîc vero est ea vis animi, non *informatio* quæ illi insulpitur. *Idem.*

2 *Velut somnia quædam vigilantium.*] Alludit ad proverbium, *species sunt vigilantium somnia*: quo quidem proverbio significamus, non minus esse vanas illorum species quas otiosi confingimus, quam insoniam quæ secundum quietem accidunt. *Idem.*

3 *Ἐνάργειαν, quæ à Cicerone.*] De Orat. 3. & Acad. quæst. lib. 4.

4 *Et affectus non aliter, &c.*] Cum illam cædis imaginem animo concepero usque adeo evidentem, sequetur similis oratio, quæ rem ita auditoribus exprimat, ut ipsi negotio interesse videantur. qua quidem figura nihil est utilius ad affectum movendum. *Idem.*

5 *Excussi manibus.*] Hic versus est *ex nono Æneidos*, de Euryali matre, quæ filii mortem acceperat. *Idem.*

--- *Levique patens in pectore vulnus?* [1] *Et equus illi in funere Pallantis,*
--- *positis qui insignibus*
It lacrymans, guttisque humectat grandibus ora?

Quid? non idem poëta penitus ultimi fati cepit imaginem, ut diceret,

--- [2] *Et dulceis moriens reminiscitur Argos?*

Ubi vero *miseratione* opus erit, nobis ea de quibus querimur, accidisse credamus, atque id animo nostro persuadeamus. Nos illi simus, quos gravia, indigna, tristia passos queramur. Nec agamus rem quasi alienam, sed assumamus parumper illum dolorem. Ita dicemus, quæ in simili nostro casu dicturi essemus. [3] Vidi ego sæpe histriones atque comœdos, cum ex aliquo graviore actu personam deposuissent, flentes adhuc egredi. [4] Quod si in alienis scriptis sola *pronunciatio* ita falsis accedit affectibus, quid nos faciemus qui illa cogitare debemus, ut moveri periclitantium vice possimus? Sed in schola rebus quoque ipsis affici convenit, easque veras sibi fingere, hoc magis, quod illic ut litigatores loquimur frequentius, quam ut advocati. *Orbum agimus*, & *naufragum*, & *periclitantem*: quorum induere personas quid attinet, nisi affectus assumimus? Hæc dissimulanda mihi non fuerunt, quibus ipse, quantuscunque sum, aut fui (nam perveniisse me ad aliquod nomen ingenii credo) frequenter motus sum, ut me non lacrymæ solum deprehenderint, sed pallor, & vero similis dolor.

CAP.

1 *Et equus.*] Versus sunt libro 11. Æneid.
Et bellator equus positis insignibus Æthan,
Et lachrymis guttisque humectat grandibus ora. Idem.

2 *Et dulces.*] Versiculus est ex 10. Æneidos de morte *Antenoris*, qui Argis profectus cum Euandro venerat in Latium, & cum Pallante Euandri filio auxilium Æneæ tulerat. *Idem.*

3 *Vidi, &c.*] Huc refer Polum histrionem, de quo Gellius lib. 7. cap. 5.

4 *Quod si.*] Argumentum à *minori* ad *majus*. Turneb.

Cum

Cap. III.

De risu.

4 [1]Huic diversa virtus, quæ *risum* judicis movendo, & illos tristes solvit affectus, & animum ab intentione rerum frequenter avertit, [2]& aliquando etiam reficit, & à satietate vel à fatigatione renovat. Quanta sit autem in ea difficultas, vel duo maximi oratores, alter Græcæ, alter Latinæ eloquentiæ principes, docent. [3]Nam plerique *Demosthenem* facultatem hujus rei defuisse credunt, *Ciceroni* modum. Nec videri potest voluisse Demosthenes, [4]cujus pauca admodum dicta, nec sane cæteris ejus virtutibus respondentia palam ostendunt [5]non displicuisse illi jocos, sed non contigisse. [6]Noster vero non solum extrà judicia, sed in ipsis etiam orationibus habitus est nimius risus affectator. Mihi quidem sive id recte judico, sive amore immodico præcipui in eloquentia viri laboro, mira quædam videtur in eo fuisse urbanitas. Nam & in sermone quotidiano multa, & in altercationibus, & interrogandis testibus plura quam quisquam, dixit facete, & illa ipsa quæ sunt *in Verrem* dicta frigidius, aliis assignavit, & testimonii loco posuit: ut quo sunt magis vulgaria, eo sit credibilius illa ab oratore

Cum *risus* sæpenumero graves solvat affectus, & ad affectuum rationem referatur, de eo tradendum fuit. *primum* igitur quantum valeat docet: *mox* quam difficile sit apte risum movere: *deinde* quibus appelletur nominibus: *postremo* ex quibus ducatur locis. *Turneb.*

1 *Huic diversa virtus, quæ risum.*] Ambros. lib. 1. Offic. Præcepta de jocandi disciplina ab Ecclesiastica regula abhorrere putat. Et tamen 3. Reg. inducitur Helias solitarius ille & bonus Baalis sacerdotes deridens. Laur. Vall. *Pith.*

2 *Et aliquando etiam reficit.*] Unde aliquando præcipiunt *rhetores*, ut cum judex adversarii longa oratione fuerit fatigatus, à nobis ipso statim exordio opportuno quodam joco reficiatur. *Turnebus.*

3 *Nam plerique.*] *In risu difficile est mediocritatem tenere:* risus *Demosthenis* fuit, *Ciceroni* superfuit. si igitur oratores illi modum tenere non potuerunt, res est hæc perdifficilis. *Idem.*

4 *Cujus pauca admodum dicta.*] Vide Jan. Gebhard. Crepund. lib. 3. cap. 1. pag. 103. & 104.

5 *Non displicuisse illi jocos.*] Cic. tamen ait Demosthenem urbanum fuisse, sed non dicacem. *Turneb.*

6 *Noster vero.*] Unde Cato illum appellavit *ridiculum consulem* in judicio Murænæ, ab inimicis vero appellabatur *scurra*

oratore non ficta, sed passim esse jactata. [1] Utinam Quintus, & libertus ejus Tyro, aut alius quisquis fuit, qui tres hac de re libros edidit, parcius dictorum numero indulsissent, & plus judicii in eligendis quam in congerendis studii adhibuissent: minus objectus calumniantibus foret: qui tamen nunc quoque, ut in omni ejus ingenio, facilius quid rejici quam quid adjici possit, invenient. Affert autem summam rei difficultatem, primum, [2] quod *ridiculum dictum* plerumque, [3] falsum est, hoc semper humile, sæpe ex industria depravatum: præterea nunquam honorificum: tum varia hominum judicia in eo, quia non ratione aliqua, sed motu quodam nescio, an enarrabili, judicatur. [4] Neque hoc ab ullo satis explicari puto, licet multi tentaverint. Unde *risus* quidem non solum facto aliquo dictove, [5] sed interdum quodam etiam corporis tactu lacessitur. Præterea non una ratione moveri solet. Neque enim acute tantum ac venuste, sed stulte, iracunde, timide dicta aut facta ridentur. Ideoque anceps ejus rei ratio est, quod à derisu non procul abest *risus*. [6] *Habet* enim, ut Cicero dicit, *sedem in deformitate aliqua & turpitudine.* Quæ cum in aliis demonstrantur, *urbanitas*: cum in ipsum dicentem recidunt, *stultitia*

scurra consularis. Macrobius Ciceronem ait in causa Flacci *unico ridiculo* victoriam obtinuisse. *Idem. Noster vero non solum, &c.*] Vide Gebhard. Crepund. lib. 1. pag. 1. Macrob. lib. 1. cap. 1. Saturn. Lud. Cresollium Vacat. Autumnal. lib. 1. cap. 10. pag. 78.

1 *Utinam Quintus.*] Tyro Tullius, Ciceronis libertus, tres libros edidit de *jocis Ciceronianis*. Macrobius tamen ait nonnullos existimare libros à Cicerone conscriptos fuisse. *Turneb. Utinam Quintus & libertus.*] De Cicer. Quis nescit consularem eum scurram ab inimicis appellari solitum? quod in oratione etiam sua Vatinius posuit. *Pithœus. Utinam Quintus & libertus.*] Vid. Muretum. Var. lect. lib. 19. cap. 6. p. 1228. Macrob. Saturn. lib. 2. cap. 1.

2 *Quod ridiculum dictum pler.*] Muret. Var. Lect. lib. 19. cap. 6. pag. 1228.

3 *Salsum est.*] Dan. *Lascivum.*

4 *Neque hoc.*] Cic. *lib. 2. de Oratore*, unde hæc omnia sumpsit Fabius, ait Democritum diu investigasse *risus causas*, multaque *de risu* scripsisse. plerique tamen *risus causas* referunt ad splenem, alii ad præcordia, unde milites quidam trajectis ense præcordiis risu perierunt. *Turneb.*

5 *Sed interdum, quodam etiam.*] Gebhard. Crepund. lib. 3. c. 1. p. 103.

6 *Habet enim.*] Cic. 2. *de orat.* ait *ridiculum* oriri à deformitate aliqua & turpitudine, quæ modo turpiter tanquam enuntietur. quæ eadem est Arist. sententia: nam hæc vel sola ridentur, vel maxime ridentur. *Turneb.*

titia vocatur. Cum videatur autem [1] res levis, & quæ à scurris, mimis, insipientibus denique sæpe moveatur, tamen habet vim nescio an imperiosissimam, & cui repugnari minime potest. [2] Erumpit enim etiam invitis sæpe, [3] nec fultus ope: nec vultus modo ac vocis exprimit confessionem, sed totum corpus vi sua concutit. Rerum autem sæpe (ut dixi) maximarum momenta vertit, cum odium iramque frequentissime frangat. Documento sunt [4] *juvenes Tarentini*, qui multa de Pyrrho rege securius inter cœnam locuti, cum rationem facti reposcerentur, & neque negari res, neque defendi posset, risu sunt & oportuno joco elapsi. Namque unus ex his, *Immo, inquit, nisi lagena defecisset, occidissemus te.* Eaque urbanitate tota est invidia criminis dissoluta. [5] Verum hoc quicquid est, ut non ausim dicere carere omnino arte, quia nonnullam observationem habet, suntque ad id pertinentia & à Græcis & à Latinis composita præcepta: ita plane affirmo præcipue positum esse *in natura* & *occasione*: Porro *natura* non tantum in hoc valet, ut acutior quis atque habilior sit ad inveniendum: nam id sane doctrina posset augeri: sed inest proprius quibusdam decor in habitu atque vultu, ut eadem illa minus dicente alio videantur urbana esse. *Occasioni* vero & in rebus est tanta vis, ut sæpe adjuti ea non indocti modo, sed etiam rustici falsè dicant in eum [6] quisquis aliquid dixerit prior. Sunt enim longe

1 *Res levis.*] Cic. leve est, inquit, totum hoc, movere *risum*. Idem.

2 *Erumpit enim invitis sæpe.*] Qua de re Lud. Cresollius Vacat. Autumnal lib. 2. cap. 7. sect. 11. p. 235. 236. & seqq.

3 *Ne fultus ope.*] Vid. M. Anton. Muret. Variar. Lection. lib. 19. cap. 6. pag. 1228.

4 *Juvenes Tarentini.*] Vide Plutarchum in Pyrrho. Item Valerium Max. lib. 5. tit. *de humanitate*. Turneb.

5 *Verum hoc.*] *Cæsar & Antonius* apud Cic. 2. *de Orat* ajunt *ridiculi* nullam esse artem, ac Græcos reprehendunt, qui cum hac de re libros scripsissent, ostenderunt suam insulsitatem. Cic. tamen postea locos tradit ex quibus *sales* eruantur, ut videatur aliqua esse hac in re observatio. Constat certe (ut inquit Rodolph lib. 3.) hæc facultas natura primum, quæ cum in omni re multum, in hoc plurimum potest: deinde, quod proximum est, crebro usu. sunt tamen etiam tradita ejus præcepta, quatenus tradi præceptis potest, quorum auct. Cicero & Quintilianus. *Idem.*

6 *Quisquis aliquid dixerit prior.*] *Auctore Cic,* omnino probabiliora sunt quæ

longe venustiora omnia in respondendo, quam in provocando. [1] Accedit difficultati, quod *ejus rei nulla exercitatio est, nulli præceptores.* Utique in conviviis & sermonibus multi dicaces: sed quia in hoc usu quotidiano proficimus, oratoria urbanitas rara nec ex arte propria, sed ad hanc consuetudinem accommodata. [2] Nihil autem vetabat & componi materias in hoc idoneas, ut controversiæ permistis salibus fingerentur: vel res proponi singulas ad juvenum talem exercitationem. [3] Quin illæ ipsæ, quæ dictæ sunt, ac vocantur: quas *certis diebus festæ licentiæ dicere solebamus*, si paulum adhibita ratione fingerentur, aut aliquid in his serium quoque esset admistum, plurimum poterunt utilitatis afferre: quæ nunc juvenum, vel sibi ludentium exercitatio est. Pluribus autem nominibus in eadem re vulgo utimur: quæ tamen si diducas, suam propriam quandam vim ostendent. Nam & *urbanitas* dicitur: qua quidem significari video sermonem præ se ferentem in verbis & sono & usu proprium quendam gustum urbis, & sumptam ex conversatione doctorum tacitam eruditionem: denique cui contraria sit *rusticitas*. *Venustum* esse, quod cum gratia quadam & venere dicatur, apparet. [4] *Salsum* in consuetudine pro ridiculo tantum accipimus: natura non utique hoc est: quanquam & ridicula oporteat esse salsa. Nam & [5] Cicero, *omne*

quæ lacessiti dicimus quam quæ priores. Nam & ingenii celeritas major est, quæ apparet in respondendo, & humanitatis est responsio. Videmur enim quieturi fuisse, nisi essemus lacessiti. *Idem.*

1 *Accedit difficultati.*] *Dicteria* quæ vulgo in convitiis usurpantur, efficere possunt hominem *dicacem*, non etiam *urbanum*. est enim *dicacitas* in brevi dicto, *urbanitas* vero in toto orationis corpore. *Idem.*

2 *Nihil autem vetabat.*] Cujuscemodi est materia illa quæ tractatur à Seneca in ludo *de morte Claudii imperatoris*, & ab Erasmo *in Moria*, & à Luciano *in musca & judicio vocalium*. Idem.

3 *Quin illæ ipsæ.*] Quibusdam festis, ut *Bacchanalibus* & *Saturnalibus*, solebant inter se contendere, proposito interim præmio, quis urbanius diceret ac venustius, pluribusque salibus uteretur. illa tamen consuetudo sene jam Fabio quotidie fiebat à juvenibus. *Idem.*

4 *Salsum.*] Sic Plinius scribit, *Vita paulo humanior sine sale degi non potest*, adeoque necessarium est elementum ut intellectus transierit ad animi voluptates: *sales* enim appellantur: omnisque *voluptas*, *lepos*, *hilaritas* hoc nomine constat. *Idem.*

5 *Cicero.*] II. de Orat.

omne quod salsum sit, ait *esse Atticorum*: non quia sunt maxime ad risum compositi: [1] & Catullus cum dicit,

[2] *Nulla in tam magno est corpore mica salis.*

hoc dicit, nihil in corpore ejus esse ridiculum. *Salsum* igitur erit, quod non erit insulsum, velut quoddam simplex orationis condimentum, quod sentitur latente judicio velut palato, excitatque, & à tædio defendit orationem. Sane tamen ut ille in cibis paulo liberalius aspersus, si tamen non sit immodicus, affert aliquid propriæ voluptatis: ita hi quoque in dicendo habent quiddam quod nobis faciat audiendi sitim. [3] *Facetum* quoque non tantum circa ridicula opinor consistere. Neque enim diceret Horatius [4] *facetum carminis genus natura concessum esse Virgilio.* Decoris hanc magis, & excultæ cujusdam elegantiæ appellationem puto. Ideoque in epistolis Cicero hæc Bruti refert verba, *Næ illi sunt pedes faceti, ac deliciis ingredienti molles.* Quod convenit cum illo Horatiano,

— [5] *Molle atque facetum Virgilio.* [6] *Jocum* vero accipimus, quod est contrarium serio. Nam & fingere, & terrere & promittere interim, jocus est. [7] *Dicacitas* sine dubio à dicendo,

1 *Et Catullus cum dicit.*] Budæus in commentariis linguæ Græcæ miratur sic hallucinatum esse Fabium ut *salem* in versu Catulliano acceperit pro *ridiculo*, cum potius significet *venustatem, gratiam, & elegantiam.* cæterum si sensum propius inspicias, locus videbitur corruptus, atque ita legendus erit, *Non hoc dicit, nihil esse, &c.* sic enim sibi consentiet Fabius. *Turneb.*

2 *Nulla in tam magno corpore mica salis.*] Nihil in corpore ejus esse ridiculum exponit. Ego cum illius venia, nihil in corpore ejus esse gratiæ ac Veneris. Sales enim appellantur omnis vitæ lepos, & summa hilaritas, Græcis ἅλες idem plerumque signant. Brodæus lib. 6. cap. 12. *Nulla in tam magno corpore, &c.*] Brodæus Miscell. lib. 6. cap. 12. pag. 556. Muret. Variar. Lect. lib. 19. cap. 6. pag. 1229. Joh. Passeratii prælect. in Catull. Lud. Cresollius Vacat. Autumnal. lib. 2. cap. 8. sect. 4. pag. 270.

3 *Facetum.*] Multis in locis Cicero *facetum* usurpat *pro urbanitate*, uti per totam orationem elegantia illa extendatur, differatque à *dicacitate.* Turneb.

4 *Facetum.*] Ser. 1. Sat. 10.

5 *Molle atque facetum.*] Locus hic est ex decima Satyra lib. primi sermonum, *Molle atque facetum*, Virgilio annumerant, *gaudentes rure Camœnæ.* loquitur autem de *Georgicôn opere.* Turneb.

6 *Jocum vero.*] Tamen *jocus duplex* ponitur à Cic. 1. offic. *petulans & illiberalis*, alter vero *liberalis & gratus*, qualis est in Plauto, antiqua comœdia, & libris Socraticorum. *Idem.*

7 *Dicacitas à dicendo.*] Vide Barthii Adversar. l. 51. c. 16. p. 2418.

1 *Ideo*

cendo, quod est omni generi commune, ducta est: proprie tamen significat sermonem cum risu aliquo incessentem. [1] Ideo Demosthenem *urbanum* fuisse dicunt, *dicacem* negant. Proprium autem materiæ de qua nunc loquimur, est *ridiculum*. Ideoque hæc tota disputatio à Græcis περὶ γελοίου inscribitur. Ejus prima divisio traditur eadem quæ est [2] omnis orationis, ut sit positum *in rebus*, aut *in verbis*. Usus autem maxime simplex. Aut enim *ex aliis* risum petimus, aut *ex nobis*, aut *ex rebus* mediis. *Aliena aut reprehendimus, aut refutamus, aut elevamus, aut repercutimus, aut eludimus.* Nostra, ridicula indicamus, & [3] ut verbo Ciceronis utar, dicimus *aliqua subabsurda.* Namque eadem quæ si imprudentibus excidant, *stulta* sunt: si simulamus, *venusta* creduntur. Tertium est genus, ut idem dicit, in decipiendis expectationibus, dictis aliter accipiendis, cæterisque quæ neutram personam contingunt, ideoque à me *media* dicuntur. Item *ridicula* aut dicimus aut facimus. Facto risus conciliatur interim admista gravitate: *ut Marcus Cœlius prætor, cum sellam ejus curulem* [4] *consul Isauricus fregisset, alteram posuit loris intentam.* dicebatur autem Cos. à patre aliquando cæsus flagris: Interim sine respectu pudoris, ut in illa [5] pyxide Cæliana, quod neque oratori, neque ulli gravi viro conveniat. Idem autem de vultu gestuque ridiculo dictum sit: in quibus est quidem summa gratia, sed major cum captare risum non videntur. nihil enim ex iis quæ dicuntur *falsa*, dicitur falsius. Quanquam autem gratiæ plurimum dictis severitas affert,

1 *Ideo Demosthenem urbanum.*] Hoc *ex Cic. in Orat.* sumptum est. idem etiam scribit *ad Brutum.* Demosthenes autem urbanus est, quia in perpetuitate dicendi suavis est, non autem dicteriis & scommatibus jaciendis. *Turneb.*

2 *Omnis orationis.*] Omnis enim *oratio* in *res* & *verba* dividitur. *Idem.*

3 *Ut verbo Ciceronis utar.*] Lib. 2. *de Orat. Sunt etiam illa subabsurda, sed eo ipso nomine sæpe ridicula, non solum mimis proposita, sed etiam quodammodo nobis, &c.* quæ seq. *Idem.*

4 *Consul Isauricus.*] De *Servilio* ait, qui Isauricus est appellatus à domitis Isauris populis Pamphyliæ. is autem aliquando à patre loris cæsus fuerat, quod illi exprobravit Cælius cum intendisset sellam loris. *Idem.*

5 *Pyxide Cæliana.*] Pyxidem ajebat *à Cælio* datam esse *Clodiæ*, quam secuta sit turpissima & fœdissima fabula. ea autem à Cicerone non est commemorata in ea defensione. *Idem.*

affert, sitque ridiculum id ipsum, quia qui dicit, non ridet: est tamen interim & *aspectus* & *habitus oris* & *gestus non inurbanus*, cum iis modus contingit, id porro quod dicitur, aut est *lascivum* & *hilare*, qualia Galbæ pleraque: aut *contumeliosum*, qualia nuper Junii Bassi: aut *asperum*, qualia Cassii Severi: aut *lene*, qualia Domitii Afri. Refert, his ubi quis utatur. Nam [1] in conviviis & quotidiano sermone *lasciva* humilibus, *hilaria* omnibus conveniunt. [2] Ludere nunquam velimus, longeque absit propositum illud, *Potius amicum quam dictum perdidi*. [3] In hac quidem pugna forensi malim mihi lenibus [4] interdicere. quanquam & contumeliose & aspere dicere in adversarios permissum est: cum accusare etiam palam, & caput alterius juste petere concessum sit. [5] Sed hîc quoque tamen inhumana videri solet fortunæ insectatio: vel quia culpa caret, vel quia recidere etiam in ipsos qui objecerunt, potest. Primum itaque considerandum est, & *quis*, & *in qua caussa*, & *apud quem*, & *in quem*, & *quid dicat*. [6] Oratori minime convenit distortus vultus, gestusque, quæ in mimis rideri solent. [7] *Dicacitas* etiam scurrilis & scenica huic personæ alienissima est. *Obscœnitas* vero non à verbis tantum abesse debet, sed etiam à significatione. Nam si quando objici potest, non in omni loco exprobranda

1 *In conviviis & quotidiano sermone.*] Gebhard. Crepund. l. 3. c. 1.

2 *Ludere nunquam velimus.*] In convictu quando cum amicis erimus, cavere debemus ne eos dictis nostris incessamus. nam illa *dicacitas* sæpenumero amicitias dissolvit: hinc proverbium est vulgare, *potius amicum quam dictum perdidi*: de his qui jocorum intemperantia amicos petunt, cumque dicterium perdere nolint & reticere, perdunt amicum. Fusius *Cic. 2. de Orat.* Turneb.

3 *In hac quidem pugna forensi.*] Ut illa: *Et quidem quo melius emptum scias comparavit hunc fundum Servilia deducta Tertia. Gallam subigo* apud Macrob. & Gell.

4 *Interdicere.*] Alii, *Utilicere.*

5 *Sed hic quoque.*] Cic. in Orat. præcipit, *in facinorosos* ridiculo non esse utendum, si quidem majore vi sunt vulnerandi: nec item *in miserabiles*, quoniam inhumana videtur calamitatis exprobratio. *Turneb.*

6 *Oratori minime convenit, &c.*] Idem præcipit Cic. *lib. 2. de oratore*, ubi vitandam esse ait imitationem *mimorum ethologorum*, & distortum vultum *sannionum*. Idem.

7 *Dicacitas enim, &c.*] Hoc etiam ex Cic. in Oratore. *Illud*, inquit, *admonemus, ridiculo sic usurum oratorem, ut nec nimis frequens nec scurrile sit, nec subobscœnum, nec mimicum, &c.* quæ seq. *Idem.*

branda est. Oratorem præterea ut dicere urbane volo, ita videri affectare id, plane nolo. Quapropter ne dicet quidem falsè quoties poterit, & dictum potius aliquando perdet, quam minuet auctoritatem. [1] Nec accusatorem autem atroci in caussa, nec patronum in miserabili jocantem feret quisquam. Sunt etiam judices quidam tristiores, quam ut risum libenter patiantur. Solet interim accidere, ut id quod in adversarium dicimus, aut [2] in judicem conveniat, aut in nostrum quoque litigatorem: quanquam aliqui reperiuntur qui ne id quidem quod in ipsos recidere possit, evitent: quod fecit [3] Longus Sulpitius, qui cum ipse fœdissimus esset, eum contra quem judicio liberali aderat, *ne faciem quidem habere liberi hominis dixit:* cui respondens Domitius Afer, *Et tu*, inquit, *ex animi sententia Longe?* [4] *qui malam faciem habet, liber non est?* Vitandum etiam *ne petulans, ne superbum, ne loco, ne tempori alienum, ne præparatum & domo allatum videatur* quod dicimus. Nam adversus miseros, sicut supra dixeram, inhumanus est jocus: Sed quidam ita sunt receptæ auctoritatis & notæ verecundiæ, ut nocitura sit in eos dicendi petulantia. Nam de amicis jam præceptum est. Illud non ad orandi fere consilium, sed ad omnia pertinet, ne lacessat hoc modo quem lædere sit periculosum, ne aut inimicitiæ graves insequantur, aut turpis satisfactio. [5] Male etiam dicitur, quod in plures convenit, si aut nationes totæ incessantur, aut ordines, aut conditio, aut

1 *Nec accusatorem.*] *Cic. in Orat.* præcipit utendum esse ridiculo in his rebus quæ neque magnum habent odium neque miserationem: unde traducit suum præceptum Fabius. *Ea*, inquit, *facillime luduntur, quæ neque odio magno neque misericordia maxima digna sunt.* Idem.

2 *In judicem conveniat.*] Quale illud est apud Cic. in Orat. *pusillus testis processit. Licet, inquit, rogare Philippus? Tum quæsitor properans modo breviter. hic ille, Non accusabis, &c.* Idem.

3 *Longus Sulpitius.*] Vid. Just. Lipsium Var. Lect. l. 1. p. 14.

4 *Qui malam faciem.*] Ita Domitius Afer retorsit dictum in Sulpitium Longum, qui eadem ratione liber non esset, cum turpissimus foret. *Turneb.*

5 *Male etiam dicitur.*] Videtur tamen contra hoc præceptum feciss Cicero. nam pro Fonteio, *contra Gallos* dixit: pro Flacco, *adversus Græcos & Asianos.* sed id expressum est necessitate judicii. *Idem.*

aut ſtudia multorum. Ea quæ dicit vir bonus, omnia ſalva dignitate ac verecundia decent. Nimium enim riſus precium eſt, ſi probitatis impendio conſtat. Unde autem concilietur riſus, & quibus ex locis peti ſoleat, difficilimum eſt dicere. Nam ſi ſpecies omnes perſequi velimus, nec modum reperiemus, & fruſtra laborabimus. [1] Neque enim numeroſi minus ſunt loci, ex quibus hæc dicta, quam illi ex quibus eæ quas *ſententias* vocamus, ducuntur, neque alii. Nam hîc quoque eſt *inventio* & *elocutio*, atque ipſius elocutionis vis, alia in verbis, alia in figuris. [2] *Riſus* igitur oriuntur aut *ex corpore* ejus in quem dicimus: aut *ex animo*, qui factis ab eo dictiſque colligitur, aut ex his quæ ſunt extra poſita. Intra hæc enim eſt omnis vituperatio: quæ ſi gravius poſita ſit, *ſeria* eſt: ſi levius, *ridicula*. Hæc aut oſtenduntur, aut narrantur, aut dicto notantur. Rarum eſt autem, ut oculis ſubjicere contingat, [3] ut fecit C. Julius, qui cum Helmio Manciæ ſæpius obſtrepenti ſibi diceret, *Jam oſtendam qualis ſis:* iſque plane inſtaret interrogatione qualem ſe tandem oſtenſurus eſſet, *digito demonſtravit imaginem galli in ſcuto Mariano Cimbrico pictam, cui Mancia tum ſimillimus eſt viſus.* Tabernæ autem erant circa forum, ac ſcutum illud ſigni gratia poſitum. [4] Narrare quæ falſa ſint, in primis eſt ſubtile, & oratorium: ut Cicero pro Cluentio narrat *de* [5] *Cepaſio atque Fabritio*: ac Marcus Cælius *de illa C. Lælii collegæque*

1 *Neque enim numeroſi.*] Julius quoque Cæſar apud Ciceronem 2. de Orat. non ex aliis ait locis duci jocos atque ſententias, hoc tamen intereſſe, quod *ſententiæ* in rebus honeſtis, graviter dictis: *Joci* in turpibus & quaſi turpiculis ponantur. Denique *joci* ducuntur ab omnibus locis Topicis, & aliis quibuſdam, quos hoc cap. enumerabit. *Idem.*

2 *Riſus igitur oriuntur.*] Quemadmodum *laudem* & *vituperationem* in hos tres locos dividebat l. 4. ita quoque hîc merito dividit *jocos*, cum præſertim magna ex parte comparati ſint ad *inceſſendum*, *vituperandum*, *illudendum*. ab his quoque locis ducuntur fere omnes ſententiæ. *Idem.*

3 *Ut fecit C. Julius.*] Hic jocus ducitur *ab imagine*, ut ait Cic. 2. *de Orat.* quæ trahitur à deformitate rei turpioris, referturque ad ſimilitudinem. Cæterum quod Julio attribuit Cic. & Fabius, Plinius tribuit Craſſo oratori l. 35. c. 4. *Idem.*

4 *Narrare quæ falſa ſint.*] Non tamen duntaxat narrationes falſæ pertinent ad jocos, ſed etiam veræ, ſi modo ſunt lepidæ. huc referuntur *apologi*, *fabulæ*, & *hiſtoriæ* quædam. *Idem.*

5 *Cepaſio.*] Ibi, *Citatur reus, agitur cauſa,*

gaque ejus in provinciam festinantium contentione. Sed in his omnibus cum elegans & venusta exigitur tota expositio, tum id est festivissimum, quod adjicit orator. Nam & à Cicerone sic est Fabritii fuga illa condita. Itaque cum callidissime se putaret dicere, & cum illa verba gravissima ex intimo artificio deprompsisset: *Respicite judices, hominum fortunas, respicite varios durosque casus, respicite C. Fabritii senectutem:* cum *hoc respicite*, ornandæ orationis caussa sæpe dixisset, *respexit ipse:* at Fabritius à subselliis demisso capite discesserat, & cætera quæ adjecit: nam est notus locus: cum in re hoc solum esset, *Fabritium à judicio recessisse.* Et Cælius cum omnia venustissime finxit, [1] tum illud ultimum sic subsecutus: *Quomodo transierit, utrum rate, an piscatorio navigio, nemo sciebat. Siculi quidem, ut sunt lascivi & dicaces, ajebant* [2] *in delphino sedisse, & sic tanquam Ariona transvectum.* [3] In narrando autem Cicero consistere *facetias* putat, *dicacitatem* in jaciendo. Mire fuit in hoc genere venustus *Afer Domitius*, cujus orationibus complures hujusmodi narrationes insertæ reperiuntur: sed dictorum quoque ab eodem urbane, sunt editi libri. Illud quoque genus est positum non [4] in hac veluti jaculatione verborum, & incluſa breviter urbanitate, sed in quodam longiore actu: quod de Crasso [5] *contra Brutum* Cicero *in secundo de oratore libro*, [6] & aliis quibus-

causa, paucis verbis accusat, ut de re judicata, &c. quæ seq.

1 *Tum illud ultimum sic subsecutus.*] In aliis codicibus sic legitur, *tum illud ultimum, Hic subsecutus: quomodo transierit, &c.* Idem.

2 *In delphino sedisse.*] *Arion*, ut refert Herodotus *lib. primo*, cum Tarento trajiceret Corinthum, à nautis in mare præcipitatus est, sed exceptus tergo delphini in Tænarum usque est vectus. *Idem.*

3 *In narrando autem.*] Cic. in Orat. ad Brutum, *salium duo genera* esse dicit: unum *facetiarum*, alterum *dicacitatis.* utroque orator utitur: sed altero *in narrando* aliquid venuste, altero *in jaciendo* mittendoque *ridiculo.* Idem.

4 *In hac veluti jaculatione verb.*] Vide Gebhard. Crepund. lib. 3. c. 1. p. 103.

5 *Contra Brutum.*] Hic Brutus est alterius Bruti jurisconsulti filius, qui (ut docet Cic. *lib. 2. Off.* & *in Bruto*) male audiebat quod frequenter accusaret. idem etiam dilapidarat bona patria. *Idem.*

6 *Et aliis quibusdam locis.*] In oratione pro Cluentio, ibi, *Ego vero in isto genere libentius cum multorum, tum hominis eloquentissimi & sapientissimi L. Crassi auth. &c.* quæ seq. *Idem.*

quibusdam locis narrat. Nam cum Brutus in accusatione Cn. Planci, [1] ex duobus lectoribus ostendisset contraria L. Crassum patronum ejus in oratione quam [2] de Colonia Narbonensi habuerat, suasisse iis quæ de lege Servilia dixerat, tres excitavit & ipse lectores, hisque [3] patris ejus dialogos dedit legendos: *quorum cum in Privernati unus, alter in Albano, tertius in Tiburti sermonem habitum complecteretur, requirebat ubi essent eæ possessiones.* Omneis autem illas Brutus vendiderat: & cum paterna manciparet prædia, [4] turpis habebatur. Similis in [5] apologis quoque & quibusdam etiam interim historiis exponendis gratia consequi solet. Sed acutior est illa atque velocior in urbanitate *brevitas*. Cujus quidem duplex est forma, *dicendi*, ac *respondendi*: sed ratio communis in parte. Nihil enim in lacessendo dici potest, quod non etiam in repercutiendo. At propria quædam sunt respondentium: illa etiam ira concitati afferre solent: hæc plerunque in altercatione, aut in rogandis testibus requiruntur. Cum sint autem loci plures ex quibus dicta ridicula ducantur, repetendum est mihi, non omneis eos oratoribus convenire. In primis autem *ex amphibolia*, neque illa obscura, quæ [6] Atellanæ more captent, nec qualia vulgo jactantur à viliſſimo quoque, conversa in maledictum fere

1 *Ex.*] *Excitatis.* Pith.

2 *De Colonia Narbon.*] Ut ex oratione *pro Cluentio* colligi potest, cum lex ferebatur ne Martius Narbo Colonia deduceretur, eam legem Crassus dissuasit, in eaque oratione multa dixit adversus senatores. Idem *legem Serviliam*, quam tulerat Servilius Cæpio, suasit. in qua oratione magnopere senatores laudavit. Hæc duo capita ut diversa inter se comparavit Brutus. Meminit & Cic. lib. de Clar. Oratoribus. *Turneb.*

3 *Patris ejus.*] Pater Bruti optimus fuit jurisconsultus, ac de jure civili septem libros reliquit, ut meminit Pomponius *de origine juris*. Idem.

4 *Turpis habebatur.*] Nam *decoctores* in magna erant infamia. unde Adrianus imperator (ut refert Spartianus) eos jubebat *catamidiari* publice. est autem *mancipare*, *abalienare* & *vendere*. Unde *res mancupi* appellantur, quæ à nostro dominio possunt abalienari. *Idem.*

5 *Apologis.*] Qualis illa est Demosthenis pro Aristide fabula *de Megarensium asino* festiviſſima, qua sibi male affectos judices attentos reddidit. *Idem.*

6 *Atellanæ.*] *Atellanæ fabulæ* sunt Latinæ, ut ait Diomedes, dictis jocularibus refertæ, ab *Atella Oscorum urbe* appellatæ. similes fere sunt *satyricis fabulis* Græcorum. *Idem.*

fere ambiguitate. [1] Ne illa quidem, quæ Ciceroni aliquando, sed non in agendo, exciderunt, ut dixi, *cum is candidatus qui coqui filius habebatur, coram eo suffragium ab alio peteret,* [2] *Ego quoque tibi jure favebo.* Non quia excludenda sint omnino verba duos sensus significantia, sed quia raro belle respondeant, nisi cum prorsus rebus ipsis adjuvantur. [3] Quare non hoc modo pene & ipsum scurrile Ciceronis est in eundem, de quo supra dixi, Isauricum, *Miror quid sit quod pater tuus homo constantissimus* [4] *te nobis varium reliquit:* sed illud ex eodem genere præclarum, cum objiceret Miloni accusator in argumentum factarum Clodio insidiarum, *quod Bovillas ante horam nonam divertisset, ut expectaret dum Clodius à villa sua exiret, & identidem interrogaret quo tempore Clodius occisus esset, respondit,* [5] *Sero.* Quod vel solum sufficit, ut hoc genus non totum repudietur. [6] Nec plura modo significari solent, sed etiam diversa: ut Nero de servo pessimo dixit. *Nulli apud se plus fidei haberi: nihil ei neque occlusum neque obsignatum esse.* Pervenit res usque ad ænigma: quale est Ciceronis in Pletorium Fonteii accusatorem, *cujus matrem dixit, dum vixisset,* [7] *ludum: postquam mortua esset, magistros habuisse.*

1 *Ne illa quidem, &c.*] Qualia enumerantur à Plutarcho in ejus vita, A. Gellio, & Macrobio, aliisque auctoribus. *Idem.*

2 *Ego quoque, &c.*] Amphibolia est in dictione *Jure.* alludit enim ad illa *juscula*, quæ condiuntur à coquis. ajunt etiam alii ambiguitatem esse in dictione *Quoque*, quæ nomen esse potest, & conjunctio. sed prior sensus convenientior est, ut opinor. De alio item dicit Cicero, *Optimo jure magistratum es adeptus.* Idem. *Ego quoque, &c.*] Vide Donatum in Adelphos Terent.

3 *Quare.*] Dan. *Quale.*

4 *Te nobis varium reliquit.*] *Vari* appellantur pustulæ quæ in toto corpore, præsertimque facie nasci solent, quasdamque in vultu cavitates facere, *verolas* vulgo vocant. Inde *varius homo* dicitur, per ambiguitatem, vel *inconstans*, vel illis *cavitatibus deformis.* Turneb.

5 *Sero.*] Vel quod vesperi interfectus sit, vel quod utile fuisset reip. tam nefarium civem multo antea interfectum esse. simile fere Cic. in epist. ad Atticum, *Veni Capuam ad nonas Februarii, ita ut jusserant Coss. Eo die Lentulus venit, sero: alter Cos. omnino non venit.* Idem.

6 *Nec plura modo.*] Servis, quorum nobis perspecta est probitas & fides, *nihil claudimus:* at improbi servi omnia quantumvis occlusa solent *aperire.* Antiqui autem cibum & potum *annuli signaculo* à rapina vendicabant. Sumptum hoc ex 2. lib. *de Orat.* Idem.

7 *Ludum, &c.*] *Ludum* (teste Asconio) Romani quancunque scholam appellant. hic vero significat veluti *prostibulum*, quo conveniunt infames mulieres.

habuisse. Dicebantur autem, dum vixit, infames fœminæ ad eam convenire solitæ: post mortem ejus bona vænibant. Quanquam hic *ludus* per translationem dictus est, *magistri* per ambiguitatem. In metalepsin quoque cadit ratio dictorum: ut *Fabius Maximus incusans* [1] *Augusti congiariorum quæ amicis dabantur, exiguitatem,* [2] *heminaria esse dixit*. Nam *congiarium* cum sit commune liberalitatis atque mensuræ, à mensura ducta imminutio est rerum. Et hæc tam frigida, [3] quam est nominum fictio, adjectis, detractis, mutatis literis: ut *Acisculum*, quia esset pactus, *Pacisculum*: & *Placidum* nomine, quia is acerbus natura esset, *Acidum*: & *Tullium*, cum fur esset, *Tollium* dictos invenio. Sed hæc eadem genera commodius in rebus quam in nominibus respondent. Afer enim venuste [4] Manlium Suram multum in agendo discursantem, salientem, manus jactantem, togam dejicientem & reponentem, [5] *non agere dixit, sed satagere*. Est enim dictum per se urbanum, *satagere*, etiam si nulla subsit alterius verbi similitudo. Fiunt & detracta & adjecta aspiratione, & binis conjunctis verbis similiter sæpius frigida, aliquando tamen recipienda. Eademque conditio est in iis quæ à nominibus trahuntur. Multa ex hoc Cicero in Verrem, sed ut ab aliis dicta, *modo futurum ut omnia verreret, cum diceretur Verres:* [6] *modo Herculi quem expilaverat, molestiorem apro Erymanthio fuisse: modo malum Sacer-*

res. *magistri* verò dicuntur illi qui hastæ auctioni præsunt, ut sæpe aliâs apud Ciceronem. *Idem.*

1 *Augusti congiariorum, &c.*] Dona quæ princeps militibus largitur, *donativum* appellare solemus, ut ejus liberalitatem in populum & amicos *congiarium*: quæ appellatio inde ducta est, quia initio *congii* olei & vini dabantur. *congius* autem sextaria sex capit, *hemina* dimidum sextarii. Igitur ab imminutione mensuræ significavit *exiguitatem liberalitatis*. Idem.

2 *Heminaria.*] *Fregerit heminas Arreti ædilis iniquas.* Pers.

3 *Quam est nominum fictio.*] Vocat *paronomasiam* Cic. *lib.* 2. *de Orat.* quando ex nominis allusione jocum captamus. *Turneb.*

4 *Manlium.*] Leg. *Manilium.*

5 *Non agere dixit, sed satagere.*] *Satagere* dicitur qui negotium aliquod magna anxietate & cura conficit: *agere* vero qui causam tuetur. Igitur non *agebat* ille, sed *satagebat*. Turneb.

6 *Modo Herculi.*] Congenera sunt animalia *aper* & *verres*, duntaxat feritate & mansuetudine discrepant. Hercules autem aprum *Erimantium* vivum ad Eurystheum tulit. *Idem.*

1 *Qui*

Sacerdotem, [1] *qui tam nequam verrem reliquisset: quia sacerdoti Verres successerat.* [2] Præbet tamen aliquando occasionem quædam fœlicitas hoc quoque genere bene utendi: ut pro Cecinna Cicero in testem Sex. Clodium Phormionem. *Nec minus niger, inquit, nec minus confidens, quam ille Terentianus est Phormio.* Acriora igitur sunt & elegantiora, quæ trahuntur ex vi rerum. In his maxime valet similitudo, si tamen ad aliquid inferius, leviusque referatur: qua jam veteres illi jocabantur, qui Lentulum Spintherem, & [3] Scipionem *Serapionem* esse dixerunt. Sed ea non ab hominibus modo petitur, verumetiam ab animalibus: ut nobis pueris [4] Junius Bassus, homo in primis dicax, [5] *Asinus albus* vocabatur. Et Sarmentus seu Publius Blessus *Junium hominem nigrum & macrum & pandum*, [6] *fibulam ferream dixit.* Quod nunc risus petendi genus frequentissimum est. Adhibetur autem similitudo interim palam, interim inseri solet parabolæ: cujus est generis id Augusti, qui militi libellum timide porrigenti, *Noli, inquit, dubitare*, [7] *tanquam assem elephanto*

1 *Qui tam nequam Verrem reliquisset.*] Nam in Sicilia colitur *Ceres* cui immolantur porci. *Idem.*

2 *Præbet tamen.*] Ut illud Cic. pro Cluentio, *Atque etiam ipse conditor totius negotii Guttam aspergit huic Bulbo. itaque minime amarus is visus est, qui aliquid ex ejus sermone speculæ degustarat.* Idem.

3 *Scipionem Serapionem.*] Scipio ideo *Serapio* appellabatur, quia persimilis erat ei suarii cujusdam negotiatori servus. Hermolaus tamen Barbarus hoc loco *Sciritionem* legit, sicque legendum in Plinio contendit lib. 7. cap. 12. male tamen. Itidem *Lentulus Spinther* vocabatur, quia similis illi erat mimus secundarum & tertiarum *Pamphilus Spinther.* Vide Plinium *lib.* 7. *cap.* 12. & Val. *l.* 9. Idem. *Scipionem Serapionem.*] Mosellanus conjicit *Scipionem* per jocum *Serapionem* appellatum. Festus enim indicat Nævii carmen citans, deformes & immundas anus olim *serapias* dici solitas.

4 *Junius Bassus.*] Vid. Turneb. Adverss. lib. 28. cap. 35. p. 1081. Val. l. 9. titul. 15.

5 *Asinus albus vocabatur.*] *Asinum* passim usurpant veteres pro *stupido, bardo*, & *inepto:* unde Bassus *asinus* appellabatur, quia inepte erat ditax. additur *albus*, propter notabile vitium: id enim prodigiosum est. *Turneb.* Cicer. ad Attic. lib. 6.

6 *Fibulam ferream dixit.*] *Fibula* appellatur batillus ex aliqua materia, quo quidpiam connectitur. sunt autem illæ *fibulæ incurvæ.* similitudinem igitur habebat cum fibula ferrea Junius. *Turneb.*

7 *Tanquam assem elephanto des.*] Plinius ait ita *mansuetos esse elephantos*, ut stipem quam populus dederit accipiant proboscide. cum tamen aliquis stipem porrigit elephanto, non mediocriter timet. est igitur ductus jocus ab illo ludicro. *Turneb.*

1 *Et*

phanto des. Sunt quædam etiam verisimilia: unde Vatinius, cum reus agente in eum Calvo, candido frontem sudario tergeret, idque ipsum accusator in invidiam vocaret: *Quamvis reus sum, inquit,* [1] *& panem candidum edo.* Adhuc est subtilior illa ex simili translatio, cum quod in alia re fieri solet, in aliam mutuamur. Ea dicatur sane *fictio:* ut Chrysippus, cum in triumpho Cæsaris [2] eborea oppida essent translata, & post dies paucos Fabii Maximi lignea, *thecas esse oppidorum Cæsaris dixit.* [3] Et Pedo [4] de Mirmillone, qui retiarium consequebatur, nec feriebat, *Vivum,* inquit, *capere vult.* Jungitur amphiboliæ similitudo: ut L. Galba pilam negligenter petenti, *Sic, inquit, petis,* [5] *tanquam Cæsaris candidatus.* Nam illud petis, ambiguum est securitas similis. Quod hactenus ostendisse satis est. Cæterum frequentissima aliorum generum cum aliis mistura est: eaque optima, quæ ex pluribus constat. Eadem dissimilium ratio est. Hinc eques Romanus, ad quem in spectaculis bibentem cum misisset Augustus qui ei diceret, [6] *Ego si prandere volo, domum eo: Tu enim,* inquit, *non times ne locum perdas.* Ex contrario non una species. [7] Neque enim eodem modo dixit

1 *Et panem candidum edo.*] Inde ductus est jocus, quia illi qui in reatu erant, mutatis vestibus *atrum induebant amictum:* ac ut toto corpore squalidi viderentur, efficiebant. *Candidus dicitur panis,* cui ater est contrarius, quem *cibarium* appellat Cic. 5. Tusc. *Non solum candido sudario tergeo faciem, sed panem etiam candidum edo.* Idem.

2 *Eborea oppida.*] Consuetudo erat ut in triumpho simulachra urbium & regionum captarum ferrentur. Unde Cic. l. 2. Off. ait *Massiliam in Cæsaris triumpho fuisse per urbem portatam.* Idem. *Eborea oppida.*] Alii; *Eburnea.*

3 *Et Pedo.*] C. Pædonis poëtæ meminit Fab. alibi, ejusque vitam perscripsit Crinitus. *Turneb.*

4 *De Mirmillone.*] *Mirmillo* dicitur gladiator, qui armaturam habet gallicam, & in galea piscem gestat: cum hoc committitur alter gladiator qui dicitur *retiarius:* nam habet rete. *Idem.*

5 *Tanquam Cæsaris candidatus.*] Dicebantur quidam *candidati principis, vel Cæsaris:* illi nimirum magistratuum petitores, quos Cæsar commendabat populo: quibuscum nonnunquam solebat civiliter prehensare populum per *tribus* & centurias. Illi igitur ob commendationem & gratiam Cæsaris negligentes erant in prehensando & ambiendo, quia sciebant populum nihil facturum contra voluntatem Cæsaris. Vide plura apud Budæum *in Pand.* Idem.

6 *Ego si prandere, &c.*] Olim apud Romanos non erat probrosum in propatulo cœnare, ut docet Valerius *de institutis antiquis:* postea tamen cum invaluisset luxuria, dedecorosum fuit. *Idem.*

7 *Neque enim eodem modo.*] Hoc *Augusti*

dixit Augustus præfecto quem ignominia notabat, subinde interponenti precibus, *Quid respondebo patri meo? Dic me tibi displicuisse*: quo Galba penulam roganti, *Non possum commodare, domi maneo: cum cœnaculum ejus perplueret.* Tertium adhuc illud (si quidem ut ne auctorem ponam, verecundia ipsius facit) *Libidinosior es,* [1] *quam ullus spado:* quo sine dubio & opinio decipitur: sed ex contrario. Et hoc ex eodem loco est, sed nulli priorum simile, quod dixit Marcus Vestinius, cum ei nunciatum esset, [2] *Aliquando desinet putere.* Onerabo librum exemplis, similemque iis qui risus gratia componuntur, efficiam, si persequi voluero singula veterum. Ex omnibus argumentorum locis eadem occasio est. Nam & *finitione* usus est [3] Augustus de pantomimis duobus, qui alternis gestibus contendebant. cum eorum alterum *saltatorem* dixit, alterum *interpellatorem.* Et partitione Galba, cum penulam roganti respondit, [4] *Non pluit, non est opus tibi: si pluit, ipse utar.* Proinde genere, specie, propriis, differentibus, jugatis, adjunctis, consequentibus, antecedentibus, repugnantibus, caussis, effectis, comparatione parium, majorum, minorum, similis materia præbetur. Sicut in tropos quoque omneis cadunt. An non plurima κατ' ὑπερβολὴν dicuntur? quale refert [5] Cicero de Memmio homine præ-

gusti apophthegma non dictum esse in præfectum, sed in Herennium adolescentem vitiis notabilem, scribit Macrob. *l.* 2. *Saturnal.* erat autem illa missio ignominiosa, quæ fiebat ob militis vitium. *Idem.*

1 *Quam ullus spado.*] Cum spado libidinosus esse non possit, quippe quod castratus & exectus sit. Et eunuchi, ut est apud Terentium, *sunt magni amatores mulierum, sed nihil possunt.* Idem.

2 *Aliquando desinet putere.*] Locus est corruptus. *Putere*, id est, esse putida. dicit autem de muliere quod de se intellexit. id est, *desinam aliquando ego illi esse putidus, & illi aliquando placebo.* Mosellanus tamen legit *plutre*, aliumque efficit sensum, pro eo quod est, non semper adversam fortunam sentire, alludens ad hoc Horat. *Et quandoque pluit deus, & quandoque serenat.* Idem. *Aliquando desinet putere.*] Locus corruptus & vix corrigibilis. *Aliquando desinet putere.*] Deest hîc aliquid.

3 *Augustus de Pantomimis.*] *Pantomimus* appellatur omnium personarum imitator & effictor. Jocus in eo, quia aliud est officium *saltatoris*, aliud *mimi.* alter igitur *Pantomimus* nimia gesticulatione utebatur, ut saltare videretur: alter ineptus erat, ac saltationem interrumpebat & interpellabat. *Turneb.*

4 *Non.*] Dan. *Si.*

5 *Cicero.*] Vide Cicer. 2. de Orat. p. 128. errat.

prælongo, *caput eum ad* [1] *fornicem Fabii offendisse.* Et quod P. Oppius dixit de genere Lentulorum, cum assidue minores parentibus liberi essent in nascendo, [2] *decrescere genus Lentulorum. Interim utrunque.* Quid *ironia?* nonne etiam quæ sit verissima, joci prope genus est? Qua urbane usus est Afer, cum Didio Gallo qui provinciam ambitiosissime petierat, deinde impetrata ea tamquam coactus querebatur, *Age*, inquit, *aliquid &* [3] *reipublicæ caussa elabora.* Quaque Cicero usus est, cum Vatinii morte nunciata, cujus parum certus dicebatur auctor, *Interim*, inquit, [4] *usura fruar.* Idem per allegoriam M. Cœlium melius objicientem crimina quam defendentem, [5] *Bonam dextram, malam sinistram habere dicebat.* [6] Emphasi Livius dixit ferro cotem Accium Navium inci-

1 *Fornicem Fabii.*] *Fornix Fabii* in via sacra erat ad regiam, ut docet Asconius. ædificatus est in censura à Fabio, qui vicerat Allobrogas. Porro Cic. sententiam aliquantulum immutat Fab. Memmium enim Cic. dixit *ita magnum fuisse, ut in forum descendens, caput ad fornicem Fabii demitteret.* In quo forte ridiculi ratio est. Id enim stultis hominibus, quod anseribus innatum est, ut per januam transeuntes caput demittant, quantuncunque altum sit limen januæ superius. *Turneb. Ad fornicem Fabii.*] Ascon. Pædian. Fornix Fabianus arcus est juxta Regiam sacra via, à Fabio Censore constructus; qui devictis Allobrogibus, Allobrogus nominatus est. *Pith. Ad fornicem Fabii.*] Ad arcum erectum in honorem Fabii. Vid. Plin. hist. natural. lib. 8. & Macrob. Saturnal.

2 *Decrescere genus Lentulorum.*] In aliis auctoribus sic legitur hoc dictum, *vere genus esse Lentulorum. Lentuli* enim appellati sunt à lente, quod est genus leguminis exigui: ac certe hic locus corruptus esse videtur, suntque hæc verba, *decrescere genus Lentulorum*, ab interpretibus addita. *Turneb.*

3 *Reip. causa elabora.*] Sensus hic fortasse sit, ut cum Didius quereretur de onere magistratus publici difficulter impetrati, *Age, inquit Afer, aliquid, & reip. causa elabora.* q. d. reip. causa petere voluisti, labora igitur illius causa, cum sciret se commodi, non reip. causa petiisse. *Idem.*

4 *Usura fruar.*] Hoc est, ex hoc nuncio fructum. id est, *voluptatem capiam.* Plutarchus in apophth. adjicit, cum postea accepisset Vatinium non esse mortuum, Ciceronem dixisse, *male pereat qui male mentitus est.* Idem.

5 *Bonam dextram.*] *Metaphora est à militibus ducta*, quorum arma sunt *gladius & clypeus*: *gladio* adoriuntur hostem, *clypeo* se tuentur. itaque *clypeum* comparavit defensioni, *gladium* accusationi. *Idem.*

6 *Emphasi Livius dixit.*] *Emphasis* esse videtur, quia maxime augetur prodigii magnitudo. debuit enim cote ferrum obtundi. quanquam si historiam Livii sequamur, nullus apparet jocus. Quid si Fabius innuat Livium familiari colloquio hunc jocum usurpasse hoc forte modo, *cum aliquis colaphum intulisset, suamque manum oblæsisset?* Idem. *Emphasi Livius dicitur ferro, &c.*] Vide Ant. Muret. Variar. Lection. lib. 19. cap. 6. pag. 1229.

incidisse. Figuras quoque mentis, quæ σχήματα διανοίας dicuntur, res eadem recipit omneis, in quas nonnulli diviserunt species dictorum. Nam & interrogamus, & dubitamus, & affirmamus, & minamur, & optamus. Quædam ut miserantis, & quædam ut irascentis dicimus. Ridiculum est autem omne quod aperte fingitur. Stulta reprehendere facillimum est: nam per se sunt ridicula. Sed rem urbanam facit aliqua ex nobis adjectio. Stulte interrogaverat exeuntem de theatro Carpathium [1] Tityus maximus, an spectasset: fecit Carpathius dubitationem ejus stultiorem dicendo: *Non, sed* [2] *in orchestra pila lusi.* Refutatio cum sit in negando, redarguendo, defendendo, elevando, ridicule negavit Manius Curius. Nam cum ejus accusator, [3] in simpario omnibus locis aut nudum eum in nervo, aut ab amicis redemptum ex alea, pinxisset, [4] *Ergo ego* (inquit) *nunquam vici.* Redarguimus interim aperte, ut Cicero Vibium Curium, multum de annis ætatis suæ mentientem: *Tum ergo cum una declamabamus, non eras natus.* Interim & simulata assensione, ut idem [5] Fabiæ Dolabellæ dicenti triginta se annos habere, *Verum est*, inquit: *nam hoc jam viginti annis audio.* Belle interim subjicitur pro eo quod neges, aliud mordacius, ut Junius Bassus quærente Domitia Passieni quod incusans ejus sordes, *calceos eam veteres diceret vendere solere: non mehercule*, inquit, *hoc unquam dixit, sed emere te solere.* Defensionem imitatus est eques Romanus, qui objicienti Augusto quod patrimonium comedisset: *Meum*, inquit, *putavi.* Elevandi ratio est duplex, ut aut veniam quis,

1 *Tityus.*] Alii, *Tyrius.* Pass.

2 *In orchestra.*] *Orchestra.* id est, saltatorium, locus est juxta scenam, unde spectabant senatores. in *orchestra* autem saltatores solent gesticulari, nec illic pila luditur. *Turneb.*

3 *In Sipario.*] *Siparium* appellat Donatus minutum velum, quod obsistit populo dum fabularum actus commutantur. accipitur *pro quocunque velo.* Idem. *In Sipario.*] Id est, *Velo mimico.*

4 *Ergo ego nunquam vici.*] Quum enim in aleæ ludo fortuna dominetur, vix fieri possit quin aliquando vicerit, qui tam sæpe ludendo perdiderit. *Turneb.*

5 *Fabiæ Dolabellæ.*] Vel uxori, seu filiæ Dolabellæ, ut *Deiphobe Glauci*, & *Hectoris*, *Andromache.* Quod dicendi genus ut poëtis familiare, ita oratoribus fere ignotum est. *Idem.*

quis, aut jactantiam minuat: [1] quemadmodum C. Cæsar Pomponio ostendenti vulnus ore exceptum in seditione Sulpitiana, quod ipse se passum pro Cæsare pugnantem gloriabatur, *Nunquam fugiens respexeris, inquit.* Aut crimen objectum, ut Cicero objurgantibus quod sexagenarius Popiliam virginem duxisset, [2] *Cras mulier erit, inquit.* Hoc genus dicti, *consequens* vocant quidam, atque illi simile, & quo Cicero Curionem semper ab excusatione ætatis incipientem, [3] facilius quotidie proœmium habere dixit: *quia ista natura sequi & cohærere videantur.* Sed elevandi genus est etiam caussarum relatio, qua Cicero est usus in Vatinium, qui pedibus æger, cum vellet videri commodioris valetudinis factus, & diceret se jam bina millia passuum ambulare: [4] *Dies enim*, inquit, *longiores sunt.* Et Augustus nunciantibus Tarraconensibus palmam in ara ejus enatam, *Apparet*, inquit, *quam sæpe* [5] *accendatis.* Transtulit crimen Cassius Severus. Nam cum objurgaretur à prætore, quod advocati ejus L. Varro Epicureo Cæsaris amico convitium fecissent, *Nescio*, inquit, *qui convitiati sint: &* [6] *puto Stoicos fuisse.* Repercutiendi multa sunt genera: venustissimum, quod etiam similitudine aliqua verbi adjuvatur: ut Thracallus dicenti Suellio, *Si hoc ita est, is in exilium:* [7] *si non est ita,*

1 *Quemadmodum C. Cæsar, &c.*] Macrob. *lib.* 2. *Saturn.* hoc dictum attribuit Augusto Cæsari, Fabius vero tribuere videtur illi. C. Julio Cæsari, qui vixit tempore Crassi oratoris, & in lib. de Orat. disputat. ejus enim ætate P. Sulpitius maximam excitavit seditionem in republica. *Idem.*

2 *Cras mulier erit.*] Ex hoc loco colligit Valla, *mulierem* esse quæ nupserit. Cajus tamen jurisconsultus nomine *mulieris* etiam *virginem* intelligit viri-potentem. *Idem.*

3 *Facilius quotidie, &c.*] Nam quotidie provehebatur ætas, & exercitatio assidua eorundem exordiorum facultatem augebat. *Idem.*

4 *Dies longiores sunt.*] Hoc etiam dictum Macrob. attribuit Augusto. jocus autem est ex eo quod prolixiori tempore plus itineris solemus emetiri. *Idem.*

5 *Accendatis.*] Augusto etiam vivo decreti sunt honores divini, decretæ sunt horæ. cæterum *palma* fœlicitatis est & victoriæ signum. id tamen aliorsum retulit Augustus, nimirum ad negligentiam Tarraconensium, qui nunquam in illa ara sacrificarent, alioqui enim *palma* non crevisset. *Idem.*

6 *Puto Stoicos fuisse.*] Causa joci est ex eo quod *Stoici* & *Epicurei* inter se simultates gerunt propter dogmatis discrimen. *Stoici* enim *virtutem asserunt, Epicurei voluptatem.* Idem.

7 *Si non est ita, redii.*] Thracallus orator

ita, redii, inquit. Elusit Cassius Severus objiciente quodam quod ei domo sua Proculejus interdixisset, respondendo, *Nunquid ego illuc accedo?* Sic eluditur & ridiculum ridiculo, ut divus Augustus, cum ei Galli torquem aureum centum pondo dedissent, & Dolabella per jocum, tentans tamen joci sui eventum, dixisset, *Imperator,* [1] *torque me dona.* [2] *Malo te inquit, civica donare.* Mendacium quoque mendacio: ut Galba dicente quodam [3] Victoriato se uno in Sicilia quinque pedes longam murenam emisse. *Nihil,* inquit, *mirum: nam ibi tam longæ nascuntur, ut ius piscatores pro restibus utantur.* Contraria est neganti confessionis simulatio, sed ipsa quoque multum habet urbanitatis. Sic Afer cum ageret contra libertum Claudii Cæsaris & ex diverso quidam conditionis ejusdem cujus erat litigator, exclamasset, *Præterea tu semper in libertos Cæsaris dicis?* [4] *Nec mehercule,* inquit, *quicquam proficio* Cui vicinum est, non negare quod objicitur, cum & id palam falsum est, & inde materia bene respondendi datur: ut Catulus dicenti Philippo, *Quid latras?* [5] *Furem video, inquit.* In se dicere, non est fere nisi scurrarum, & in oratore utique minime probabile. Quod fieri totidem modis, quot in alios, potest. Ideoque hoc, quamvis frequens sit transeo. Illud vero etiam si ridiculum, indignum tamen est homine liberali, quod aut turpiter, aut impotenter dicitur: quod feciſſe quendam scio, qui humiliori

orator fuit facundissimus suavissimæ vocis. inde proverbium, *Thracallo vocalior.* Idem.

1 *Torque me dona.*] Joci causa pendet *ex re militari.* nam equitibus externis & auxiliaribus, qui bene se gesserant in bello, *torques aurei dabantur,* ut *Romanis argentei.* addebantur etiam *simplæ annonæ,* aut *duplæ.* Inde *torquati simplares & duplares* apud Vegetium dicuntur. *Idem.*

2 *Malo te civica, &c.*] Jocus est ex eo quod *civica corona* his dabatur qui civem in prælio servassent. erat autem ex quernis frondibus aut ilignis. *Idem.*

3 *Victoriato.*] *Victoriatus nummus* est appellatus à victoriæ signo, ut docet Plinius. olim dicebatur *quinarius.* est enim dimidium denarii, ac valet quinos asses. *Idem.*

4 *Nec quicquam proficio.*] Vel quia illi contra quos dico, semper causam obtinent, semper absolvuntur: vel quia non mutant malos mores. *Idem.*

5 *Furem video.*] Hoc non videtur retorqueri in Philippum. nec enim verisimile est eum furem fuisse. debet igitur referri ad eum hominem, quem tum in causa forte defendebat Philippus. Vide *Cic. 2. de Orat.* Idem.

liori libere adversus se loquenti, [1] *Colaphum*, inquit, *tibi ducam, & formulam scribam, quod caput durum habeas.* Hîc enim dubium est, utrum ridere audientes, an indignari debuerint. Supereſt genus decipiendi opinione, aut dicta aliter intelligendi, quæ sunt in omni hac materia vel venustissima. Inopinatum & à lacessente poni solet: quale est quod refert Cicero, [2] *Quid huic abest, nisi res & virtus?* Aut illud Afri, *Homo in agendis caussis* [3] *optime vestitus.* Et in occurrendo, [4] ut Cicero audita falsa Vatinii morte, cum Ovinium libertum ejus interrogasset, *Recte ne omnia?* dicenti, *Recte*, [5] *Mortuus est*, *inquit.* Plurimus autem circa simulationem & dissimulationem risus est, quæ sunt vicina, & prope eadem, sed *simulatio* est certam opinionem animi sui imitantis: *dissimulatio*, aliena parum se intelligere fingentis. Simulavit Afer, qui cum in caussa subinde dicentibus *Celsinam* dicere, cognovisset quod erat potens fœmina: *Quis est, inquit iste? Celsinam enim videri sibi virum finxit.* Dissimulavit Cicero, cum Sex. Annalis testis reum læsisset, & instaret identidem accusator ei, *Dic M. Tulli, nunquid potes de Sexto Annali?* Versus tunc dicere cœpit de libro Ennii annali sexto,

Qui potis ingentis [6] *caussas evolvere belli.*

Cui sine dubio frequentissimam dat occasionem ambiguitas, ut Cassellio, qui consultori dicenti, [7] *Navem dividere volo:*

Perdes,

1 *Colaphum tibi ducam.*] *Colaphum ducere Fab.* dixit, quod Gellius appellat uno verbo *depalmare.* at *scribere formulam* est actionem intendere & formulam, in jusque vocare. dicitur etiam *dicam scribere.* Idem. *Colaphum tibi ducam.*] Vide Turneb. Adversar. l. 28. c. 31. pag. 1076.

2 *Quid huic abest.*] Hoc item Cic. est 2. *de Orat.* Priora in laude & commendatione ponuntur, sed exceptio quæ præter opinionem additur, efficit insignem vituperationem. dicitur autem de pauperrimis & flagitiosissimis, quibus nihil magis deest quam res & virtus. *Res* enim pro divitiis sæpe dicitur, ut apud eundem Cic. hoc in joco, *homo fatuus postquam rem habere cœpit, mortuus est.* Turneb.

3 *Optime vestitus.*] *Vestitus* præter expectationem est dictum. dicendum enim erat, *optime exercitatus*, aut optime *versatus*, aut optime *paratus.* Idem.

4 *Ut Cicero.*] 2. De Orat.

5 *Mortuus est.*] Cic. recte illud referebat ad *Vatinii mortem*, quam sibi utilem putabat: libertus contra ad *Vatinii salutem.* Turneb.

6 *Caussas.*] Alii, *Oras.* Macrob.

7 *Navem dividere volo: Perdes.*] Vide Gebhard.

[1] *Perdes, inquit.* Sed averti intellectus etiam aliter solet, cum ab asperioribus ad leniora deflectitur: ut qui interrogatus quid sentiret de eo qui in adulterio deprehensus esset, [2] *Tardum fuisse respondit.* Ei confine est quod dicitur per suspicionem: quale illud apud Ciceronem, querenti quod uxor sua è fico se suspendisset: *Rogo des mihi furculum ex illa arbore, ut inseram.* [3] Intelligitur enim quod non dicitur. Et hercle omnis falsè dicendi ratio in eo est, ut aliter quam est, rectum verumque dicatur. Quod fit totum fingendis aut nostris aut alienis persuasionibus, aut dicendo quod fieri non potest. Aliena finxit Juba, qui querenti quod ab ab equo suo esset aspersus, *Quid tu*, inquit, *me* [4] *Hippocentaurum putas?* Sua C. Cassius, qui militi sine gladio discurrenti, *Heus commilito*, [5] *pugno bene uteris*, *inquit.* Et Galba de piscibus, qui cum pridie ex parte adesi, & versati postero die oppositi essent, *Festinemus, alii subcœnant, inquit.* Tertium illud Ciceronis (ut dixi) adversus Curium. *fieri enim certe non poterat, ut cum declamaret, natus non esset.* Est & illa ex ironia fictio, qua usus est C. Cæsar. Nam cum testis diceret, à reo fœmina sua ferro petita, & esset [6] facilis

Gebhard. Crepund. libro 3. capite 1. p. 104.

1 *Perdes, inquit.*] Sic apud Macrob. lib. 2. scribitur, *si navem dividis, nec tu nec socius habebitis.* consultor intelligebat de dividenda navis æstimatione, Cassèlius de dividendo navis corpore. Quod Labeonem, qui Antiocho bellum superaverat, feciſſe, auctor est Valer. Maxim. lib. 7. de dictis. qui icto fœdere cum dimidiam navium partem habere debuisset, dimidias omnes secuit, ut tota eum classe privaret. *Turneb.*

2 *Tardum fuisse respondit.*] Alter existimabat illum judicaturum ac responsurum gravi pœna adulterum esse afficiendum, aliorsum tamen intellectum avertit. *tardum* enim esse dixit qui non fugisset antequam deprehenderetur. Et hoc Cic. 2. de Orat. sicut & hoc quod mox sequitur. *Idem.*

3 *Intelligitur enim.*] Nam intelligitur odium uxoris. optat igitur maritus *furculum*, ut inde se in posterum uxor suspendat. *Idem.*

4 *Hippocentaurum.*] Fingunt poëtæ *Hippocentauros* monstra fuisse in Thessalia, quorum pars superior esset humana, inferior equina. significavit igitur Juba in sua non esse potestate prohibere ne equus aspergeret, neque id sibi vitio vertendum esse. non enim erat unum corpus *equi* & *Jubæ*, quemadmodum est unum corpus *Hippocentauri.* Idem.

5 *Pugno bene uteris.*] Finxit sibi esse persuasum, militem qui currebat, ad pugnam ire: cumque gladio careret, eum pugno usurum. *Idem.*

6 *Facilis reprehensio.*] Aut quod reus *testem* interficere noluisset, aut quod ex illa parte significari posset *testis libido.* Idem.

lis reprehensio cur illam potissimum partem corporis vulnerare voluisset: *Quid enim faceret*, inquit, *cum tu galeam & loricam haberes?* Vel [1] optima est simulatio contra simulationem: qualis illa Domitii Afri fuit: [2] Vetus habebat testamentum, & unus ex amicis recentioribus sperans aliquid ex mutatione tabularum, falsam [3] tabulam intulerat, consulens eum, an [4] primipilaris ei testamento suaderet ordinare suprema judicia, [5] *Noli*, inquit, *facere: offendis illum.* Jucundissima sunt autem ex his omnibus lenia, & (ut sic dixerim) [6] boni stomachi: ut Afer ingrato litigatori conspectum ejus vitanti in foro, per nomenclatorem missum ad eum, [7] *Amas me*, inquit, *quod te non vidi?* [8] Et dispensatori, qui [9] cum ad reliqua non responderet, dicebat subinde: *Non comedi panem, & aquam bibo.* [10] *Pasce, & redde quod*

1 *Optima est simulatio contra simulationem, &c.*] Est hic locus subobscurus, sed potest *primipilaris testamentum* bifariam accipi: vel pro eo testamento, quo miles hærede primipilari instituto, commilitionibus partem bonorum legavit. vel pro testamento quo primipilaris Imperatorem scripsit hæredem, amicis legata dedit. utrovis modo accipias clara mens hujus captatoris. *Casaub.*

2 *Vetus habebat testam.*] Plinius Cæcilius *in epistolis lib.* 8. *ad Rufinum*, ait Domitium Afrum testamentum improbasse quod decimo octavo ante anno fecisset, in quo Lucanum & Tullum Domitios fratres hæredes scripserat & adoptarat. De hoc testamento loqui videtur Fabius. *Turneb.*

3 *Tabulam.*] Alii, *Fabulam.*

4 *Primipilaris.*] *Primipilus* apud Romanos dicitur, qui in prima cohorte legionis quadringentis præest militibus, diciturque *legionis caput.* Turneb.

5 *Noli, inquit, facere.*] Alia simulatione Domitius captatorem elusit. illi enim suasit ne testamentum faceret, cum id alter non rogasset. detexit igitur hominis fucos & captationem. *Idem.*

6 *Boni stomachi.*] Id est *boni stomachi*, quod est leve, gratum, & suave: *mali stomachi*, quod est acerbum, asperum, ingratum. Metaphora est ducta ab his quæ in ventriculo & stomacho concoquuntur. Et hoc Cic. 2. *de Orat.* Idem.

7 *Amas me.*] Exprobravit illi *ingratitudinem*, quod bene meriti conspectum fugeret, ne gratias agere cogeretur. *Idem. Amas me, inquit, quod te.*] Turneb. Adversar. lib. 21. cap. 27. pag. 704. *Amas me inquit quod te non vidi.*] Gratum mihi fecisti. Vide Turneb. Advers. lib. 20. cap. 27.

8 *Et dispensatori qui cum reliqua non responderet, dicebat subinde, non comedi, &c.*] Sic legend. *Salmas.* Hist. Aug. p. 16. Reliqua respondere dicitur, qui reliquum solvit, & parem rationem facit.

9 *Cum ad aliqua non responderet.*] Legit Erasmus, *cum ad reliqua:* quæ lectio verior esse videtur. *reliqua* enim dicuntur quando non tantum est expensum, quantum acceptum: unde *reliquatores*, *Turn.*

10 *Pasce & redde quod debes.*] Gebhard. Crepund. lib. 3. cap. 1. pag. 104. ex MS. Palat. legit: *Passer redde quod debes.*

quod debes. Quæ [1] Υ'παγωγὰς vocant. Et gratus jocus, qui minus exprobrat quam poteſt: ut idem dicenti candidato, *Semper domum tuam colui:* cum poſſet palam negare, *Credo,* inquit, *& verum eſt.* Interim de ſe dicere, ridiculum eſt: & quod in alium, ſi abſentem diceret, urbanum non eſſet, quoniam ipſi palam exprobratur, movet riſum: quale Auguſti eſt: cum ab eo miles neſcio quid improbe peteret, veniret contra Martianus, quem ſuſpicabatur & ipſum aliquid injuſte rogaturum: *Non magis,* inquit, *faciam commilito, quæ petis, quam quod Martianus à me petiturus eſt.* Adjuvant urbanitatem & verſus commode poſiti, ſeu toti ut ſunt: quod adeo facile eſt, ut Ovidius ex tetraſticho Macri carmine librum in malos poëtas compoſuerit, quod fit gratius, ſi qua etiam ambiguitate conditur: ut Cicero in [2] Accium hominem callidum & verſutum, cum is in quadam cauſſa ſuſpectus eſſet, [3] *Niſi qua Ulyſſes* [4] *rate evaſit Laërtius.* Seu verbis ex parte mutatis, ut in eum qui cum antea ſtultiſsimus eſſet habitus, poſt acceptam hereditatem primus ſententiam rogabatur, [5] *Cujus hæreditas eſt, quam vocant ſapientiam:* pro illo, facultas eſt. [6] Seu fictis novis verſibus. Simile eſt quod [7] παροιμία dicitur, & proverbia opportune aptata, ut de homine in aquam lapſo, & ut allevaretur roganti, [8] *Tollat te, qui non novit.* * Ex hiſtoria etiam ducere urbani-

1 Υ'παγωγὰς *vocant.*] Quod qui iis utitur, quodammodo *ſubigit* eum quem ridet. *Turneb.*

2 *Accium hominem callidum, &c.*] Vide Jan. Gebhard. Crepund. l. 2. c. 18. pag. 102.

3 *Niſi qua Ulyſſes, &c.*] Verſus hic eſt ex aliqua tragœdia. Senſus eſt, *Ulyſſem dolis Cyclope excæcato & nave conſcenſa periculum evaſiſſe: eundem ſua calliditate evaſiſſe Charybdim & Scyllam.* ſic etiam elapſum eſſe Accium dolis. *Turnebus.*

4 *Rate.*] Alii, *Arte.*

5 *Cujus hæreditas eſt.*] Verſus eſt alicujus tragici, *Cujus facultas quam vocant ſapientiam:* quem Cicero immutavit, quia ſtultus ille partis divitiis jam ſapiens habebatur, quaſi divitiæ parerent ſapientiam. *Turneb.*

6 *Seu fictis notis verſib. Simile.*] Muret. olim codex, rectius *Seu ficti notis verſibus ſimiles: quod* παροιδία *dicitur.* Variar. lection. lib. 19. cap. 6. pag. 1229. Pet. Moſellan. p. 192. &c,

7 Παροιμία.] In hoc genus conjiciuntur & *proverbia* Cic. 2. de Orat. *Turneb.*

8 *Tollat te, qui non novit.*] Proverbium eſt, quod concinne uſurpamus cum ſignificamus alicujus dolos nobis eſſe compertos, neque ab illo nobis imponi

urbanitatem, eruditum: ut Cicero fecit, cum ei teſtem in judicio Verris roganti dixiſſet Hortenſius, *Non intelligo hæc ænigmata. Atqui debes*, inquit, *cum Sphingem domi habeas.* Acceperat autem ille à Verre [1] Sphingem æneam magnæ pecuniæ. Subabſurda illa conſtant ſtultis ſimili imitatione, & quæ niſi fingantur, ſtulta ſunt: ut qui mirantibus quod humile candelabrum emiſſet, [2] *Pranſorium erit, inquit.* Sed illa ſimilia abſurdis ſunt acria, quæ tanquam ſine ratione dicta feruntur, ut ſervus Dolabellæ cum interrogaretur an dominus ejus auctionem propoſuiſſet, [3] *Domum*, inquit, *vendidit.* Deprehenſi interim pudorem ſuum ridiculo aliquo explicant: ut qui teſtem dicentem ſe à reo vulneratum, interrogaverat an cicatrices haberet: cum ille ingentem in femore oſtendiſſet, [4] *Latus*, inquit, *oportuit.* Contumeliis quoque uti belle datur: ut Hiſpo objicienti [5] bis acerba crimina accuſatori, *Mentiris inquit.* Et Fulvius propinquus legato interroganti, an in tabulis quas proferebat, chirographus eſſet: [6] *Et verus*, inquit, *domine.* Has aut accepi ſpecies, aut inveni frequentiſſimas, ex quibus ridicula ducerentur. Sed repetam neceſſe eſt infinitas eſſe tam falſe dicendi quam ſevere, quas præſtat *perſona*, *locus*, *tempus*, *caſus* denique, qui eſt maxime varius. Itaque hæc ne omiſiſſe viderer,

ponì poſſe. *vide Eraſm. Chiliad.* Idem. *Tollat te, qui non novit.*] Horat. Epiſtol. ad Saxam.

* *Ex hiſtoria.*] Plutarchus in vita Cicer.

1 *Sphingem æneam.*] Ductus eſt jocus à fabula *Thebanæ Sphingis*, quæ ænigmata proponebat viatoribus & præterеuntibus. hoc in Plutatch. apophthegm. *Turneb.*

2 *Pranſorium erit.*] Humile candelabrum non ita diffundit lucem, itaque noctu pene eſt inutile. dixit igitur fore *pranſorium*, quum ipſo meridie lucerna non egeamus. *Turneb.*

3 *Domum vendidit.*] Sic acerbe notavit herum ſervus, ſignificans *illum jam omnia bona vendidiſſe.* ſolent ſiquidem ultimæ vænundari ædes quas aliquis incolat. *Idem.*

4 *Latus, inquit, oportuit.*] Significavit *illum teſtem non eſſe dignum tantulo vulnere, ſed letali & mortifero:* vel quod latera, non femora facilius concuti ſoleant: quare in lateribus potius erant oſtendendæ cicatrices quam in femoribus: quod cum ſuperiore dicto convenit. vel *ad pudorem* hæc referenda. *Idem.*

5 *Bis acerba.*] *Objicientibus arbore.* Pith.

6 *Et verus Domine.*] Contumelia eſt in verbo *Domine.* vocem enim illam exiſtimabant Romani *tyrannicam.* quocirca Auguſtus vetuit ne *dominus* appellaretur: & Domitianus cum ipſe tyrannus eſſet, ſe *dominum* & *deum* appellari juſſit. *Turneb.*

derer, attigi: illa autem quæ de usu ipso & modo jocandi complexus sum, adeo infirma, sed plane necessaria. [1] His adjicit Domitius Marsus, qui *de urbanitate* diligentissime scripsit, quædam non ridicula, sed cuilibet severissimæ orationi convenientia eleganter dicta, & proprio quodam lepôre jucunda: quæ sunt quidem *urbana* sed risum tamen non habent. Neque enim ei *de risu*, sed *de urbanitate* est opus institutum, quam proprium esse nostræ civitatis ait: & sero sic intelligi cœptam, [2] postquam *Urbis* appellationem, etiam si nomen proprium non adjiceretur, *Romam* tamen accipi sit receptum. Eamque sic finit, *Urbanitas est virtus quædam in breve dictum coacta, & apta ad delectandos movendosque homines in omnem affectum, maxime idonea ad resistendum, vel lacessendum, prout quæque res ac persona desiderat.* [3] Cui si brevitatis exceptionem detraxeris, omneis orationis virtutes complexa sit. Nam sic constat rebus & personis: & quod in utrisque oporteat dicere, perfectæ eloquentiæ est. Cur autem *brevem* eam esse voluerit, nescio quidem. At quam in eodem libro dicat fuisse, & in multis narrandi urbanitatem, paulo post ita finit Catonis (ut ait) opinionem sequutus, *Urbanus homo erit, cujus multa bene dicta responsaque erunt: & qui in sermonibus, circulis, conviviis, item in concionibus, omni denique loco ridicule commodeque dicet.* Risus erunt, quicunque hæc faciet orator. [4] Quas si recipimus fini-

1 *His adjicit Domitius.*] Præter superiora ridicula, quandam ponit Domitius Marsus *seriam urbanitatem*, quæ venustas est quædam & suavitas, qua oratio quoque gravis conditur: neque tamen usque quaque adstipulabitur Fab. Marso. *Idem.*

2 *Postquam Urbis appellationem.*] Quemadmodum *urbs* per antonomasiam significat *Romam*, ita quoque *urbanitas* proprie significat *lepiditatem sermonis urbis Romæ*, non aliorum oppidorum, ut *Atticismus* elegantiam sermonis Athenarum. *Idem.*

3 *Cui si brevitatis, &c.*] Male adjecit definitioni *brevitatis exceptionem*, cum præsertim urbanitas non solum in dicto brevi conspiciatur, sed interdum etiam in longa expositione. *Idem.*

4 *Quas si recipimus finitiones.*] Fabius Marsi definitionem, ut plura quam oporteret comprehendentem, reprehendit, aitque *urbanitatem* positam esse in libero orationis lepore ac suavi colore: aut si redigenda est ad brevitatem illam, ex genere ridiculorum esse, quæ tamen ridicula non sint. *Idem.*

finitiones, quicquid bene dicetur & urbane, *dicti* nomen accipiet. Cæterum illi qui hoc propoſuerat, conſentanea fuit illa diviſio, ut dictorum urbanorum alia *ſeria*, alia *jocoſa*, alia *media* faceret. Nam eadem eſt omnium bene dictorum. Verum mihi etiam jocoſa quædam videntur poſſe non ſatis urbane referri. Nam meo quidem judicio, illa eſt *urbanitas*, in qua nihil abſonum, nihil agreſte, nihil inconditum, nihil peregrinum, neque ſenſu, neque verbis, neque ore geſtuve poſsit deprehendi: ut non tam ſit in ſingulis dictis, quam in toto colore dicendi, qualis apud Græcos atticiſmos ille redolens Athenarum proprium ſaporem. Ne tamen judicium Marſi hominis eruditiſsimi ſubtraham, ſeria partitur in tria genera, *honorificum*, *contumelioſum*, *medium*. Et honorifici ponit exemplum Ciceronis quoque pro Ligario apud Cæſarem, [1] *Qui nihil ſoles obliviſci, niſi injurias.* Et contumelioſi, quod Attico ſcripſit de Pompejo & Cæſare, [2] *Habeo quem fugiam, quem ſequar non habeo.* Et medii, quod ἀποφθεγματικὸν vocat, & eſt cum ita dixit, *Neque gravem mortem accidere forti viro poſſe, neque immaturam conſulari, neque miſeram ſapienti.* Quæ omnia ſunt optime dicta: ſed cur proprie nomen *urbanitatis* accipiant, non video. Quod ſi non ſolum totus (ut mihi videtur) orationis color meretur, ſed etiam ſingulis dictis tribuendum eſt: illa potius *urbana* eſſe dixerim, quæ ſunt generis ejuſdem, quæ *ridicula* dicuntur, & tamen ridicula non ſunt: ut de Pollione Aſinio ſeriis jociſque pariter accomodato dictum eſt, [3] *Eſſe eum omnium*

1 *Qui nihil ſoles obliviſci, &c.*] Nihil honorificentius dici potuit. ſimul enim *memoriam ingeniumque Cæſaris* commendat, & *clementiam*, quæ duæ virtutes fuerunt in Cæſare præſtantiſſimæ, ut meminit Plin. lib. 7. *Idem.*

2 *Habeo quem fugiam.*] Vel ſignificat utrunque, *Cæſarem* & *Pompejum*, eſſe fugiendum, ut qui contenderent de ambitione principatus: vel ſignificat fugiendum *Cæſarem* ut patriæ hoſtem, neque protinus ſequendum *Pompejum*, cujus partibus diffidebat. Cic. hoc utitur lib. *Epiſt. ad Atticum* 8. Idem. *Habeo quem fugiam.*] In Catil orat. 4.

3 *Eſſe eum omnium horarum.*] Sic appellatur qui ſe his accommodat quibuſcum agit, atque inter remiſſos eſt *facetus*, inter ſeveros *ſerius*, facilitate quadam naturæ & proprietate. *Turneb. Eſſe eum omnium horarum.*] Vid. Aul. Gellium lib. 12. Noct. Attic. cap. 4. & Eraſmi Adagia.

5 *Inge-*

nium horarum. Et de actore facile dicente ex tempore, [1] *Ingenium eum in numerato habere.* Etiam Pompeji quod refert Marsus, in Ciceronem diffidentem ejus partibus, *Transi ad Cæsarem,* [2] *me timebis.* Erat enim, si de re minore aut alio animo, aut denique non ab ipso dictum fuisset, quod posset inter ridicula numerari. Etiam illud quod Cicero Cereliæ scripsit, reddens rationem cur illa C. Cæsaris tempora tam patienter toleraret: [3] *Hæc aut animo Catonis ferenda sunt, aut Ciceronis stomacho.* Stomachus enim ille habet aliquid joco simile. Hæc quæ movebant, dissimulanda mihi non fuerunt: in quibus ut erraverim, legentes tamen non decepi, indicata diversa opinione, quam sequi magis probantibus liberum est.

1 *Ingenium eum in numerato habere.*] Sic commendatur *extemporalis facultas.* ducta est *metaphora* à locupletibus viris, qui pecuniam habent præsentem, numeratam, atque in promptu: ut actor ille semper ad manum habebat quæ dicenda erant ex tempore. *Turneb.*

2 *Me timebis.*] Ideo hoc dicit Pompejus, quia assidue Ciceronis scommatibus incessebatur. Vide Macrob. *lib.* 2. *Saturn.* Idem.

3 *Hæc autem animo Catonis.*] Significat aut abrumpendam esse vitam, quo pacto *Cato Uticensis*, ne in Cæsaris manus veniret, mortem sibi conscivit: aut concoquenda hæc esse atque dissimulanda. *Metaphora* est ducta *à stomacho*, qui cibos plerunque acerbos & ingratos concoquit. *Idem.*

CAP. IV.

De altercatione.

Altercationis præcepta poterant videri tunc inchoanda, cum omnia quæ ad continuam orationem pertinent, 5
peregissem: nam est usus ejus ordine ultimus: sed cum sit posita in sola inventione, neque habere dispositionem possit, nec elocutionis ornamenta magnopere desideret, aut circa memoriam & pronunciationem laboret: prius quam secundam quinque partium, hanc quæ tota ex prima pendet,

RAtionem reddit quamobrem hoc loco *de altercatione* agat, quæ est concertatio quædam contentiosa more dialogi, quæ fieri solet ab utriusque partis patrono post perpetuam actionem. Fabius quoque *altercationes* scripserat, quas in suas manus venisse scribit Rodolphus. *Turneb.*

1 *De*

det, tractaturus non alieno loco videor: quam scriptores ideo fortasse alii reliquerunt, quia satis cæteris perceptis, in hac quoque videbatur esse profectum. Constat enim aut intentione, aut depulsione, [1] de quibus satis traditum est, quia quicquid in actione perpetua circa probationes utile est, [2] id & in hac brevi atque concisa prosit necesse est. Neque alia dicuntur in altercatione, sed aliter, aut interrogando, aut respondendo. [3] Cujus rei fere omnis observatio in illo testium loco excussa nobis est. Tamen quia latius hoc opus aggressi sumus, neque perfectus orator sine hac virtute dici potest, paululum impendamus huic quoque peculiaris operæ, quæ quidem in quibusdam caussis ad victoriam vel plurimum valet. [4] Nam ut in qualitate generali, in qua rectene factum quid, an contra sit, quæritur, perpetua dominatur oratio, & quæstionem finitionis actionis plerunque satis explicat, & omnia pene in quibus de facto constat, aut conjectura artificiali ratione colligitur: ita in iis caussis (quæ sunt frequentissimæ) quæ vel solis extra artem probationibus, vel mistis continentur, asperrima in hac parte dimicatio est, nec alibi dixeris [5] magis mucrone pugnari. Nam & firmissima quæque memoriæ judicis inculcanda sunt, & præstandum quicquid in actione promisimus, & refellenda mendacia. Nusquam est denique qui cognoscit, intentior. Nec immerito quidam, quanquam in dicendo mediocres, hac tamen altercandi præstantia meruerunt nomen *patronorum*. [6] At quidam litigatoribus suis

1 *De quibus.*] Lib. 3.

2 *Id & in hac brevi, &c.*] Ex hoc Fabii loco colligit Agricola illos errare, qui perpetuam orationem *rhetoribus* tribuant, concisam *dialecticis*. hac enim re non videntur discrepare, sed potius *ornatu* & *probabilitate*. Turneb.

3 *Cujus rei.*] Lib. 5. cap. 7.

4 *Nam ut in qualitate.*] In quæstione *qualitatis* & *finitionis altercatio* locum non habet, sed in quæstione *conjecturali*, quæ probationibus confirmatur inartificialibus. potest tamen accidere nonnunquam ut in illis quæstionibus *altercatione* sit opus, si oratio perpetua non satis exposuerit causam. *Turneb.*

5 *Magis mucrone pugnari.*] Liv. lib. 2. Cum pilis inter primam festinationem abjectis, magis quam emissis, pugna jam in manus, jam ad gladios, ubi Mars est atrocissimus, venerat. *Pith.*

6 *At quidam.*] Reprehendit quosdam sui temporis patronos, qui cum ad ostentationem causas dicerent, gloriam

ſuis illum modo ambitioſum declamandi ſudorem præſtitiſſe contenti, cum turba laudantium deſtituunt ſubſellia, pugnamque illam [1] decertatoriam imperitis [2] ac ſæpe [3] pullatæ turbæ relinquunt. Itaque videas alios plerunque judiciis privatis *ad actiones* vocari, alios *ad probationes*. Quæ ſi dividenda ſunt officia, hoc certe magis neceſſarium eſt: pudendumque dictu, ſi plus litigatoribus proſunt minores. [4] In publicis certe judiciis vox illa præconis, *præter patronos, ipſum qui egerit, citat*. Opus eſt igitur in primis ingenio veloci ac mobili, animo præſenti & acri. Non enim cogitandum, ſed dicendum ſtatim eſt, & prope ſub conatu adverſarii, [5] manus erigenda. Quare cum in omni parte hujuſce officii plurimum facit, totas non diligenter modo, ſed etiam familiariter noſſe cauſſas, tum *in altercatione* maxime neceſſarium eſt, omnium *perſonarum, inſtrumentorum, temporum, locorum habere notitiam*: alioqui & tacendum eſt ſæpe, & aliis ſubjicientibus, plerunque ſtudio loquendi fatue modo accedendum: quo nonnunquam accidit ut in noſtra credulitate, [6] aliena ſtudia erubeſcamus. Neque tantum hoc ipſis [7] monitoribus clareſcit: quidam faciunt aperte quod rixemur.

Videas

riam ferebant nonnullam perpetua oratione, *in altercationibus* vero imperiti erant. *Turneb.*

1 *Decertatoriam.*] In aliis legitur *decretoriam*, quæ lectio etiam probabilis eſt, quia *altercatio* maxime decernit de victoria. ſic appellantur à Plinio *decretoria ſidera*, quæ pollicentur aut copiam aut inopiam frugum. *Idem. Dercertatoriam.*] *Decretoriam.* Pith.

2 *Ac ſæpe pullatæ turbæ.*] Plin. lib. 7. Epiſt. ad Celerem: *Nam illos quoque ſordidos pullatoſque reveremur.* Pith.

3 *Pullatæ turbæ.*] *Pullatam* appellamus *turbam*, ipſos imperitos. vulgus enim Romæ olim dimiſſis togis *pullum* induerat *amictum*. hic tamen intelliguntur *pragmatici*: oratores enim erant *purpurati*. Turneb.

4 *In publicis.*] In publicis judiciis poſt peroratam utrinque cauſam præco ſolet patronos *ad altercationem vocare*: cumque plures ſint alicujus cauſæ patroni, tamen actorem cauſæ nominatim citat, ut illi videatur turpe ſi altercari non poſſit. *Idem.*

5 *Manus erigenda.*] *Metaphora* ducta eſt *à gladiatoribus*, qui ſimul atque adverſarius ictum minatur, manum ſolet erigere ad ſuſtinendum. *Idem.*

6 *Aliena ſtudia erubeſcamus.*] Cum *altercator* cauſam penitus perſpectam non habet, ſi quis *fautor* aut *pragmaticus*, benevolus quidem, ſed parum cauſæ gnarus, aliquid ſuggerat, fidem interdum habebit altercator. neque enim refragari volumus iis quos nobis eſſe benevolos ſcimus. *Idem.*

7 *Monitoribus.*] *Monitores* appellat *pragmaticos, formularios, & leguleios*, homines

Videas enim pleroſque ita percitos exclamantes, ut judex audiat contrarium id eſſe quod admoneatur, ſciatque ille qui pronuntiaturus eſt, in cauſſa malum quod tacetur. *Quare bonus altercator vitio iracundiæ careat.* Nullus enim rationi magis obſtat affectus, & fert extra cauſſam, & plerunque deformia convitia facere ac mereri cogit, & ipſos nonnunquam judices [1] incitat. *Melior moderatio, ac nonnunquam etiam patientia.* Neque enim refutanda tantum quæ è contrario dicuntur, ſed contemnenda, elevanda, ridenda ſunt: nec uſquam plus loci reperit *urbanitas:* odium mordet & pudor: contra turbantes audendum, impudentiæ fortiter reſiſtendum. Sunt enim quidam [2] præduri in hoc oris, ut obſtrepant ingenti clamore, & medios ſermones intercipiant, & omnia tumultu confundant: quos ut non imitari, ſic acriter propulſare oportebit: & ipſorum improbitas retundenda: & judices vel præſidentes magiſtratus appellandi frequenter, ut loquendi vices ſerventur. Nam eſt res animi jacentis, & mollis ſupra modum frontis, fallitque plerunque, quod *probitas* vocatur, quæ eſt imbecillitas. [3] Valet autem in altercatione plurimum *acumen:* quod ſine dubio ex arte non venit. *natura* enim *non docetur: arte tamen adjuvatur.* In qua præcipuum eſt ſemper id in oculis habere, de quo quæritur, & quod volumus efficere: quia propoſitum tenentes in rixam non ibimus: [4] nec cauſſæ debita tempora, convi-

homines peritos rationis & conſuetudinis forenſis, qui patronis & altercatoribus jus ſuggerunt. *Idem.*

1 *Incitat.*] *Inritat.* Paſſ.

2 *Præduri in hoc oris.*] Appellat *os præ durum* ſummam impudentiam & inverecundiam. Contrarium mox ſubnectet: nam *mollem* uſurpabit *frontem* pro reverentibus & verecundis: ratio eſt, quia in vultu & in fronte antiqui *pudorem* & *impudentiam*, poſuerunt. *Turnebus.*

3 *Valet autem.*] Quoniam in *altercatione* vel omnia dicuntur ex tempore, vel pleraque, perſpicacitate ingenii & acumine imprimis eſt opus, quæ virtus efficit ut momento argumenta & probationes excogitare poſſimus, aut argumentorum ſolutiones. hæc virtus ab Ariſtotelis interprete *ſolertia* vocatur, quæ eſt in prompta medii excogitatione, eamque requirit à demonſtratore. *Idem.*

4 *Nec cauſæ debita tempora, &c.*] Alludit ad id quod olim actoribus præſtituebatur certum ſpacium in cauſis agendis. ſic in *cauſa Miloniana* actori datæ ſunt *horæ duæ*, patrono vero *tres:* quod forte valebat etiam *in altercatione.* Idem.

1 *Inſpi-*

convitiando conteremus, gaudebimusque si hoc adversarius facit. Omnia tempora fere parata sunt meditatis diligenter quæ aut ex adverso dici, aut responderi à nobis possint. Nonnunquam tamen dici solet hoc quoque esse artis genus, ut quædam in actione dissimulata, subito in altercando proferantur: & [1] inopinatis eruptionibus, & ex insidiis citissimo facto simillimum. Id autem tum faciendum, cum est aliquid cui responderi non statim possit: potuerat autem, si tempus ad disponendum fuisset. Nam quod fideliter firmum est, à primis statim actionibus arripere optimum est, quo sæpius diutiusque dicatur. Illud vix saltem præcipiendum videtur, ne turbidus & clamosus tantum sit altercator, & quales fere sunt qui literas nesciunt. Nam improbitas licet adversario molesta sit, judici invisa est. *Nocet etiam diu pugnare in iis quæ obtinere non possis. Nam ubi vinci necesse est, expedit cedere*: quia sive plura sunt de quibus quæritur, facilior erit in cæteris fides: sive unum, mitior solet irrogari pœna verecundiæ. Nam culpam præsertim deprehensam pertinaciter tueri, culpa altera est. [2] Dum stat acies, multi in re consilii atque artis est, ut errantem adversarium trahas, & ire quam longissime cogas, ut vana interim spe exultet. Ideo quædam bene dissimulantur instrumenta. Instant enim, [3] & sæpe discrimen omne committunt, quod deesse nobis putant, & faciunt probationibus nostris auctoritatem postulando. Expedit etiam dare aliquid adversario, quod pro se putet: quod apprehendens, majus aliquid cogatur dimittere. Duas interim res proponere, quarum utramlibet male sit electurus: quod in altercatione

1 *Inopinatis eruptionibus.*] *Metaphora* ducta est *ab oppidanis obsessis*, qui nonnunquam manu facta ex oppido erumpunt, hostesque inopinantes adoriuntur. *Idem.*

2 *Dum stat acies.*] *Metaphora* est ducta *à re militari*, cum utrinque acerrime decertatur, victoria neutram in partem inclinante. *Idem.*

3 *Et sæpe discrimen omne.*] Sic appellat *rem totam in summum periculum adducere*: ut cum dicit adversarius sese non recusare quin ipse causa cadat, si tu proferre aliquod instrumentum possis. *Idem.*

catione fit potentius, quam in actione: quia in illa nobis ipsi respondemus, in hac adversarium quasi confessum tenemus. Est in primis acuti, videre quo judex dicto moveatur, quid respuat: quod ex vultu sæpissime, & aliquando etiam dicto aliquo factove ejus deprehenditur. Et instare proficientibus: & ab iis quæ non adjuvant, quam mollissime pedem oportet referre. Faciunt hoc medici quoque, ut remedia perinde perseverent adhibere, vel desinant, ut illa recipi vel respui vident. [1] Nonnunquam si rem evolvere propositam facile non sit, inferenda est alia quæstio: atque in eam, si fieri potest, judex avocandus. Quid enim cum respondere non possis, agendum est, nisi ut aliud invenias, cui aversarius respondere non possit? In plerisque judex est avocandus, ut dixi, [2] qui circa testes est locus, & personis modo distat, quod hîc patronorum inter se certamen, illic pugna inter testem & patronum. Exercitatio vero hujus rei longe facilior. Nam est utilissimum, frequenter cum aliquo qui sit studiorum eorundem, sumere materiam vel veræ vel etiam fictæ controversiæ, & diversas partes altercationis modo tueri: quod idem etiam in simplici genere quæstionum fieri potest. Ne illud quidem ignorare advocatum volo, quo quæque ordine probatio sit apud judices proferenda: cujus rei eadem in argumentis ratio est, ut potentissima prima & summa ponantur. Illa enim ad credendum præparant judicem, hæc ad pronunciandum.

1 *Nonnunquam si rem.*] Hæc est solutio de qua sæpenumero diximus, quæ fit *per compensationem*, cum aliquid non solvimus, sed aliud objicimus. *Idem.*

2 *Qui circa testes est locus.*] Nam docuit lib. 5. *cap. de testimoniis*, sæpenumero testem esse extra causam avocandum. *Idem.*

Cap. V.

De judicio & consilio.

6 His pro nostra facultate tractatis, non dubitassem transire protinus ad *dispositionem*, quæ ordine ipso sequitur: nisi

Eloquentia maxime pendet à *prudentia*, cujus partes sunt *judicium & consilium*: quæ quanquam finitima sunt, hoc tamen differunt, quod *judicium* est in

nisi vererer, ne quoniam fuerunt qui *judicium inventioni* subjungerent, præteriisse hunc locum quibusdam viderer, qui mea quidem opinione adeo partibus operis hujus omnibus connexus ac mistus est, ut ne à sententiis quidem aut verbis saltem singulis possit separari: [1] nec magis arte traditur, quam gustus aut odor. Ideoque nos quid in quaque re sequendum cavendumque sit, docebimus, ut ad ea judicium dirigatur. *Præcipuum* igitur, *ne quod effici non potest, aggrediamur*: ut contraria vitemus, & communia: ne quid in eloquendo corruptum obscurumque sit: referatur oportet ad sensus, qui non docentur. Nec multum à *judicio* credo distare *consilium*, nisi quod illud ostendentibus se rebus adhibetur, hoc latentibus, & aut omnino nondum repertis, aut dubiis: & quod *judicium* frequentissime certum est: *consilium* vero est ratio quædam alte petita, & plerunque plura perpendens & comparans, habensque in se & inventionem, & judicationem. [2] Sed ne hæc quidem præcepta in universum spectanda sunt: nam ex re sumitur, cui locus ante actionem est frequenter. Nam Cicero summo consilio videtur [3] in Verrem vel contrahere tempora dicendi maluisse, quam in eum annum, quo erat Quin. Hortensius consul futurus, incidere. Et in ipsis actionibus primum ac potentissimum obtinet locum. nam quid dicendum, quid tacendum, quid diffitendum sit, exigere, consilii est: negare sit satius, an defendere: ubi procœmio utendum, & quali: narrandumne & quomodo: jure prius pugnandum, an

in rebus inventu facilioribus, & quasi se ostendentibus: *consilium in* occultis, retrusioribus, & dubiis. De quo vide Cic. *in Orat. ad Brutum.* & Eras. *in Eccles. lib.* 1. Turneb.

1 *Nec magis arte traditur, &c.*] Judicium certe pendet à naturali oratoris ingenio, & à rerum personarumque circunstantiis. *Idem.*

2 *Sed ne hæc quidem.*] Significat *in consilio* & *judicio* non satis esse universales præceptiones, cum subinde pro ratione circunstantiarum varientur. *Idem.*

3 *In Verrem vel contrahere tempora.*] Agebat *Verres* omni ratione, ut causa differretur usque post Calendas Januarias, cum jam *Hortensius* Verris patronus magistratum iniisset. quod cum intelligeret Cicero, perpetuam orationem omisit, & *altercatione* duntaxat uti voluit. *Idem.*

an æquo: quid sit ordo utilissimus: tum omnes colores, aspere an leniter, an etiam submisse loqui expediat. Sed hæc quoque ut quisque passus est locus, monuimus: idemque in reliqua parte faciemus. pauca tamen exempli gratia ponam: quibus manifestius appareat quid sit quod demonstrari posse præceptis non arbitror. Laudatur consilium Demosthenis, quod cum suaderet bellum Athenienſibus parum id prospere expertis, nihil adhuc factum esse ratione monstrat: poterat enim emendari negligentia. At si nihil esset erratum, melioris in posterum spei non erat ratio. [1] Idem cum offensam vereretur si objurgaret populi segnitiem: in asserenda libertate reipublicæ, majorum laude uti maluit, qui eam fortissime administrassent. Nam & faciles habuit aures, & natura sequebatur ut meliora probanteis pejorum pœniteret. Ciceronis quidem vel una pro Cluentio quamlibet multis exemplis suffecerit oratio. Nam quod in eo consilium maxime mirer? *primamne expositionem, quæ matri, cujus filium premebat auctoritas, abstulit fidem? an quod idem corrupti judicii crimen transferre in adversarium maluit quam negare propter inveteratam (ut ipse dicit) infamiam? An quod in re invidiosa, legis auxilio novissime est usus?* quo genere defensionis etiam offendisset nondum præmollitas judicum mentes: an quod seipsum invito Cluentio facere testatus est? Quid pro Milone? *quod non ante narravit, quam præjudiciis omnibus reum liberaret? quod insidiarum invidiam in Clodium vertit?* quanquam re vera fuerat pugna fortuita: quod factum & laudavit: *&* tamen *voluntatem Milonis removit? quod illi preces non dedit, & in earum locum ipse succesit?* Infinitum est enumerare, ut *Cottæ detraxerit auctoritatem:* ut *pro Ligario se oppoſuerit: Cornelium* [2] *ipsa confeßionis fiducia eripuerit.* Illud dicere satis habeo, *nihil esse* non modo in orando, sed

in

1 *Idem cum offensam.*] Hæc sumpta sunt ex Dionysio Halicarnasseo cap. *de figuratis causis.* Idem.

2 *Ipsa confessionis fiducia.*] Nam confessus est *Cornelium* in concione codicem legisse, non ut legem perferret, sed ut recognosceret. *Idem.*

Totus

in omni vita, prius consilio: frustraque sine eo tradi cæteras artes, plusque vel sine doctrina prudentiam, quam sine prudentia facere doctrinam. Aptare etiam orationem locis, temporibus, personis, esse ejusdem virtutis. Sed hîc quia latius fusus est locus, mistusque cum elocutione, tractabitur cum præcipere de apte dicendo cœperimus.

M. Fab. Quintiliani De Institutione Oratoria Liber Septimus.

Præfatio de dispositionis utilitate.

1 DE inventione (ut arbitror) satis dictum est. Neque enim ea demum quæ ad docendum pertinent, executi sumus, [1] verumetiam motus animorum tractavimus. [2] Sed ut opera extruentibus satis non est, saxa atque materiam, & cætera ædificanti utilia congerere, nisi disponendis iis collocandisque artificum manus adhibeatur: sic in dicendo qualibet abundans rerum copia cumulum tantum habeat atque congestum, nisi illas easdem [3] *dispositio* in ordinem digestas, atque inter se commissas devinxerit. Nec immerito secunda quinque partium posita est, cum sine ea prior nihil valeat. Neque enim, quanquam fusis omnibus membris, statua sit, nisi collocetur: & si quam in corporibus nostris aliorumve animalium partem permutes atque transferas, licet habeat eadem omnia,

TOtus hic liber attribuitur *dispositioni:* cum tamen lib. 3. de generis *demonstrativi* & *deliberativi* dispositione dixerit, hoc libro agit de dispositione generis *judicialis*, docetque quis esse debeat ordo *propositionum, quæstionum,* & *capitum*, sed cum unusquisque status proprios habeat locos & propria capita, idcirco de singulis statibus fuit agendum. *Turneb.* Quædam capitis præscriptio de divisione seu *parenthiresi*, quod verbum exponitur à Turnebo l. 12. c. 11. Attamen in textu Quintiliani non potuit reperire. Pro hoc 7. lib. vide Sulpitii institutiones.

1 *Verumetiam motus animorum.*] Atque ita Ciceronem est sequutus Fabius, qui *inventionem* in duas partes divisit, *fidem* & *motum.* Turneb.

2 *Sed ut opera, &c.*] Similitudo est ducta ab *architectura:* cæterum ita est accipiendum, *inventionem* esse quasi vice materiæ, *dispositionem* vice formæ: *materia* per se est indigesta, sed à *forma* expolitur. *Idem.*

3 *Dispositio in ordinem.*] Varro lib. 11. de Ling. Lat. Ut olitor differit in areas sui cujusque generis res; sic in oratione facit disertus. L. Columella lib. 7. de Villica. Quis dubitet nihil esse pulchrius in omni ratione vitæ, dispositione atque ordine. Quod etiam ludicris spectaculis licet sepes cognoscere, &c. *Pithœus.*

1 *Nec*

nia, prodigium sit tamen. Et artus etiam leviter loco moti, perdunt quo viguerunt usum: & turbati exercitus sibi ipsi sunt impedimento. [1] Nec mihi videntur errare, qui ipsam rerum naturam stare ordine putant: quo confuso, peritura sint omnia. Sic oratio carens hac virtute tumultuetur necesse est, & sine rectore fluitet, nec cohæreat sibi: multa repetat, multa transeat, velut nocte in ignotis locis errans: nec initio nec fine proposito, casum potius quam consilium sequatur. Quapropter totus hic liber serviat *dispositioni*, [2] quæ quidem si certa aliqua via tradi in omnes materias ullo modo posset, non tam paucis contigisset. Sed cum infinitæ litium formæ fuerint, futuræque sint, & tot seculis nulla reperta sit caussa quæ esset tota alteri similis, sapiat oportet actor, & vigilet, & inveniat, & judicet, & consilium à seipso petat. Neque inficias eo quædam esse quæ demonstrari possint, eaque non omittam.

1 *Nec mihi videntur errare.*] Ajunt plerique philosophi, omnia olim conturbata & confusa fuisse in *chao*, postea in ordinem digesta, pulcherrimam hanc orbis descriptionem effeciſſe, ajuntque futurum ut aliquando in eandem molem omnia rursus confundantur. Plato quoque *in Timæo*, omnia in orbe summo ordine distributa à Deo describit. *Turneb.*

2 *Quæ quidem si certa, &c.*] Colligit ex hoc loco Rodolphus, Fabium existimasse *dispositionis* præcepta non posse tradi, cum alia atque alia *dispositio* debeat esse, pro varietate litis. hunc tamen locum aliter accipiemus, ut existimet Fab. posse universales & generales tradi *dispositionis* præceptiones, neque tamen eas satis esse, sed quandam petendam *dispositionem* à litis proprietate, ut de *argumentis* quoque diximus. *Idem.*

CAP. I.

De *dispositione facienda.*

SIT igitur (ut supra significavi) *divisio, rerum plurium in singulas partitio, singularum in partes, discretus ordo*, & recta quædam locatio prioribus sequentia annectens, dispositio, 2

PRimum generalia quædam præcepta de *quæstionum* ac *propositionum dispositione* ponit, deinde quo pacto in singulis statibus disponi debeant explicat. Cæterum de divisione hoc loco agit, quoniam illa totius orationis *dispositionem* ostendit. Rodolphus Agricola id ita videtur accipere, quia *de divisione* capitum in statibus sit acturus. *Turneb.*

sitio, utilis rerum ac partium in locos distributio. Sed meminerimus ipsam *dispositionem* plerunque utilitate mutari, nec eandem semper primam quæstionem ex utraque parte tractandam. Cujus rei ut cætera exempla prætéream, Demosthenes quoque atque Æschines possunt esse documento, in judicio Ctesiphontis diversum secuti ordinem, [1] cum accusator à jure, quo videbatur potentior, cœperit: patronus omnia vel pene omnia ante jus posuerit, quibus judicem quæstioni legum præpararet. [2] Aliud enim alio docere prius expedit: alioqui semper petitoris arbitrio diceretur: [3] denique in accusatione mutua, ut se uterque defendat, priusquam adversarium arguat, omnium rerum necesse est ordinem esse diversum. Igitur quid ego sim secutus quod partim præceptis, partim usurpatum ratione cognoveram, promam: nec unquam dissimulavi. [4] Erat mihi curæ in controversiis forensibus, nosse omnia quæ in caussa versarentur. Nam in schola certa sunt, & pauca, & ante declamationem exponuntur, quæ ὑποθέσεις Græci vocant, Cicero *propositа*. Cum hæc in conspectu quodammodo collocaveram, non minus pro adversa parte quam pro mea cogitabam. Et primum (quod non difficile dictu est, sed tamen ante omnia intuendum) constituebam, [5] quid utraque pars vellet

1 *Cum accusator à jure, &c.*] Initio Æschines has duas leges tractat, neminem *coronandum* esse nisi rationes reddiderit: *coronamque* dandam vel *in concione* vel *in curia*, non autem *in theatro*, ut fecit Ctesiphon: demum *de vita Demosthenis* dixit. *Demosthenes* autem primum de rebus à se gestis, deinde de jure. *Idem.*

2 *Aliud enim alio docere.*] In aliis sic legitur, *Aliud enim alii docere prius expedit*, ut sit sensus, aliquid utile esse *petitori* si primo loco ponatur, aliud *defensori*. Idem.

3 *Denique in accusatione mutua.*] In *anticategorica*, id est, recriminatione & mutua accusatione, contraria est utriusque partis *dispositio*: ut si objicias mihi *homicidium*, ego tibi *sacrilegium*, prius ego dicam *de homicidio* ut me purgem, tu prius *de sacrilegio*. Idem.

4 *Erat mihi curæ, &c.*] Cum *dispositio* tota pendeat ab ipso statu ac utriusque partis firmamentis & adjumentis, idcirco hac de re tractat Fabius, ut inde *disponendi rationem* eruat. *Idem.*

5 *Quid utraque pars vellet efficere.*] Prius illud refertur ad id quod adversarius obtinere vult, ut Cic. vult obtinere, *jure cæsum Clodium*: posterius ad firmamenta & adjumenta refertur, quibus probamus quod efficere volumus: ut *Cicero docet insidiatorem esse Clodium*. Idem.

1 *Ubi*

vellet efficere, tum per quid, hoc modo. Cogitabam quid primum *petitor* diceret. Id aut *confessum* erat, aut *controversum*. Si confessum, non poterat ibi esse quæstio. Transibam ergo *ad responsum* partis alterius, idem intuebar: nonnunquam etiam quod inde obtinebatur, confessum erat. [1]Ubi primum cœperat non convenire, quæstio oriebatur. Id tale est, *Occidisti hominem, occidi:* convenit: transeo. Rationem reddere debet reus *quare occiderit. Adulterum*, inquit, *cum adultera occidere licet*, legem esse certum est. Tertium jam aliquid videndum est, in quo pugna consistat. *Non fuerunt adulteri: fuerunt*, quæstio. de facto ambigitur, conjectura est. [2] Interim vero & tertium confessum est, *adulteros fuisse, sed tibi*, inquit accusator, *illos non licuit occidere:* [3] exul enim eras, & ignominiosus de jure quæritur. At protinus dicenti, *occidisti:* respondeatur, *non occidi*: statim pugna est. Sic explorandum est ubi controversia incipiat, & considerari debet quæ primam quæstionem facit. [4] Intentio simplex, *Occidit Saturninum Rabirius:* conjuncta, Lege de sicariis commisit L. Varenus. *Nam C. Varenum occidendo, & Cn. vulnerando, & Salarium item occidendo, cadit.* Nam sic [5] diversæ propositiones erunt: quod idem [6] de petitionibus dictum sit. Verum ex conjuncta propositione plures esse quæstiones ac status possunt, si aliud negat reus, aliud defendit, aliud jure actionis excludit. In quo genere agenti est dispicien-

1 *Ubi primum cœperat.*] Habendum est in memoria quod diximus *libro tertio*, à Fabio *statum* non poni in illa prima quæstiuncula, sed in summa judicatione: quanquam cæteri rhetores *statum* ponunt in prima quæstione. *Idem.*

2 *Interim.*] Alii, *Interdum.*

3 *Exul enim eras.*] *Exul* enim cui interdictum est aqua & igni, amittit civitatem & civitatis jura: *ignominiosus* quoque multa jura amittit. oritur igitur status legalis, *an lex Julia, quæ concedit ut adulter cum adultera occidatur, id permittat ignominioso & exuli.* Turneb.

4 *Intentio simplex.*] Ista huc pertinent, ut doceat quam *dispositionem* sequi debeat accusator in *simplici* intentione & *conjuncta*. cumque *intentioni* aliquid opponat defensor, ostendet Fab. quæ dispositio sit in defensione *simplici*, aut in defensione *conjuncta*. Idem.

5 *Diversæ propositiones erunt.*] Hoc capite *propositiones* accipere debemus pro accusatoris objectionibus & intentionibus quæ proponuntur, ut apparet ex sequentibus, cum ait, *ubi multa contra unam propositionem dicimus, &c.* Idem.

6 *De petitionibus.*] Sunt autem *petitiones* in causis privatis, *accusationes* in publicis. *Idem.*

ſpiciendum, quid quoque loco diluat. Quod pertinet ad actorem, non plane diſſentio à Celſo, qui ſine dubio Ciceronem eſt ſecutus. [1] Inſtat tamen huic parti vehementius, ut putet primo firmum aliquid eſſe ponendum, ſummo firmiſſimum, imbecilliora medio: quia & initio movendus ſit judex, & ſummo impellendus. At pro reo plerunque graviſſimum quicque primum movendum eſt, ne illud ſpectans judex reliquorum defenſioni ſit averſior. Interim tamen & hoc mutabitur, ſi leviora illa palam falſa erunt, graviſſimi defenſio difficilior: ut detracta prius accuſatoribus fide, aggrediamur ultimum, jam judicibus omnia vana eſſe credentibus. Opus erit tamen præfatione, qua & ratio reddatur dilati criminis, & promittatur defenſio: ne id quod non ſtatim diluemus, timere videamur. Anteactæ vitæ crimina plerunque prima purganda ſunt, ut id de quo laturus eſt ſententiam judex, audire propitius incipiat. Sed hoc quoque pro Vareno [2] Cicero in ultimum diſtulit: non quid frequentiſſime, ſed quid tum expediret, intuitus. [3] Cum ſimplex intentio eſt, videndum eſt an unum aliquid reſpondeamus, an plura. Si unum, *in re* quæſtionem inſtituamus, an *in ſcripto*. *Si in re*: [4] negandum ſit quod objicitur, an tuendum. *Si in ſcripto*, in qua ſpecie juris pugna ſit, & in ea de verbis, an voluntate quæratur. Id ita conſequemur, ſi intuiti fuerimus quæ ſit lex quæ litem faciat: hoc eſt, qua judicium ſit conſtitutum. Nam quædam in ſcholaſticis ponuntur ad conjungendam modo actæ rei ſeriem: ut, *Pater expoſitum qui agnoverit, ſolutis alimentis recipiat. Minus dicto audientem filium liceat abdicare.* Qui expoſitum recepit, imperat ei nuptias locupletis

1 *Inſtat tamen huic.*] Cornelius Celſus in hoc *diſpoſitionis* præcepto erravit. putavit enim hanc diſponendi rationem utilem eſſe non ſolum *accuſatori*, ſed etiam *defenſori*. Fabius *accuſatori* utilem putat. *Idem.*

2 *Cicero.*] Ut pro Murena.

3 *Cum ſimplex intentio eſt.*] Nunc Fab. docet, quid agere debeat *defenſor* ut optime *diſponat*. nam quæ antea *de defenſore* dixit, huc pertinebant ut refutaretur Celſi opinio. *Idem.*

4 *Negandum ſit quod objicitur, &c.*] Prius illud membrum duos complectitur ſtatus, *conjecturam* & *finitionem*. nam *in finitione* quoque negamus hoc eſſe factum. ſic uſurpat Fab. *lib.* 5. Idem.

cupletis propinqui: ille ducere vult filiam pauperis educatoris. [1] Lex de expositis ad affectum pertinet, judicium pendet ex lege abdicationis. Nec tamen semper ex una lege quæstio est, ut in ἀντινομίᾳ. His spectatis apparebit circa quæ pugna sit. Conjuncta defensio est, qualis pro Rabirio, [2] *Si occidisset, recte feciſſet, sed non occidit.* Ubi vero multa contra unam propositionem dicimus, cogitandum est primum quicquid dici potest: tum ex his quo quicque loco dici expediat, ordinandum. In quo non idem sentio quod de propositionibus paulo ante, quodque de argumentis probationum loco concessi, aliquando nos incipere à firmioribus. Nam vis quæstionum semper crescere debet, & ad potentissima ab infirmissimis pervenire, sive sunt ejusdem generis, sive diversi. [3] Juris autem quæstiones solent esse nonnunquam ex aliis atque aliis conflictationibus: facti semper idem spectant, in utroque genere similis ordo est. Sed prius de dissimilibus, ex quibus infirmissimum quicque primum tractari oportet. Ideoque quasdam quæstiones executi donare solemus, & concedere. Neque enim transire ad alias possumus, nisi omissis prioribus. Quod ipsum ita fieri oportet, non ut damnasse eas videamur, sed omisisse, quia possimus etiam sine eis vincere. Procurator alicujus pecuniam petit ex fœnore hæreditario: potest incidere quæstio, an huic esse procuratorem liceat. Finge, nos postquam tractavimus, remittere, vel etiam convinci: quæretur, an ei cujus nomine litigatur procuratorem habendi sit jus. Discedamus

1 *Lex de expositis, &c.*] Lex prior nihil attinet ad judicii constitutionem, duntaxat utrique parti est utilis ad affectum. nam pater dicet *se expositum recepisse*, filius dum expositus fuerit, *se à paupere educatum fuisse*. hinc *affectus* erit. *Idem.*

2 *Si occidisset, &c.*] Est *antiparastasis* & *enstasis*, in quibus servanda est hæc dispositio, ut *antiparastasis*, quæ infirmior est, prior collocetur: *enstasis*, quæ firmior, posterior. Hermog. tamen *lib. 3. de Inventione*, nunc priorem *enstasim*, nunc posteriorem collocandam putat. *Idem.*

3 *Juris autem quæstiones.*] Juris quæstiones appellat *quæstiones legales*, in quibus etiam complectitur *translationem*. variæ sunt autem quæstiones illæ, atque alio & alio causam deflectunt, ac nonnunquam intentionem eludunt, quod non fit in *quæstionibus facti*. nam inter se conspirant, & eodem tendunt. *Idem.*

damus hinc quoque, recepit materia quæstionem, an ille cujus nomine agitur, hæres sit fœneratoris, an [1] ex asse hæres. Hæc quoque concessa sint, quæretur an debeatur. Contra, nemo tam demens fuerit, ut id quod firmissimum duxerit se habere, remittat, & ad leviora transcendat. Huic in schola simile est, Non abdicabis adoptatum. ut hunc quoque, non virum fortem: ut & fortem, non quicunque voluntati tuæ non paruerit: & ut in alia omnia subjectus sit, non propter opinionem: & ut propter opinionem, non propter talem opinionem. Hæc juris quæstionum differentia est. In factis autem ad idem tendentia sunt plura: ex quibus aliqua citra summam quæstionem remitti solent: ut si is cum quo furti agitur, dicat, *Proba te habuisse, proba perdidisse, proba furto perdidisse, proba mea fraude.* Priora enim remitti possunt: ultimum non potest. [2] Solebam & hoc facere præcipue, ut vel ab ultima specie (nam ea fere est quæ continet causam) retrorsum quærerem usque ad primam generalem quæstionem, vel à genere ad extremam speciem descenderem, etiam in suasoriis: ut deliberat *Numa, an regnum offerentibus Romanis recipiat.* Primum id est genus, *an regnandum, an in civitate aliena, an Romæ, an laturi sint Romani talem regem.* Similiter & in controversiis. *Optet enim vir fortis alienam uxorem.* Ultima species est, *an optare possit alienam uxorem.* Generale est, *an quicquid optaverit, accipere debeat:* inde an ex privato, an nuptias, an maritum habentem. [3] Sed hoc non quemadmodum dicitur, ita & quæritur.

Primum

1 *Ex asse hæres.*] Solent appellare jurisconsulti *assem*, totam hæreditatem, quoniam illa more assis in duodecim partes dividitur. si igitur non esset *ex asse hæres* ille à quo petitur, eludere petitionem posset, quod non huic, sed aliis hæredibus solvere deberet fœnus. *Idem.*

2 *Solebam & hoc facere.*] Quoniam sæpenumero solent oratores *hypothesin* revocare *ad thesin*, scire oportet quo id pacto sit faciendum, tum quomodo omnes illæ quæstiones sint disponendæ. huc pertinent ea quæ à Rodolpho scribuntur *lib. 2. de multiplicatione unius quæstionis in plures.* Idem.

3 *Sed hoc non.*] In oratione non eodem modo disponuntur *quæstiones*, ut in investigando solent nobis occurrere. occurrit enim fere prima *hypothesis*, quæ causam continet: at illa ultimo loco collocanda est, præpositis minoribus quæstionibus. *Idem.*

1 *Ideo-*

Primum enim occurrit fere, quod est ultimum dicendum, ut hoc, *Non debes alienam uxorem optare.* [1] Ideoque divisionem perdit festinatio. *Non oportet igitur offerentibus se contentum esse:* quæratur aliquid quod est ultra, *si ne viduam quidem:* adhuc plus, *si nihil ex privato:* ultimum retrorsum, quod idem à capite primum est, *si nihil iniquum.* Itaque propositione visa, quod est facillimum, cogitemus si fieri potest, quid naturale sit primum responderi. Id si tanquam res agatur, & nobis ipsis respondendi necessitas sit, intueri voluerimus, occurrit. Si id non contigerit, seponamus id quod primum se obtulerit & ipsi nobiscum sic loquamur: Quid si hoc non esset? id iterum & tertium, & dum nihil sit reliqui. Ita inferiora quoque scrutabimur, quæ tractata faciliorem nobis judicem in summa quæstione facient. Non dissimile huic est & illud præceptum, ut à communibus ad propria veniamus. Fere enim communia generalia sunt. Commune est, *tyrannum occidit:* proprium, [2] *Viriatum tyrannum occidit, mulier occidit, uxor occidit.* [3] Solebam & excerpere quid mihi cum adversario conveniret, si modo id pro me erat: nec solum premere confessionem, sed partiendo multiplicare: ut in illa controversia, *Dux qui competitorem patrem in suffragiis vicerat, captus est:* Euntes ad redimendum eum legati, obvium habuerunt patrem revertentem ab hostibus. *is legatis dixit, Sero itis. Excusserunt illi patrem, & au-*

rum

1 *Ideoque divisionem.*] Quando festinamus, *hypothesis* quæ causam continet, sola se nobis offert, reliquæ autem quæstiones quæ ab illa pendent ac minores sunt à nobis non videntur: unde *divisione* uti non possumus. *Idem.*

2 *Viriatum tyrannum.*] In aliis codicibus legitur, *Virum tamen tyrannum,* quæ lectio forte est probabilior, ut alludat ad historiam. nam *Thebe* Alexandrum Pheræorum tyrannum maritum suum interfecit. nec obesse debet quod nomen sit *generale:* solent enim plerunque declamatores *generalibus* uti nominibus loco propriorum. & alioqui si *Viriatum* legas, non satis quadrat exemplum. Fuit enim *Viriatus* latro Lusitanus, qui exercitum coëgit, totamque Lusitaniam populatus est, demum à Romanis superatus. *Idem.*

3 *Solebam & excerpere.*] Hæc est species divisionis quæ *sejunctio* dicitur à Trapezuntio, cum ostendimus in quo nobis conveniat cum adversario, in quo non conveniat. Cæterum hoc præceptum partim *inventionis est*, partim *dispositionis*, cujus species est *divisio.* Idem.

1 *Solebam*

rum in sinu ejus invenerunt: ipsi perseverarunt ire quo intenderant: invenerunt ducem crucifixum, cujus vox fuit, *Cavete proditorem. Reus est pater. Quæ conveniunt?* Proditio nobis prodita est & prodita à duce, quærimus proditorem. *te iisse ad hostes fateris, & iisse clam, & ab his incolumem rediisse, aurum retulisse, & aurum occultum habuisse.* Nam quod fecit, id nonnunquam potentius fit in propositione: quæ si animos occuparit, prope aures ipsi defensioni præcluduntur. In totum autem congregatio criminum accusantem adjuvat, separatio defendentem. [1] Solebam id quod fieri & in argumentis dixi, in tota facere materia, ut propositis extra quæ nihil esset omnibus, deinde cæteris remotis, solum id superesset quod credi volebam, ut in prævaricationum criminibus, ut absolvatur reus, aut innocentia ipsius fit, aut interveniente aliqua potestate, aut vi, aut corrupto judicio, aut difficultate probationis, aut prævaricatione. Nocentem fuisse confiteris, nulla potestas obstitit, nulla vis, corruptum judicium non quereris, nulla probandi difficultas fuit: quid supereſt, nisi ut prævaricatio fuerit? [2] Si omnia amoliri non poteram, tamen plura amoliebar. *Hominem occisum esse constat*, non in solitudine, ut à latronibus suspicer: non prædæ gratia, *quia inspoliatus est:* non hæreditatis spe, *quia pauper fuit.* odium igitur in causa, quis inimicus? [3] Quæ res autem faciliorem divisioni viam præstat, eadem inventioni quoque, excutere quicquid dicitur, [4] potest, & velut

1 *Solebam id quod.*] Quemadmodum in argumentis aliquando ratiocinamur *per remotionem*, ut docuit Fab. *lib.* 5. ita quoque argumentamur in tota causa, & capita omnia occupamus quibus se tueri potuisset adversarius, *eaque removemus & refellimus.* hoc quoque præceptum partim *inventionis* est, partim *dispositionis.* Idem.

2 *Si omnia amoliri.*] Fab. tamen l. 5. ait periculosum hoc esse genus, si quid omittatur, cum risu res tota solvitur: hic tamen aliquid omitti posse *in remotione* innuit. *Idem.*

3 *Quæ res autem.*] Superiorem illam rationem qua *divisionem* investigabamus, ait etiam prodesse *inventioni*, quia sensim excutiendo aliud atque aliud, tandem inveninus quod est utilissimum nobis. cæterum *rejectionem facere* dixit per metaphoram, nam postquam prætor judices erat sortitus, utrique permittebatur parti quos vellet *judices rejicere.* Idem.

4 *Potest.*] Dan. *Prodest.*

1 *Multis*

velut rejectione facta ad optimum pervenire. Accusatur Milo quod Clodium occiderit: *aut fecit, aut non.* Optimum erat *negare*: si non potest, *occidit*: ergo *aut jure, aut injuria.* Utique *jure*: aut *voluntate* igitur, aut *necessitate.* Nam ignorantia prætendi non potest. *Voluntas* anceps est. Sed quia ita id homines putant, adjungenda defensio, ut id *pro Repub. fuerit. Necessitate*, subita igitur pugna, non præparata, *alter igitur insidiatus est.* Uter profecto Clodius. Videsne ut ipsa rerum necessitas deducat ad defensionem? Adhuc, *Aut utique voluit occidere insidiatorem Clodium, aut non. Tutius si noluit. Fecerunt ergo servi Milonis, neque jubente neque sciente Milone.* At hæc tam timida defensio detrahit auctoritatem illi, qua recte dicebamus occisum. Adjicitur, *Quod suos quisque servos in tali re facere voluisset.* Hoc eo est utilius, quod sæpe nihil placet, & aliquid dicendum est. Intueamur ergo omnia: ita apparebit aut id quod optimum est, aut id quod minime malum. Propositione aliquando adversarii utendum: & esse nonnunquam communem eam suo loco dictum est. [1] Multis millibus versuum scio apud quosdam esse quæsitum, quomodo inveniremus utra pars deberet prior dicere: quod in foro vel [2] atrocitate formularum, vel modo petitionum, vel novissime sorte dijudicatur. In schola quæri nihil attinet, cum in declamationibus iisdem narrare, & contradictiones solvere, [3] tam ab actore quam à defensore concessum sit. Sed in plurimis controversiis ne inveniri quidem potest: ut in illa, *Qui tres liberos habebat, oratorem, philoso-*

1 *Multis millibus versuum.*] Hoc enim quadantenus ad *dispositionem* pertinet, ut scias utra pars prior dicere debeat: quoniam alia est *dispositio* capitum & *divisio* ipsius actoris, alia defensoris. *Turneb.*

2 *Atrocitate formularum.*] *Formulæ* olim apud Romanos erant certæ verborum conceptiones in actionibus, à quibus si quis vel una syllaba desciviſſet, *causa cecidisset & formula.* has formulas in codice sustulit *Justinianus.* Idem.

3 *Tam ab actore quam à defensore.*] Cum *actor* ita narravit ut expedit defensori, *defensor* expositionibus debet supersedere. præterea in causis forensibus *actor* primis actionibus contradictiones solvere non potest, quia ab adversario nihil est adhuc dictum, contra *defensor* potest. ita aliquid in orationis dispositione immutatur, nihil tamen *in declamatione*, quia majorem habet libertatem. *Idem.*

[1] *Dicat.*]

philosophum, & medicum, testamento quatuor partes fecit, & singulas singulis dedit: unam ejus esse voluit, qui esset utilissimus civitati. Contendunt quis primus [1] dicat: incertum est, propositio tamen certa. Ab eo enim cujus personam tuebimur, incipiendum erit. Et hæc quidem de dividendo in universum præcipi possunt. [2] At quomodo inveniemus etiam illas occultiores quæstiones? scilicet quomodo *sententias, verba, figuras, colores? Ingenio, cura, exercitatione.* Non tamen fere unquam nisi imprudentem fugerint, si (ut dixi) naturam sequi ducem velit. Sed plerique eloquentiæ famam affectantes, contenti sunt locis speciosis modo, vel nihil ad probationem conferentibus. Alii nihil vitantes, ea quæ in oculos incurrunt, exquirenda putant. Quod quo facilius appareat, unam de schola controversiam non ita sane difficilem aut novam proponam in exemplum: *Qui reo proditionis patri non affuerit, exhæres sit, proditionis damnatus, cum advocato exulet. Reo proditionis patri disertus filius affuit, rusticus non affuit: damnatus abiit cum advocato in exilium. Rusticus cum fortiter fecisset, præmii nomine impetravit restitutionem patris, & fratris. Pater reversus intestatus decessit:* [3] *petit rusticus partem bonorum, orator totum sibi vendicat.* Hîc illi eloquentes, quibusque nos circa lites raras solicitiores, ridiculi videmur, invadent personas favorabiles. Actio pro rustico *contra disertum*, pro viro forti *contra imbellem*, pro restitutore *contra ingratum*, pro eo qui parte contentus sit, *contra eum qui fratri nihil dare ex paternis velit.* Quæ omnia sunt in materia, & multum juvant, victoriam tamen non tradunt. In hac quærentur [4] sententiæ, si fieri poterit, præcipites, vel

1 *Dicat.*] *Dicatur.* Pas.

2 *At quomodo inveniemus.*] Quemadmodum *lib.* 5. *in argumentis* docuit, præcepta communia locosque topicos non satis instruere oratorem, nisi etiam argumenta erueret ex proprietate litis: ita quoque *dispositio* non satis instruitur præceptis communibus, suntque ex litis proprietate eruendæ quædam occultæ quæstiones, optimeque digerendæ. est autem hoc præceptum & *inventionis* & *dispositionis.* Turneb.

3 *Petit rusticus partem bonorum.*] Nam ex jure civili *intestatorum* bona & hæreditates deferuntur ad agnatos. *Idem.*

4 *Sententiæ præcipites.*] *Præcipites* appellat *sententias*, numerosas & copiosas, ideoque sæpenumero *inconsultas* & *tumul-*

vel obscuræ. Nam ea nunc virtus est, ut pulchre fuerit cum materia tumultu & clamore transactum. Illi vero quibus propositum quidem melius, sed [1] cura in proximo est, hæc [2] velut innatantia videbunt, excusatum esse rusticum, qui non interfuerit judicio, nihil collaturus patri: sed ne disertum quidem habere quod imputet reo, cum is damnatus sit. Dignum esse hæreditate restitutorem, *non avarum, impium, ingratum*, qui dividere nolit cum fratre, eoque sic merito. Quæstionem quoque illam primam [3] scripti & voluntatis, qua non expugnata non sit sequentibus locus. At qui naturam sequetur, illa cogitabit profecto, primo, hoc dicturum rusticum, *Pater intestatus duos nos filios reliquit, partem jure gentium peto.* Quis tam imperitus, quis tam procul à literis, quin sic incipiat, *Etiam si nescierit quid sit propositio?* Hanc communem omnium legem leviter adornabit, ut justam. Nempe sequetur, ut quæramus quid huic tam æquæ postulationi respondeatur. At id manifestum est. Lex est *quæ jubet exhæredem esse eum, qui patri proditionis reo non affuerit: tu autem non affuisti.* Hanc propositionem necessario sequitur legis laudatio, & ejus qui non affuerit, vituperatio. Adhuc versamur in confessis: redeat animus ad petitorem: nunquid non hoc cogitet necesse est, nisi qui sit plane hebes? *Si lex obstat, nulla lis est, inane judicium est:* atqui & legem esse, & hoc quod ea puniat, à rustico factum, extra dubitationem est. Quid ergo dicemus? *Rusticus eram.* Sed lex erat, omnes complectitur: nihil proderit. Quæramus ergo, num infirmari in aliqua parte lex possit. Quid aliud (sæpius dicam) natura permittit, quam

& *tumultuosas*: quod genus orationis frequens erat tempore Fabii. *Idem.*

1 *Cura in proximo est.*] Vel ait prope similem esse curam utrique oratori, vel hos *in proximo posità* videre, id est, in oculos incurrentia. ducta metaphora à luscitiosis, qui *myopes* dicuntur, videntque duntaxat oculis admota. *Idem.*

2 *Velut innatantia.*] *Innatantia* dixit more Græco, pro manifestis & in ipsa superficie eminentibus. Vide Bud. *in comment. linguæ græcæ.* Idem.

3 *Scripti & voluntatis.*] *Lex* est, ut filius qui patri non adfuerit, exhæres sit: adversus quam nitetur sententia, quod intelligatur duntaxat de his qui in judicio prodesse possint. *Idem.*

1 *Filius*

quam ut cum verba contra sint, de voluntate quæratur? Generalis igitur quæstio, *verbis*, *an voluntate* sit *standum*. Sed enim in commune de jure omni disputandum semper, nec unquam satis judicatum est. Quærendum igitur in hac ipsa qua consistimus, an aliquid inveniri possit quod scripto adversetur. *Ergo quisquis non affuerit, exhæres erit? quisquis* sine exceptione? Jam se illa vel ultro offerent argumenta, [1] *Filius infans & æger non affuit, & qui aberat, & qui militabat, & qui in legatione erat.* Jam multum acti est: posset aliquis non affuisse, & hæres esse. [2] Transeat nunc idem ille qui cogitavit, ut ait [3] Cicero, tibicinis Latini modo ad disertum: Ut ita concedam: *tu nec infans es, nec æger eras, nec abfuisti, nec militasti, nec in legatione fuisti.* Non aliud occurrit quam illud, *Sed rusticus sum.* [4] Contra quod palam est, dicet. Ut agere non potueris, assidere potuisti. & verum est. quare redeundum est rustico ad animum legumlatoris: *Impietatem punire voluit, ego autem impius non sum.* Contra quæ disertus. *Tu impie fecisti*, inquit, *cum exhæredationem meruisti:* licet te postea vel pœnitentia vel ambitus ad hoc genus optionis adduxerit. Præterea *propter te damnatus est pater.* Videbaris enim de caussa pronuntiasse. Ad hæc rusticus, *Tu vero caussa damnationis fuisti: multos offenderas: inimicitias domi contraxeras.* Hæc conjecturalia. Illud quoque quod coloris loco rusticus dicit, *patris fuisse tale consilium, ne universam domum periculo subjiceret.* Hæc prima quæstione scripti & voluntatis continentur. Intendamus ultra animum, videamusque an aliquid inveniri præterea possit quo id modo fiat. Sedulo imitor quærentem, ut quærere doceam,

1 *Filius infans & æger, &c.*] Sunt hæc exempla ficta, quæ dicuntur à Fabio argumenta per *hypothesim*, quibus nihil potest esse firmius ad oppugnandum scriptum, ut docuit lib. 5. *Idem.*

2 *Transeat nunc.*] *Tibicines in* comœdiis Latinis & togatis transire solent à sinistris tibiis ad dextras. hic per *metaphoram* proverbialem significavit Fab. transitum ab una parte ad alteram, ut *ab rustico ad disertum.* est autem imitatio Ciceroniana. *Idem.*

3 *Cicero.*] *Pro Murena.*

4 *Contra quod palam est.*] Nam cum lex dicit *advocatum*, non solum intelligit *oratorem*, verum etiam illum qui præsens est in judicio ad favorem. *Idem.*

1 *Dictum*

ceam, & omisso speciosiore illo styli genere, ad utilitatem me summitto discentium. Omnes adhuc quæstiones ex persona petitoris ipsius duximus: cur non aliquid circa patrem quærimus? [1] dictum vero est, *Cui quis non affuerit, exhæres erit.* Cur non conamur & hîc quærere, *num cuicunque non affuerit?* Facimus hoc sæpe in iis controversiis, in quibus petuntur in vincula qui parentes suos non alunt, an eum qui testimonium in filium impietatis reum dixit? an eum qui filium lenoni vendidit? In hoc de quo loquimur patre, quid apprehendi potest? *Damnatus est.* [2] Nunquid igitur lex ad absolutos tantum patres pertinet? dura prima fronte quæstio. Non desperemus, credibile est hoc voluisse legumlatorem, ne auxilia liberorum innocentibus deessent. Sed hoc dicere rustico verecundum est, quia innocentem fuisse patrem fatetur. Dat aliud argumentum controversiæ, *Damnatus proditionis cum advocato exulet.* [3] Vix videtur posse fieri, ut pœna filio eadem, patri & si affuerit, & si non affuerit, constituta sit. [4] Præterea lex ad exules nulla pertinet. Non ergo credibile est, non advocato damnati scriptum, *An possint enim bona esse ulla exulis*, rusticus in utraque parte dubium facit. Disertus & verbis inhærebit, in quibus nulla exceptio est: & propter hoc ipsum pœnam esse constitutam eis qui non affuerint, ne periculo exilii deterreantur ab advocatione, & rusticum innocenti non affuisse dicet. Illud protinus non indignum quod annotetur, posse ex uno statu duas generales fieri quæstiones, an quisquis,

1 *Dictum vero est.*] Ut supra quoque inceperat à *generali quæstione*, sic etiam hic incipit, & demum descendit *ad speciem.* Idem.

2 *Nunquid igitur lex.*] Dicet rusticus hanc legem, *filius si proditionis reo patri non adfuerit, exhæres sit*, intelligendam esse ita, si pater absolutus fuerit, non si damnatus, atque ita se exhæredem esse non debere, cum pater damnatus fuerit. *Idem.*

3 *Vix videtur posse fieri.*] Vix videtur fieri posse ut debeat similiter infligi pœna ei qui *adfuerit aut non adfuerit.* Eadem autem pœna est *bonorum amissio.* nam *exul* bona perdit, & *exhæres* bona quoque perdit. *Idem.*

4 *Præterea lex ad exules.*] *Exul* ita capite diminuitur, ut civitatis jus perdat, ac proinde reliqua quoque jura. cum igitur scribitur in lege, *qui patri proditionis reo, &c.* non debet intelligi de *damnato patre.* id est, exule, ad quem nulla lex pertinet, sed de *absoluto.* Idem.

quis, an cuicunque. Hæc ex duabus personis quæsita sunt. E tertia autem, quæ est adversarii, nulla oriri quæstio potest: quia nulla fit ei de sua parte controversia. Nondum tamen cura deficiat. [1] Ista enim omnia dici possent etiam non restituto patre. Nec statim eo tendamus, quod occurrit ultro, *à rustico restitutum.* Qui id subtiliter quæret, aliquid spectabit ultra. Nam ut genus speciem sequitur, ita speciem genus præcedit. Fingamus ergo ab alio restitutum, ratiocinativa atque collectiva quæstio orietur, an restitutio pro sublatione judicii sit, & perinde valeat, ac si judicium non fuisset. Ubi tentabit rusticus dicere, ne impetrare quidem aliter potuisse suorum [2] restitutionem uno præmio, [3] nisi patre perinde ac si accusatus non esset, revocato: quæ res advocati quoque pœnam, tanquam is non affuisset, remiserit. Tum veniemus ad id quod primum occurrebat, *à rustico restitutum esse patrem.* Ubi rursus ratiocinamur, *an rusticus restitutor accipi debeat pro advocato*, quando id præstiterit, quod advocatus petiit: nec improbum sit pro simili accipi, quod plus est. Reliqua jam æquitatis sunt, utrius justius sit desiderium. Id ipsum adhuc dividitur, etiam si uterque sibi totum vendicaret, nunc utique, cum alter semissem, alter universa, fratre excluso. Sed his tractatis, etiam magnum momentum habet apud judices patris memoria, cum præsertim de bonis ejus quæratur. Erit ergo conjectura, *qua mente pater intestatus decesserit.* [4] Sed ea

1 *Ista enim omnia.*] Hæ quæstiones petuntur à *consequenti tempore* & *adjunctis.* cæterum, ut antea dixit, non oportet subsistere in ea quæstione quæ prima se offerat. quod enim *primum* offertur, sæpenumero *ultimum* dicitur. ut igitur antea fecit, descendet à *genere ad* ultimam *speciem.* Idem.

2 *Restitutionem uno primo.*] Quia duntaxat uno primo potuisset restituere *patrem*, non etiam *advocatum.* Idem.

3 *Nisi patre perinde, &c.*] Hoc ait ideo, quia qui *revocantur*, in integrum restituuntur, & pristina omnia jura recipiunt: quod perinde est ac si non fuissent antea accusati. *Idem.*

4 *Sed ea pertinet.*] Pleraque quæstionem habent *in qualitate*, quæ tamen *conjectura* probantur: ac vicissim *in conjectura* pleraque, quæ probantur *qualitate.* hic enim dicemus idcirco patrem testamentum non fecisse, quod justum & æquum putaret utrunque æquali hæreditatis portione potiri, maximeque *restitutorem.* Idem.

Ideo

ea pertinet ad qualitatem, quæ alterius ſtatus inſtrumentum eſt. Plerunque autem in fine cauſſarum *de æquitate* tractabitur, quia nihil libentius judices audiunt. Aliquando tamen hunc ordinem mutabit utilitas: ut ſi in jure minus fiduciæ erit, æquitate judicem præparemus. Nihil habui amplius quod in univerſum præciperem. Nunc eamus per ſingulas cauſſarum judicialium partes, quas ut perſequi ad ultimam ſpeciem, id eſt ad ſingulas lites controverſiaſque non poſſum: ita de generalibus ſcribere licet, ut quæ in quem ſtatum frequentiſſime incidant, tradam. Et quia natura prima quæſtio eſt, *factumne* ſit, ab hac ordiar.

CAP. II.

De conjectura.

CONjectura omnis, aut *de re*, aut *de animo* eſt. *Utriuſque* tria tempora, *præteritum*, *præſens*, *futurum*. *De re* & generales quæſtiones ſunt, [1] & definitæ, id eſt & quæ non continentur, & quæ continentur. *De animo* quæri non poteſt, niſi ubi perſona eſt, & de facto conſtat. Ergo cum *de re* agitur: aut *quid factum* ſit, in dubium venit, aut *quid fiat*, aut *quid ſit futurum*: ut in generalibus, [2] *an atomorum concurſu mundus ſit effectus: an providentia regatur:* [3] *an ſit aliquando caſurus.* In definitis, *an parricidium commiſerit Roſcius: an regnum affectet* [4] *Manlius:* [5] *an recte Verrem ſit accuſaturus Q. Cæcilius.* In judiciis præteritum tempus maxime valet. Nemo enim accuſat niſi quæ facta ſunt. Nam & quæ fiant, & quæ 3

IDeo Fab. lib. 3. male illos opinari dixit, qui *ſtatum conjecturalem* appellant *ſtatum facti*, quia quæritur hic etiam *de animo*. Turneb.

1 *Et definitæ.*] Quocirca falluntur qui exiſtimant *ſtatus* ipſos eſſe duntaxat in *hypotheſi*, non etiam in *theſi*. Idem.

2 *In atomorum concurſu, &c.*] Hæc opinio eſt *Democriti*, quam poſtea interpolavit *Epicurus*. Is enim exiſtimavit fortuito corporum inſecabilium concurſu conditum eſſe mundum. *Idem.*

3 *An ſit aliquando caſurus.*] Democritus & Epicurus aliquando *caſurum mundum* putant: putat etiam Heraclitus. Ariſt. *æternum* exiſtimat. *Idem.*

4 *Manlius.*] Manlius qui Capitolium defendit, cum obæratos & nexos paſſim ſolveret, incidit in ſuſpicionem affectati regni, eſtque *de ſaxo Tarpeio* præcipitatus. *Idem.*

5 *An recte.*] Hæc quidem quæſtio, ut poſterius docebit Fabius, ſedem habet in *qualitate*, colligitur tamen *conjectura*. Idem.

& quæ futura sint, ex præteritis colliguntur. [1] Quæritur & unde quid ortum: ut *pestilentia*, *ira deûm*, *an intemperie cœli*, *an corruptis aquis*, *an noxio terræ halitu*. Et quæ causa facti: ut *quare ad Trojam* [2] *quinquaginta reges navigaverint*, *jurejurando adacti an exemplo moti*, *an gratificantes Atridis*. quæ duo genera non multum inter se distant. Ea vero quæ sunt præsentis temporis, si non argumentis, quæ necesse est præcessisse, sed oculis deprehendenda sunt, non egent conjectura: [3] ut si *apud Lacedæmonios quæratur*, *an Athenis muri fiant*. [4] Sed & illud potest videri extra hoc propositum conjecturæ genus, cum de aliquo homine quæritur, quid sit: ut est quæsitum contra Urbiniæ hæredes, *si is qui tanquam filius petebat bona*, *Clusinius Figulus esset*, *an Sosipater*: nam & substantia ejus sub oculos venit, ut non possit quæri *an sit*: [5] quomodo ultra oceanum, *nec quid sit*, *nec quale sit*, *sed an quid sit*. Verum hoc quoque genus litis ex præterito pendet *an hic sit ex Urbinia natus Clusinius Figulus*. Fuerunt autem tales nostris etiam temporibus controversiæ, atque aliquæ in meum quoque patrocinium inciderunt. Animi conjectura non dubie in omnia tempora cadit, [6] *Qua mente Ligarius in Africa fuerit*, *Qua mente Pyrrhus fœdus petat*, *Quomodo laturus sit Cæsar si Ptolemæus Pompeium occiderit*. Quæritur per conjecturam

1 *Quæritur & unde.*] Hæc ex Cic. ducta sunt. is enim *conjecturæ* rationem dividit in *An sit*, *Unde ortum sit*, *Quæ causa effecerit*: quæ duo prope eadem sunt: addit quartum *de commutatione rei*, quod quia vix in forum cadere possit, à Fabio est omissum. *Idem.*

2 *Quinquaginta reges.*] Dares tamen Phrygius ait *sexaginta* reges navigasse ad Trojam, illicque duxisse mille centum & quadraginta naves. *Idem.*

3 *Ut si apud Lacedæmonios.*] Cum *Athenienses* Medicis bellis magnam comparassent sibi laudem, de cingendis mœnibus Athenis cogitarunt: quod opus postea à *Lacedæmoniis* est impeditum, quibus suspecta erat *Athenienſium* potentia. nihilominus tamen fraude Themistoclis opus est perfectum. *Idem.*

4 *Sed & illud.*] Præter illas partes *conjecturæ* quas Cic. fecit, adjicit Fab. *An quid sit.* nec enim comprehenditur sub illis prioribus: referri tamen potest ad *An sit*. Idem.

5 *Quomodo ultra Oceanum.*] Hoc dicit propter *Alexandrum*, qui deliberavit de trajiciendo Oceano, ut alias terras aliumque mundum inveniret quem subjugaret. *Idem.*

6 *Qua mente Ligarius*, *&c.*] Tamen hæ quæstiones videntur potius referri debere ad *qualitatem* quam ad *conjecturam*: in illis enim *de qualitate* quæritur: sed tamen quia *qualitas* illa conjecturis & suspicionibus colligitur, ad *conjecturam* referri potest. sic Fab. interpretatur *cap. de qualitate*. Idem.

ram & quantitas & qualitas circa modum, ſpeciem, numerum. [1] *An ſol major quam terra,* [2] *Luna globoſa, an plana, an acuta.* [3] *Unus mundus, an plures.* Itemque extra naturales quæſtiones, *majus bellum Trojanum*, [4] *an Peloponneſiacum. Qualis clypeus Achillis.* [5] *An unus Hercules.* In iis autem quæ accuſatione ac defenſione conſtant, unum eſt genus in quo quæritur & *de facto*, & *de auctore*. Quod interim conjunctam quæſtionem habet, & utrunque pariter negatur: interim ſeparatam, cum & factum ſit, necne: & ſi de facto conſtet, à quo factum ſit, ambigitur. Ipſum quoque factum aliquando ſimplicem quæſtionem habet *an homo perierit*: aliquando duplicem, *veneno*, *an cruditate perierit*. Alterum eſt genus *de facto* tantum, cum ſi id certum ſit, non poteſt de auctore dubitari. Tertium *de auctore* tantum, cum factum conſtat, ſed à quo factum ſit, in controverſiam venit. Et quod tertio loco poſui, non eſt ſimplex. Aut enim reus feciſſe tantummodo ſe negat, aut alium feciſſe dicit. Sed ne in alterum quidem transferendi criminis una forma eſt. [6] Interdum enim ſubſtituitur *mutua accuſatio*, quam Græci ἀντιγραφὴν vocant, noſtrorum quidam *concertativam*. Interdum in aliquam perſonam, quæ extra diſcrimen judicii eſt, transfertur, & alias certam, alias incertam. Et cum in certam, aut in extrariam, aut in ipſius qui periit voluntatem. In quibus ſimilis atque in ἀντιγραφὴν, perſonarum, cauſſarum, cæterorum comparatio eſt: ut Cicero

1 *An ſol major quam terra.*] Eratoſthenes mathematicus colligit *ſolem* eſſe vicies ſepties majorem terra. *Idem.*

2 *Luna globoſa.*] Mathematici omnes putant *lunam* & cæteras *ſtellas* in orbem eſſe globatas. *Idem.*

3 *Unus mundus.*] Ariſt. exiſtimavit *unicum* eſſe *mundum*, Democritus atque Epicurus *infinitos* quotidie naſcentes & intereuntes. *Idem.*

4 *An Peloponneſiacum.*] Thucydides in præfatione lib. primi comparat bellum *Peloponneſiacum* cum Trojano, multiſque conjecturis colligit *Peloponneſiacum* eſſe majus. *Idem.*

5 *An unus Hercules.*] Cic. *lib. 3. de natura deorum*, colligit ſex fuiſſe *Hercules*. Idem.

6 *Interdum enim.*] *Anticategoriæ* finitimum eſt quod appellatur αὐτεγκλημα, quando ſcilicet tota noſtra defenſio conſtat alterius inſectatione. at in *anticategoria* à nobis crimen rejicimus, & alteri intendimus. vertitur *repercuſſio* & *concertatio*, à nonnullis etiam *apologatio*. Idem.

cero pro Vareno in familiam Anchariana: pro Scauro circa mortem Boſtaris in matrem avertens crimen, facit. Eſt etiam illud huic contrarium comparationis genus, in quo uterque à ſe factum eſſe dicit: & illud in quo non perſonæ inter ſe, ſed ipſæ res colliduntur, id eſt, non uter fecerit, ſed *utrum factum ſit*. Cum de facto & de auctore conſtat, de animo quæri poteſt. [1] Nunc de ſingulis. Cum pariter utrunque negatur, hoc modo. *Adulterium non commiſi. Tyrannidem non affectavi.* In cædis ac veneficii cauſſis frequens eſt illa diviſio, *Non eſt factum*: & ſi eſt factum, *ego non feci.* [2] Sed cum dicimus, *Proba hominem occiſum*, accuſatoris tantum partes ſunt: à reo nihil dici contra, præter aliquas fortaſſe ſuſpiciones poteſt, quas ſpargere quam maxime varie oportebit: [3] quia ſi unum aliquid affirmaris, probandum eſt, aut cauſſa periclitandum. [4] Nam ut cum inter id quod ab adverſario, & id quod à nobis propoſitum eſt, quæritur, videtur utique alterum verum: ita ex adverſo unum eſt quo defendimur, reliquum eſt quo premimur. [5] At cum quærimus de ambiguis ſignis *cruditatis* & *veneni*, nihil tertium eſt: ideoque utraque pars quod propoſuit tuetur.

1 *Nunc de ſingulis.*] Diviſionem ſuperiorem exemplis explicat, docetque quo pacto in ſingulis diſponere debeamus & tractare. eſt igitur legendum, *Nunc de ſingulis*: cum pariter utrunque negatur. nam in hac propoſitione, *Adulterium non commiſi*, ſimul factum negatur, ſcilicet adulterium: ſimul auctor, quod non commiſeris adulterium. *Idem.*

2 *Sed cum dicimus.*] In ſeparata defenſione cum negamus eſſe factum, idque probandum dicimus, tum maxime ſunt partes *accuſatoris* ut probet, nobis erunt quædam ſuſpiciones variæ ac diverſæ: quia unam duntaxat ſi tuebimur, & unum aliquid dicemus, niſi probare id potuerimus, cauſa cademus. *Idem.*

3 *Quia.*] Alii, *Quod.*

4 *Nam ut cum.*] Duplex eſſe poteſt ſenſus, ſi ex adverſo legas, hoc modo: *in illa defenſione, cum unum aliquid affirmamus, illo nos tuemur, cum tamen firmiorem haberemus defenſionem in multis quæ nos premunt, quoniam à nobis relinquuntur.* ſin autem legatur, *è converſo*, ut in antiquis codicibus, melior erit ſenſus hoc modo: *in illa quæſtione ſeparata etſi membrum prius everſum fuerit ab adverſario, ſupererit unum quo nos tuebimur.* Turneb.

5 *At quum quærimus.*] Cum objicitur tibi *veneficium*, dicere potes, *veneficium non eſt factum*, & ſi factum eſt, ego non feci: at cum ita te defendis ut neges hominem *veneficio* periiſſe, ſed *cruditate*, hoc ſemper tueri debes ut firmiſſimum, neque tertium adjicere, etſi *veneficio* perierit, abs te non interfectum eſſe. *Idem. At.*] Alii, *Ut.*

1 *Interim*

tur. [1] Interim autem ex re quæritur, *veneficium fuerit*, *an cruditas*, cum aliqua ex ipsa citra personam quoque argumenta ducuntur. Refert enim, convivium præcesserit, an tristitia: labor, an ocium: vigilia, an quies. Ætas quoque ejus qui perierit discrimen facit. Interest, subito defecerit, an longiore valetudine consumptus sit. [2] Liberior adhuc in utranque partem disputatio, si tantum subita mors in quæstionem venit. Interim ex persona probatio rei petitur, ut propterea credibile sit venenum fuisse, quia credibile est ab hoc factum veneficium: vel contra. Cum vero de reo & de facto quæritur, naturalis ordo est, ut prius factum esse accusator probet, deinde à reo factum. [3] Si tamen plures in personam probationes habuerit, convertet hunc ordinem. Defensor autem prius negabit esse factum: quia si in hac parte vicerit, reliqua non necesse habet dicere: victo supereſt ut tueri se possit. Illic quoque ubi de facto tantum controversia est, quod si probetur, non possit de auctore dubitari: similiter argumenta & ex persona, & ex re ducuntur, sed in unam facti quæstionem: sicut in illa controversia (utendum est enim & his exemplis, quæ sunt discentibus magis familiaria.) *Abdicatus medicinæ studuit.* Cum pater ejus ægrotaret, desperantibus de eo cæteris medicis, adhibitus, *sanaturum se dixit*, si is potionem à se datam bibisset. *Pater acceptæ potionis epota parte, dixit venenum sibi datum:* filius quod reliquum erat exhausit: pater decessit: ille parricidii reus est. Manifestum est quis potionem dederit, nulla quæstio *de auctore:* tantum *an fuerit venenum*, ex argumentis à persona ductis colligetur. Supereſt tertium, in quo

1 *Interim autem.*] In hujuscemodi quæstione argumenta ducentur primum *à re* citra personæ circunstantiam, postea vero etiam *à persona.* Turneb.

2 *Liberior adhuc.*] Nam cum subita mors est, major est adhuc dubitatio, an *veneficium* sit, an *cruditas:* ac proinde liberior disputatio, si quidem & *veneficium* & *cruditas* statim possunt hominem suffocare. *Idem.*

3 *Si tamen plures.*] Hoc modo, ut doceat multis suspicionibus & conjecturis verisimile esse *à reo factum*, deinde etiam *factum:* alioqui si tractaret ita ut diceret statim *à reo* esse factum, non esset locus posteriori membro. *Idem.*

in quo factum esse constat aliquid: *à quo* sit factum, quæritur. Ejus rei supervacuum est ponere exemplum, cum plurima sint hujusmodi judicia: ut *si hominem occisum esse manifestum est*: vel sacrilegium commissum: is autem qui arguitur feciſſe, neget: ex hoc nascitur ἀντιγραφεία. Utique hoc factum esse convenit: quod duo invicem objiciunt. [1] In quo quidem genere caussarum admonet Celsus fieri id in foro non posse: quod neminem ignorare arbitror. De uno enim reo consilium cogitur: & si qui sunt qui invicem accusent, alterum judicium perferre necesse est. Apollodorus quoque ἀντιγραφείων duas esse controversias dixit: & sunt re vera secundum forense jus duæ lites. Potest tamen hoc genus in cognitionem venire senatus, aut principis. [2] Sed in judicio quoque nihil interest actionum, utrum simul de utroque pronuntietur, an de uno seorsum. Quo in genere semper prior debebit esse defensio: Primum, quia natura potior est salus nostra, quam adversarii pernicies. Deinde, quod plus habebimus in accusatione auctoritatis, si prius de innocentia nostra constiterit. Postremo, quod ita demum duplex caussa erit. Nam qui dicit, *ego non occidi*, habet reliquam partem, ut dicat, *tu occidisti*. At qui dicit, *tu occidisti*, supervacuum habet postea dicere, *ego non occidi*. [3] Hæ porro actiones constant *comparatione*: ipsa comparatio non una via ducitur. Aut enim totam caussam nostram cum tota adversarii caussa componimus, aut singula argumenta cum singulis. Quorum utrum sit faciendum, non potest nisi

1 *In quo quidem.*] In judiciis publicis prætor de *una lege* & *uno reo* cognoscere solet. cum igitur in *anticategoria* uterque alterum accuset, atque uterque fiat *reus*, ea species in causas forenses non cadit, quæ astringuntur certis formulis. tamen ita cadere possit *anticategoria* in forum, si crimen rejicias in adversarios, neque reos facias: ut *in causa Roscii*. Idem.

2 *Sed in judicio.*] *Judicia publica* certis legum actionibus instituuntur: quæ res nihil impedit *anticategoriam*, cum actio non mutetur, cum utrobique sit earum actio. *Idem.*

3 *Hæ porro actiones.*] Hoc quoque præceptum pertinet ad *collocationem* & *dispositionem*. docuimus autem lib. 3. *anticategoriam* speciem esse causæ comparativæ. ita autem appellatur causa, cum non simpliciter quæritur, sed *ex comparatione* rerum & personarum. *Idem.*

1 *Nam*

nisi ex ipsius litis utilitate cognosci: ut Cicero singula pro Vareno comparat in primo crimine. Est enim superior, cum persona alieni, cum persona matris temere comparetur. Quare optimum est, si fieri poterit, ut singula vincantur à singulis. Sed si quando in partibus laborabimus, universitate pugnandum est: sive invicem accusant, sive crimen reus citra accusationem in adversarium vertit: ut Roscius in accusatores suos, quamvis reos non feciſſet: sive in ipsos quos sua manu periisse dicemus, factum deflectitur: non aliter quam in iis quæ mutuam accusationem habent, utriusque partis argumenta inter se comparantur. Id autem genus, de quo noviſſime dixi, non solum in scholis sæpe tractatur, sed etiam in foro. [1] Nam id est in causſa Nævii Apruniani solum quæsitum, *præcipitatane esset ab eo uxor, an se ipsa sua sponte jeciſſet.* [2] Quam actionem equidem solam in hoc tempus emiseram, quod ipsum feciſſe seductum juvenili cupiditate gloriæ fateor. Nam cæteræ quæ sub nomine meo feruntur, negligentia excipientium in quæstum notariorum corruptæ, minimam partem mei habent. [3] Est & alia duplex conjectura, huic ἀντικατηγορία non diversa, de præmiis, ut in illa controversia, *Tyrannus suſpicatus à medico suo datum sibi venenum, torsit eum*: & cum id dediſſe se negaret, accersit alterum medicum: ille *datum ei venenum dixit, sed se antidotum daturum: & dedit ei potionem, qua epota tyrannus deceſsit.* De præmio duo medici contendunt. [4] Nam ut illic factum in adversarium transferentium, ita hîc sibi vindicantium *personæ, causſæ, facultates, tempora, instrumenta, teſtimonia* comparantur. Illud quoque etiamsi non est ἀντικατηγορία, simili tamen ratione tractatur, in quo citra

1 *Nam.*] Quintiliani oratio prima.

2 *Quam.*] Quintiliani scripta.

3 *Est & alia duplex.*] Diximus *lib.* 3. *per abusionem* petitiones etiam diversas appellari *anticategoriam*, ut hoc loco: quanquam forte locus legi debet *sine negatione*, ut in vetustis codicibus, cum præsertim antea dixerit, *etiam illud huic contrarium*, &c. Turneb.

4 *Nam ut illic.*] Et *anticategoria* & hæc duplex conjectura efficiunt causam comparativam, quæ tractatur *contentione* circunstantiarum personæ & facti. *Idem.*

citra accusationem quæritur *utrum factum sit*. Utraque enim pars expositionem suam habet, atque eam tuetur: ut in lite Urbiniana *petitor dicit Clusinium Figulum filium Urbiniæ acie victa in qua steterat, fugisse: jactatumque casibus variis, retentum etiam à rege, tandem in Italiam ac patriam suam Marginos venisse, atque ibi agnosci:* Pollio contra, *servisse eum Pisauri dominis duobus, medicinam factitasse, manumissum alienæ se familiæ venali immiscuisse, ac rogantem ut eis serviret, emptum.* [1] Nonne tota lis constat duarum causarum comparatione, & conjectura duplici atque diversa? Quæ autem accusantium atque defendentium, eadem petentium & inficiantium ratio est. [2] Ducitur conjectura primum *à præteritis*. In his sunt *personæ, causæ, consilia*. Nam is ordo est, ut *facere voluerit, potuerit, fecerit*. Ideoque intuendum ante omnia, qualis sit de quo agitur. Accusatoris autem est efficere, ut si quid objecerit, non solum turpe sit, [3] sed etiam crimini de quo est judicium, quam maxime conveniat. Nam si *reum cædis, impudicum vel adulterum* vocet, lædat quidem infamia: minus tamen hoc ad fidem valeat, quam si *audacem, petulantem, crudelem, temerarium* ostenderit. Patrono, si fieri poterit, id agendum est, ut objecta vel neget, vel defendat, vel minuat. proximum est, ut à præsenti quæstione separet. Sunt enim pleraque non solum dissimilia, sed etiam aliquando contraria: ut si reus furti, *prodigus* dicatur, aut *negligens*. Neque enim videtur in eundem & contemptus pecuniæ, & cupiditas cadere. Si decerunt hæc remedia, ad illa declinandum est, non de hoc quæri,

1 *Nonne tota lis.*] *Conjectura duplex perfecta* est, quando de duabus personis & duabus rebus est quæstio. *Duplex* autem *imperfecta*, aut cum de duabus rebus non de persona, aut cum de personis non de re est quæstio. *Idem.*

2 *Ducitur conjectura.*] *Capita conjecturæ* complectitur, eorumque dispositionem. primum caput est *voluntas*, quæ colligitur à personis, causis, & consiliis: deinde *possibilitas*, quæ colligitur à loco, tempore, & occasione: postremum caput est *An fecerit*, quod colligitur ab adjunctis, quæ considerantur in tempore præsenti & futuro. *Idem.*

3 *Sed etiam crimini, &c.*] Argumenta quæ ducuntur *à persona*, hujusmodi esse debent, ut conducant ad sceleris probationem, nec à scelere dissideant. *Idem.*

quæri, nec eum qui aliquando peccaverit, utique commisisse omnia: & hanc fiduciam fuisse accusatoribus falsa objiciendi, quod læsum & vulneratum reum speravere hac invidia opprimi posse. [1] Alia propositio est accusatoris, contra quam loci oriuntur sæpe à persona, & interim generaliter, *Incredibile esse à filio patrem, ab uxore virum occisum, ab imperatore proditam hostibus patriam.* [2] Facile respondetur, vel quod omnia scelera in malos cadant, ideoque sæpe deprehensa sint: vel quod indignum sit crimina ipsa atrocitate defendi. Interim proprie, quod est varium. Nam dignitas & tuetur reum, & nonnunquam ipsa in argumentum facti convertitur, tanquam inde fuerit spes impunitatis: sed perinde paupertas, humilitas, opes, ut cuique ingenio vis est, in diversum trahuntur. Probi vero mores, & anteactæ vitæ integritas, nunquam non plurimum profuerint. Si nihil objicietur, [3] patronus quidem in hoc vehementer incumbet: accusator autem ad præsentem quæstionem de qua sola judicium sit, cognitionem allegabit, dicens [4] *neminem non aliquando cœpisse peccare*, [5] nec per ἐγκαίνια ducendum scelus primum. [6] Hoc in respondendo. [7] Sic autem præparabit actione prima judicum animos, ut noluisse potius objicere, quam non potuisse credatur. Eoque satius est, omni se anteactæ vitæ abstinere convitio, quam levibus aut frivolis aut

1 *Alia propositio.*] Ut si accusator diceret à *Roscio perpetratum parricidium*, defensor locum haberet ad solutionem, quod incredibile sit à filio patrem interfectum. *Idem.*

2 *Facile respondetur, &c.*] *Circumstantiæ* personarum aut *generales* sunt, quæ in communitate tractantur: aut *speciales*, quæ particulariter in unoquoque conspiciuntur. *Idem.*

3 *Patronus.*] Ut pro L. Muræna.

4 *Neminem non aliquando cæpisse.*] Vide Adversar. Turneb. lib. 12. cap. 11. pag. 390.

5 *Nec per ἐγκαίνια.*] Haud scio an hic locus sit corruptus, tamen hic effici potest sensus, ut *non debeat crimen impune esse primum peccanti.* nam ἐγκαίνια dicuntur *celebritates* quæ fiunt in dedicatione templorum, quibus maxima permittitur licentia. In aliis codicibus absque præpositione, hoc sensu, *primum scelus non esse habendum pro re nova, & fortasse aliud scelus præcessisse.* nam ἐγκαίνια dicuntur *celebritates* ex innovatione templorum. *Turneb.*

6 *Hoc in respondendo.*] Sensus est, *accusatorem uti posse hoc loco secunda actione, qua respondet orationi defensoris.* Idem.

7 *Sic autem præparabit actione prima.*] Vide hac de re Scip. Gentilis Commentar. in Apolog. Apulei. pag. 30. &c.

1 *Cætera*

aut manifesto falsis reum incessere, quia fides cæteris detrahitur: & qui nihil objicit, omisisse credi potest maledicta tanquam supervacua: qui vana congerit, confitetur vanum in anteactis argumentum, in quibus vinci quam tacere maluerit. [1] Cætera quæ *à personis* duci solent, in argumentorum locis exposuimus. Proxima est *ex caussis* probatio, in quibus hæc maxime spectantur, *ira, odium, metus, cupiditas, spes*: nam reliqua in has species cadunt. [2] Quorum si quid in reum conveniet, accusatoris est efficere, ad quicquid faciendum caussæ valere videantur, easque quas in argumentum sumet, augere. Si minus, illuc conferenda est oratio, aut aliquas fortasse latentes fuisse, aut nihil ad rem pertinere cur fecerit, si fecit: aut etiam dignius esse odio scelus, quod non habuerit caussam. Patronus vero quoties poterit, instabit huic loco ut nihil credibile sit factum esse sine caussa. Quod Cicero vehementissime multis orationibus tractat: præcipue tamen *pro Vareno*, qui omnibus malis premebatur: nam & damnatus est. At si proponitur *cur factum sit*, aut falsam caussam, aut levem, aut ignotam reo dicet. Possunt esse aliquæ interim ignotæ: [3] *an hæredem habuerit: an accusaturus fuerit eum à quo dicitur occisus.* Si alia defecerint, non utique spectandas esse caussas. Nam quem posse reperiri, qui non *metuat, oderit,* [4] *speret?* plurimos tamen hæc salva innocentia facere. Neque illud est omittendum, *non omnes caussas in omnibus personis valere.* Nam ut alicui sit furandi caussa paupertas, non erit idem in T. Curio Fabricioque

1 *Cætera quæ.*] Hanc Cicero ut multo præstantissimam, sic etiam firmissimam putat: quare Sulpitius victricem probationem vocat.

2 *Quorum si quid.*] *Accusator* primum de causis dicet *generaliter*, quantum illæ valeant ad effectum gignendum: postmodum accedet ad illam causam qua nititur, eamque augebit, ut major esse videatur stimulus efficiendi. *Turneb.*

3 *An hæredem habuerit.*] Romani sæpenumero multo ante mortem testamenta faciebant. si igitur *accusator* hominem interfectum dixerit, propterea quod alium quam *reum* hæredem instituerit, aut adeo ipsum *reum*, dicere poteris ignotam hanc reo fuisse causam. *Idem.*

4 *Speret?*] Aldus addit ex correctione Raphaëlis, *irascatur, cupiat* ut totidem enumerentur perturbationes, quot enumeraverit supra. *Idem.*

1 *Nam*

cioque momentum, *De cauſſa prius, an de perſona* dicendum ſit, quæritur: varieque eſt ab oratoribus factum: à Cicerone etiam prælatæ frequentiſſime cauſſæ. Sed mihi, ſi neutro litis conditio præponderet, ſecundum naturam videtur incipere *à perſona.* [1] Nam hoc magis generale eſt, rectiorque diviſio, aut in nullo crimen credibile, aut in hoc. Poteſt tamen idipſum, ſicut pleraque, vertere utilitas. Nec tantum cauſſæ voluntatis ſunt quærendæ: ſed interim & erroris, ut *ebrietas*, & *ignorantia.* [2] Nam ut hæc in qualitate crimen elevant, ita in conjectura premunt. Et perſona quidem neſcio an unquam utique in uno actu rei poſſit incidere, de qua [3] neutra pars dicat: de cauſſis frequenter quæri nihil attinet, ut in adulteriis, in *furtis*: quia illas per ſe ipſa crimina ſecum habent. Poſt hæc intuenda videntur & conſilia; quæ late patent, an credibile ſit reum ſperare id [4] à ſe ſcelus effici poſſe, an ignorari cum feciſſet: an etiam ſi ignoratum non eſſet, abſolvi, vel pœna levi tranſigi, vel tardiore, vel ex qua minus incommodi conſecuturus, quam ex facto gaudii videretur: an etiam tanti putaverit pœnam ſubire. Poſt hæc, [5] an alio tempore, & aliter facere, vel facilius, vel ſecurius potuerit: ut dicit Cicero *pro Milone*, enumerans plurimas occaſiones quibus ab eo Clodius impune occidi potuerit. Præterea, cur potiſſimum *in illo*

1 *Nam hoc magis.*] Quærere poſſis quamobrem generalius eſſe dicat caput quod *à perſona* proficiſcitur, cum præſertim ipſa perſona nihil ſit ſpecialius: ſed mea ſententia id referendum eſt *ad factum.* nam ſi à perſona incipias, ſubinde per reliqua capita progrediendo, propius aſſumptiva factum contingimus. *Idem.*

2 *Nam ut hæc in qual.*] Nam in ſtatu *qualitatis* ſæpenumero utimur *conceſſione*, ab ignorantia, imprudentia, ebrietate: quæ quidem res efficit ut veniam mereamur. contra in *conjectura* hæc multum valent ad probandum: ut *ſi quis adulterium neget*, dicaſque eum quod ebrius eſſet, adulterium commiſiſſe. *Idem.*

3 *Neutra pars.*] Hermogenes tamen in *lib. de ſtatibus*, quaſdam ait eſſe cauſas, in quibus *perſona* tractari non poteſt, cum ſcilicet utrinque eſt æqualis & par: *ut ſi duo juvenes divites ſeſe aliqua de re mutuo accuſent.* Idem.

4 *A ſe ſcelus effici, &c.*] Hi duo loci appellantur à Cornificio *ſpecies efficiendi, & ſpecies cælandi.* ſolent enim nos impellere ad maleficia. *Idem.*

5 *An alio tempore.*] Hic locus appellatur à Cornificio *collatio*, quando omnes agendi facultates comparamus. *Idem.*

1 *Hic*

illo loco, *illo tempore*, *illo modo* sit aggressus: qui & ipse diligentissime tractatur pro eodem locus. An etiam si nulla ratione ductus est impetu, raptus sit, & absque sententia. Nam vulgo dicitur, *Scelera non habere consilium.* An etiam consuetudine peccandi sit allectus. Excussa prima parte, *an voluerit*: sequitur, *an potuerit.* [1] Hic tractatur *locus*, *tempus*: ut furtum in loco clauso vel recluso, frequenti vel solo: tempore vel diuturno, cum testes plures: vel nocturno, cum major difficultas. Inspiciuntur utique difficultates & occasiones, quæ sunt plurimæ, ideoque exemplis non egent. Hic sequens locus talis est, ut *si fieri non potuit*, sublata lis sit: *si potuit*, sequatur quæstio, *an fecerit.* Sed hæc etiam ad animi conjecturam pertinent: [2] nam & ex his colligitur *an speraverit.* Ideo spectari debent & instrumenta, ut Clodii ac Milonis comitatus. [3] Quæstio *an fecerit*, incipit à secundo tempore, id est præsenti: ac deinde conjuncto, hoc est insequenti: quorum sunt *sonus*, *clamor*, *gemitus*, *latitatio*, *metus*, similia. His accedunt signa, de quibus tractatum est. *Verba* etiam & *facta*, quæque antecesserunt, quæque insecuta sunt. Hæc aut nostra sunt, aut aliena. Sed verba magis nocent, aut minus. Magis nocent & minus prosunt nostra, quam aliena: magis prosunt & minus nocent aliena quam nostra. Facta autem interim magis prosunt nostra, interim aliena: ut si quid quod pro nobis sit, adversarius fecit. Semper vero magis nocent nostra quam aliena. Est & illa in verbis differentia, quod aut aperta sunt, aut dubia. Seu nostra seu aliena sunt, infirmiora in utrumque sint necesse est dubia: tamen nostra sæpe magis nocent,

1 *Hic tractatur locus.*] Hic locus pendet *ab occasione* & *opportunitate*, quam à loco & tempore petimus, cæterisque instrumentis. *Idem.*

2 *Nam ex his collig.*] Quando quæritur *de animi conjectura*, ab opportunitate aut difficultate suspiciones colligimus, *an aliquis voluerit & speraverit.* Idem

3 *Quæstio an fecerit.*] Duo superiores loci, *an voluerit*, *& an potuerit*, pertinent ad præteritum tempus. *præteritum* autem appellamus, quod factum præcessit, ut *futurum* quod factum est insecutum. ad hunc autem locum maxime pertinet *adjunctorum ratio.* Idem.

cent, ut in illa controversia: Interrogatus filius ubi esset pater, dixit, *Ubicunque est, vivit.* at ille in puteo mortuus est inventus. Aliena quæ sunt dubia, nunquam possunt nocere nisi aut incerto auctore, aut mortuo. Nocte audita est vox, *Caveto tyrannicidam:* & interrogatus cujus veneno moreretur, respondit, *Non expedit tibi scire.* Nam si est qui possit interrogari, solvet ambiguitatem. Cum autem dicta factaque nostra defendi solo animo possint, aliena varie refutantur. [1] De uno quidem maxime genere conjecturalium controversiarum locuti videmur, & in omnes aliquid de his cadit. [2] Nam *depositi, furti, creditæ pecuniæ,* & à facultatibus argumenta veniunt, an fuerit quod deponeretur: & à personis, an illum deposuisse apud hunc, vel huic credidisse credibile sit: an petitorem calumniari, an reum inficiatorem esse, vel furem. Sed etiam in furti reo, sicut in cœdis, [3] quæritur de facto, & de auctore. Crediti & depositi duæ sunt quæstiones, [4] sed nonnunquam junctæ, *an datum* sit, *an redditum.* Habent aliquid proprii, adulterii caussæ, [5] quod plerunque duorum discrimen est, & de utriusque vita dicendum: quanquam & id quæritur, an utrunque pariter defendi oporteat. Cujus rei consilium nascetur ex caussa. Nam si adjuvabit pars altera, conjungam: si nocebit, separabo. Ne quis autem mihi putet temere excidisse,

1 *De uno quidem.*] Quæ antea præcepit Fabius, magna ex parte intelligebantur de *causis cædis:* nunc autem exequitur quod est pollicitus. nam *lites* & *controversias* in suos revocat status & in suos locos. *Idem.*

2 *Nam depositi.*] *Actio* est *depositi,* quando id quod fidei tuæ est commissum, repetitur. porro hæ omnes controversiæ frequenter *in conjecturam* ideo cadunt, quia nulla possunt honesta ratione defendi, ut tantum superfit *inficiatio.* Idem.

3 *Quæritur de facto, & de auctore.*] Nam poterit uti hac divisione, *furtum non factum,* & *si tamen est factum, non ego feci.* qua quidem divisione antea utebatur Fab. in causa cædis. *Idem.*

4 *Sed nonnunquam junctæ.*] Si quidem ita legemus, ita tractabitur quæstio, *Non deposuisti, & si deposuisti, certe reddidi.* In vetustis codicibus aliter legitur, *sed nunquam junctæ,* videturque melior esse sensus. nam in depositio quæri potest aliquando an deposueris, deinde an redditum sit depositum, vix tamen simul. *Idem.*

5 *Quod plerunque duorum, &c.*] Idcirco duo sunt defendendi in adulterii crimine, quia lex pariter *adulterum & adulteram* punit, nec sinit adulterum sine adultera interfici & puniri. *Idem.*

1 *Codi-*

cidisse, quod plerunque duorum crimen esse adulterium, non semper, dixerim: potest accusari sola mulier incerti adulterii: Munera domi inventa sunt *pecunia*, cujus auctor non extat: [1] *codicilli*, dubium ad quem scripti. [2] In falso quoque ratio similis: Aut enim plures in culpam vocantur, aut unus. Et scriptor quidem semper tueri signatorem necesse habet, signator scriptorem non semper: nam & decipi potuit. His autem qui hos adhibuisse, & cui id factum dicitur, & scriptorem & signatores defendet. Iidem argumentorum loci in caussis proditionis & affectatæ tyrannidis. [3] Verum illa scholarum consuetudo ituris in forum potest nocere, quod omnia quæ in themate non sunt, pro nobis ducimus. *Adulterium objicis*, quis testis? quis index? quod pretium? quis conscius? *Venenum*, ubi emi? à quo? quando? quanti? per quem dedi? [4] *Pro reo tyrannidis affectatæ*, ubi sunt arma? quos contraxi satellites? Neque hæc nego esse dicenda, & ipsis utendum pro parte susceptæ. Nam & in foro, [5] siquando adversarius probare non poterit, desiderabo. Sed in foro tantum illam facultatem olim desideravimus, ubi non fere caussa agitur, ut non aliquid ex his, aut plura ponantur. Huic simile est, quod in epilogis quidam, quibus volunt, liberos, parentes, nutrices accommodant: nisi quod magis concesseris ea quæ non sint posita, desiderare, quam [6] dicere. De animo quo modo quæratur, satis dictum est, cum ita divisserimus, *an voluerit*, *an potuerit*, *an fecerit*. [7] Nam qua via tractatur an voluerit, eadem quo animo

1 *Codicilli.*] *Codicillos* appellat libellos amatorios, & epistolas amatorie scriptas, cujusce modi *duplices* & *triplices* Latini appellant. *Idem.*

2 *In falso quoque.*] *Crimen est falsi*, quando scripta vel tabulæ adulterantur, supponuntur, depravantur. punitur hoc crimen graviter *lege Cornelia de falsis.* Idem.

3 *Verum illa schol. &c.*] *Declamatores* reprehendit, qui translatitiis utuntur locis, nec à themate & litis proprietate ductis. verbi caussa, ab Hermogene locus conjecturalis ponitur probationum expetitio, quo semper fere rhetores utuntur, cum tamen hic locus raro cadat in caussas forenses, debeatque *declamatio* esse meditatio caussarum forensium. *Idem.*

4 *Pro reo.*] Alii, Pro Cœlio.

5 *Siquando.*] Alii, *Aliquando.*

6 *Dicere.*] Alii, *Adjicere.*

7 *Nam qua via tractatur, &c.*] Non tamen solum huic conjecturæ utilis est locus

mo fecerit. Id enim est, an male facere voluerit. [1] Ordo quoque rerum aut affert aut detrahit fidem, multo scilicet magis res prout congruunt, aut repugnant. Sed hæc nisi in ipso complexu causarum non deprehenduntur. Quærendum tamen semper, quid cui connectatur, & quid cui consentiat.

locus *an voluerit*, sed etiam *an potuerit*. Inde enim (ut antea docuit Fab.) colligitur *an speraverit*. Turneb.

1 *Ordo quoque.*] Præter superiora *dispositionis* præcepta, ait ordinem esse quendam cujusque rei proprium & nativum, qui pendet à naturali quodam rei ductu, nec potest ullis comprehendi præceptis. Hac de re pauca scripsit in *cap. de nar.* Idem.

CAP. III.

De finitione.

SEquitur conjecturam *finitio*. Nam qui non potest dicere 4
nihil feciſſe, proximum habebit ut dicat, non id feciſſe quod objicitur. Itaque plerunque legibus iisdem quibus conjectura, versatur, [1] defensionis tantum genere mutato: ut in *furtis*, *depositis*, *adulteriis*: Nam quemadmodum dicimus, *non feci furtum*, *non accepi depositum*, *non commisi adulterium*: ita, non est hoc furtum, non est hoc depositum, non est hoc adulterium. Interim à qualitate ad finitionem descenditur, [2] ut in actionibus *dementiæ*, *malæ tractationis*, *reipub. læsæ*. In quibus si recte facta esse quæ objiciuntur, dici non potest, illud succurrit, Non est hoc dementem esse, male tractare, rempub. lædere. *Finitio igitur est rei propositæ propria & dilucida & breviter comprehensa verbis enunciatio.* [3] Constat maxime, sicut est dictum genere, specie, differenti-

1 *Defensionis tantum genere mutato.*] Nam *in conjectura* simpliciter factum negatur, *in finitione* duntaxat facti appellatio: quocirca defensionis genus mutatur. *Idem.*

2 *Ut in actionibus dementiæ.*] Ex lege Athenienſium, parentes qui paulo negligentius rem familiarem administrabant, ab ejus administratione removebantur. *sic filii Sophoclis Sophoclem dementiæ accusarunt.* *Actio* autem *malæ tractationis* actio est uxoria, quando ait uxor se à marito male affici, ideoque vult divertere recepta dote. *Idem.*

3 *Constat maxime.*] Docuit Fab. l. 5. his *finitionem* constare. in quo sane Arist. refragatur, qui *definitionem* solo genere & differentia constare putat. sed Arist.

rentibus, propriis, ut si finias equum (noto enim maxime utar exemplo) genus est animal: [1] species, mortale: differentia, irrationale: (nam & homo mortale erat) proprium, hinniens. Hæc adhibetur orationi in pluribus causis. Nam tum est certum de nomine, sed quæritur quæ res ei subjicienda sit: tum res est manifesta, sed de nomine non constat. De re cum dubium est, interim conjectura est: ut si quæratur *quid sit deus.* Nam qui id neget, [2] *deum esse spiritum omnibus partibus immistum*, non hoc dicat, falsam esse illius divinæ naturæ appellationem, sicut Epicurus, qui [3] humanam ei formam, locumque inter mundos dedit: sed nomine uterque uno utitur: utrum sit in re, conjectat. Interim qualitas tractatur, ut *quid sit rhetorice, vis persuadendi, an bene dicendi scientia.* Quod genus est in judiciis frequentissimum. Sic enim quæritur, *an deprehensus in lupanari cum aliena uxore, adulter sit:* quia non de appellatione, sed de vi facti ejus ambigitur, an omnino peccarit. Nam si peccavit, non potest aliud esse quam adulter. [4] Diversum est genus, cum controversia consistit in nomine, quod pendet ex scripto, nec versatur in judiciis nisi propter verba, quæ litem generant. An *qui se interficit, homicida sit: an qui tyrannum in mortem compulit, tyrannicida: an carmina magorum, veneficium.* Res enim manifesta est, sciturque non idem esse occidere se, quod alium: non idem occidere tyrannum, quod compellere

de philosophica est loquutus. Boëtius quoque in libello de definitione ait *definitionem* constare quinque illis quæ prædicabilia vulgo appellantur. *Idem.*

1 *Species, mortale.*] Id ex opinione Platonis. existimat enim *stellas* & *corpora cælestia* non solum animalia esse immortalia, sed etiam deos. *Idem.*

2 *Deum esse spiritum.*] Hæc opinio Pythagoræ est. is enim existimavit deum esse quendam spiritum per omnia commeantem. sic Virg. *Principio cœlum & terras, &c.* Idem.

3 *Humanam ei formam.*] Epicurus (ut scribit Cic. *lib. primo de natura deorum*) μονογράμμους esse dicit deos, humana tamen figura, eosque locavit in *intermundiis.* id est, vacuis spatiis inter mundos, quos plures existimabat. *Idem.*

4 *Diversum est genus.*] Sæpenumero tamen *à verbis scripti* oritur controversia: quæ res plerosque impulit, ut Cornificium, uti *finitionem* statibus legalibus annumerarent: Fabio tamen est *rationalis*, quanquam lib. 3. eam esse dixit partim *verborum*, partim *rerum.* Idem.

1 *Quan-*

pellere ad mortem: non idem carmina, ac mortiferam potionem: quæritur tamen an eodem nomine appellanda sint. [1] Quanquam autem dissentire vix audeo à [2] Cicerone, qui permultos secutus auctores dicit *finitionem* esse de eodem & de altero (semper enim neganti aliquod esse nomen, dicendum quid sit potius) tamen in eandem treis habeo velut species. [3] Nam interim sic convenit quærere, an habendum sit adulterium in lupanari. Cum hoc negamus, non necesse est dicere quid id vocetur, quia totum crimen inficiamur. [4] Interim quæritur, *an hoc furtum, an sacrilegium:* non quia sufficiat non esse sacrilegium, sed quia necesse sit dicere quid sit aliud: quo in loco utrunque finiendum est. [5] Interim quæritur, in rebus specie diversis, an & hoc eodem modo sit appellandum, cum res utraque habeat suum nomen, ut *amatorium, venenum.* [6] In omnibus autem hujus generis litibus quæritur, an etiam hoc: quia nomen de quo ambigitur, utique in alia re certum est. *Sacrilegium est rem sacram de templo surripere:* num & privatam? *Adulterium, cum aliena uxore domi coire:* an & in lupanari? *Tyrannicidium, occidere tyrannum,* an etiam in mortem compellere? [7] Ideoque

1 *Quanquam autem.*] Nihil erat causæ quamobrem deberet Ciceronem reprehendere Fabius. nec enim Cic. *in Top.* ait in omni *finitione* quæri de eodem & alio, sed hanc esse unam *definitionis* formam. est autem ea quæ à dialecticis dicitur *per differentiam*, ut videatur calumniatorem agere Fabius. *Idem.*

2 *Cicerone.*] In Topicis.

3 *Nam interim sic convenit.*] Hæc species appellatur ab Hermogene *definitio simplex.* fit enim citra nominis substitutionem, sed alia atque alia affertur definitio. id est, ὁρισμὸς & ἀνθορισμός. *Idem.*

4 *Interim quæritur, an hoc furtum, &c.*] Hæc species est definitionis duplicis Hermogeni, ab eoque appellatur ἀντονομάζων. id est, *pronominans*, quia loco nominis nomen aliud substituimus. *Idem.*

5 *Interim quæritur in rebus.*] Hæc species ab Hermogene appellatur *definitio per syllepsim.* id est, comprehensionem. differt à secunda, quia in secunda alterum nomen rejicitur, alterum retinetur, in hac utrunque comprehenditur ab altera parte. *Idem.*

6 *In omnibus autem.*] Apud Hermogenem præterea sunt aliæ tres *finitiones*, quas omisit Fabius. *Idem.*

7 *Ideoque συλλογισμός.*] Maxima est affinitas inter *finitionem* & *syllogismum*: ideoque cum *definitionem* tueri non possumus, statim ad *ratiocinationem* delabimur. ut si non possimus dicere idem esse *nomen*, rem tamen similem esse ostendemus. *Idem.*

que συλλογισμὸς, de quo postea dicam, velut infirmior est finitio, quia hæc quæritur, an idem sit hujus rei nomen, quod alterius: illo, an perinde habenda sit hac, atque illa. [1] Est & talis finitionum diversitas, ut quidam sentiunt, num idem diversis verbis comprehendatur: ut *rhetorice, bene dicendi scientia*, & eadem bene inveniendi, & bene enunciandi, & dicendi secundum virtutem orationis, & dicendi quid sit officii. Atque providendum, an si sensu non pugnent, comprehensione dissentiant. Sed de his disputatur, non litigatur. Opus est aliquando finitione obscurioribus & ignotioribus verbis, ut quid sit [2] *clarigatio*. Erit & interim notis nomine verbis: ut *quid sit penus, quid littus*. Quæ varietas efficit, ut eam quidam conjecturæ, quidam qualitati, quidam legitimis quæstionibus subjecerint. [3] Quibusdam ne placuit quidem omnino subtilis hæc & ad morem Dialecticorum formata conclusio, ut in disputationibus potius per argumenta verborum cavillatrix, quam in oratoris officio multum allatura momenti. Licet enim valeat in sermone tantum, ut constrictum in vinculis suis habeat eum qui responsurus est, & vel tacere, vel etiam invitum id quod sit contra cogat fateri: non eadem est tamen ejus in caussis utilitas. Persuadendum enim judici est: qui etiam si verbis devinctus est, tamen nisi ipsi rei accesserit, tacitus dissentiet. [4] Agenti vero quæ tanta est hujus præcisæ comprehensionis necessitas? An si non dixero, *homo est animal rationale mortale*, non potero expositis tot corporis

1 *Est & talis finitionum.*] Dialectici agnoscunt etiam quindecim *finitionum* genera. cum igitur ita diverse res eadem finiatur, quærunt ac disputant contentiosissime, eodemne modo res hac diversitate definiatur. sed hoc nihil ad oratorem pertinet. nam hac de causa lis nunquam oritur in foro. *Idem.*

2 *Clarigatio.*] *Clarigatio* est rerum ablatarum repetitio, quæ fit clara voce à patre patrato. *Idem.*

3 *Quibusdam ne placuit quidem, &c.*] Adi si vacat Jan. Gebhard. Crepund. lib. 1. cap. 11. p. 6.

4 *Agenti vero.*] Significat Fabius oratorem non debere breviter definire, & ea lege quam præscribunt dialectici, sed *finitione* multo pleniori & copiosiori utendum esse. cujusmodi sunt *descriptiones*, quibus potius utuntur oratores. *Turneb.*

ris animique proprietatibus latius oratione ducta vel à diis eum vel à mutis discernere? Quid, quod nec uno modo definitur res eadem, sed latiore, varioque tractatu? ut facit Cicero, ut omnes oratores plerunque fecerunt. Rarissima enim apud eos reperietur illa ex consuetudine philosophorum ducta servitus (est enim certe servitus) ad certa se verba adstringendi. Idque faciendum in libris Ciceronis *de oratore* vetat M. Antonius. Nam est etiam periculosum, cum si uno in verbo sit erratum, tota causa cecidisse videamur, optimaque est illa media via, qua utitur Cicero pro Cecinna, *ut res proponatur, verba non periclitentur.* Etenim, recuperatores non ea sola vis est, quæ ad corpus nostrum vitamque pervenit, sed etiam multo major ea quæ periculo mortis injecto, formidine animum perterritum loco sæpe & certo statu dimovet. Aut cum finitionem præcedit probatio, ut in [1]Philippicis Cicero Servium Sulpitium occisum ab Antonio colligit, & in Clausula demum ita finit, *Is ei profecto mortem attulit, qui caussa mortis fuit.* Non negaverim tamen hæc quoque ut expedit caussæ, esse facienda, & si quando firma comprehendi poterit, & brevi complexu verborum finitio, esse id tum elegans, tum etiam fortissimum, si modo erit illa inexpugnabilis. [2] Ejus certus ordo est, quid sit, an hoc sit, & in hoc fere labor major est, ut finitionem confirmes quam ut in rem finitionem applices. In eo, quid sit, duplex opus est. Nam & nostra confirmanda est, & adversæ partis destruenda finitio. Ideoque in schola, ubi nobis ipsis fingimus contradictionem, duos ponere debemus fines, quales utrinque esse optimi poterunt. [3] At in foro providendum, num forte supervacua, & nihil ad caussam

1 *Philippicis.*] Philip. 9.

2 *Ejus certus ordo est.*] *Dispositionem* capitum finitionis & tractationem ponit Boëtius aliquanto fusius. ait enim primum *definiendum* esse, mox *definitionem* confirmandam, deinde adversarii *finitionem* infirmandam, postremo *finitionem* nostram ad speciem deducendam & applicandam. *Idem.*

3 *At in foro.*] Tractat quædam *finitionis vitia*, quæ tamen non sunt ejus duntaxat propria, sed etiam argumentorum reliquorum, ut est apud Ciceronem *in lib. de Inventione.* Idem.

sam pertinens, *an ambigua, an contraria, an communis sit finitio:* quorum nihil non accidere agentis culpa potest. Ut recte autem finiamus, ita fiet, si prius in animo constituerimus, quid velimus efficere. Sic enim accommodari ad voluntatem verba poterunt. Atque ut à notissimo exemplo, quo sit res lucidior, non recedamus: *Qui privatam pecuniam de templo surripuit, sacrilegii reus est.* Culpa manifesta. quæstio est, an huic crimini nomen quod est in lege, conveniat. Ergo ambigitur, an hoc sacrilegium sit. [1] Accusator, quia de templo sit surrepta pecunia, utitur hoc nomine. Reus, quia privatam surripuerit, negat esse sacrilegium, sed furtum. Actor ergo ita finiet, *Sacrilegium est surripere aliquid de sacro.* Reus ita finiet, *Sacrilegium est surripere aliquid sacri.* Uterque alterius finitionem impugnat. [2] Ea duobus generibus evertitur, si aut falsa est, aut parum plena. Nam illud tertium nisi stultis non accidit, ut nihil ad quæstionem pertineat. Falsa est, si dicas, *Equus est animal rationale:* nam est equus animal, sed irrationale. Quod autem commune cum alio est, desinet esse proprium. Hic reus falsam dicit esse finitionem accusatoris: accusator autem non potest dicere falsam rei. Nam est *sacrilegium, surripere aliquid sacri.* Dicit parum plenam: adjiciendum enim, aut *ex sacro.* Maximus autem usus in approbando refellendoque fine propriorum ac differentium, nonnunquam etiam etymologiæ. Quæ tamen omnia, sicut in cæteris, confirmat æquitas, nonnunquam etiam conjectura mentis. Etymologia maxime rara est. Quid enim est aliud *tumultus,*

1 *Accusator.*] Accusator *finitionem* sacrilegii sumit *à loco*, re omissa: reus autem *finitionem* ducit *à re*, loco omisso: jurisconsulti tamen deciderunt hanc controversiam posterioribus seculis, dixeruntque duntaxat *commune esse furtum*, si quis rem privatam de loco sacro surripiat. existimant tamen hoc factum aliquanto gravius esse puniendum. *Idem.*

2 *Ea duobus generibus.*] *Finitio* adversarii (ut ait Boëtius) bifariam impugnatur, vel à vitiis definitionis, vel cum *finitionem* quidem concedimus, sed nostram meliorem comparamus & contendimus. posterius membrum omisit Fabius. Porro *vitia finitionis* sunt, si amplius complectitur, vel si minus, aut si falsa est. addit Cicero, si definitio est turpis aut inutilis. *Idem.*

1 *An*

tus, nisi perturbatio tanta, ut major timor oriatur? Unde etiam nomen ductum est *tumultus*. Circa propria ac differentia magna subtilitas: ut cum quæritur, [1] an addictus, quem lex servire, donec solverit, jubet, servus sit: altera pars finit ita, *Servus est, qui est jure in servitute*. Altera, *qui in servitute est eo jure, quo servus*: aut, ut antiqui dixerunt, qui servitutem servit. Quæ finitio etiam si constat æquo; nisi tamen propriis & differentibus adjuvetur, inanis est. Dicet enim adversarius, servire eum servitutem, aut eo jure quo servum. Videamus ergo propria differentiaque liberorum, quæ *libro quinto* leviter in transitu attigeram. *Servus* cum manumittitur, fit libertinus: *addictus* recepta libertate est ingenuus. *Servus* invito domino libertatem non consequetur: *addictus* solvendo, citra voluntatem domini consequetur. [2] *Ad servum* nulla lex pertinet: *addictus* legem habet. [3] Propria liberi, quæ nemo habet nisi liber, prænomen, nomen, cognomen, tribum: habet hæc *addictus*. Excusso quid sit, prope peracta est quæstio, an hoc sit. Id enim agimus, ut sit causæ nostræ conveniens finitio. Potentissima autem est in ea qualitas, an amor, an insania. Huc pertinebunt probationes, [4] quas Cicero dicit proprias esse finitionis, *ex antecedentibus, consequentibus, adjunctis, repugnantibus, causis, effectis, similibus*: de quorum argumentorum natura dictum est: [5] Breviter autem pro Cecinna Cicero *initia, causas, effecta, antecedentia, consequentia* complexus

1 *An addictus, quem lex, &c.*] Cic. pro Flacco. Heraclides quidam Hermippo addictus est, cum judicatum non faceret. *Pith.*

2 *Ad servum nulla, &c.*] *Servi*, ex sententia jurisconsultorum, *caput non habent*: quocirca jus civile ad eos non pertinet, cum cives non sint, nec proinde lex ulla. *Turneb.*

3 *Propria liberi.*] Servi olim nomen suorum herorum habebant, ut docet Plinius. unde dicebantur *Marcipores, Publipores*. id est, servi Publii, aut Marci. aut certe nomen intelligit ipsius familiæ & gentis, quod deerat servis. *Idem.*

4 *Quas Cic. dicit.*] Ex Cic. aliter hic locus est legendus, consequentibus, repugnantibus, adjunctis causis & effectis, ut *adjunctum* non sit loci nomen, sed nomen adjectivum. alioqui *locus ab adjunctis* proprius est conjecturæ, non finitionis. *Idem. Quas Cic. dicit.*] In Topicis.

5 *Breviter.*] Lib. 5.

plexus est: Quid igitur? *fugiebant propter metum? Quid metuebant? Vim videlicet.* Potestis igitur principia negare, cum extrema conceditis? Sed similibus quoque usus est, Quæ vis in bello appellatur, ea in ocio non appellabitur? Sed ex contrario argumenta ducuntur, ut si quæratur *an amatorium, venenum sit necne: quia venenum, amatorium non sit.* Illud alterum genus, quo sit manifestius adolescentibus meis, (meos enim semper adolescentes putabo) hic quoque fictæ controversiæ utar exemplo. *Juvenes qui convivere solebant, constituerunt ut in littore cœnarent. Unius, qui cœnæ defuerat, nomen tumulo quem extruxerant, inscripserunt. Pater ejus à transmarina peregrinatione cum ad littus idem appulisset, lecto nomine suspendit se.* Dicuntur hi caussa mortis fuisse. Hîc finitio est accusatoris, Per quem factum, est ut quis perierit, caussa mortis est, *Rei est, Qui fecit quid sciens, per quod perire homini necesse esset.* Remota finitione, accusatori sat est dicere, Caussa mortis fuistis; per vos enim factum est ut homo periret: quia nisi vos illud fecissetis, viveret. Contra, non statim, per quem factum est, ut quis periret, is damnari debet, ut *accusator, testis, judex rei capitalis.* Nec undecunque caussa fluxit, ibi culpa est: ut si cui quis profectionem suaserit, ut ad amicum accedat trans mare: & is naufragio perierit. Ad cœnam invitarit, & is cruditate illic contracta decesserit. Nec fuit in caussa mortis solum adolescentium factum, sed creduditas senis, & in dolore ferundo infirmitas; denique si fortior fuisset aut prudentior, viveret. Nec mala mente fecerunt: & ille potuit vel ex loco tumuli, vel ex opere tumultuario suspicari non esse monumentum. Quî ergo puniri debent, in quibus omnia sunt homicidæ præter manum? Est interim certa finitio, de qua inter utranque partem convenit: ut [1] Cicero dicit, *Majestas est in imperio, atque in omni populi Romani dignitate.* Quæritur tamen, an majestas minuta sit, ut in caussa Cornelii quæsitum est, sed hîc

1 *Ut Cicero.*] In Partit.

1 *Qua-*

hîc etiam similis videri potest finitivæ: tamen quia de finitione non ambigitur, judicatio est qualitas, atque ad eum potius statum reducenda, ad cujus forte quadam venimus mentionem, sed & erat ordine proximus locus.

CAP. IV.

De [1] *qualitate.*

EST autem qualitas alia de summo genere, atque ea 5 quidem non simplex. Nam & qualis sit cujusque rei natura, & quæ forma, quæritur: *an immortalis anima, an humana specie Deus:* & de magnitudine ac numero, *quantus sol, an unus mundus.* Quæ omnia conjectura quidem colliguntur, quæstionem tamen habent in eo, *qualia* sint. Hæc & in suasoriis aliquando tractari solent, [1] *ut si Cæsar deliberet, an Britanniam impugnet: quæ sit Oceani natura, an Britannia insula,* (nam tum ignorabatur) *quanta in ea terra, quo numero militum aggredienda, in consilium ferendum sit.* Eidem qualitati succedunt facienda, ac non facienda: appetenda, vitanda: quæ in suasorias quidem maxime cadunt, sed in controversiis quoque sunt frequentia: hac sola differentia, quia illic de futuris, hîc de factis agitur. [2] Item demonstrativæ partis omnia sunt in hoc statu: factum esse constat: quale sit factum, quæritur. Lis est omnis aut *de præmio*, aut *de pœna*, aut *de quantitate.* Igitur primum genus caussæ, aut simplex,

1 *Qualitate.*] Qualitas & ποιότης & ποσότης significant.

2 *Est autem qualitas.*] *Qualitas de summo genere* est, in qua quæritur de tota rei natura. adjicit ei etiam *quantitatem* Fab. Hæc quæstio non solet cadere in causas forenses. Alia est *quæstio de rebus qualitati subjectis*, ut de honesto & turpi, de utili & inutili, justo & injusto: hæc quæstio in causas *deliberativas, demonstrativas, judiciales* sæpe cadit. *Turnebus.*

3 *Ut si Cæsar.*] Cæsar cum in Galliis esset, resque gereret, naves extruxit, ac *in Britanniam* trajecit, hactenus fama & nomine duntaxat cognitam: *Britannos* aliquot præliis afflixit, regique tributum imposuit, & obsides imperavit. *Idem.*

4 *Item demonstrativæ.*] *Deliberativa* materia & *demonstrativa* maxime continetur *qualitate.* alii tamen *status* in eas causas cadere possunt, ut docuit Fab. lib. 3. Trapezuntius certe existimat *statum pragmaticum*, in quo de faciendo vel non faciendo quæritur, semper cadere in *deliberativam* materiam. *Idem.*

plex, aut comparativum. Illic quid æquum, hîc quid æquius, aut quid æquissimum sit, excutitur. Cum de pœna judicium est, à parte ejus qui caussam dicit, aut *defensio est criminis*, aut *imminutio*, aut *excusatio*, aut, ut quidam putant, *deprecatio*. *Defensio* longe potentissima est, qua ipsum factum quod objicitur, dicimus honestum esse. *Abdicatur aliquis, quod invito patre militarit, honores petierit, uxorem duxerit:* tuemur quod fecimus. [1] Partem hanc vocant Hermagorei κατ' ἀντίληψιν ad intellectum id nomen referentes. Latine ad verbum translatum non invenio: *absolutam* appellant. Sed enim de re sola quæstio, justa sit ea, necne: [2] justum omne continetur natura vel constitutione. Natura, quod sit secundum cujusque rei dignitatem. Hæc sunt *pietas, fides, continentia*, & alia. Adjiciunt & id quod sit par. verum id non temere intuendum est. [3] Nam & vis contra vim, & talia, nihil habent adversum eum qui prior fecit injuste: & non quoniam res pares sunt, etiam id est justum, quod antecessit. Illa utrinque justa, eadem lex, eadem conditio: ac forsitanne sint quidem paria, quæ ulla parte sunt dissimilia. Constitutio est in lege, more, judicato, pacto. Alterum est defensionis genus, in quo factum per se improbabile, assumptis extrinsecus auxiliis tuemur: [4] id vocant ἀντιθετικὸν. Latini hoc quoque non ad verbum transferunt.

1 *Partem hanc vocant Hermag.*] Sic quoque appellat Hermogenes, qui in multis est imitatus Hermagoram. ἀντίληψις verti potest ad verbum *defensio*, quoniam factum simpliciter defendimus: Latini *absolutam* vocant *qualitatem*, quia absolute & simpliciter factum tuemur. *Idem.*

2 *Justum omne.*] *Justum* est natura, *jus* illud naturale, quod nostris animis sponte est insitum: *justum* constitutione *jus* est illud, quod hominum institutione & legibus continetur. docet ergo Fab. quænam esse debeat tractatio in *qualitate absoluta*. Idem.

3 *Nam & vis.*] *Vis* contra *vim* par existimatur, male tamen: nam qui prior vim infert, magis peccat: nec si magistratus aliquis vim illam pari repulerit, effecerit ut non prior ille qui vim fecit peccaverit. Forte tamen hoc loco, *talio* commode legi possit, quam induxerat lex duodecim tabularum apud Romanos. ejus ea est ratio, ut *si oculum eruerit, oculus tibi eruatur*. Idem.

4 *Id vocant.*] Appellant ἀντίθεσιν, id est, *oppositionem*, ἀντιθετικὴν, propterea quod adversus factum improbabile quod objicitur, aliquid extrinsecus opponimus. *Idem.*

1 Ἀντί-

runt. Assumptiva enim dicitur caussa. In quo genere fortissimum est, si crimen caussa facti tuemur, qualis est *defensio Orestis*, *oratio Milonis*. [1] ἀντέγκλημα dicitur, quia omnis nostra defensio constat ejus accusatione, qui vindicatur. *Occisus est, sed latro*, [2] *exectus, sed raptor.* Est & ita ex caussis facti ducta defensio priori contraria, in qua neque factum ipsum per se, ut in absoluta quæstione defenditur: neque ex contrario facto, sed ex aliqua utilitate aut reip. aut hominum multorum, aut etiam ipsius adversarii, nonnunquam & nostra, si modo id erit quod facere nostra caussa fas sit: quod sub [3] extrario accusatore & legibus agente prodesse nunquam potest, in domesticis disceptationibus potest. Nam & filiis pater in judicio abdicationis, & maritus uxori, si malæ tractationis accusabitur, & patri filius, si dementiæ caussa erit, non inverecunde dicet [4] multum sua interfuisse. In quo tamen incommoda vitantis melior quam commoda petentis est caussa. Quibus similia etiam in vera rerum quæstione tractantur. Nam quæ in scholis *abdicatorum*, hæc in foro *exhæredatorum* à parentibus, & bona apud consules repetentium ratio est. quæ illic malæ tractationis, hîc [5] rei uxoriæ, cum quæritur [6] utrius culpa divortium factum sit. quæ illic dementiæ, hîc [7] petendi curatoris. [8] Subjacet

1 Ἀντέγκλημα.] Ἀντέγκλημα verti potest *recriminatio*, à Latinis vertitur *relatio criminis*, quia criminis caussa retorquetur in eum qui passus est. *Idem.*

2 *Exectus.*] Cautum est jure civili, ne quis *eunuchus* fiat. id etiam postea vetitum est canonibus sanctorum patrum. *Idem.*

3 *Extrario accusatore.*] *Extrarium* appellat *accusatorem*, qui nobis consanguineus non est, non domesticus, non familiaris. *lege agere* vocat, ex legum præscripto actionem intendere, aut aliquid petere. *Idem.*

4 *Multum sua interfuisse.*] Ipsum enim quod interest, dupliciter accipitur: ejus qui incommoda vitat, & qui petit commoda. *Pith.*

5 *Rei uxoriæ.*] *Quæstio* est *rei uxoriæ*, cum facto divortio disceptatur apud judices de dote. nam si mulieris culpa factum est *divortium*, pars dotis remanet apud virum: sin viri culpa, integra dos recipitur à muliere. *Turneb.*

6 *Utrius culpa divortium factum.*] Boëth. Judicium uxoriæ rei est, quotiens post divortium de dote contentio est. *Pith.*

7 *Petendi curatoris.*] *Furiosi* & *dementes* in perpetua sunt cura, neque unquam suorum bonorum sunt domini. *curatores* autem dicuntur, qui tanquam tutores adultis præficiuntur. *Turneb.*

8 *Subjacet utilitati.*] Non solum est *in comparatione* collatio *boni majoris*, verum

jacet utilitati etiam illa defensio, si pejus aliquid futurum fuit. Nam in comparatione malorum, boni locum obtinet levius: *ut si Mancinus fœdus Numantinum sic defendat, quod periturus, nisi id factum esset, fuerit exercitus Romanus.* Hoc genus [1] ἀντίστασις Græce nominatur: *comparativum* nostri vocant. Hæc circa defensionem facti: quæ si neque per se ipsam, neque adhibitis auxiliis dabitur, proximum est in alium transferre crimen, si possumus. Ideoque etiam in hos qui jam scripti sunt status, visa est cadere [2] translatio. Interdum ergo culpa in hominem relegatur: [3] *ut si Gracchus reus fœderis Numantini, cujus metu, leges populares tulisse in Tribunatu videtur, missum se ab imperatore suo diceret.* Interim derivatur in rem: ut *si is qui testamento quid jussus non fecerit, dicat per leges id fieri non potuisse.* Hoc μετάστασιν dicunt. [4] Exclusis quoque his, *excusatio* supereſt. Ea est aut ignorantiæ: *ut si quis* [5] *fugitivo stigmata scripserit, eoque ingenuo judicato neget, se liberum eum scisse.* Aut necessitatis: [6] *ut cum miles ad commeatus diem non affuit, dicit se fluminibus intercluſum aut valetudine.* Fortuna quoque sæpe substituitur culpæ nonnunquam male feciſſe nos, sed bono animo dicimus. Utriusque rei multa & manifesta exempla sunt. Idcirco non

rum etiam *minoris.* nam malum minus si cum graviore comparetur, videtur habere boni momentum. *Idem.*

1 Ἀντίστασις.] Ne ista quidem dictio à Latinis transfertur ad verbum. dici tamen potest *obstantia*, quoniam comparato bono obstamus & resistimus. vox tamen Latina perfectius exponit status vim. *Idem.*

2 *Translatio.*] *Translatio criminis*, quæ μετάστασις dicitur ab Hermagora & Hermogene, est, cum crimen transferimus in rem extraneam aut personam. est & alia *translatio* quæ eludit actionem & transfert: de qua non agimus hoc loco. *Idem.*

3 *Ut si Gracchus.*] *Numantini* cum Mancino pacem facere noluerunt, nisi legato Tiberio Graccho: usque adeo *Numantini* eum amabant. hoc nomine accusatus est Romæ Tiberius, sed ope Scipionis & populi, aversa est tota accusatio à Graccho ad Mancinum. *Idem.*

4 *Exclusis quoque his, &c.*] Appellat Fab. *excusationem*, quam cæteri rhetores appellant *purgationem*, cum fatemur nos male feciſſe, sed tamen rejicimus culpam aut *in fortunam*, aut *imprudentiam*, aut *necessitatem.* Idem.

5 *Fugitivo stigmata.*] Notæ quædam in fronte *fugitivis* inurebantur. sed & *Thraces nobiles* frontem suam compungebant *stigmatibus.* id in liberum facere non licebat ex jure civili. *Idem.*

6 *Ut cum miles.*] Miles qui non adest ad diem commeatus, gravissime punitur, ut *emansor* & *desertor.* Idem.

1 *Status*

non est eorum necessaria expositio. Si omnia quæ supra scripta sunt deerunt, videndum an minui culpa possit. Hîc est ille qui à quibusdam dicitur [1] *status quantitatis*. Sed ea cum sit aut *pœnæ*, aut *honoris*; ex qualitate facti constituitur: eoque nobis sub hoc esse statu videtur: sicut ejus quoque quæ ad numerum refertur à Græcis. nam & ποιότητα, & ποσότητα dicunt, nos utrumque eadem appellatione complectimur. [2] Ultima est *deprecatio*: quod genus caussæ plerique negarunt in judicium unquam venire. Quin Cicero quoque pro Quinto Ligario idem testari videtur, cum dicit, *Caussas Cæsar egi multas, & quidem tecum, dum te in foro tenuit ratio honorum tuorum*: certe nunquam hoc modo, *Ignoscite judices, erravit, lapsus est, non putavit, si unquam posthac, & cætera.* In senatu vero, & apud populum, & apud principem, & ubicunque juris clementia est, habet locum *deprecatio*. In qua plurimum valet, ex ipso qui reus est, hæc tria in vita præcedere, *si innocens, si bene meritus, si spes in futurum innocenter victuri, & in aliquo usu futuri*: præterea si vel aliis incommodis, vel præsenti periculo, vel pœnitentia videatur satis pœnarum dedisse. Extra, *nobilitas, dignitas propinqui, amici.* In eo tamen qui cognoscit, plurimum ponendum, si laus eum misericordis potius quam reprehensio dissoluti consecutura est. Verum & in judiciis etiam si non toto genere caussæ, tamen ex parte magna hic locus sæpe tractatur. Nam & divisio frequens est, etiam si fecisset, ignoscendum fuisse, idque [3] in caussis dubiis sæpe prævaluit: & epilogi omnes in eadem fere materia versari solent. Sed nonnunquam etiam reus hîc totius summam constituit,

1 *Status quantitatis.*] Fab. lib. 3. scripsit Theodorum ac pleroſque rhetoras Græcos *ſtatum* posuisse *quantitatis*, ejusque duplicis, continuæ & discretæ. *quantitatem* tamen Fab. subjicit *qualitati*. Idem.

2 *Ultima est deprecatio.*] *Duplex* est *deprecatio*, altera in qua posita est tota causa: ea locum non habet apud eos judices qui ex legum præscripto judicant. Altera est quæ est pars causæ, ac substituitur defensioni fere semper ante conclusionem aut in conclusione: ea locum habet sæpenumero in *causis forensibus*. Idem.

3 *In causis dubiis.*] Dubiis argumentis, factumne, an non factum esset.

ſtituit, [1] *ſi exhæredatum à ſe filium pater teſtatus fuerit elogio:* propterea quod is meretricem amaverit. Nam omnis hîc quæſtio, an huic delicto pater debuerit ignoſcere, & centumviri tribuere debeant veniam. Sed etiam in formulis, cum pœnariæ ſunt actiones, nos ita cauſſam partimur, [2] an commiſſa ſit pœna, an exigi debeat. Id autem quod illi viderunt, verum eſt, reum à judicibus hoc defenſionis modo liberari non poſſe. *De præmiis* autem quæruntur duo, *an ullo ſit dignus* qui petit: *an tanto:* ex duobus, *uter dignior:* ex pluribus, *quis dignißimus.* Quorum tractatus ex ipſo meritorum genere ducuntur. Et intuebimur non rem tantum, ſive alleganda, ſive comparanda erit: ſed perſonam quoque. Nam & multum intereſt, *tyrannum juvenis occiderit, an ſenex: vir, an fœmina: alienus, an conjunctus.* Et locum multipliciter, in civitate tyrannis aſſueta, an libera ſemper: *in arce, an domi.* Et quomodo factum ſit, *ferro, an veneno.* Et quo tempore, *bello, an pace:* an cum depoſiturus eſſet eam poteſtatem, an cum aliquid novi ſceleris auſurus. Habetur in meritis, gratia, periculum quoque, ac difficultas. Similiter liberalitas à quo profecta ſit, refert. Nam in paupere gratior quam in divite, dante beneficium quam reddente, patre quam orbo. Item *quam rem* dederit, & *quo tempore, & quo animo:* id eſt, num in aliquam ſpem ſuam, ſimiliter alia. [3] Et ideo qualitas, maxima oratoris recipit opera: quia in utranque partem plurimum eſt ingenio loci, nec uſquam tantum affectus valent. [4] Nam conjectura extrinſecus quoque adductas frequenter probationes habet, & argumenta ex materia ſumit: & quale quidque videatur, elo-

1 *Si exhæredatum à ſe filium.*] Poſſunt liberi à parentibus exhæredari, ſi flagitioſe vivant. liberi tamen præteriti teſtamento, aut exhæredati, poſt mortem patris habent *actionem inofficioſi teſtamenti.* Turneb.

2 *An commiſſa ſit pœna.*] *Committere pœnam* locutio eſt & phraſis juriſconſultorum, qua ſignificant aliquid eſſe factum propter quod irrogari debeat pœna. *Idem.*

3 *Et ideo qualitas.*] *Qualitas* maxime eſt *oratoria*, ideoque Hermogenes in omnibus ſtatibus ponit *qualitatem communem* ad amplificandum. denique à qualitate pendent omnes loci communes. *Idem.*

4 *Nam.*] Alii, *Etiam.*

1 *Huic*

eloquentiæ opus est: hîc regnat, hîc imperat, hîc sola vincit. [1] Huic parti subjungit Virginius causlas abdicationis, dementiæ, malæ tractationis, [2] orbarum nuptias indicentium. Nam & judicium fere sic accidit, inventique sunt, qui has [3] materias *officiorum* vocarent. Sed alios quoque nonnunquam hæ leges recipiunt status: Nam & conjectura est aliquando in plerisque horum, cum se vel non fecisse, vel bona mente fecisse contendunt. Cujus generis exempla sunt multa. Et quid sit dementia, ac mala tractatio, finitur. [4] Nam juris quæstiones plerunque leges præcurrere solent, & ex quibus causlis non [5] fiat statutum. Quod tamen facto defendi non poterit, jure nitetur. Eo quot & quibus causlis abdicare non liceat, & in quæ crimina malæ tractationis actio detur, & cui accusare dementiæ non permittatur. [6] Abdicationum formæ sunt duæ: altera criminis perfecti, ut si abdicetur *raptor*, *adulter*. [7] Altera imperfecti, velut pendentis, & adhuc in conditione positi: *quales sunt in quibus abdicatur filius, qui non pareat patri.* Illa semper asperam abdi-

1 *Huic parti.*] Quod *in conjectura* fecit, ut controversias statui applicaret, idem nunc quoque exequitur *in qualitate*, sed tamen Virginium reprehendit, qui has causas *in qualitatem* semper cadere existimarit, cum frequenter in alios quoque status incidant. *Turneb.*

2 *Orbarum nuptias indicentium.*] Thema est declamatorium *ex lege Athenienſium* sumptum. poterat enim apud Athenienses orba propinquum in conjugium petere, ut apparet ex Phormione Terentii. *Idem.*

3 *Materias officiorum.*] Idcirco vocantur *materiæ officiorum*, propterea quod à faciendis & non faciendis pendent, maximeque à propinquitatis & affinitatis pietate. *Idem.*

4 *Nam juris quæstiones.*] Forte sic legendum, *Nam juris plerunque quæstiones præcurrere solent:* hoc sensu, ut ante quam tractetur status qualitatis, statum aliquem legalem exequamur, an videlicet ita sit lex accipienda. sin hanc sequemur lectionem, *leges* accipiemus pro *controversiis* quæ à lege abdicationis, dementiæ, malæ tractationis proficiscuntur. *Idem.*

5 *Fiat statutum.*] Al. *Non fiant status.*

6 *Abdicationum formæ sunt duæ.*] Solebant Græci filios suos ob delictum aliquod abdicare, atque è conspectu removere, & tum filii dicebantur ἐκπίπτειν τοῦ γένους: quum autem cum patre in gratiam redirent, ἀναλαμβάνεσθαι εἰς τὸ γένος. Vide Casaub. ad Diog. Laërtium, & Meurs. Commentar. ad Lyophron. pag. 205. *Pareus.*

7 *Altera imperfecti.*] Appellat *imperfectum crimen*, quod adhuc est in ipso actu, atque etiamnum fit, quod appellat *pendens*, ea ratione qua dicimus *reos pendentes* qui adhuc sunt in reatu, quanquam eorum causa nondum est ad absolutionem aut ad condemnationem perducta. *Idem.*

1 *Patris*

abdicantis actionem habet, (immutabile est enim quod factum est) hæc ex parte blandam, & suadenti similem. Mavult enim pater *corrigere*, quam *abdicare*. At pro filiis in utroque genere summissam, & ad satisfaciendum compositam. A quo dissensuros scio, qui libenter [1] patris figuram lædunt: quod non ausim dicere nunquam esse faciendum (potest enim materia incidere quæ hoc exigat) cæterum videndum est quoties aliter agi potest. Sed *de figuris* alio libro tractabimus. Non dissimiles autem abdicationum actionibus sunt *malæ tractationis actiones*. Nam & ipsæ habent eandem in accusationibus moderationem. *Dementiæ* quoque *judicia*, aut propter id quod factum est, aut propter id quod adhuc fieri vel non fieri potest, instituuntur: & actor in eo quod factum est, liberum habet impetum: sic tamen, ut factum accuset, ipsius patris tanquam valetudine lapsi misereatur, in eo vero cujus libera mutatio est, diu roget & suadeat, & noviſſime dementiam rationi queratur obstare, non mores: quos quanto magis in præteritum laudaverit, tanto facilius probabit morbo esse mutatos. [2] Reus, quoties caussa patietur, debebit esse in defensione moderatus, quia fere ira, contentio, & concitatio furori sunt similia. Omnibus his commune est, quod rei non semper defensione facti, sed excusatione ac venia frequenter utuntur. [3] Est enim domestica disceptatio, qua & semel peccasse, & per errorem, & levius quam objiciatur, absolutioni nonnunquam sufficit. Sed alia quoque multa contro-

1 *Patris figuram.*] *Figuram* appellat Fabius quandam orationis formam, quæ *simulationem* & *colorem* quendam habet. fit autem plerunque cum per quandam suspicionem quod non dicimus, accipi volumus: ut *pater simulat se malle filium corrigere, quam abdicare.* hac de re Fabius aget *lib.* 9. pluribus. *Idem.*

2 *Reus quoties, &c.*] Pater qui *dementiæ* accusatur, oratione submissa & moderata uti debet, quia si in affectus vehementes prorumperet, orationeſe jugularet ac se furiosum ostenderet. est enim *affectus gravior* similis furori. *Idem.*

3 *Est enim domestica.*] Antea docuit Fabius *deprecationem* per se in forum non cadere, nunc tamen ait quandam veluti superioris dicti interpretationem, eam in causas domesticas cadere interdum; quales sunt *inter filium & patrem, maritum & uxorem.* Idem.

1 *Inju-*

controversiarum genera in qualitatem cadunt. [1] *Injuriarum:* [2] quanquam enim reus aliquando feciſſe negat, plerunque tamen hæc actio facto atque animo continetur. De accuſatore conſtituendo, quæ judicia *divinationes* vocantur: in quo genere Cicero quidem qui mandantibus ſociis [3] Verrem accuſabat, hac uſus eſt diviſione, ſpectandum â quo maxime agi velint hi quorum de ultione quæritur: à quo minime velit is qui accuſatur, frequentiſſime tamen hæ ſunt quæſtiones, *uter majores cauſſas habeat, uter plus induſtriæ aut virium ſit allaturus ad accuſandum, uter id meliore fide facturus.* Tutelæ præterea: in quo judicio ſolet quæri, an alia de re quam de calculis cognoſci oporteat: [4] *an fides præſtari debeat tantum*, non etiam conſilium & eventus. Cui ſimile eſt [5] male geſtæ procurationis in foro [6] negociorum geſtorum: nam & mandati actio eſt. Præter hæc finguntur in ſcholis & [7] ſcripti maleficii, in quibus aut hoc quæritur, *an ſcriptum ſit:* aut hoc, *an maleficium ſit:* raro utrunque. Malæ geſtæ legationis apud Græcos & veris cauſſis frequens: ubi juris loco quæri ſolet, *an omnino aliter agere quam mandatum ſit, liceat: & quouſque ſit legatus:* [8] quoniam aliæ

1 *Injuriarum.*] In injuriis plerunque eſt *qualitas*, ut quando quæritur *factumne illud ſit injurioſum.* plerunque quoque *de animo* quæritur: nam injuria conſtat affectione facientis. unde *impubes* & *furioſus* injuriam non faciunt. *Idem.*

2 *Quamquam enim reus, &c.*] Furti item cum facto enim etiam animum furis, furtim exig. Diog. ad L. Aquil. ſignis teſtram. *Pith.*

3 *Verrem.*] Act. I.

4 *An fidem præſtare.*] Apud Cic. in Top. *fidem præſtare* interpretantur pro *ſatisdare* & *fidejuſſores præbere.* hic tamen ſimpliciter accipiendum eſt pro *fideliter ſeſe gerere in alicujus rei adminiſtratione:* quomodo apud Cic. quoque optime acciperetur. *Turneb.*

5 *Male geſtæ procur.*] Quam actionem rhetores male geſtæ procurationis appellant. πραγματικοὶ verſantes in foro, negotiorum geſtorum eſt mandati. *Pithœus.*

6 *Negotiorum geſtorum.*] *Actio eſt negotiorum geſtorum*, ut tradunt juriſconſulti, quando aliquis ultro vel neceſſitate quadam, abſentis negotia ſine mandato ſuſcipit. *Turneb.*

7 *Scripti maleficii.*] *Scriptum maleficium* videtur appellare, carmen quoddam magicum in aliquem compoſitum. nam & *maleficas* appellamus *mulieres*, incantatrices. forte id accipi poſſit de *famoſis libellis.* Quidam interpretantur *ſcriptum maleficium*, turpem librum, quemadmodum ajunt Ovidium in exilium eſſe miſſum quod laſcivos amorum libros ſcripſiſſet: ſed hæc interpretatio non placet. *Idem.*

8 *Quoniam aliæ in renunciando ſunt.*] Locus eſt ſumptus *ex ſeptima oratione in Verrem.* nam Hejus à Mamertinis Ro-

aliæ in renunciando sunt: ut in hoc qui testimonium in Verrem dixerat post perlatam legationem. Plurimum tamen est in eo quale sit factum reipubl. læsæ. Hinc moventur quidem mille juris cavillationes, *quid sit rempub. lædere, & læseritne, an profuerit: & ab ipso, an propter ipsum læsa sit.* in facto tamen plurimum inest. Ingrati quoque. In quo genere quæritur, *an is cum quo agitur, acceperit beneficium:* quod raro negandum est: ingratus est enim qui negat. *an quantum acceperit, reddiderit:* an protinus qui non reddiderit, ingratus sit: *an potuerit reddere: an id quod exigebatur, debuerit: quo animo sit.* Simpliciores illæ, injusti repudii, sub qua lege controversiæ illud proprium habent, [1] quod à parte accusantis defensio est, & defendentis accusatio. [2] Præterea cum quis rationem mortis in senatu reddit: ubi una quæstio est juris, *an is demum prohibendus sit, qui mori vult, ut se legum actionibus subtrahet.* Cætera qualitatis. Finguntur & testamenta, in quibus de sola quæratur voluntate: ut in controversia quam supra exposui, in qua de parte patrimonii quarta, quam pater dignissimo ex filiis reliquerat, contendunt philosophus, medicus, orator. [3] Quod item accidit si orbæ nuptias indicant pares gradu, & si inter propinquos de idoneo quæratur. Sed nec omnes mihi persequi materias in animo est (fingi enim adhuc possunt) nec communes sunt earum quæstiones, quia positionibus mutantur. Hoc tantum admiror, Flavium, cujus apud me merito summa

mam missus legatus ut Verrem laudaret, post laudationem dixit adversus Verrem, publicis Mamertinorum operis ædificatam Verri navem. *Idem.*

1 *Quod à parte accusantis, &c.*] *Injusti repudii est actio*, quando uxor virum in judicium vocat, aitque se injuria repudiatam fuisse, atque ideo dotem repetit. cum igitur agit in maritum, tuetur probitatem suam: at maritus cum ostendit se juste repudiasse, accusat uxorem. *Idem.*

2 *Præterrea cum.*] *Thema hoc declamatorium* est, ductum à Massilienſium lege, apud quos venenum publice servabatur, quod haurire licebat ei qui in senatu rationem mortis suæ reddidisset. Vide *Valer. lib.* 2. Idem.

3 *Quod item accidit.*] Hoc *thema declamatorium* est ductum ex lege Athenienſium, apud quos appellatur ἐπίκληρος *virgo*, quæ sola hæreditatem obtinet cum sit orba. jus autem erat ut cognati & propinqui ejus nuptias peterent. *Idem.*

1 *Quan-*

ſumma eſt auctoritas, cum artem ſcholæ tantum componeret, tam anguſte materiam qualitatis terminaſſe. [1]Quantitas quoque (ut dixi plerunque) etiam ſi non ſemper, tamen plerunque eidem ſubjacet, ſeu modi eſt, ſeu numeri. Sed modus aliquando conſtat æſtimatione facti, *quanta ſit culpa, quantumve beneficium:* aliquando jure, cum id in controverſiam venit, qua quis lege puniendus, vel honorandus ſit. [2] *Stuprator an decem milia dare debeat*, quæ pœna huic crimini conſtituta eſt: *an quia ſtupratus ſe ſuſpendit, capite puniri, tanquam cauſſa mortis.* Quo in genere falluntur qui ita dicunt, tanquam inter duas leges quæratur. Nam de decem millibus nulla controverſia eſt, quæ nec petuntur. Judicium redditur, *an reus cauſſa ſit mortis.* In conjecturam quoque eadem ſpecies cadit: quum, perpetuo, an quinquennali ſit exilio multandus, in controverſiam venerit: num prudens cædem commiſerit, quæritur. Illa quoque quæ ex numero ducitur, pendet ex jure: *an* [3] *Thraſybulo triginta præmia debeantur:* & cum duo fures pecuniam abſtulerunt, [4] ſeparatim quadruplum quiſque, an duplum debeat. Sed hîc factum quoque eſtimatur, & tamen jus ipſum pendet ex qualitate.

CAP.

1 *Quantitas quoque.*] Nonnulli rhetores *quantitatem à qualitate* ſeparant, Fab. cum *qualitate* conjungit: quod tamen ita eſt accipiendum, ut *in quantitate* nonnunquam de conjectura quæratur, etſi ſæpius *ad qualitatem* eſt referenda. *Idem.*

2 *Stuprator an decem, &c.*] Phraſis hæc eſt Latinis peculiaris, in qua ſubintelligere debemus *aſſium* vel *æris.* hæc autem ſumma efficit *centum coronatos.* Idem.

3 *Thraſybulo.*] Qui ſuſtulit triginta tyrannos qui à Lacedæmoniis urbi Athenarum impoſiti fuerant. pendet autem controverſia *ex lege* quæ tyrannicidæ præmium decernit. *Idem.*

4 *Separatim quadruplum.*] Ex jure civili *fur manifeſtarius* quadruplum ſolvere debet, *non manifeſtarius* duntaxat duplum. ſi duo igitur cum furarentur pecuniam, deprehenſi ſunt, quæſtio eſt an uterque *quadruplum* ſolvere debeat. *Idem.*

Cap. V.

De actionis quæstione.

6 Qui neque feciſſe ſe negabit, neque aliud eſſe quod fecerit, dicet, neque factum defendet, neceſſe eſt in ſuo jure conſiſtat: in quo plerunque *actionis* eſt *quæſtio*: quæ non ſemper eadem eſt, ut quidam putaverunt. Nam & judicium antecedit, qualia ſunt præturæ curioſa conſilia, cum de jure accuſatoris ambigitur: & in ipſis frequentiſſime judiciis verſatur. [1] Eſt enim duplex ejus diſceptationis conditio, quod aut intentio, aut præſcriptio habet controverſiam. [2] Ac fuerunt [3] qui præſcriptionis ſtatum facerent, tanquam ea non iiſdem omnibus, quibus cæteræ leges, quæſtionibus contineretur. [4] Cum ex præſcriptione lis pendet, de ipſa re quæri non eſt neceſſe. Ignominioſo patri filius præſcribit: de eo ſolo judicatio eſt, *an liceat*. Quoties tamen poterimus, efficiendum eſt ut de re quoque bene ſentiat. Sic enim juri noſtro libentius indulgebit, [5] ut in ſpon-

NOn eſt ſibi contrarius Fabius. quanquam enim *lib.* 3. *tranſlationis* ſtatum ſuſtulit, quem nunc inducere videtur quaſi immemor ſui, non tamen inducit ut *ſtatum principalem*, ſed ut quæſtionem quandam *& ſtatum minorem*. Ejus duplex eſt conditio: nam aut *tranſlatio* fit ante conſtitutum judicium, *ut ſi mecum litem conteſtari velis, dicamque te non habere jus in me agendi.* nonnunquam vero non ante ipſum judicium, ſed in ipſo judicio verſatur, ut *in oratione pro Cluentio.* Turneb.

1 *Eſt enim duplex.*] Alciatus juriſconſultus hunc locum ſic interpretatur, *Exceptio* eſt intentionis, quando aliquid opponitur transferendo, quod directo intentioni repugnat. eſt autem *præſcriptio*, cum non recte perimitur *intentio*, ſed aliquo caſu limitatur & reſtringitur. *Idem.*

2 *Ac fuerunt.*] Vel ex hoc liquet, Fabio non eſſe ſtatum *tranſlationem*, ſed duntaxat *quæſtionem* quandam: itaque in *præſcriptione* reperiuntur omnes *ſtatus legales*. Vide Fab. lib. 3. cap. 8. *An non præſcriptiones*, *&c.* Idem.

3 *Qui præſcriptionis ſtatum.*] Ut aut de nomine aut ſcripto & ſententia vel ratiocinatione quæratur, deinde ſtatus ex quæſtione oriatur. *Pith.*

4 *Cum ex præſcriptione.*] *In præſcriptione* cum ex circunſtantia & aliquo caſu fiat intentionis eluſio, ſi voles *de intentione* quæ principalem continet cauſam, nihil dices, ſed duntaxat *de circunſtantia* quæ *tranſlationem* continet. ut ſi ignominioſus pater vellet te abdicare, ejus actionem ſubmoveres, quia ignominioſus eſſet, de ſola ſi velles *ignominia* diceres, non de *abdicatione*. Turneb.

5 *Ut in ſponſionibus.*] *Interdicta prætoria* ſæpenumero fiunt de poſſeſſionibus, ut docet Juſtinianus. igitur ſi quis abs te petat fundum, utariſque præſcriptione, dicens non poſſe in te actionem hoc

sponsionibus quæ ex interdictis fiunt, etiamsi non proprietatis est quæstio, sed tantum possessionis: tamen non solum possedisse nos, sed etiam nostrum possedisse docere oportebit. Sed frequentius etiam quæritur de intentione. *Vir fortis optet quod volet.* nego illi dandum quicquid optaverit: non habeo præscriptionem, sed tamen voluntate contra verba præscriptionis modo utor. [1] In utroque autem genere status idem fit. [2] Porro lex omnis aut tribuit, aut adimit, aut punit, aut jubet, aut vetat, aut permittit. Litem habet, aut propter se ipsam, aut propter alteram. Quæstio est aut in scriptio, aut in voluntate. In scripto, aut apertum est, aut obscurum, aut ambiguum. Quod de legibus dico, idem accipi volo de testamentis, pactis, stipulationibus, omni denique scripto: idem de voce. Et quoniam quatuor hujus generis quæstiones vel status facimus, singulos percurram.

hoc nomine institui, quod diu fundum possederis, optimum tamen erit ut etiam te *proprietarium* ostendas, nec solum te possessionis jure tuearis. *Idem.*

1 *In utroque autem genere.*] Ex hoc quoque loco apparet non in translatione esse *statum*, sed *statum* exoriri ex *causis translationis.* itaque in eam *translationem* quæ intentionis oppugnatione constat, cadunt quatuor status legales, ut in præscri ptionem. *Idem.*

2 *Porro lex omnis.*] Hæc præcepta præparationem habent quandam *ad status legales*, pertinent tamen quadantenus ad actionis quæstionem, quoniam ea à jure ducitur. *Idem.*

CAP. VI.

De statu ex scripto & voluntate.

Scripti & voluntatis frequentissima inter consultos quæ- 7
stio est, & pars magna controversiæ juris hinc pendet: quo minus id in scholis accidere mirum est, ubi etiam ex industria fingitur. Ejus genus unum est, in quo & de *scripto* & *de voluntate* quæritur. Id accidit, cum est in lege aliqua obscuritas, & in ea aut uterque suam interpretationem confirmat, aut adversarii subvertit: ut hîc, *Fur quadruplum solvat.* duo furripuerunt pariter decem millia, petuntur ab utroque quadragena, illi postulant ut vicena conferant.

Nam & actor dicit hoc esse quadruplum quod petat, & rei hoc quod offerant: voluntas quoque utrinque defenditur. [1] Aut cum de altero intellectu certum est, de altero dubium. *Ex meretrice natus, ne concionetur.* Quæ filium habebat, prostare cœpit. Prohibetur adolescens concione. Nam de ejus filio, quæ ante partum meretrix fuit, certum est: an eadem hujus caussa sit, dubium est, quia ex hac natus, & hæc meretrix est. [2] Solet & illud quæri, quo referatur quod scriptum est, *Bis de eadem re ne sit actio.* id est, hoc bis, ad actorem, an ad actionem. Hæc ex jure obscuro. Alterum genus est ex manifesto: quod qui solum viderunt, hunc *statum plani & voluntatis* appellaverunt. In hoc altera pars scripto nititur, altera voluntate. Sed contra scriptum tribus generibus occurritur. Unum est, in quo id servari semper non posse ex ipso patet. *Liberi parentes alant, aut vinciantur.* Non enim alligabitur infans. [3] Hinc erit ad alia transitus, & divisio, num quisquis non aluerit, num hic. [4] Propter hoc proponunt quidam tale genus controversiarum, in quo nullum argumentum est quod ex lege ipsa peti possit, sed de eo tantum de quo lis est, quærendum sit. *Peregrinus si murum ascenderit, capite puniatur.* Cum hostes murum ascendissent, peregrinus eos depulit. petitur ad supplicium. Non erunt hîc separatæ quæstiones, an quisquis, an hic: quia nullum potest afferri argumentum contra scriptum vehementius eo quod in lite est: sed hoc tantum, an ne servandæ quidem civitatis caussa. Ergo & æquitate

1 *Aut cum de.*] Hoc genus discrepat ab altero, quod illic uterque *intellectus* in dubium revocabatur: hic alter est *confessus*, alter autem vocatur in dubium, & controversiam efficit. *Turneb.*

2 *Solet & illud.*] Hinc dubitatio oritur, quia duplex esse potest sensus: aut enim significatur eundem bis in aliquem esse non posse auctorem, aut bis in eundem actionem non esse iterandam. *Idem.*

3 *Hinc erit ad alia, &c.*] Docet rationem dispositionis in hac quæstione: quam tamen celeriter percurrit, quoniam de ea fusius est locutus primo cap. *lib.* 7. estque illic generalia præcepta complexus. *Idem.*

4 *Propter hoc.*] In superiore exemplo ab ipsa lege & extrinsecus duci poterant quæstiones generales, ut, *non quisquis aluerit:* in hac autem controversia quæstio generalis à lege duci non potest, quia lex ipsa satis circunscribit rem. *Idem.*

tate & voluntate pugnandum. [1] Fieri tamen potest, ut ex aliis legibus exempla ducamus, per quæ appareat semper stari scripto non posse, ut Cicero *pro Cecinna* fecit. Tertium, cum in ipsis verbis legis reperimus aliquid per quod probemus aliud legumlatorem voluisse: ut in hac controversia. *Qui nocte cum ferro deprehensus fuerit, alligetur. Cum annulo ferreo inpentum magistratus alligavit.* [2] Hic quia est verbum in lege *deprehensus*, satis etiam significatum videtur non contineri lege nisi noxium ferrum. Sed ut qui voluntate nitetur, scriptum quoties poterit infirmare debebit: ita qui scriptum tuebitur, adjuvare se etiam voluntate tentabit. In testamentis & illa accidunt, ut voluntas manifesta sit, scriptum nihil sit: ut in judicio Curiano, in quo nota L. Crassi & Scævolæ fuit contentio. [3] *Substitutus hæres erat, si posthumus ante tutelæ suæ annos decessisset.* Non est natus. Propinqui bona sibi vendicabant. Quis dubitaret, quin ea voluntas fuisset testantis, ut is non nato filio hæres esset, qui mortuo? sed hoc non scripserat. Id quoque, quod huic contrarium est, accidit nuper, ut esset scriptum quod appareret scriptorem noluisse: Qui [4] sestertiûm numûm quinque milia legaverat, cum emendaret testamentum, sublatis sestertiis numis, [5] argenti pondo posuit, quinque milia remanserunt. Apparuit tamen [6] quinque pondo dari voluisse, quia ille in argento legato modus & inauditus erat, & incredi-

1 *Fieri tamen potest.*] Locus est hic frequentissimus adversus *scriptum*, ut exemplis fictis doceamus *scripto* stari non posse: sed illa exempla vel *à lege* ducentur, de qua controversia est, vel *ab aliis* extrinsecus *legibus*. in hac autem controversia ab aliis *legibus*, non ab *ipsa lege*, ut diximus. *Idem.*

2 *Hic quia est verbum.*] Verbum *Deprehendi* apud Latinos in malam semper partem accipitur, cum quis scilicet in scelere aut facinore deprehenditur. inde igitur colligitur sententia legislatoris. *Idem.*

3 *Substitutus hæres.*] Hæc est *substitutio pupillaris*, quando primo hæredi alius substituitur hæres, si mortuus fuerit ante pubertatis annos. *Idem.*

4 *Sestertium nummum.*] Hæc summa efficit *centum viginti coronatos.* Idem.

5 *Argenti pondo.*] Hæc summa efficit *quinquaginta millia coronatorum.* igitur ex magnitudine summæ collecta est testatoris voluntas. *Idem.*

6 *Quinque pondo.*] Hæc summa efficit *quinquaginta coronatos. nam libram argenti* sive pondo *pro decem coronatis* accipimus. *Idem.*

credibilis. Sub hoc etiam ſtatu generales ſunt quæſtiones, [1] *ſcripto, an voluntate ſtandum ſit: quæ fuerit ſcribentis voluntas.* [2] Tractatus omnes qualitatis aut conjecturæ, de quibus ſatis dictum arbitror.

1 *Scripto an voluntate.*] Scripti & voluntatis quæſtio ſine dubio qualitate aut conjectura continetur. *Pith.*

2 *Tractatus.*] Alii, *Status.*

Cap. VII.

De contrariis legibus.

8 Proximum eſt *de legibus contrariis* dicere, quia inter omnes artium ſcriptores, [1] conſtat in *antinomia* duos eſſe ſcripti & voluntatis ſtatus: neque immerito: quia cum lex legi obſtet, [2] utrinque contra ſcriptum dicitur, & quæſtio eſt de voluntate: in utraque id ambigitur, an utique illa lege ſit utendum. Omnibus autem manifeſtum eſt, nunquam eſſe legem legi contrariam jure ipſo: quia ſi diverſum jus eſſet, alterum altero abrogaretur: ſed eas caſu collidi, & eventu. Colliduntur autem aut pares inter ſe: *ut ſi optio tyrannicidæ & viri fortis comparentur, utrique data quod velit petendi poteſtate, hic meritorum*, temporis, præmii collatio eſt. [3] Aut ſecum ipſæ, ut duorum fortium, duorum tyrannicidarum, duarum raptarum: in quibus non poteſt eſſe alia quæſtio quam temporis, *utra prior* ſit: aut qualitatis, *utra juſtior ſit petitio.* [4] Diverſæ quoque leges confligunt, aut

Cum in *antinomia* utraque pars legem afferat ſuam, duplex eſt ſcriptum ſed pro ſententia legis obſervanda utriuſque quoque oppugnatur. eſt igitur duplex *ſcriptum* & *ſententia.* Juriſperiti quoque hodie ajunt nullam eſſe in jure civili *antinomiam:* quod teſtatur etiam Juſtinianus. Budæus tamen & Laurentius Valla *leges* quaſdam eſſe *contrarias* probant, ut in illis colligendis dormitaverit Trebonianus. Cæterum ſi *lex legi contraria eſt*, altera alteram neceſſario abrogat, eratque curæ Athenienſibus, ne quid eſſet legi contrarium. *Turneb.*

1 *Conſtat.*] Alii, *Conſtitit.*

2 *Utrinque contra ſcriptum.*] Duo ſunt duorum ſcriptorum, duarumque voluntatum ſtatus. *Pith.*

3 *Aut ſecum ipſæ.*] Eſt enim lex apud declamatores, *ut rapta eligat raptoris indotata nuptias, aut mortem.* ſi quis igitur eadem nocte duas rapuerit, quarum altera nuptias optet, altera mortem, ἀντινομία erit. *Turneb.*

4 *Diverſæ.*] *Diverſus* appellat *leges*, quæ

aut similes. Diversæ, quibus etiam citra adversam legem contradici possit: ut in hac controversia, *Magistratus ab arce ne discedat: Vir fortis optato quæ volet:* [1] vel alia nulla obstante, quæri potest an quicquid optari, accipere debeat: & à magistratu multa dicentur, quibus scriptum expugnatur, *Si incendium in arce fuerit, si in hostes recurrendum.* Similes, contra quas nihil opponi potest, nisi lex altera. [2] Tyrannicidæ imago in gymnasio ponatur: contra, mulieris imago in gymnasio ne ponatur. Mulier tyrannum occidit. Nam neque mulieris imago ullo alio casu poni potest, neque tyrannicidæ ullo alio casu summoveri. Impares sunt, cum alteri multa sunt quæ opponi possunt, alteri nihil nisi quod in lite est: ut cum vir fortis [3] impunitatem desertoris petit. Non contra legem viri fortis (ut supra ostendi) multa dicuntur: adversus desertores scripta, non potest nisi optione subverti. Item aut confessum est ex utraque parte jus, aut dubium: Si confessum est, hæc fere quæruntur: [4] *Utra lex potentior: ad deos pertineat, an ad homines: ad rempublicam, an ad privatos. De honore, an de pœna: De magnis rebus, an de parvis:* [5] *Permittat, an vetet, an imperet.* * Solet tractari

quæ etiamsi non habeant legem oppositam, tamen quod attinet *ad scriptum*, oppugnari possunt contrariis argumentis. porro *antinomiæ* exemplum erit, si magistratus qui fortiter fecit, petat ut ab arce discedat. *Idem. Diversæ quoque leges.*] Persequitur enim earum genera quæ secum ipsæ confligunt. Quarum alias utraque pars pro se sunt, alias pars altera tantum neque uterque pro se sunt. sed lex æquitate oppugnatur. *Pith.*

1 *Vel alia nulla, &c.*] Vel alia nulla obstante, non erat in vetusto codice Similes.

2 *Tyrannicidæ imago.*] Hæc lex pertinet *ad fortitudinem* hominum excitandam. nam in gymnasiis exercentur juvenes & athletæ, quibus exemplum potest esse fortitudinis *statua tyrannicidæ.* contra vero *mulieris imago* non ponitur in gymnasio, ut tollatur omnis inde mollicia & lascivia, quæ solent animos effœminare. sunt autem hæ *leges declamatoriæ.* Turneb.

3 *Impunitatem desertoris.*] *Desertor* est (ut inquit Modestinus) qui diu evagatus tandem in castra reducitur. Puniuntur autem *desertores* sæpenumero capitali pœna. *emansor* dicitur qui sponte revertitur. *Idem.*

4 *Utra lex potentior.*] Hæc ad tractationem pertinent, qua cognita facile intelligitur disponendi ratio ex superioribus præceptis. Valet igitur *legum comparatio.* lex enim quæ pertinet *ad deos aut ad rempublicam*, magis est servanda quam quæ pertinet *ad homines.* hujusmodi igitur erit tractatio in hoc statu. *Idem.*

5 *Permittat an vetet.*] Lex quæ *vetat* aut *imperat*, semper est potentior, quam ea quæ *permittit* aut *tribuit*: in tractando

ctari & utra sit antiquior, & velut potentissima, utra minus perdat: ut in desertore, & viro forti, quod illo non occiso lex tota tollatur: occiso, sit reliqua viro forti alia optio. Plurimum tamen est in hoc, utrum fieri sit melius, atque æquius: de quo nihil præcipi nisi proposita materia potest. Si dubium, aut alteri, aut invicem utrique de jure sit controversia, ut in re tali, [1] *Patri in filium, patrono in libertum manus injectio sit, liberti hæredem sequantur.* [2] Liberti filium quidam fecit hæredem, invicem petitur [3] manus injectio: & patronus negat jus patris illi fuisse, quia ipse in manu patroni fuerit. Duplices leges sicut duæ colliduntur: ut, *Nothus ante legitimum natus, legitimus sit post legitimum, tantum civis.* Quod de legibus, idem de senatusconsultis dictum: quæ si aut inter se pugnent, aut obstent legibus, non tamen aliud sit ejus status nomen.

igitur est habenda ratio hujus comparationis. *Idem.*

* *Solet tractari.*] Videtur innuere Fabius *potentiorem esse legem antiquiorem nova*, cum tamen aliter sentiant jurisconsulti, apud quos sequentes constitutiones abrogant legem antiquam: & alioqui apud antiquos dicebantur *abrogationes*, quando lex contraria ferebatur superiori, ad eam tollendam addit Fab. præceptum *de abrogatione & derogatione.* Idem.

1 *Patri in filium, &c.*] *Manum injicere* est jurisconsultis, non expectata judicis auctoritate aut potestate, rem ut sibi debitam aut propriam vindicare, quod lingua vernacula dicimus *sisire.* Porro ex jure Romano patres magnam habent in filios potestatem, ut apparet ex titulo *De patria potestate.* Idem.

2 *Liberti filium.*] Idem enim est patronus & liberti filius: libertus & patroni pater. *Pith.*

3 *Manus injectio.*] Serv. in illud: *Injecere manum.* Manus injectio dicitur quotiens nulla judicis auctoritate expectata rem nobis debitam vendicamus. *Idem.*

Cap. VIII.

De syllogismo seu ratiocinatione.

9 [1] *Syllogismus* habet aliquid simile scripto & voluntati, quia semper pars in eo altera scripto nititur: sed hoc interest,

1 *Syllogismus.*] *Syllogismus* est, cum res quæ in controversiam deducitur, scripto caret, tamen ex similitudine *scripto* applicatur. cæterum quoniam illa applicatio constat *ratiocinatione*, factum est ut diceretur *syllogismus*, id est ratiocinatio. *Turneb.*

1 *Ejus*

est, quod illic contra scriptum dicitur hic super scriptum: illic qui verba defendit, hoc agit, ut fiat utique quod scriptum est: hîc ne aliud quam scriptum est. [1] Ejus nonnulla etiam cum *finitione* conjunctio. Nam sæpe si *finitio* infirma est, in *syllogismum* delabitur. Sit enim lex, *Venefica capite puniatur. Sæpe secubanti amatorium dedit, eundem repudiavit: per propinquos rogata ut rediret, non est reversa. suspendit se maritus. Mulier veneficii rea est.* Fortissima est actio dicentis amatorium venenum esse, id erit *finitio:* quæ si parum valebit, fiet *syllogismus:* ad quem velut remissa priore contentione veniemus, *an perinde puniri debeat, ac si virum veneno necasset.* Ergo hic status ducit ex eo quod scriptum est, id quod incertum est: quod quoniam ratiocinatione colligitur, *ratiocinativus* dicitur. In has autem fere species venit, *An quod semel jus est, idem & sæpius.* [2] Incesti damnata, & præcipitata de saxo, vixit, repetitur. An quod in uno, & in pluribus: *Qui duos uno tempore tyrannos occidit, duo præmia petit.* An quod ante, & postea: *Raptor profugit, rapta nupsit, reverso illo petit optionem.* An quod in toto, idem in parte: [3] *Aratrum accipere pignori non licet: vomerem accipit.* An quod in parte, idem in toto: [4] *Lanas vehere Tarento non licet, oves vexit.* In his syllogismis scripto alter nititur, alter non satis cautum esse dicit. Postulo ut præcipitetur incesta, lex est: & rapta optionem petit, & in ove lanæ sunt: similiter alia. Sed quia

1 *Ejus nonnulla.*] Maxima est affinitas inter *syllogismum* & *finitionem. finitio* colligit utriusque rei idem esse nomen, *syllogismus* colligit rem utranque ex æquo esse æstimandam. quocirca cum *finitionem* obtinere non possumus, ad rerum æqualitatem descendimus & paritatem, id est *syllogismum.* Idem.

2 *Incesti damnata.*] Olim *incesti damnatæ* apud Romanos vel *defodiebantur*, vel sæpenumero de Saxo Tarpejo præcipitabantur, quæ solennis erat apud Rom. pœna. *Idem.*

3 *Aratrum accipere.*] Juris clementia est cautum, ne id quod *creditori* minimo esset emolumento, *debitori* vero maximo detrimento, in pignus cedat, cujusmodi est *aratrum*, quo solent agricolæ magna ex parte vitam tolerare, & familiam sustinere. *Idem.*

4 *Lanas vero Tarento.*] Columella lib. 2. ait *pecus Græcum*, quod *Tarentinum* dicitur, mollissimam & delicatissimam ferre lanam. quo igitur tempore *Tarentini* florebant, neque Romanis erant subditi, cum essent cultus delicatioris studiosiores, hanc tulerunt legem, vel certe hæc lex ficta est à declamatoribus. *Idem.*

1 *Sæpius.*]

quia responderi potest, non est scriptum ut [1] sæpius præcipitetur damnata, aut quandocunque rapta optet, aut tyrannicida duo præmia accipiat, nihil de vomere cautum, nihil de ovibus: ex eo quod manifestum, colligitur quod dubium est. [2] Majoris pugnæ est, ex scripto ducere quod scriptum non est. *Qui patrem occiderit, culeo insuatur, matrem occidit.* [3] *Ex domo in jus educere ne liceat: tabernaculis eduxit.* In hoc genere hæc quæruntur. [4] An quoties propria lex non est, simili sit utendum: an id de quo agitur, ei de quo scriptum est, simile sit. Simile autem & majus est, & pars, & minus. In illo priore, an satis lege cautum sit, an & si parum cautum est: hac sit utendum. In utroque de voluntate legumlatoris, sed de æquo tractatus potentissimi.

1 *Sæpius.*] Alii, *Bis.*

2 *Majoris pugnæ est.*] In superioribus exemplis colligebatur quidem quod scriptum non erat *ex scripto*, sed tamen id quod scriptum non videbatur, quadantenus *scripto* comprehensum videbatur: ut oves aliquatenus comprehensæ videntur in lege *de lanis.* at hic nullo modo continetur quod *scriptum* est, sed similitudine duntaxat colligitur. *Idem.*

3 *Ex domo in jus.*] Cajus jurisconsultus tit. *de in jus vocando*, ait non licere aliquem domo in jus rapere, propterea quod domus unicuique receptaculum est & refugium. si quis igitur id faciat, vim inferre videtur. *Idem.*

4 *An quoties.*] Julianus jurisconsultus ait de singulis rebus non satis posse caveri legibus, quocirca si quid acciderit quod *lege* comprehensum non esse videatur, procedendum esse *similitudine* ad judicandum censet. *Idem.*

Cap. IX.

De ambiguo, seu amphibolia.

10 *Amphiboliæ* species sunt innumerabiles, [1] adeo, ut philosophorum quibusdam [2] nullum videatur esse verbum quod non plura significet: genera admodum pauca. [3] Aut enim

1 *Adeo ut philosoph.*] Chrysippus philosophus (ut scribit Gellius in Noctibus Atticis) nullum existimavit esse verbum quod in plures trahi intellectus possit. contra Diodorus cognomento *Cronus*, nullum existimavit esse verbum ambiguum. *Turneb.*

2 *Nullum videatur esse verbum.*] A. Gell. lib. xi. cap. 12. Egesippus ait, omne verbum ambiguum esse natura. *Pithœus.*

3 *Aut enim vocibus.*] Boëtius apud Latinos hanc ponit differentiam, ut *ambiguitatem* esse putet in verborum conjunctione, *homonymiam* vero, id est æquivocationem, in verbis singulis, tamen Fabius utranque rationem, *ambiguitatis* complectitur nomine. *Turneb.*

1 *An*

enim vocibus accidit singulis, aut conjunctis. Singula afferunt errorem, cum pluribus rebus aut etiam hominibus eadem appellatio est: ὁμωνυμία dicitur, ut *Gallus*. Utrum enim avem, an gentem, an nomen, [1]an fortunam corporis significet, incertum est: & *Ajax, Telamonis, an Oilei filius*. Verba quoque quædam diversos intellectus habent, [2]ut *cerno:* quæ ambiguitas plurimis modis accidit: unde fere lites, præcipue ex testamentis, cum de libertate, aut etiam de hæreditate contendunt ii quibus idem nomen est: aut quid sit legatum, quæritur. Alterum est, in quo alia integro verbo significatio est, alia divisio: ut *in genua*, & *arma mentum*, & *cor vinum*, ineptæ sane cavillationes, ex quo tamen Græci controversias ducunt: [3]inde ὠφελήσει illa vulgata, cum quæritur, utrum [4]aula quæ ter ceciderit, aut tibicina si ceciderit, debeat publicari. [5]Tertia est ex compositis, ut si quis corpus suum in occulto loco poni jubeat, circaque monumentum multum agri ab hæredibus in tutelam cinerum, ut solet, leget, [6] *Sit latus occultum.* Sic apud Græcos contendit λέων & παγκάλεων, cum scriptura dubia est, bona omnia λέοντι, an bona παγκάλεοντι relicta sint. In conjunctis plus ambiguitatis est. Fit autem [7]per casus: ut,

[8] *Aio te Æacida Romanos vincere posse.*

Per

1 *An fortunam corporis.*] Id ait propter *Gallos*, qui sunt Cybeles sacerdotes. his autem *Samia* testa execantur virilia. *Idem.*

2 *Ut cerno.*] Cernere farinam, cernere bello, cernere hæreditatem. *Pithœus.*

3 *Inde* ὠφελήσει.] Fingunt rhetores Græci hanc legem, ὠφελήσει si ceciderit, publicetur. *ambiguitas* est igitur. si enim integram accipias dictionem, *de tibicina* intelligetur: sin autem dividas, intelligetur *de aula* quæ ter ceciderit. *Turneb.*

4 *Aula quæ ter ceciderit.*] Vide Laertium in vita Zenonis.

5 *Tertia est.*] Species hæc à superiore differt, quod in illa *simplices* dictiones dividuntur, hic autem vel *compositæ* dividuntur, vel certe componuntur. *Turneb.*

6 *Sit latus occultum.*] Vel ex hoc loco apparet non robuste pronunciatas fuisse ab antiquis *aspirationes*, atque adeo in scribendo vel ab illis omissas fuisse, vel tenui saltem apice in vertice fuisse notatas. nam alioqui non esset ambiguitas. *Idem. Sit latus occultum.*] Alii leg. *Sit littus occas, io cultum.* Vel *littus occasi cultum.* Pith.

7 *Per casus.*] Ennius apud Cic. 2. de Divinat.

8 *Aio te Æacida.*] Versus est Enniani *de Pyrrho Epirotarum rege.* scribit enim

Per collocationem, ubi dubium est quid quo referri oporteat: ac frequentissime cum id quod medium est, utrinque possit trahi, ut de Troilo [1] Virgilius,

Lora tenens tamen ---

Hîc utrum quod teneat tamen lora, an quamvis teneat, tamen trahatur, quæri potest. Unde controversia illa, Testamento quidam jussit *poni statuam auream hastam tenentem.* Quæritur, statua hastam tenens aurea esse debeat, an hasta esse aurea in statua alterius materiæ. [2] Fit per flexum idem magis,

Quinquaginta ubi erant centum inde occidit Achilles. Sæpe utri duorum antecedentium sermo subjunctus sit, in dubio est unde est controversia, *Hæres meus uxori meæ* [3] *dare damnâs esto argenti, quod elegerit, pondo centum.* Uter eligat quæritur. Verum id quod ex his primum est, mutatione casuum: sequens, divisione verborum, aut translatione emendatur: tertium adjectione. Accusativi geminatione facta amphibolia, solvitur ablativo: ut illud, *Lachetem audivi percussisse Demeam, fiat. à Lachete percussum Demeam.* [4] Sed ablativo ipsi, ut in primo diximus, inest naturalis amphibolia,

--- *Cœlo decurrit aperto:* utrum per apertum cœlum, an cum cœlum apertum esset. Divisio respiratione & mora constat. *Statuam deinde auream hastam:* vel statuam auream, deinde hastam: Adjectio talis est, argentum quod elegerit ipse, ut hæres intelligatur: vel ipsa, ut uxor. Adjectione facta amphibolia, qualis sit, [5] *Nos flentes illos deprehendimus,*

enim Pyrrhum Ennius in Annalibus Apollinem consuluisse de belli eventu quod adversus Romanos erat gesturus, hocque responsum tulisse. *Turneb.*

1 *Virgilii.*] Æneid. 1.

2 *Fit per flexum.*] *Flexum* Fab. appellat ipsam vocis *inclinationem* & immutationem, quæ fieri solet *in interpunctionibus* membrorum & periodorum. *Turneb.*

3 *Dare damnas esto, &c.*] Dictio hæc *Damnas* elegantissime usurpatur à jurisconsultis: cujus usus manavit à duodecim tabulis, quæ antiquis conscriptæ sunt verbis: est igitur, *damnatus sit*, & *cogatur.* Idem.

4 *Sed ablativo ipsi.*] Multis accipitur modis *ablativus* apud Latinos. quocirca non defuerunt qui ob varietatem significationis ipsius *ablativi*, ponerent *septimum casum* & *octavum.* Vide Fab. *cap.* 7. *lib.* 1. Idem.

5 *Nos flentes.*] Si enim detracta fuerit particula *Nos*, sublata fuerit ambiguitas. *Idem.*

1 *Cicero.*]

mus, detractione solvetur. Pluribus verbis emendandum, ubi est id, quod quo referatur, dubium est, & ipsum est ambiguum. *Heres meus dare illi damnâs esto omnia sua.* In quod genus incidit [1] Cicero loquens de C. Fannii soceri instituto, Quem, quia cooptatus in Augurum collegium non erat, non admodum diligebat: præsertim cum ille Q. Scævolam [2] sibi minorem natu generum prætulisset. Nam id *sibi*, & ad socerum referri, & ad Fannium potest. Productio quoque in scripto & correptio in dubio relicta, caussa est ambiguitatis: ut in hoc, [3] *Cato*. aliud enim ostendit brevis secunda syllaba casu nominativo, aliud eadem syllaba producta casu dativo aut ablativo. Plurimæ præterea sunt aliæ species, quas persequi nihil necesse est. Nec refert quomodo facta sit amphibolia, aut quo resolvatur. Duas enim res significari manifestum est: & quod ad scriptum vocemve pertinet, in utranque par est partem. Ideoque frustra præcipitur, ut in hoc statu vocem ipsam ad nostram partem conemur vertere. [4] Nam si id fieri potest, amphibolia non est. Amphiboliæ autem omnis in his erit quæstio, aliquando uter sit secundum naturam magis sermo, semper utrum sit æquius, utrum is qui sic scripsit ac sic dixit, sic voluerit. Quarum in utranque partem satis ex his quæ de conjectura & qualitate diximus præceptum est.

CAP.

1 *Cicero.*] In Bruto.

2 *Sibi minorem, &c.*] Budæus *in commentariis linguæ Græcæ* hoc loco taxat Fabium, aitque & apud Græcos & apud Latinos non tam diligenter servari *reciprocationis rationem*, facileque in loco Ciceroniano sensum intelligi. *Idem.*

3 *Cato.*] Nam *Catus* apud Romanos (ut docet Plutarchus) significat *astutum* & *prudentem*, quique multum rerum usu & experientia valet. unde *Catones* dicti. *Idem.*

4 *Nam si id fieri potest.*] Non est *amphibolia*, nisi par est in utranque partem sensus. qui igitur præcipiunt ut ostendamus in hoc statu *dictionem* duntaxat nostro convenire sensui, hoc ipso tollunt *amphiboliam*, id est, sensus geminationem. *Idem.*

Cap. X.

Quæ sit inter status cognatio, & quæ diversitas.

11 Est autem quædam inter hos status cognatio. Nam & in *finitione*, quæ sit voluntas nominis, quæritur: [1] & in *syllogismo*, qui secundus à finitione status est, spectatur quid voluerit scriptor: & ex contrariis legibus duos esse scripti & voluntatis status apparet. Rursus & *finitio* quodammodo est *amphibolia*, cum in duas partes diducatur intellectus nominis. Scriptum & voluntas habet in verbis vocis quæstionem: quod idem in antinomia petitur. [2] Ideoque omnia hæc quidam *scriptum* & *voluntatem* esse dixerunt: alii in scripto & voluntate amphiboliam esse quæ facit quæstionem. Sed distincta sunt. Aliud est enim obscurum jus, aliud ambiguum. [3] Igitur *finitio* in natura ipsa nominis quæstionem habet generalem, & quæ esse etiam citra complexum caussæ possit: Scriptum & voluntas de eo disputat verbo, quod est in lege: *Syllogismus*, de eo quod non est. *Amphiboliæ* lis in diversum trahit: Legum contrariarum ex diverso pugna est. Neque immerito & recepta est à doctissimis hæc differentia, & apud plurimos ac prudentissimos durat. Et de hoc quidem genere [4] dispositionis, etiamsi non omnia tradi, tamen aliqua potuerunt. Sunt alia, quæ nisi proposita de qua dicendum est materia, viam docendi non præbeant. [5] Non enim caussa universa in quæstiones ac locos

Hoc cap. *de statuum legalium cognatione & diversitate* scribit: deinde ad præcepta *dispositionis* revertitur, docetque potissimum *dispositionem* solis præceptis haberi non posse, *sed natura, arte*, & *exercitatione*. Turneb.

1 *Et in syllogismo.*] *Syllogismum* secundum à *finitione* ponit (opinor) hac de causa, quia si *finitionem* obtinere non possumus, proximum est ut in *syllogismum* labamur, tanquam in secundum adjumentum. *Idem.*

2 *Ideoque omnia.*] In hac esse videtur sententia Cicero *libro secundo de Orator.* nam *ambiguum* subjicit qualitati, aitque *ab ambiguo* pendere omnes quæstiones legitimas. *Idem.*

3 *Igitur finitio.*] Fabius quoque docuit *lib. 3. finitione* nihil nisi in universum quæri & comprehendi. *Idem.*

4 *Dispositionis.*] Alii, *Disceptationis.*

5 *Non enim caussa.*] Fabius hoc libro locutus est *de locorum ac quæstionum divisione & dispositione*, nec tamen satis est

locos diducenda est: sed hæ ipsæ partes habent rursus ordinem suum. Nam & in procœmio primum est aliquid, & secundum, ac deinceps. Et *quæstio* omnis ac locus habet suam dispositionem, ut theses etiam simplices. An sic forte satis erit dividendi peritus, qui controversiam in hæc diduxerit, [1] *an omne præmium viro forti dandum sit, an ex privato, an nuptiæ, an ea quæ nupta sit, an hæc?* deinde cum fuerit de prima quæstione dicendum, passim, & ut quicque in mentem veniet, miscuerit? non primum in ea scierit esse tractandum: verbis legis standum sit, an voluntate? hujus ipsius particulæ aliquod initium fecerit? deinde proxima subnectens, struxerit orationem, *ut pars hominis est manus, ejus digiti, illorum quoque articuli?* [2] Est & hoc, quod scriptor demonstrare non possit, nisi certa, definitaque materia. Sed *quid una faciat, aut altera? quinimmo centum ac mille in re infinita, atque materia?* Præceptoris est, in alio atque alio genere quotidie ostendere quis ordo sit rerum, & quæ copulatio: ut paulatim fiat usus, & ad similia transitus. Tradi enim omnia quæ ars efficit, non possunt. Nam quis pictor omnia quæ in rerum natura sunt, adumbrare didicit? sed percepta simul imitandi ratione, assimilabit quicquid acceperit. Quis enim non faber vasculum aliquod quale nunquam viderat, facit? Quædam vero non docentium sunt, sed discentium. Nam & medicus quid in quoque valetudinis genere faciendum sit, quid quibus signis providendum docebit. Vim sentiendi pulsus venarum, caloris motus, spiritus meatum, coloris distantiam, quæ sua cujusque sunt ingenium dabit. Quare plurima petamus à nobis, & cum caussis deliberemus, cogitemusque homines ante

est complexus dispositionis præcepta, quia cum tractantur quæstiones ac loci, opus est alia rursum dispositione, quia satis scripto tradi non potest. *Turneb.*

1 *An omne præmium.*] Hæc est *divisio* de qua locutus est *primo cap.* cum docebat descendendum nonnunquam à summo genere ad imam speciem. *Idem.*

2 *Est & hoc.*] Docuit antea Fabius primo cap. bonam *dispositionis* partem præceptis non posse comprehendi, ut hæc quoque, pars de qua loquimur, in artem redigi non potest, sed maxime constat *natura* & *exercitatione.* Idem.

ante inveniſſe artem, quam docuiſſe. [1] Illa enim potentiſſima eſt, quæque vere dicitur *œconomica* totius cauſſæ *diſpoſitio*, quæ conſtitui niſi velut in re præſenti non poteſt: ubi aſſumendum proœmium, ubi omittendum: ubi utendum ex poſitione continua, ubi partita: ubi ab initiis incipiendum, ubi [2] more Homerico à mediis, vel ultimis: ubi omnino non exponendum: quando à noſtris, quando ab adverſariorum propoſitionibus incipiamus: quando à firmiſſimis probationibus, quando à levioribus: quando in cauſſa proponendæ proœmiis quæſtiones, qua præparatione præmuniendæ, quid judicis animus accipere poſſit ſtatim dictum, quo paulatim deducendus: ſingulis, an univerſis opponenda refutatio: reſervandi perorationi, an per totam orationem diffundendi affectus: de jure prius, an de æquitate dicendum: an anteacta crimina, an de quibus judicium eſt, prius objicere vel diluere conveniat. Si multiplices cauſſæ erunt, quis ordo faciendus, quæ teſtimonia, tabulæve cujuſque generis in actione recitandæ, quæ reſervandæ. Hæc eſt velut imperatoria virtus copias ſuas partientis ad caſus præliorum, retinentis partes propter caſtella tuenda, cuſtodiendaſve urbes, petendos commeatus, obſidenda itinera, mari denique ac terra dividentis. Sed hæc in oratione præſtat omnia, cui affuerint *natura*, *doctrina*, *ſtudium*. *Quare nemo expectet, ut alieno tantum labore ſit diſertus. Vigilandum ducat, iterum enitendum, pallendum*: eſt facienda ſua cuique vis, uſus, ſua ratio: non reſpiciendum ad hæc, ſed in promptu habenda: nec tanquam tradita, ſed tanquam innata.

1 *Illa enim.*] *Artificialis* eſt quædam *diſpoſitio*, de qua antea fere ſemper Fabius. alia eſt quæ pendet à proprietate cujuſque thematis, ideoque ſæpe artificialem immutat diſpoſitionem. hæc *œconomia* dicitur, ſive *œconomica diſpoſitio*, id eſt diſpenſatrix, cujus bona pars nullo modo comprehendi poteſt præceptis. *Idem.*

2 *More Homerico.*] Poëtæ, ut docet Macrob. *in Saturnalibus*, ſolent ſæpenumero *à mediis* incipere, deinde captata occaſione, quod omiſſum eſt, inſerere: ut Virgilius incepit à *profectione ex Sicilia*, Homerus Odyſſeam incepit à medio, nimirum *à navigatione Ulyſſis ab Ogygia inſula*: Iliadem vero *ab ultimis* incepit, id eſt, à decimo anno belli Trojani. *Idem.*

1 Et

innata. Nam viam demonstrare velociter ars potest, si qua est: verum ars satis præstat, si copias eloquentiæ ponit in medio, nostrum est uti eis scire. Reliqua partium est demum dispositio: & in his ipsis primus aliquis sensus, & secundus, & tertius: qui non modo ut sint ordine collocati, elaborandum est, sed ut inter se juncti, atque ita cohærentes, ne commissura pelluceat: corpus sit, non membra. Quod ita continget, si & quid in quoque conveniat viderimus, [1] & ut verba verbis applicemus, non pugnantia, sed quæ invicem complectantur. [2] Ita res diversæ distantibus ex locis quasi invicem ignotæ non collidentur, sed aliqua societate cum prioribus ac sequentibus se, copulaque tenebunt: ac videbitur non solum composita oratio, sed etiam continua. Verum longius fortasse progredior fallente transitu, & à dispositione ad elocutionis præcepta labor, quod proximus liber inchoabit.

1 *Et ut verba verbis applicemus.*] Hoc loco Fab. etiam *dispositionem* ponit *in verbis*. debita enim verborum collocatio & junctura dispositione quadam constat. est hoc tamen magis elocutionis, ut paulo post Fabius significabit. *Idem.*

2 *Ita res.*] Dan. *Inserit non.*

M. Fab. Quintiliani De Institutione Oratoria Liber Octavus.

Prooemium.

His fere quæ in proximos quinque libros collata sunt, ratio *inveniendi*, atque inventa *disponendi*, continetur: quam ut [1] per omnes numeros penitus cognoscere, ad summam scientiæ necessarium est, [2] ita incipientibus brevius ac simplicius tradi magis convenit. [3] Aut enim difficultate institutionis tam numerosæ atque perplexæ deterreri solent: aut eo tempore quo præcipue alenda ingenia, atque indulgentia quadam enutrienda sunt, asperiorum tractatu rerum atteruntur: aut si hæc sola didicerint, satis se ad eloquentiam instructos arbitrantur: [4] aut quasi ad certas quasdam dicendi leges alligati, conatum omnem reformidant. [5] Unde existimant accidisse,

Quatuor his deinceps libris *elocutionis* præcepta complectitur. Hac autem præfatione ostendit quo pacto *inventio* & *dispositio* sit docenda, repetit quæ hactenus præcepit *de inventione & dispositione*, deinde *ad elocutionem* transit, cujus utilitatem & difficultatem ostendit: postremo vitia quædam pravæ *elocutionis* notat. *Turneb.*

1 *Per omnes numeros.*] Hæc phrasis ducta est ab opinione Pythagoræ, qui existimavit omnia *constare numeris* & numeris perfici: unde quod *absolutum* est, dicitur habere suos numeros. *Idem.*

2 *Ita incipientibus.*] *Elocutio* ac cæteræ partes accuratius tradi debent, non item *inventio* & *dispositio*. nam hæ ut natura sunt priores, ita priores docentur: sed tum auditores sunt rudes, quocirca simplicius sunt docendæ hæ partes. *Idem.*

3 *Aut enim difficultate institutionis.*] Vide Jan. Gebhard. Crepund. lib. 3. cap. 8. pag. 121. Vid. Muret. Var. lect. l. 19. cap. 2.

4 *Aut quasi ad certas.*] Fab. *lib.* 2. diligenter scripsit quatenus sit *arti* inhærendum. ait enim sæpenumero *naturam* nos sequi oportere, ac sæpenumero ob utilitatem causæ omittendam esse docuit *præceptorum rationem*, si refragaretur. *Turneb.*

5 *Unde existimant.*] Id videtur propter Hermagoram dixisse, qui *artem rhetoricam* infinitis præceptorum minutiis, sed tamen ut legibus, est complexus: unde antea nimiam ejus diligentiam vituperabat. huic vitio videtur etiam Hermogenes

cidisse, ut qui diligentissimi artium scriptores extiterunt, ab eloquentia longissime fuerint. Via tamen opus est incipientibus, sed ea plana, & cum ad ingrediendum, tum ad demonstrandum expedita. [1] Eligat itaque peritus ille præceptor ex omnibus optima, & tradat ea demum in præsentia, quæ placent, remota refutandi cætera mora. *Sequuntur enim discipuli quo duxeris. Mox cum robore discendi crescet etiam eruditio.* Iidem primo solum iter credant esse in quod inducentur, mox illud cognituri etiam optimum. [2] Sunt autem neque obscura, neque ad percipiendum difficilia, [3] quæ scriptores diversis opinionibus pertinaciter tuendis involverunt. [4] Itaque in toto artis hujusce tractatu difficilius est judicare quid doceas, quam cum judicaris, docere: præcipueque in duabus his partibus perquam sunt pauca, circa quæ si is qui instituetur, non repugnaverit, pronum ad cætera habiturus est cursum. [5] Nempe enim plurimum in hoc laboris exhausimus, ut ostenderemus *rhetoricen bene dicendi scientiam, & utilem, & artem, & virtutem esse:* materiam ejus, *res omnes* de quibus dicendum esset. Tum & eas in tribus fere generibus: *demonstrativo, deliberativo, judicialique* reperiri. Orationem porro omnem constare *rebus, & verbis.*

In

mogenes apud Græcos obnoxius. est enim diligentior in inveniendis & tradendis præceptis, quam deceat. *Idem. Unde existimant accidisse.*] Carneades apud Cic. lib. 1. de Orat. *Pith.*

1 *Eligat itaque.*] Agricola *lib.* 3. cum *de dispositione* agit, eam esse optimam ait artium tradendarum methodum, ut initio opiniones malæ refutentur, quod perpetuo facit Arist. & Galenus. Id tamen non probat *in institutione rudiorum* Fabius. *Turneb.*

2 *Sunt autem.*] *Inventionis & dispositionis* præcepta per se facilia sunt, sed obscurata sunt à scriptoribus artium, qui quotidie præcepta alia atque alia inveniebant, & nonnunquam recta mutabant, ut aliquid viderentur invenisse. Fab. tamen huic reprehensioni obnoxius videtur, qui *lib.* 3. tot opiniones congesserit, quæ non tam explicabant rem quam involvebant. *Idem.*

3 *Quæ scriptores, &c.*] Hoc de juris interpretibus dici vere potest. *Pithœus.*

4 *Itaque in toto.*] In variis & diversis opinionibus opus est *judicio* ad eligendum quod sit optimum: quod autem *optimum*, id est *docendum:* sed cum artis præcepta optima sint pauca, facile est docere: cum autem infinita sint tradita ab auctoribus, difficile est judicare quæ optima. *Turneb.*

5 *Nempe enim.*] *Anacephalæosis* est eorum quæ tractavit superioribus quinque libris: neque tamen in enumerando sequitur ordinem traditionis, sed opportunitatem connexionis. *Idem.*

In rebus intuendam *inventionem*, in verbis *elocutionem*, [1] in utrisque *collationem*: quæ memoria complecteretur: *actio* commendaret. Oratoris officium, *docendi*, *movendi*, *delectandi* partibus contineri. Ex quibus ad docendum, *expositio & argumentatio*: ad movendum, *affectus* pertinerent: quos per omnem quidem caussam, sed maxime tamen in ingressu ac fine dominari. [2] Nam *delectationem*, quamvis in utroque sit eorum, magis tamen propriam *in elocutione* partes habere. *Quæstiones* alias *infinitas*, alias *finitas*, quæ personis, locis, temporibus continerentur. [3] In omni porro materia tria esse quærenda, *an sit*, *quid sit*, *quale sit*. His adjiciebamus, *demonstrativam* laude ac vituperatione constare. In ea, quæ ab ipso de quo diceremus, quæ post eum acta essent, intuendum. [4] Hoc opus tractatu *honestorum utiliumque* constare. [5] Suasoriis accedere tertiam partem ex conjectura, *possetne fieri*, *& an esset futurum*, de quo deliberaretur. Hic præcipue diximus spectandum, *quis*, *apud quem*, *quid* diceret. [6] Judicialium caussarum alias in singulis, alias in pluribus controversiis consistere: [7] & in quibusdam sufficere modo

1 *In utrisque collocationem.*] Secutus est Cic. *in Partit.* est enim *collocatio* duplex, quædam *verborum*, quædam *rerum*. rerum collocatio est *dispositio*, verborum autem apta est *compositio*, quæ subjungitur *elocutioni*. Idem.

2 *Nam delectationem.*] *Delectatio* ipsa etiam est in docendo, & in ipso motu, maxime tamen in orationis genere, ut in illo charactere qui dicitur *floridus*, in quo est mira orationis suavitas & elegantia, quæ res efficit delectationem. *Idem.*

3 *In omni porro materia.*] Hoc intelligendum est non solum in *materia definita*, sed etiam *infinita*: quod ex hoc Fabii loco apparet, & ex Cicerone constat. quanquam nonnulli *statum* duntaxat quærendum putant in *hypothesi*. Idem

4 *Hoc opus.*] Reprehendit enim Fabius eos qui *demonstrativum genus* terminassent honestate. illi tamen defendi poterunt, quod sint id complexi quod maxime frequens est in *laudatione* & *vituperatione*. Idem.

5 *Suasoriis.*] Locos *deliberativæ materiæ* dixit, *honestum*, *utile*, *possibile*: sed *possibile* dicere non est ausus, propterea quod durior est appellatio, ut docuit l. 3. *Idem.*

6 *Judicialium causarum.*] Significat *causas judiciales* esse duplices, quasdam *simplices*, quasdam *conjunctas*. simplices sunt *una de re*, conjunctæ *de pluribus*. Idem.

7 *Et in quibusdam.*] Hoc intelligendum est hoc modo, quasdam causas judiciales, ut *conjecturales*, ad constitutionem egere duntaxat *intentione* & *depulsione* prima, cum præsertim sint aliæ causæ, ut *status qualitatis*, quæ flagitent rationem & firmamentum. itaque alterum *Modo* videtur elidendum, estque adjicienda *Et* particula. *Idem.*

1 *Pro-*

modo *intentionem*, modo *depulsionem*: porro *depulsionem* omnem inficiatione duplici, *factumne*, & *an hoc factum esset*, præterea *defensione* ac *translatione* constare. *Quæstionem*, aut ex facto, aut ex scripto esse. *Ex facto*, de rerum fide, [1] proprietate, qualitate. [2] *Ex scripto*, de verborum, vi aut voluntate: in quibus vis tum caussarum, tum actionum inspici soleat, quæque aut scripti & voluntatis, aut ratiocinativæ, aut ambiguitatis, aut legum contrariarum specie continetur. In omni porro caussa judiciali quinque esse partes: quarum *exordio* conciliari audientem, *narratione* caussam proponi, *confirmatione* roborari, *refutatione* dissolvi, *peroratione* aut memoriam judicis refici, aut animos moveri. His argumentandi & afficiendi locos, & quibus generibus concitari, placari, [3] resolvi judices oportet, adjecimus. [4] Accessit ratio divisionis. Credere modo qui discet velit, certam quandam viam esse, in qua multa etiam sine doctrina præstare debeat per se ipsa natura, ut hæc de quibus dixi, non tam inventa à præceptoribus, quam cum fierent, observata esse videantur. Plus exigunt laboris & curæ quæ sequuntur. Hinc enim jam *elocutionis* rationem tractabimus, partem operis, ut inter omnes oratores convenit, difficillimam. [5] Nam & M. Antonius, cujus supra habuimus mentionem,

1 *Proprietate.*] *Proprietatem* appellat finitivum statum, propterea quod *definitio* explicat rei proprietatem & vocabuli. sic *lib.* 3. dixit à quibusdam *statum finitivum* vocari statum proprietatis. *Idem.*

2 *Ex scripto.*] Verba hæc universaliter sunt accipienda, quemadmodum dixit *in cap. de actione lib.* 7. omnem *statum legalem* quæstionem habere in scripto aut *voluntate*. Quod sequitur ita est intelligendum, *causas omnes legales* illic habere disceptationem, deinde *omnem translationem* eisdem statibus legalibus contineri, ut docuimus lib. 7. *Idem.*

3 *Resolvi judices oportet.*] Pars hæc postrema videtur pertinere ad caput *risus*, quo maxime resolvitur *judex* & *auditor*. atque huic interpretationi videtur subscribere ordo tractationis. *Idem.*

4 *Accessit ratio divisionis.*] *Divisionem* appellat *distributionem thematis* & *causæ* in capita sua, quæ res dispositionem orationis efficit. ea dicitur παρεγχείρησις, de qua præcepit *lib.* 7. Fabius. *Idem.*

5 *Nam & M. Antonius.*] M. Antonius libellum quendam *de eloquentia* imperfectum reliquit, in quo scripsit se *disertos* multos vidisse, *eloquentem* neminem. *disertum* interpretabatur, qui apud mediocres homines posset ex communi ratione acute & dilucide disputare: *eloquentem* vero, qui omnia magnificentius augere posset & ornare, resque

tionem, ait *à se disertos visos esse multos, eloquentem autem neminem. Disertis* satis putat dicere quæ oporteat: ornate autem dicere, proprium esse *eloquentissimi.* Quæ virtus si usque ad eum in nullo reperta est, ac ne in ipso quidem, aut L. Crasso, certum est & in his & in prioribus eam desideratam, quia difficillima fuit. [1] Et Marcus Tullius *inventionem* quidem ac *dispositionem* prudentis hominis putat, *eloquentiam* oratoris. [2] Ideoque præcipue circa partis hujus præcepta elaboravit. Quod eum merito feciisse, etiam ipso rei, de qua loquimur nomine, palam declaratur. *Eloqui* enim hoc est, omnia quæ mente conceperis, promere, atque ad audientes perferre, sine quo supervacua sunt priora, & [3] similia gladio condito, atque intra vaginam suam hærenti. [4] Hoc itaque maxime docetur: hoc nullus nisi arte assequi potest: huc studium adhibendum: hoc exercitatio petit, hoc imitatio: hîc omnis ætas consumitur: hoc maxime orator oratore præstantior: [5] hoc genera ipsa dicendi alia aliis potiora. Neque enim Asiani, aut quocunque alio genere corrupti, res non viderunt, aut eas non collocaverunt: neque [6] quos *aridos* vocamus, stulti, aut in cauſſis cæci fuerunt, sed his judicium in eloquendo ac modus; illis vires defuerunt: ut appareat in hoc & vitium & virtutem esse dicendi: [7] Non ideo tamen sola est agenda cura verborum.

Occur-

omnes teneret quæ ad eloquentiam pertinent. *Idem. Nam & M. Antonius.*] De Orat. 1.

1 *Et Marcus.*] II. De Orat.

2 *Ideoque præcipue.*] Ut *in oratore ad Brutum.* nam omissis cæteris rhetoricæ partibus duntaxat illic *elocutionem* tractavit. *Turneb.*

3 *Similia gladio condito, &c.*] Vide Jan. Gebhard. Crepund. lib. 3. cap. 8. pag. 121. 122.

4 *Hoc itaque.*] Locus est per congeriem, partim *ab efficientibus*, partim *à fine.* Turneb.

5 *Hoc genera ipsa dicendi.*] Hoc non accipiendum est *de tribus characteribus*, (sunt enim omnes probabiles, quanquam *præstantissimus est* omnium *sublimis*:) sed accipiendum est de peculiari cujusque dicendi genere, & collatione boni characteris cum pravo, ut *Attici cum Asiano.* Idem.

6 *Quos aridos vocamus.*] Significare videtur aliquos, qui se *Atticos* appellari volebant, qui quia videbant Lysiam oratorem Atticum *tenuem* esse, *jejunitatem* orationis & *ariditatem* consectabantur, idque putabant esse maxime Atticum. eos reprehendit Cicero *in Oratore ad Brutum.* Idem.

7 *Non ideo tamen.*] Nunc *vitia* quædam pravæ *elocutionis* arguit, primumque

Occurram enim necesse est, & velut in vestibulo protinus apprehensuris hanc confessionem meam, resistam iis qui omissa rerum (qui *nervi* sunt *in caussis*) diligentia, quodam inani circa voces studio senescunt: idque faciunt gratia decoris: quod est in dicendo mea quidem opinione pulcherrimum, sed cum sequitur, non cum affectatur. [1] Corpora sana, & integri sanguinis, & exercitatione firmata, ex iisdem his speciem accipiunt, ex quibus vires: nanque & colorata, & adstricta, & lacertis expressa sunt, sed eadem si quis vulsa atque fucata muliebriter comat: fœdissima sint ipso formæ labore. [2] Et *cultus concessus atque magnificus addit hominibus*, ut Græco versu testatum est, *auctoritatem*: at muliebris & luxuriosus, non corpus exornat, sed detegit mentem. [3] Similiter illa *translucida* & versicolor quorundam elocutio, res ipsas effœminat, quæ illo verborum habitu vestiuntur. *Curam ergo verborum, rerum volo esse solicitudinem.* [4] Nam plerunque optima rebus cohærent, & cernuntur suo lumine: at nos quærimus illa tanquam lateant semper, seque subducant. Ita nunquam putamus circa id esse, de quo dicendum est: sed ex aliis locis petimus, & inventis vim afferimus. Majore animo aggredienda *eloquentia* est: [5] quæ si toto corpore valet, ungues polire, & ca-

que ait malam esse elocutionem quæ plena est verborum & inanis rerum. id autem facit per prolepsin, quia videbatur contempsisse *inventionem* & res, in elocutionis commendatione. *Idem.*

1 *Corpora sana.*] Comparat *inventionem* viribus, *elocutionem* venusto colori. quemadmodum igitur bonus color sequitur ultro robur & bonam valetudinem, ita *elocutio* inventionem sequi debet, non affectari. *Idem.*

2 *Et cultus.*] Alludit ad proverbium, Eras. *Vestis virum facit*, quo significamus ipsum ornatum magnificentiam quandam & auctoritatem hominibus addere. existimat Eras. à Fabio significari versum quendam Homericum, quem Nausicaa de Ulysse dixit. *Idem.*

3 *Similiter illa.*] Alluit *ad vestem Coam*, quæ eadem dicitur *Bombycina*, quæ ex serico ita tenui est ut transluceat. Est etiam *sericum* versicolor, quod subinde nobis alium atque alium solet decepto visu colorem præbere. *Idem.*

4 *Nam plerunque.*] Reprehendit *cacozelos*, qui prava affectatione nonnunquam propriis utuntur verbis, sed accersitis & novatis. eos homines (ut docet Tranquillus) contemnebat Augustus, qui arbitrabatur optimum eleganter loqui, non molestè. *Idem.*

5 *Quæ si toto.*] Si *eloquentia* sana est & optima, ita ornatus habebit rationem ut virilitas quædam appareat &

& capillum reponere, non existimabit ad curam suam pertinere. Sed evenit plerunque, [1] ut hac diligentia deterior etiam fiat oratio. Primum, quia sunt *optima minime accersita*, & simplicibus atque ab ipsa veritate profectis similia. Nam illa quæ curam fatentur, & ficta atque composita videri etiam volunt: nec gratiam consequuntur, & fidem amittunt, propter id quod sensus obumbrant, & [2] velut læto gramine sata strangulant. [3] Nam & quod recte dici potest, circumimus amore verborum: & quod satis dictum est, repetimus: & quod uno verbo patet, pluribus oneramus: & pleraque significare melius putamus, quam dicere. Quid, quod nihil jam proprium placet, dum parum creditur difertum, quod & alius dixisset? A corruptissimo quoque poëtarum figuras seu translationes mutuamur: [4] tum demum ingeniosi scilicet, si ad intelligendos nos opus sit ingenio. Atqui satis aperte [5] Cicero præceperat, in dicendo vitium vel maximum esse, à vulgari genere orationis, atque à consuetudine communis sensus abhorrere. [6] Sed ille durus, atque ineruditus: nos melius, quibus sordent omnia quæ natura dictavit: qui non ornamenta quærimus, sed lenocinia.

majestas, non *lenocinium*. est autem plane *lenocinium* ita phalerata & fucata uti elocutione. Dixit autem *capillum reponere*, pro molliter capillos discriminare & disponere, quod est nimium molle. *Idem.*

1 *Ut hac diligent. deterior.*] Ita picturæ officere illam diligentiam notavit Plin. cap. 10. lib. 35. cum refert Apellem dixisse se Protogene uno præstare, quod manum ille de tabula nesciret tollere: memorabili præcepto: *Nocere sæpe nimiam diligentiam.* Aristoteles, quod & Scalig. monet in Cardani Exerc. 88. n. 11. docet in i. Topicor: *nos verbis utendum, neque superstitiose neque supine.* Passer.

2 *Et velut læto gramine, &c.*] *Metaphora* est ducta *à luxuria.* solent enim sæpenumero pravæ succrescere herbæ tanta copia ut strangulent sata: quemadmodum multitudo illa verborum accersitorum solet sententiam obscurare & perdere. *Turneb.*

3 *Nam & quod.*] Ab illis *cacozelis* usurpantur pravæ *periphrases*, supervacuæ *repetitiones*, vanæ *perissologiæ*, & obscuræ *emphases*, cum tamen id quod breviter denuntiant, esset pluribus enuntiandum & explicandum. *Idem.*

4 *Tum demum ingeniosi scilicet.*] Eundem errorem Fabius noster infra cap. 2. hujus libri multis reprehendit. Vide Casaubon. Comment. ad Pers. Sat. 1. p. 118.

5 *Cicero.*] I. De Orat. in prologo.

6 *Sed ille durus.*] Quanquam ista sunt *ironicôs* accipienda, tamen hac de causa dicuntur, quia *cacozeli* illi qui tempore Fabii erant, *Ciceronem* existimabant *durum* & *impolitum*, quemadmodum apud Tacitum illum esse dicit Aper. *Turneb.*

1 Quæ

nocinia. quasi vero sit ulla verborum, nisi rei cohærentium, virtus: [1] quæ ut propria sint & dilucida & ornata, & apte collocentur, si tota vita laborandum est, omnis studiorum fructus amissus est. Atque plerosque videas hærentes circa singula, & dum inveniunt, & dum inventa ponderant, ac dimetiuntur. Quod etiam si idcirco fieret, ut semper optimis uterentur, abominanda tamen hæc infelicitas erat: quæ & cursum dicendi refrenat, & calorem cogitationis extinguit mora & diffidentia. [2] Miser enim, & (ut sic dicam) pauper orator est, qui nullum verbum æquo animo perdere potest. Sed ne perdet quidem, qui rationem loquendi primum cognoverit, tum lectione multa & idonea copiosam sibi verborum supellectilem compararit, & huic adhibuerit artem collocandi: deinde hæc omnia exercitatione plurima roborarit, ut semper in promptu sint, & ante oculos. Nanque & hoc qui fecerit, ei res cum nominibus suis occurrent. Sed *opus est studio præcedente, & acquisita facultate*, & quasi reposita. Nanque ista quærendi, judicandi, comparandi anxietas, dum discimus, adhibenda est, non cum dicimus. Alioqui sicut qui patrimonium non pararunt, subinde quærunt: ita in oratione, [3] qui non satis laborarunt. Si præparata vis dicendi fuerit, [4] erunt in officio, sic ut non ad requisita respondere, sed ut semper sensibus inhærere videantur, atque ut umbra corpus sequi. Tamen in hac ipsa

1 *Quæ ut propria sint.*] Alios etiam reprehendit, qui mire occupantur in verbis eligendis & collocandis, & periodis circunducendis. illi enim cum maximus sit eloquentiæ fructus *in extemporalitate*, nunquam poterunt ex tempore dicere. *Idem.*

2 *Miser enim.*] Hoc adjecit per *epiphonema*. illi enim qui ita sunt curiosi verborum exploratores, si verbi alicujus (ut arbitrantur) elegantissimi loco, aliud posuerint, verbum illud se perdidisse putant: sed interim tamen dum ita verba ponderant, ostendunt suam paupertatem & penuriam. *Idem.*

3 *Qui non satis laborarunt, si, &c.*] Lectio vetus est hujusmodi, *Qui non satis laborarunt. sin præparata vis dicendi fuerit, erit in officio, non ut ad requisita respondeat, sed ut semper sensibus inhærere videatur. at ut umbra corpus sequitur.* Atque is erit sensus, si præparatum fuerit præceptum elocutionis, erit hujusmodi ut non diu sit requirendum quid dicere debeas, sed ut ultro sententiam sequatur verborum elocutio. *Idem.*

4 *Erunt in officio, sic ut, &c.*] Dan. *in officio verba sic ut non req.* Pith.

1 *In*

ipsa cura est aliquid satis. Nam cum latina, significantia, ornata, apte sint collocata, quid amplius laboremus? Quibusdam tamen nullus finis calumniandi est, & cum singulis pene syllabis commorandi: qui etiam cum optima sint reperta, quærunt aliquid quod sit magis antiquum, remotum, inopinatum: nec intelligunt jacere sensus in oratione, in qua verba laudantur. Sit igitur cura elocutionis quammaxima, dum sciamus tamen nihil verborum caussa esse faciendum, cum verba ipsa rerum gratia sint reperta: quorum ea sunt maxime probabilia, quæ sensum animi nostri optime promunt, atque in animis judicum quod volumus efficiunt. Ea debent præstare sine dubio & admirabilem & jucundam orationem. Verum admirabilem non sic quomodo prodigia miramur, & jucundam orationem non deformi voluptate, sed cum laude ad dignitatem conjuncta.

Cap. I.

Quæ in elocutione spectanda.

1 IGitur quam Græci φράσιν vocant, Latine dicimus *elocutionem*. Eam spectamus in verbis aut singulis, aut conjunctis. [1] In singulis intuendum est, ut sint latina, perspicua, ornata, & ad id quod efficere volumus, accommodata. In conjunctis, ut emendata, ut collocata, ut figurata. Sed ea quæ de ratione latine atque emendate loquendi fuerunt dicenda, *in libro primo* cum *de grammatice* loqueremur, executi sumus. Verum illic tantum ne vitiosa essent, præcipimus: hîc non alienum est admonere, ut sint quamminime peregrina, & externa. [2] Multos enim, quibus loquendi ratio non desit, invenias: quos curiose potius loqui dixeris, quam

1 IN *singulis intendum*, &c.] Quartum membrum lib. primo omittebat, quod à Theophrasto tamen ponebatur, *qui quidem ait apte dicendum esse*. nam id ipsum subjicitur ornatui. Est autem annotandum, *perspicuitatem* & *ornatum* in singulis potissimum verbis esse, sed tamen conspici etiam in conjunctis, ut docebit Fabius. *Turneb.*

2 *Multos enim*, &c.] Tertullian. Apuleius, Capella, Macrobius. *Pithœus.*

1 *Theo-*

quam Latine: quomodo & illa Attica anus [1] Theophrastum hominem alioqui disertissimum, annotata unius affectatione verbi, hospitem dixit: nec alio se id deprehendisse interrogata respondit, quam quod *nimium Attice* loqueretur. Et in Tito Livio miræ facundiæ viro putat inesse Pollio Asinius [2] quandam *Patavinitatem.* Quare, si fieri potest, & verba omnia, & vox, hujus alumnum urbis oleant, [3] ut oratio Romana plane videatur, non [4] civitate donata.

1 *Theophrastum.*] Hic *Theophrastus Lesbius* erat, sed Athenis Arist. audivit, atque ex divina facundia *Theophrastus* est appellatus, cum antea *Tyrtamus* diceretur. *Turneb.*

2 *Quandam Patavinitatem.*] Id est, *quandam phrasim* quæ redolebat potius *Patavium* quam Romam. sic Cic. finxit *Appietatem* & *Lentulitatem.* Sic Philelphus dixit Quintilianum redolere *Hispanitatem.* Idem.

3 *Ut oratio Romana, &c.*] Mazarius in Paneg. Neque enim ignoro quanto inferiora nostra sint ingenia Romanis: si quidem Latine & diserte loqui illis ingeneratum est, nobis elaboratum. *Pith.*

4 *Civitate donata.*] *Metaphora* est ducta à *civibus naturalibus*, & *ascriptitiis*, qui in *civitatem* recipiuntur. *Turneb.*

CAP. II.

De perspicuitate.

PErspicuitas in verbis præcipuam habet proprietatem: sed 2 proprietas ipsa non simpliciter accipitur. Primus enim intellectus est, sua cujusque rei appellatio: qua non semper utimur. Nam & obscœna vitabimus, & sordida, & humilia. Sunt autem humilia infra dignitatem rerum, aut ordinis. In quo vitio cavendo non mediocriter quidam errare solent, qui omnia quæ sunt in usu, etiamsi causæ necessitas postulet, reformidant: [1] ut ille qui in actione [2] Ibericas herbas se solo nequicquam intelligente dicebat, nisi irridens hanc vanitatem Cassius Severus, *spartum eum* dicere velle indi-

1 *Ut ille qui in actione, &c.*] *Spartum frutex* est nexilis & vitilis, genistæ similis, frequentissimus in Hispania, teste *Plinio.* Unde cum orator *spartum* ut humilem dictionem vitaret, per circunlocutionem appellavit *herbam Hispanicam.* Turneb.

2 *Ibericas herbas se solo, &c.*] Diversimode hunc locum explicant & emendant, Franc. Robortellus, Lamp. Critic. part. 2. pag. 18. & adversus illum Car. Sigonius ibid. pag. 46. 147.

1 *Nec.*]

indicasset, [1] *Nec video quare clarus orator duratos muria pisces nitidius esse crediderit, quam ipsum id quod vitabat.* [2] In hac autem proprietatis specie, quæ nominibus ipsis cujusque rei utitur, nulla virtus est: atque ei contrarium est vitium id quod apud nos *improprium*, ἄκυρον apud Græcos vocatur: quale est,

— *Tantum sperare dolorem.* Aut quod id oratione Dolabellæ emendatum à Cicerone annotavi, [3] Mortem ferre. aut qualia nunc laudantur à quibusdam, quorum est de [4] cruce *decernere*, verba ceciderunt. Non tamen quicquid non erit proprium, protinus & improprii vitio laborabit: quia primum omnium multa sunt & græce & latine [5] non denominata. Nam & qui jaculum emittit, *jaculari* dicitur: [6] qui pilam aut sudem, appellatione privatim sibi assignata caret: & ut *lapidare* quid sit manifestum est, ita glebarum testarumque jactus non habet nomen. Vnde abusio, quæ καταχρησις dicitur, necessaria. *Translatio* quoque in qua vel maximus est orationis ornatus, verba non suis rebus accommodat. Quare proprietas non ad nomen, sed ad vim significandi refertur: nec auditu, sed intellectu perpendenda est. [7] Secundo modo dicitur proprium inter plura quæ sunt ejus-

1 *Nec.*] A. Gell. lib. 17.

2 *In hac autem.*] Non est virtus proprietate verborum uti, sed ingens est flagitium improprie loqui tamen, apud *Diomedem* grammaticum *Cyriologia*, id est, locutionis proprietas, virtus orationis numeratur: cui *Acyrologia* opponitur. Sed *Diomedes* intelligit excultam & elegantem orationem, aliter autem Fabius. *Turneb.*

3 *Mortem ferre.*] Videtur *Dolabella* dixisse *mortem ferre* pro *mori*, quæ locutio est impropria. alioqui *mortem ferre*, pro *alterius mortem æquo animo pati*, Latinum est & proprium. *Idem.*

4 *De cruce.*] Videtur inde esse locutio propria, quod illi significare voluerint, alicui per dolorem tormentorum verba temere excidisse. in aliis codicibus legitur, *decernere*, ab usu cecideruntnam *decernere* olim significabat *pugnare* & *confligere*. Idem.

5 *Non denominata.*] Ulp. Natura rerum inductum est, ut plura sint negotia quam vocabula. *Pith.*

6 *Qui pilam aut sudem.*] Forte pro *pila*, *pilum* legi posset, quod est nomen *teli & missilis*, sicque quadraret cum *sude*. quanquam *pilam jaculari* pro *mittere* dicere possumus. *Turneb.*

7 *Secundo modo.*] Quædam dictiones sunt *homonymæ*, quæ varias habent significationes, ab una tamen per similitudinem & *analogiam* profectas, dicunturque *homonyma analoga*. Turnebus.

1 *Sic*

ejusdem nominis, id, unde cætera ducta sunt: ut *vertex* est contorta in se aqua, vel quicquid aliud similiter vertitur: inde propter flexum capillorum, pars est summa capitis: & ex hoc, quod est in montibus eminentissimum. Recte, inquam, dixeris hæc omnia *vertices*, proprie tamen unde initium est. [1] Sic *soleæ* & *turdi pisces*, & cætera. Tertius est huic diversus modus, cum res communis pluribus, in uno aliquo habet nomen eximium: ut carmen funebre [2] proprie *Nænia*, & tabernaculum ducis, *Augustale*. Item quod commune est & aliis nomen, intellectu alicui rei peculiariter tribuitur, [3] ut urbem, Romam accipimus: & venales, *novitios*: & [4] *Corinthia*, æra: cum sint urbes aliæ quoque, & venalia multa, & tam aurum & argentum, quam *æs Corinthium*. Sed ne in his quidem virtus oratoris inspicitur. At illud jam non mediocriter probandum: quod hoc etiam laudari modo solet, ut proprie dictum, id est quo nihil inveniri possit significantius: [5] ut Cato dixit C. *Cæsarem ad evertendam rempublicam sobrium accessisse*: ut Virgilius *deductum carmen*, & Horatius *acrem tibiam*, *Hannibalemque dirum*. In quo modo illud quoque est à quibusdam traditum proprii genus ex appositis, quæ epitheta dicuntur, ut, *Dulce mustum*: &, *Cum dentibus albis*. De quo genere alio loco dicendum est. Etiam quæ bene translata sunt, *propria* dici solent. Interim autem quæ sunt in quoque genere præcipua, *proprii* locum accipiunt, ut Fabius inter plures imperatorias virtutes *Cunctator*

1 *Sic soleæ & turdi.*] *Solea* piscis est planus, à similitudine *soleæ pedis nostri*. *turdus* quoque piscis est saxatilis, à similitudine *turdi avis*. Idem.

2 *Proprie nænia.*] *Nænia* carmen est omne inconditum & quadantenus ineptum: sed ex proprietate & quadam *antonomasia carmen funebre*. Sic Augustale omnium ducum dicitur tabernaculum, potissimum tamen & per excellentiam *Augusti papilio*. Idem.

3 *Ut urbem Romam accip.*] Vid. Joh. Savaro ad Sidonii lib. 1. Epist. 6. p. 41.

4 *Corinthia æra.*] At videtur æs Corinthium proprium quid habuisse auri argentique ex incendio ejus urbis, mixtura. *Pith.*

5 *Ut Cato dixit Cajum Cæsarem.*] Scribit *Tranquillus Cæsarem* vini parcissimum fuisse, ut dixerit *Cato* solum *Cæsarem* sobrium accessisse ad evertendam rempub. In nomine *sobrii* proprietas est: significatur enim magna cura, diligentia, & provisio, qualis esse solet in *sobriis*. Turneb.

ctator est appellatus, [1] possunt videri verba quæ plus significant quam eloquuntur, in parte ponenda perspicuitatis: intellectum enim adjuvant. Ego autem libentius emphasim retulerim ad ornatum orationis, quia non ut intelligatur efficit, sed ut plus intelligatur. [2] At obscuritas fit etiam verbis ab usu remotis: ut si [3] commentarios quis pontificum, & vetustissima fœdera, & exoletos scrutatus auctores, id ipsum petat ex his: ut quæ inde contraxerit, non intelligantur. Hinc enim aliqui famam eruditionis affectant, ut quædam soli scire videantur. [4] Fallunt etiam verba vel regionibus quibusdam magis familiaria, vel artium propria, ut [5] *Atabulus* ventus, & [6] *navis Saccaria*, [7] & *In malaco fanum*. Quæ vel vitanda apud judicem ignarum significationum earum, vel interpretanda sunt: sicut in his quæ *homonyma* dicuntur, ut, *Taurus* animal sit, an mons, an signum in cœlo, an nomen hominis, an radix arboris, nisi distinctum non intelligitur. Plus tamen est obscuritatis in contextu & continuatione sermonis, & plures modi. Quare nec sit tam longus, ut eum prosequi non possit intentio:

1 *Possunt videri.*] Quando minus eloquimur, & plus tamen intelligitur, fit *emphasis*: quæ quanquam ad proprietatem referri videtur, tamen potius ad ornatum est redigenda. *Idem.*

2 *At obscuritas fit, &c.*] Hieronymus in Ezechielem c. 13. Rhetor Victorinus dicebat: obscuritatem ex tribus fieri: rei magnitudine, doctoris imperitia, audientis duritia. *Passerat.*

3 *Commentarios.*] *Commentarii* pontificum de religione tractabant, sed ab ipso usque *Numa* erant inchoati, & deinceps alii atque alii ab antiquis pontificibus scripti. *Turneb.*

4 *Fallunt etiam.*] Hæc verba sunt referenda inter ea quæ dicuntur *glossæ* & *glossemata*. nam propter obscuritatem egent interpretatione. de his dictum est lib. 1. *Idem.* Gell. c. 10. l. 1. vide Suet. in Aug. Amm. Marcell. l. 30. Vide Cælium lib. 3. cap. 15.

5 *Atabulus ventus.*] Vide Joh. Savaro ad Sidon. Apol. lib. 1. Epist. 5. p. 35.

6 *Navis Saccaria.*] *Navis Saccaria* explicatur ab interpretibus quæ *saccos* fert, sed putem potius eam esse quæ in *saccis fert species aromaticas*. Apuleius quoque dixit *saccariam facere*, pro *exercere* (ut interpretantur) *saccorum negociationem*. alii referunt etiam *ad saccar*. Turneb.

7 *Ut in Malaco.*] Hoc dictum abiit in proverbium. est autem ductum vel à medicina, vel ab arte *physiognomonum*. etenim sic ajunt, carnis mollitiem significare animi sanitatem & ingenii acrimoniam. nam *malacum* lingua græca significat molle. In aliis sic legitur, & *maltha* pro insano. nam *Lucilius* poëta (ut apparet ex Nonio) *malthan* posuit pro *insano*. Idem.

tentio: [1] nec trajectione tam tardus, ut in hyperbaton finis ejus differatur. [2] Quibus adhuc pejor est mistura verborum, qualis in illo versu,

[3] *Saxa vocant Itali mediis quæ in fluctibus, aras.*

Etiam interjectione, qua & oratores & historici frequenter utuntur, ut medio sermone aliquem inserant sensum, impediri solet intellectus, nisi quod interponitur, breve est. Nam Virgilius illo loco quo pullum equinum describit, cum dixisset,

[4] *Nec vanos horret strepitus. ----*

compluribus insertis, alia figura quinto demum versu redit,

-- Tum siqua sonum procul arma dedere,
Stare loco nescit. ----

Vitanda in primis ambiguitas, non hæc solum, de cujus genere supra dictum est, quæ incertum intellectum facit, ut *Chremetem audivi percußisse Demeam*: [5] sed illa quoque, quæ etiamsi turbare non potest sensum, in idem tamen verborum vitium incidit: ut si quis dicat, *visum à se hominem librum scribentem.* Nam etiamsi librum ab homine scribi pateat, male tamen composuerat, feceratque ambiguum, quantum in ipso fuit. [6] Est etiam in quibusdam turba inanium verborum, qui dum communem loquendi morem reformidant, ducti specie nitoris, circumeunt omnia copiosa loquacitate quæ dicere volunt: ipsam deinde illam seriem cum alia simili jungentes, miscentesque, ultra quam ullus spiritus

1 *Nec trajectione, &c.*] *Hyperbaton* transgressio est quæ verborum perturbat ordinem: tamen (ut ait *Cornificius*) aliquando potest usurpari, si obscuritatem non addit orationi, & eam efficit numerosiorem. species ejus sunt quinque, *anastrophe*, *tmesis*, *parenthesis*, *synchysis* & *hysterologia*. Idem.

2 *Quibus adhuc.*] Hoc est quæ dicitur *synchysis*. id est, *confusio*, quæ miscendo verba & confundendo obscuritatem parit. reperitur duntaxat apud poëtas, nunquam apud oratores. *Idem.*

3 *Saxa.*] Virg. Æneid. 1.

4 *Nec, &c.*] Virg. Georg. 3.

5 *Sed illa quoque.*] Hanc ambiguitatem vitare sane debemus, priorem quidem semper, posteriorem sæpenumero. nam alioqui & *Cicero* & magni auctores in eam inciderunt. *Turneb. Sed illa quoque.*] Lachetem dicit supra lib. 7. cap. 9. de ambiguo.

6 *Est etiam.*] Productiores periodi, quæ uno spiritu pronunciari non possunt, ipso vitio in obscuritatem incidunt. *Turneb.*

ſpiritus durare poſſit, extendunt. In hoc malum etiam à quibuſdam laboratur: neque id novum vitium eſt, cum jam apud Titum Livium inveniam fuiſſe præceptorem aliquem qui diſcipulos *obſcurare* quæ dicerent, juberet, Græco verbo utens, σκότισον. Unde illa ſcilicet egregia laudatio, *Tanto melior:* ne ego quidem intellexi. Alii brevitatis æmuli, neceſſaria quoque orationi ſubtrahunt verba, & velut ſatis ſit ſcire ipſos quæ dicere velint, quantum ad alios pertineat, nihil putant. At ego [1] ocioſum ſermonem dixerim, quem auditor ſuo ingenio non intelligit. Quidam emutatis in perverſum dictis, de figuris idem vitium conſequuntur. Peſſima vero ſunt [2] ἀδιανόητα, hoc eſt, quæ verbis aperta occultos ſenſus habent: ut, [3] *Conductus eſt cæcus ſecus viam ſtare: & qui ſuos artus morſu laceraſſet, fingitur in ſcholis ſupra ſe cubaſſe.* Ingenioſa hæc & fortia, ut ex ancipiti diſerta credantur perficiunt. At perſuaſit quidem jam multos iſta perſuaſio, ut id jam demum eleganter atque exquiſite dictum putent, quod interpretandum ſit. Sed auditoribus etiam nonnullis grata ſunt hæc quæ cum intellexerint acumine ſuo delectantur, & gaudent non quaſi audiverint, ſed quaſi invenerint. Nobis *prima* ſit *virtus perſpicuitas*, propria verba, rectus ordo, non in longum dilata concluſio: nihil neque deſit, neque ſuperfluat. Ita ſermo & doctis probabilis, & planus imperitis erit. Hæc eſt eloquendi obſervatio. Nam rerum perſpicuitas quo modo præſtanda ſit, diximus in præceptis narrationis. Similis autem ratio eſt in omnibus. Nam ſi neque

1 *Otioſum ſermonem.*] *Sermonem* appellat *otioſum* Fabius, eum qui *vanus* eſt, nihilque aliis ſignificat, cum non intelligatur. In antiquo codice legitur, *quem auditor ſuo ingenio intelligit*, poteſtque ſic ſenſus conſtare, ut malus ſit ille ſermo qui ſua facilitate non ſit pervius, ſed ad intellectum egeat magno auditoris ingenio. *Idem.*

2 Ἀδιανόητα] Ἀδιανόητα nimis dicta pervertunt. ſunt autem *non intelligibilia*, propter ſententiam pene ænigmaticam, ut exempla quæ à Fabio ponuntur, quorum vix poteſt erui ſenſus, cum ipſe non expoſuerit. *Idem.*

3 *Conductus eſt cæcus.*] Aut quod precio ſit in viam ductus *cæcus*, ut aliquem obſervaret, quod ridiculum eſt ab *abſurdo:* aut quod cum aliis ductus ſit, ut ſtipem exigeret. forte vero latitat ſenſus aliquis abſtruſior. *Idem.*

1 *Quare*

que pauciora quam oportet, neque plura, neque inordinata aut indistincta dixerimus, erunt dilucida, & negligenter quoque audientibus aperta: quia id ipsum in consilio est habendum, non semper tam esse acrem judicis intentionem, ut obscuritatem apud se ipse discutiat, & tenebris orationis inferat quoddam intelligentiæ suæ lumen: sed multis eum frequenter cogitationibus avocari: nisi tam clara fuerint quæ dicemus, ut in animum ejus oratio, ut Sol in oculos, etiamsi in eam non intendatur, incurrat. [1] Quare non ut intelligere possit, sed ne omnino possit non intelligere curandum. Propter quod etiam repetimus sæpe quæ non satis percepisse eos qui cognoscunt, putamus. [2] Quæ causa utique nostra culpa dicta obscurius est, qua causa ad planiora & communia magis verba descendimus: cum id ipsum optime fiat, quod nos aliquando non optime feciſſe simulamus.

1 *Quare non.*] Non tam affectanda est *perspicuitas*, quam vitanda est *obscuritas*: quamquam qui *obscuritatem* vitarit, dilucidus erit. sed ita pronunciavit *Fab.* argutissimam sententiam. *Idem.*

2 *Quæ causa.*] Verba sunt oratoris id repetentis quod dictum est aliquanto obscurius. *Idem.*

CAP. III.

De ornatu.

VEnio nunc ad *ornatum*: in quo sine dubio plus quam in cæteris dicendi partibus sibi indulget orator. Nam emendate quidem ac dilucide dicentium, tenue præmium est, magisque vitiis carere, quam ut aliquam magnam virtutem adeptus esse videaris. *Inventio* cum imperitis sæpe communis: *dispositio* modicæ doctrinæ credi potest: [1] & quæ

3

ROdolphus Agricola oratorem ait à cæteris maxime ornatu differre: quod idem *Fabius* innuit. est autem ornatus positus in singulis verbis, aut conjunctis, tum in *tropis*, *figuris*, *sententiis*, *amplificationibus*, *apta collocatione & compositione.* de quibus omnibus est deinceps acturus *Fabius.* Turneb.

1 *Et quæ sunt artes.*] *Artificium* quod adhibetur ad orationis *œconomiam* & causæ utilitatem, latere debet, quia (ut ait Fab.) *ars desinit cum apparet.* at vero orator persæpe orationis cultum & ornatum ostentat. *Idem.*

quæ sunt artes altiores, plerunque occultantur, ut artes sint: denique omnia hæc ad utilitatem caussarum solam referenda sunt. Cultu vero atque ornatu se quoque commendat ipse qui dicit, & in cæteris judicium doctorum, in hoc vero etiam popularem laudem petit. Nec fortibus modo, sed etiam fulgentibus armis præliatus in caussa est [1] Cicero Cornelii: qui non assecutus esset docendo judicem tantum, & utiliter demum ac Latine perspicueque dicendo, ut populus Romanus admirationem suam non acclamatione tantum, sed etiam plausu confiteretur. Sublimitas profecto, & magnificentia, & nitor, auctoritas expressit illum fragorem. Nec tam insolita laus esset prosecuta dicentem, si usitata & cæteris similis fuisset oratio. Atque ego illos credo qui aderant, nec sensisse quid facerent, nec sponte judicioque plausisse, sed velut mente captos, & quo essent in loco ignaros, erupisse in hunc voluntatis affectum. Sed ne caussæ quidem parum confert idem hic orationis ornatus. Nam qui libenter audiunt, & magis attendunt, & facilius credunt: plerunque ipsa delectatione capiuntur, nonnunquam admiratione auferuntur. [2] Nam & ferrum affert oculis terroris aliquid, & fulmina ipsa non tam nos confunderent, si vis eorum tantum, [3] non etiam ipse fulgor timeretur. Rectèque Cicero his ipsis ad Brutum verbis quadam in epistola scribit, *Nam eloquentiam, quæ admirationem non habet, nullam judico.* Aristoteles quoque eandem petendam maxime putat. Sed hic *ornatus* (repetam enim) [4] *virilis, fortis, & sanctus sit:* nec effœminatam lævitatem, nec fuco eminen-

1 *Cicero Cornelii.*] Ambiguum est idne sit intelligendum de causa *Cornelii* illius qui proditionis accusatus fuit, an vero de causa *Cornelii Balbi:* si quidem utrobique miram præstitit eloquentiam & ornatum Cicero. *Idem.*

2 *Nam & ferrum affert oculis.*] Vide supra lib. 2. cap. 14. & infra lib. 10. c. 10. Jan. Gebhard. Crepund. l. 3. c. 2. p. 107. *Parens.*

3 *Non etiam ipse fulgor.*] Antiqui *fulgura* & *fulminum fulgorem* summopere timuerunt, solebantque ea *peppysmis* (ut ait Plin.) adorare, opinor quo averterent malum. *Turneb.*

4 *Virilis, fortis, &c.*] Grandis & ut ita dicam pudica oratio, non est maculosa nec turgida: sed naturali pulchritudine exurgit. *Petronius.*

eminentem colorem amet, sanguine & viribus niteat. Hoc autem adeo verum est, ut cum in hac maxime parte sint vicina virtutibus vitia, etiam qui vitiis utuntur, virtutis tamen his nomen imponant. Quare nemo ex corruptis dicat me inimicum esse culte dicentibus. Non nego hanc esse virtutem, sed illis eam non tribuo. [1] An ego fundum cultiorem putem, in quo mihi quis ostenderit lilia & violas, & amœnos fontes surgentes, quam ubi plena messis, aut graves fructu vites erunt? [2] Sterilem platanum, tonsasque myrtos, quam maritam ulmum & uberes oleas præoptaverim? Habeant illa divites: licet. quid essent, si aliud nihil haberent? Nullusne ergo etiam fructiferis adhibendus est decor? quis negat? Nam & in ordinem certaque intervalla redigam meas arbores. Quid enim [3] illo quincunce speciosius, qui, in quancunque partem spectaveris, rectus est? Sed protinus in id quoque prodest, ut terræ succum æqualiter trahant. Surgentia in altum cacumina oleæ, ferro coërcebo: in orbem se formosius fundet, & protinus fructum ramis pluribus feret. [4] Decentior equus, cujus adstricta sunt ilia, si idem velocior. Pulcher aspectu sit athleta, cujus lacertos exercitatio expressit, idem certamini paratior. Nunquam vera species ab utilitate dividitur. Sed hoc quidem discernere modici judicii est. [5] Illud observatione dignius, quod hic ipse honestus ornatus pro materiæ genere debet esse variatus. Atque ut à prima divisione ordiar, non

1 *An ego fundum.*] Eos quos appellat hortos Adonidis & hortos *coronamentarios*, comparat lasciviæ & nimis cultæ elocutioni: fundos autem fructuosos comparat ornatui virili. *Turn.*

2 *Sterilem platanum.*] Olim *platanus*, alioqui *sterilis*, in deliciis tamen habebatur magnatum, propter solam umbram. *Vide Plinium.* Idem.

3 *Illo quincunce.*] *Quincunx* est, cum ita arbores conseruntur, ut primus ordo cum secundo efficiat *quincuncialem formam.* *id est, formam* U *literæ latinæ*, tum autem & directi versus sunt, & æqualia intervalla. est autem hic locus expressus ex loco *Virgiliano.* Idem.

4 *Decentior equus.*] Xenophon in Oeconomico, & Cicero in Catone.

5 *Illud observatione dignius.*] Docet ornatum variari pro causarum ratione. alium si quidem flagitat causa *demonstrativa*, alium causa *deliberativa.* ait præterea in ipsis causis ornatum variari pro re. res enim *tenuis* alium postulat ornatum, *gravis* alium. *Turneb.*

non idem *demonstrativis*, & *deliberativis*, & *judicialibus* caussis conveniet. [1] Nanque illud genus ostentationi compositum, solam petit audientium voluptatem: ideoque omnes dicendi artes aperit, ornatumque orationis exponit: ut qui non insidietur, nec ad victoriam, sed ad solam fidem laudis & gloriæ tendat. Quare quicquid erit sententiis populare, verbis nitidum, figuris jucundum, translationibus magnificum, compositione elaboratum, velut *institor quidam eloquentiæ*, intuendum, & pene pertractandum dabit. Nam eventus ad ipsum, non ad caussam refertur. At ubi res agitur, & vera dimicatio est, ultimus fit famæ locus. Propterea non debet quisquam, ubi maxima rerum momenta versantur, de verbis esse solicitus. Neque hoc eo pertinet, ut in his nullus sit ornatus, sed uti pressior & severior, eo minus confessus, præcipue ad materiam accommodatus. Nam & suadendo sublimius aliquid senatus, concitatius populus, & in judiciis publicæ capitalesque caussæ poscunt accuratius dicendi genus. At privatum consilium, causasque paucorum, ut frequenter accidit, calculorum, purus sermo, & dissimilis curæ magis decuerit. *An non pudeat certam creditam pecuniam periodis postulare? aut circa stillicidia assici? aut* [2] *in mancipii redhibitione sudare?* Sed ad propositum. Et quoniam orationis tam ornatus quam perspicuitas aut in singulis verbis est, aut in pluribus positus: quid separata, quid conjuncta exigant, consideremus. quanquam rectissime traditum est, perspicuitatem propriis, ornatum translatis verbis magis egere. [3] *Sciamus inornatum esse, quod sit improprium.*

Sed

1 *Nanque illud genus.*] *Epidicticum genus*, quod ad solam comparatum est ostentationem, liberrimum admittit ornatum, ut docuit Fab. lib. 3. Unde *Arist.* in hoc potissimum genere putat educandos eos qui ad eloquentiam aspirant. generi autem *epidictico* magna ex parte *demonstrativum* subjicitur. *Idem.*

2 *In mancipii redhibitione.*] *Redhibitio est ex ædilitio edicto, cum quis tibi vendidit servum vitiosum aut morbosum, petisque ut tibi precium reddat & servum recipiat.* Idem.

3 *Sciamus inornatum esse.*] *Proprietas* maxime ad *perspicuitatem* pertinet, eadem tamen facit orationem ornatam: quod apparet ex contrario, quia improprium facit *orationem inornatam.* Idem.

[1] Sed cum idem frequentissime plura significent, quod συνωνυμία vocatur, jam sunt aliis alia honestiora, sublimiora, nitidiora, jucundiora, vocaliora. [2] Nam ut syllabæ è literis melius sonantibus clariores sunt, ita verba è syllabis magis vocalia: & quo plus quæque spiritus habet, auditu pulchrior. Et quod facit syllabarum, idem verborum quoque inter se copulatio, ut aliud alii junctum melius sonet. [3] Diversus est tamen usus. Nam rebus atrocibus verba etiam ipso auditu aspera magis conveninnt. In universum quidem, optima simplicium creduntur, quæ aut maxime exclamant, aut sono sunt jucundissima. Et honesta quidem turpibus potiora semper, nec sordidis unquam in oratione erudita locus. Clara illa atque sublimia plerunque materiæ modo cernenda sunt. Quod enim alibi magnificum, tumidum alibi. Et quæ humilia circa res magnas, apta circa minores videntur. [4] Et sicut in oratione nitida notabile est humilius verbum, & velut macula: ita à sermone tenui sublime nitidumque discordat, fitque corruptum, quia in plano tumet. Quædam non tam ratione quam sensu judicantur: ut illud,

[5] *Cæsa jungebant fœdera porca.* ---

fecit elegans, fictio nominis: quod si fuisset *porco*, vile erat. in quibusdam ratio manifesta est. Risimus, & merito, nuper poëtam qui dixerat,

Præ-

1 *Sed cum idem.*] Cum propria verba plura sunt rem eandem significantia, quæ *polyonyma* & *synonyma* vocantur, pertinet ad ornatum ut habeatur verborum delectus. hoc autem præceptum sumptum est *ex Part. Cic.* Idem.

2 *Nam ut syllabæ.*] Verborum *vocalitas*, *gravitas*, *sublimitas* pendet à literis & syllabis, ut docet *Dionysius Halicar.* Eodem quoque modo *compositionis dignitas* pendet à dictionum suavitate, & apta copulatione & collocatione. *Idem.*

3 *Diversus est tamen usus.*] Hic monet *Fabius* varium esse horum verborum usum pro materiæ ratione. itaque nonnunquam *aspera* verba quadrant, nonnunquam *clara*, nonnunquam *humilia*, semper tamen *honesta* conveniunt. *Idem.*

4 *Et sicut in oratione.*] Orationi opponit sermonem. *Pith.*

5 *Cæsa jungebant fœdera porca.*] Humile fuisset, si *porco* dixisset, quanquam *Servius* existimat abusum esse *Virgilium* nomine. nam *porcus* in fœderibus cæditur, *non porca.* sed forte respexit succidaneam hostiam, quia si *mas* non litabat, immolabatur *fœmina.* Turneb. *Jungebant fœdera porca.*] Servius in eum locum: Falso ait Poëta: nam ad hoc genus sacrificii porcus adhibebatur. Ergo aut usurpavit genus pro genere: ut, *timidi venient ad pocula damæ.* Pith.

[1] *Prætextam in cista mures roſere Camilli.*

At Virgilii miramur illud,

Sæpe exiguus mus.

Nam epitheton *exiguus*, aptum proprium effecit ne plus expectaremus, & caſus ſingularis magis decuit, & clauſula ipſa unius ſyllabæ non uſitata, addidit gratiam. Imitatus eſt itaque utrunque Horatius,

--- Naſcetur ridiculus mus.

Nec augenda ſemper oratio, ſed ſubmittenda nonnunquam eſt. Vim rebus aliquando & ipſa verborum humilitas affert. An cum dicit in Piſonem Cicero, [2] *Cum tibi tota cognatio in ſarraco advehatur, incidiſſe videtur in ſordidum nomen, non eo contemptum hominis quem deſtructum volebat, auxiſſe?* Et alibi, *Caput opponis cum eo* [3] *coniſcans.* Unde interim grati idiotis joci: qualis eſt ille apud M. Tullium, [4] *Puſio qui cum majore ſorore cubitabat.* Et, *Cn. Flavius, qui* [5] *cornicum oculos conſixit.* [6] Et pro Milone illud, *Heus ubi Ruſcio?* & *pro Vareno, Erutius Antoniaſter.* Id tamen in declamationibus eſt notabilius, laudarique me puero ſolebat, [7] *Da patri panem.* & in eodem, *Etiam canem paſcis.* Res quidem præci-

1 *Prætextam.*] Peccavit ille poëta dupliciter, tum quod incidit in *amphiboliam*, tum quod in re *gravi* nomine eſt uſus *humili.* Igitur aliquo epitheto humilitatem nominis debuit ſublevare. quemadmodum viciſſim *Virgilius* cum rem *ſubtilem* & *tenuem* deſcriberet, addito epitheto *tenuiorem* fecit & *humiliorem.* Turneb.

2 *Cum tibi tota, &c.*] *Sarracum* appellant vehiculum quo graviora geſtantur onera. eſt autem verbum ſordidum & mechanicum: ſed ita amplificavit turpitudinem Piſonis qui omnia bona abligurißet, ut totam familiam cum ſupellectile uno curru veheret. *Idem. Cum tibi tota, &c.*] Tibull l. 1. El. x.

3 *Coniſcans.*] Verbum hoc *opilionum* eſt, à Comicis tamen uſurpatum, & à Cicerone quoque. dicitur autem de *arietibus*, cum averſis cornibus & frontibus incurrunt. dicitur etiam *arietare.* Turneb.

4 *Puſio.*] Dictio & humilis eſt & turpis, habet tamen ambiguitatem. nam ita ſignificatur *puellus* & *catamitus.* Idem.

5 *Cornicum oculos conſixit.*] Videtur proverbium fuiſſe vulgare *idiotarum atque ipſius plebis.* eſt autem proverbii ſenſus, *ſeſe præſtare aliqua in re aliis peritiorem & callidiorem.* Exſtimat *Eraſmus* ortum ab aliquo apologo, neque tamen qui ſit commemorat. *Idem.*

6 *Et pro.*] Pro Vareno, auctore Priſciano.

7 *Da patri panem.*] Videntur eſſe verba cujuſdam declamatoris qui petebat ex lege ut filius dives patrem aleret. unde ſubjecit, etiam *canem* paſcis: debes igitur paſcere *patrem.* quanquam *canis* allegorice accipi poteſt pro *adulatoribus* & *paraſitis* quos nutriebat filius. *Turn.*

1 *Ærumnas*

præcipue in scholis anceps, sed frequenter causſa risus, nunc utique, cum hæc exercitatio procul à veritate sejuncta, laboret incredibili verborum fastidio, ac sibi magnam partem sermonis absciderit. Cum sint autem *verba propria*, *ficta*, *translata*: propriis dignitatem dat antiquitas. nanque & sanctiorem & magis admirabilem faciunt orationem, quibus non quilibet fuerat usurus: eoque ornamento acerrimi judicii P. Virgilius unici est usus. *Olli enim*, *& quianam*, *& mis*, *& pone*, pellucent & aspergunt illam, quæ etiam in picturis est gratissima, vetustatis inimitabilem arti auctoritatem. Sed utendum modo, nec ex ultimis tenebris repetenda. Satis est vetus *Quæso*, quid necesse est dicere, *Oppido?* quo sunt usi paululum tempore nostro superiores, vereor ut jam non ferat quisquam: certe *Antigerio*, cujus eadem significatio est, nemo nisi ambitiosus utetur. [1] *Ærumnas* quid opus est? tanquam parum sit si dicatur *labor*. Horridum, *reor*: tolerabile, *autumo*: tragicum, *prolem ducendam*: *universam ejus prosapiam*, insulsum. Quid multa? totus prope mutatus est sermo. Quædam tamen adhuc vetera vetustate ipsa gratius nitent, quædam etiam necessario interim sumuntur, *nuncupare*, & *fari*: & multa alia etiam audientibus grata inseri possunt, sed ita demum, si non appareat affectatio: in qua mirifice Virgilius est,

[2] *Hormethiorum amator iste verborum*,
Iste iste rhetor, nanque quatinus totus
[3] *Thucydides Britannus, Atticæ febres*,

Tam

1 *Ærumnas quid opus est, &c.*] Vide Vossium Institut. Orator. lib. 4. cap. 6. pag. 16.

2 *Hormethiorum.*] Legunt alii, *Corinthiorum*, ac intelligunt verba parum pura neque satis Græca. etenim *Corinthii* qui *Achaiam* incolebant, non satis laute loquebantur. alii tamen interpretantur verba delicata & fucata nimis. Si *Hermethiorum* legamus, intelligemus verba antiqua & prisca, quæ *Cimber rethor cacozelus* eruebat ex *Ethicis Callimachi*. illic enim (*ut ait interpres Sophoclis*) multa sunt vetusta vocabula. *Idem. Hormethiorum amator iste verb.*] Erudite hos versus emendat Jos. Scaliger, Comment. in Catalect. Virgilii pag. 220. &c. Et de iisdem agit Turneb. Adversar. lib. 27. cap. 29. pag. 1037. Joh. Baptista Pius Annotat. cap. 43. pag. 455. Lamp. Crit. Part. 1.

3 *Thucydides Britannus.*] Sic hominem irridet ut linguæ Atticæ ignarum, cujus peritissimus fuit *Thucydides* scriptor historiarum.

[1] *Tau Gallicum imminet:* [2] *ipsemet male illisit.*
Ita omnia ista verba miscuit fratri.

Cimber hic fuit, à quo fratrem necatum hoc [3] Ciceronis dicto notatum est, *Germanum Cimber occidit.* Nec minus noto Sallustius epigrammate incessitur,

Et verba antiqui multum furate Catonis
Crispe, Jugurthinæ conditor historiæ.

[4] Odiosa cura. nam est cuilibet facilis: & hoc pessima, quod rei studiosus, non verba rebus aptavit, sed res extrinsecus arcessit, quibus hæc verba conveniant. [5] Fingere, ut primo libro dixi, Græcis magis concessum est, qui sonis etiam quibusdam & affectibus non dubitaverunt nomina aptare: non alia libertate, quam qua illi primi homines rebus appellationes dederunt. Nostri autem in jungendo aut derivando paulum aliquid ausi, vix in hoc satis recipiuntur. Nam memini juvenis admodum inter Pomponium & Senecam etiam præfationibus esse tractatum, an [6] *gradus eliminat*, apud Accium in Tragœdia dici oportuisset. At veteres [7] ne *expectorat* quidem timuerunt. Et sane ejusdem notæ est, *exanimat.* [8] At in tractu & declinatione talia sunt, qualia

storiarum. Barbarum igitur innuit cum eum appellat *Thucydidem* è *Britannia* & *Anglia.* Idem.

1 *Tau Gallicum.*] Litera T præ se fert similitudinem crucis & furcæ. sed idcirco addit Gallicum, ut significaret eam crucis similitudinem cujus est usus in Gallia, & ut ostenderet illum imperitum esse linguæ Græcæ, qui nesciret *Tau* Græcum, sed *tau Gallicum.* Idem. *Tau Gallicum.*] Vide Joh. Bapt. Pii Annotat. posterior cap. 43.

2 *Ipsemet male illisit.*] Alii, *Min ipse sil al illisit.* Pith.

3 *Ciceronis.*] Philip. 11.

4 *Odiosa cura.*] *Antiquarii* summopere peccant, quia non aptant verba rebus, sed res verbis. ut enim antiquo aliquo possint uti verbo, sententiam immutant ut verbum arcessant. *Turnebus.*

5 *Fingere.*] De *fictis* nunc agit, quæ *reperta* dicuntur & *novata*, primumque de imitatione. sic enim Cic. *onomatopœiam* appellat, quæ est *nominis fictio*, sonum aliquem aut affectum exprimens. *de ea egit lib. primi cap.* 10. Idem.

6 *Gradus eliminat.*] Joh. Savaro ad Sidon. lib. 5. Epist. 3. pag. 307. Barthius Adversar. l. 35. cap. 3. p. 1591.

7 *Ne expectorat.*] Apud Cic. 3. de Orat. *Tum pavor sapientiam omnem mihi ex animo expectorat.* Pith.

8 *At in tractu.*] Varro lib. 1. de ling. lat. Primigenia dicuntur verba, ut lego, & cætera quæ non sunt ab aliquo verbo, sed suas habent radices. Contra verba declinata, sunt quæ ab alio oriuntur, ut à lego legis. *Pith.*

1 *Cicc-*

qualia apud [1] Ciceronem *beatitas & beatitudo:* quæ dura quidem sentit esse, veruntamen usu putat posse molliri. Nec à verbis modo, sed à nominibus quoque derivata sunt quædam, ut à Cicerone [2] *sullaturit*, & ab Asinio *fimbriaturit & figulaturit.* [3] Multa ex Græco formata nova, ac plurima à Sergio Flavio, quorum dura quædam admodum videntur, ut *ens*, & [4] *essentia:* quæ cur tantoque aspernemur, nihil video, nisi quod iniqui judices adversus nos sumus, ideoque paupertate sermonis laboramus. Quædam tamen perdurant. Nam & quæ vetera nunc sunt, fuerunt olim nova, & quædam in usu perquam recentia, ut Messala primus *reatum*, *munerarium* Augustus primus, dixerunt. *Piraticam* quoque ut *musicam* & *fabricam* dici adhuc dubitabant mei præceptores. *Favorem*, & *urbanum*, Cicero nova credit. Nam & in epistola ad Brutum, *Eum*, inquit, *amorem, & eum (ut hoc verbo utar) favorem in consilium advocabo.* Et ad Appium Pulchrum, *Te hominem non solum sapientem, verum etiam (ut nunc loquuntur) urbanum.* [5] Idem putat à Terentio primum dictum esse [6] *obsequium.* Cæcilius ad Sisennam, [7] *Albenti cœlo. Cervicem* videtur Hortensius primus dixisse. nam veteres pluraliter appellabant. Audendum itaque. Neque enim accedo Celso, qui ab oratore verba fingi vetat. Nam cum sint eorum alia ([8] ut dicit Cicero) [9] nativa, id est quæ signi-

1 *Ciceronem.*] De natura deorum 1. Libr. epist. ad Att. 9. epist. 81.

2 *Sullaturit.*] Cic. in epist. ad Attic. *syllaturit* usurpat pro *scripturit.* derivatio est à *Sulla* vel *Sylla*, qui cives Romanos proscripsit. *Turneb. Sullaturit.*] Cic. ad Att. lib. x. Cn. noster cogitans Syllaturit animus ejus & proscripturit. *Pith. Sullaturit.*] *Al.* Subuculatum, & ab Asinio fimbriatum & fimbulatum.

3 *Multa ex Græcis.*] Permittit quoque *Cic.* ut cum è *Græco* vertimus, nomina innovemus, ac ipse quoque innovavit. *Turneb.*

4 *Essentia.*] In vetustis scribitur *entia*, quæ lectio placet. nam *Flavius* appellavit *essentiam* & *entiam*, ut docet *Fab.* 15. *cap. lib.* 2. Idem.

5 *Idem putat à Terentio.*] Nec tamen hoc verum est. nam usurpatum fuerat obsequium à *Plauto* & *Nævio* ante *Terentium*, idcircoque *Fabius* adjecit *Putat.* Idem. *A Terentio prim. dict. esse obsequium.*] Jan. Parrhasius Epist. 58. p. 806. Lamp. ad Critic. Part. 1.

6 *Obsequium.*] Donatus contra notat, & à Plauto & à Nævio hoc esse usurpatum. *Pith.*

7 *Albenti.*] Alii, *Albescenti.*

8 *Ut dicit Cicero.*] II. De Orat. & in Part.

9 *Nativa.*] *Nativa sunt verba, quæ prima*

significata sunt primo sensu: alia reperta, quæ ex his facta sunt, ut jam nobis ponere alia quam quæ illi rudes homines primique fecerunt, fas non sit: at *derivare*, *flectere*, *conjungere*, quod natis postea concessum est, quando desiit licere? Et si quid periculosius finxisse videbimur, quibusdam remediis [1] præmuniendum est, *Ut ita dicam, si licet dicere, quodammodo, permitte mihi sic.* Quod idem etiam in iis quæ licentius translata erunt, proderit, quæ non tuto dici possunt. In quo non falli judicium nostrum solicitudine ipsa manifestum erit. Qua de re Græcum erit illud elegantissimum, quo præcipitur illa, καταχρήσασθαι τῇ ὑπερβολῇ. *Translata* probari nisi in contextu sermonis non possunt. Itaque de singulis verbis satis dictum, quæ, ut alio loco ostendi, per se nullam virtutem habent. Sed ne inornata sunt quidem, nisi cum sunt infra rei, de qua loquendum est, dignitatem: excepto, si obscœna nudis nominibus enuncientur. [2] Quod viderint, qui non putant esse vitanda, quia nec sit vox ulla natura turpis: & si qua est rei deformitas, alia quoque appellatione quacunque ad intellectum eundem nihilominus perveniat. Ego Romani pudoris more contentus, ut jam respondi talibus, *verecundiam silentio vindicabo.* Jam hinc igitur ad conjuncti sermonis rationem transeamus. Cujus ornatus in hæc duo prima dividitur, [3] quam concipiamus *elocutionem*, quo modo efferamus. Nam primum est, ut liqueat, augere quid velimus, an minuere: concitate dicere, an moderate: læte, an severe: abundanter, an presse: aspere,

prima impositione rem significaverunt, quasi cum ipsis rebus nata, & ad explicandum hominum sensum primo imposita. Turneb.

1 *Præmuniendum est.*] *Præmunitionem* appellat quam Græci παρασκευὴν. id est, *præcastigationem*, quando durum vocabulum posita aliqua parenthesi mollimus. *Idem.*

2 *Quod viderint.*] Id ait propter *Cynicos* Philosophos & *Stoicos* quosdam, qui nullam in verbis turpitudinem esse dicebant, sed in rebus duntaxat, ut meminit *Cic. lib. primo Off. & in epist. quadam ad Pætum.* Idem.

3 *Quam concipiamus eloquutionem.*] Prius membrum pertinet ad *amplificationes* & *diminutiones*, & ad tria characterum genera: posterius vero ad *tropos* & *figuras*, *sententias* & *compositionem.* his enim partibus continetur ornatus qui positus est in sermonis conjunctione. *Idem.*

1 *Igitur*

aſpere, an leniter: magnifice, an ſubtiliter: graviter, an urbane. Tum quo tranſlationis genere, quibus figuris, qualibus ſententiis, quo modo, qua poſtremo collocatione, id quod intendimus, efficere poſſimus. Cæterum dicturus quibus ornetur oratio, prius ea quæ ſunt huic contraria laudi, attingam: nam *prima virtus eſt, vitio carere.* [1] Igitur ante omnia ne ſperemus ornatam orationem fore, quæ probabilis non erit. *Probabile* autem Cicero id genus dicit, quod non plus minuſve eſt quam decet. Non quia comi expolirique non debeat (nam & hæc ornatus pars eſt) ſed quia *vitium eſt ubique quod nimium eſt.* Itaque vult eſſe auctoritatem & pondus in verbis, ſententias vel graves, vel aptas opinionibus hominum ac moribus. His enim ſalvis licet aſſumere ea [2] quibus illuſtrem fieri orationem putat. [3] Delectant tranſlata, ſuperlata, ad nomen adjuncta, duplicata, & idem ſignificantia, ab ipſa actione atque ab imitatione rerum non abhorrentia. Sed quoniam vitia prius demonſtrare aggreſſi ſumus, vel hoc vitium ſit quod [4] κακόφατον vocatur: ſive mala conſuetudine in obſcœnum intellectum ſermo detortus eſt, ut *ductare exercitus*, & [5] *patrare bellum*, apud Salluſtium dicta ſancte & antique, ridentur à nobis, ſi diis placet, quam culpam non ſcribentium quidem judico, ſed legentium: tamen vitanda, quatinus verba honeſta moribus perdidimus, & evincentibus etiam vitiis cedendum eſt: ſive

1 *Igitur ante omnia.*] Quaſdam orationis ponit virtutes quæ & ſingulorum ſunt verborum & conjunctorum. cæterum probabile hîc non ponitur in re ut in narratione, ſed in orationis forma, quæ ſit hujuſcemodi ut probationem mereatur. *Idem.*

2 *Quibus illuſtrem.*] Cic. in Part. *illuſtrem* vocat *orationem*, quæ non ſolum *perſpicua* eſt, verum etiam *ita evidens* ut rem ante oculos conſtituat. eſt autem illa quæ *hypotypoſis* dicitur. *Idem.*

3 *Delectant tranſlata.*] Hic locus (ut apparet ex Cic.) eſt depravatus. ſic *Cic.* ſcribit, Illuſtris autem fit oratio, ſi verba *gravitate delecta* ponuntur, *tranſlata, ſuperlata, &c.* Idem.

4 Κακόφατον.] Κακόφατον eſt proprie, cum ex vitio compoſitionis intelligitur ſuſpicio turpitudinis. *Æſchrologia* vero cum oratio ex vitioſa compoſitione & junctura incidit in vocabula turpia. utrunque tamen à *Fabio* κακόφατον dicitur. *Idem.*

5 *Patrare bellum apud Saluſt.*] Videatur Caſpar. Barthius Adverſar. lib. 35. cap. 4. pag. 1592.

1 *In*

sive junctura deformiter sonat, ut si cum hominibus notis loqui nos dicimus, nisi hoc ipsum hominibus medium sit, [1] in præfata videmur incidere: quia ultima prioris syllabæ litera, quæ exprimi nisi labris coëuntibus non potest, aut intersistere nos indecentissime cogit, aut continuata cum insequente, in naturam ejus corrumpitur. [2] Aliæ conjunctiones aliquid simile faciunt, quas persequi longum est, in eo vitio quod vitandum dicimus, commorantes. Sed *divisio* quoque affert eandem injuriam pudori, ut si *intercapedinis* nominativo casu quis utatur. Nec scripto modo id accidit, sed etiam sensu plerique obscœne intelligere, nisi caveris, cupiunt: ut apud Ovidium,

Quæque latent, meliora putat. ac ex verbis quæ longissime ab obscœnitate absunt, occasionem turpitudinis rapere. Si quidem Celsus cacophaton apud [3] Virgilium putat,

Incipiunt agitata tumescere. quod si recipias, nihil loqui tutum est. Deformitati proximum est *humilitatis vitium*, ταπείνωσιν vocant, qua rei magnitudo vel dignitas minuitur: [4] ut *Saxea est verruca in summo montis vertice, Cui natura contrarium, sed errore par est:* [5] parvis dare excedentia modum nomina, nisi cum ex industria risus inde captatur. Itaque nec parricidam, *nequam* dixeris hominem, nec deditum forte meretrici, nefarium: quod alterum parum, alterum nimium est. Proinde quædam hebes, sordida, jejuna, tristis, ingrata, vilis oratio est. Quæ vitia facillime fiunt manifesta contrariis virtutibus. Nam primum acuto, secundum nitido,

1 *In præfata.*] Sipontinus legit *præfanda.* id est, *obscœna*, quia illa non sunt sine *præfatione* & *venia* pronuncianda. *Turneb. In præfata.*] Alii, *præfanda.* id est, quibus præfari convenit: *honos sit auribus.* vel fœdum dictu. ut apud Plin. lib. 7. cap. 51. *Pith.*

2 *Aliæ conjunctiones.*] Ut hæc *conjunctio*, *Dorica castra*, incidit in *cacophaton* ex *conjunctione*, non tamen more superioris, quæ ex *conjunctione* & obscœnum reddebat vocabulum & duram junctura. *Turneb.*

3 *Virgilium.*] Georg. 1.

4 *Ut, Saxea, &c.*] Exemplum hoc sumptum est ex *Originibus Catonis.* Porro *verrucam* appellat editum tumulum. est autem *verruca* eminens in corpore humano caruncula. *Turneb.*

5 *Parvis dare.*] Hoc vitium potest appellari auxesis, quoniam *parvis rebus* magnifica aptantur & gravia nomina. *Idem.*

1 *Vitanda*

nitido, tertium copioso, deinceps hilari, jucundo, accurato diversum est. [1] Vitanda & μείωσις, cum sermoni quidem deest aliquid quo minus plenus sit, quanquam id obscuræ potius quam inornatæ orationis vitium est. Sed hoc quoque cum à prudentibus fit, schema dici solet, sicut [2] παυζολογία, id est ejusdem verbi aut sermonis iteratio. Hæc enim, quanquam non magnopere summis auctoribus vitata, interim vitium videri potest: in quod sæpe incidit etiam Cicero, securus tam parvæ observationis, sicut hoc loco, Non solum igitur illud judicium judicii simile judices non fuit. Interim mutato nomine ἐπανάληψις dicitur, atque est & ipsum inter schemata: quorum exempla illo loco reddam, quo virtutes erunt. Pejor hac [3] ὁμοιολογία est, quæ nulla varietatis gratia levat tædium, atque est tota coloris unius, quæ maxime deprehenditur carens arte oratoria, eaque & in sententiis, & figuris, & compositione longa, non animis solum, sed etiam auribus est ingratissima. Vitanda [4] μακρολογία, id est longior quam oporteat sermo, ut apud [5] Livium, *Legati non impetrata pace, retro domum, unde venerant, abierunt.* Sed huic vicina periphrasis virtus habetur. [6] Est & πλεονασμὸς, vitium, cum supervacuis verbis oneratur oratio,

1 *Vitanda & μείωσις.*] Μείωσις à Donato appellatur *eclipsis*, cum verbum aliquod necessarium orationi deest. quod si obscuritatem faciat μείωσις, vitiosa est: sin minus, ad elegantiam & ornatum pertinet. est & μείωσις quæ *amplificationi* opponitur, de qua non loquimur. *Idem.*

2 Παυζολογία.] Παυζολογία, vana est ejusdem verbi repetitio. si tamen repetitio illa apta est, appellatur *epanalepsis*, si idem casus & eadem facies servatur. quod si casus mutentur, appellatur *traductio* & πλοκή. *Idem.*

3 Ὁμοιολογία.] Ὁμοιολογία est oratio similis quæ eodem perpetuo tenore fluit, nec variatur ac distinguitur figuris, nec speciem unquam mutat. nihil autem (ut docuit antea *Fabius*) in ratione dicendi potest esse odiosius similitudine. *Idem.*

4 Μακρολογία.] Μακρολογία, id est *prolixa oratio*, est cum orationi adjicitur sensus aliquis non necessarius. Huic opponitur βραχυλογία. id est, *orationis brevitas*, quæ etiam commendatur in narratione. *Idem.*

5 *Livium.*] Lib. 8. ab urbe condi.

6 *Est & πλεονασμὸς.*] Πλεονασμὸς persæpe in vitium incidit: cum tamen asseverationis aut amplificationis causa adhibetur, virtutis habet locum, ut apud *Ciceronem pro Milone*, *Nisi oculis videritis.* Turneb.

1 *Emen-*

oratio, *Ego meis oculis vidi.* Satis est enim, *vidi.* [1] Emendavit hoc non inurbane in Hircio Cicero, qui cum in Pansam declamans, filium à matre decem mensibus in utero latum esse dixisset, *Quid? aliæ,* inquit, *in* [2] *penula solent ferre?* Nonnunquam tamen illud genus, cujus exemplum priore loco posui, affirmationis gratia adhibetur,

[3] *Vocemque his auribus hausi.* At vitium erit, quoties ociosum fuerit, & supererit, non cum adjicietur. Est etiam quæ [4] περιεργία vocatur, *supervacua* (ut si dixerim) *operositas*, ut à diligenti *curiosus*, & à religione *superstitio* distat. Atque ut semel finiam, verbum omne quod neque intellectum adjuvat neque ornatum, *vitiosum* dici potest. [5] Κακόζηλον, id est *mala affectatio*, per omne dicendi genus peccat. Nam & tumida, & exilia, & prædulcia, & abundantia, & arcessita, & exultantia, sub idem nomen cadunt. Denique κακόζηλον vocatur, quicquid est ultra virtutem, quoties ingenium judicio caret, & specie boni fallitur: omnium in eloquentia vitiorum pessimum. Nam cætera cum vitentur, hoc petitur. Est autem totum in elocutione. Nam *rerum vitia* sunt, stultum, commune, contrarium, supervacuum: corrupta oratio in verbis maxime impropriis, redundantibus, comprehensione obscura, compositione fracta, [6] vocum similium aut ambiguarum puerili captatione consistit. Est autem omne

1 *Emendavit hoc, &c.*] Cicero jam senex pleroque ex nobilibus Romanis *rhetoricam* docebat, itaque discipulos habuit *Hirtium* & *Pansam*, quos jam ætate grandiores solebat appellare *grandes prætextatos*. Idem.

2 *Penula.*] An *perula*. ut Plaut. in Vidulo.

3 *Vocemque.*] Æneid. 4.

4 Περιεργία.] Περιεργία tam est in *rebus* quam in *verbis*. Fit autem cum nimia diligentia utimur. inde enim vel addendo, vel detrahendo, aut nimium excolendo, aut sæpius mutando orationem vitiamus & reddimus inornatam. *Periergiæ* vitium est in quibusdam nostri temporis, qui vix ulla dictione aut ulla phrasi uti audent nisi sit Ciceroniana. alioqui enim arbitrarentur orationem inquinari. *Turneb.*

5 Κακόζηλον.] *Cacozelia* nullum est deterius vitium. Fit autem cum mala affectatione id quod vitiosissimum est, arbitramur elegantissimum & ornatissimum: ut si quis stylo & phrasi *Apuleii* uteretur. *Idem.*

6 *Vocum similium.*] Aut intelligit *similiter cadens* & *similiter desinens*, in quibus nimius est *Apuleius* ex prava affectatione, aut certe intelligit *otiosam sinonymiam* & *affectatam*. Idem.

1 Κακόζη-

omne [1] κακόζηλον utique falsum, etiam si non omne falsum κακόζηλον, ut cum dicitur aliter quam se natura habet, & quam oportet, & quam sat est. Totidem autem generibus corrumpitur oratio, quod ornatur. Sed de hac parte & in alio à nobis opere plenius dictum est, [2] & in hoc sæpe tractabitur & adhuc spargetur omnibus locis. Loquentes enim de ornatu, subinde quæ sunt vitanda, similia virtutibus vitia, dicemus. Sunt inornata & hæc, *Quod male dispositum est, id* [3] ἀνοικονόμητον: *Quod male figuratum, id* ἀσχήματον: *Quod male collocatum id* [4] κακοσυνθέτον vocant. Sed de *dispositione* diximus: de *figuris* & *compositione* dicemus. [5] Κοινισμὸς quoque appellatur quædam mista ex varia ratione linguarum oratio, ut si Atticis Dorica, Ionica, Æolica etiam dicta confundas. Cui simile vitium est apud nos, si quis sublimia humilibus, vetera novis, poëtica vulgaribus misceat. Id enim tale est monstrum, quale Horatius in prima parte libri de arte poëtica fingit,

Humano capiti cervicem pictor equinam
Jungere si velit, ----

Et cætera ex diversis naturis subjiciat. Ornatum est quod perspicuo ac probabili plus est. Ejus primi sunt gradus in eo quod velis exprimendo, concipiendoque: tertius, qui hæc nitidiora faciat: quod proprie dixeris cultum. Itaque [6] ἐνάργειαν, cujus in præceptis narrationis feci mentionem, quia

1 Κακόζηλον *utique falsum.*] Quia *cacozelia* malum imitatur specie boni, *falsa* est: non tamen si quid *falsum*, est protinus *cacozelum*, ut in tribus quæ Fab. enumerat, quorum primum pertinet ad actionem orationis, secundum ad decorum, tertium ad modum. *Idem.*

2 *Et in hoc.*] In libro de caussis corruptæ eloquentiæ.

3 Ἀνοικονόμητον.] *Oeconomia* appellatur *optima dispositio*, cum res artificiose digeruntur. contrarium est illi hoc vitium. illa orationem ornat, hoc fœdat. *Turneb.*

4 Κακοσυνθέτον.] Hoc vitium est adversus *compositionem*, quando *mala junctura* est & *prava* verborum *structura*. ut autem compositio apta ornat, ita κακοσυνθέτον dedecorat *Idem.*

5 Κοινισμός.] Κοινισμὸς, id est *communio*, apud Græcos fit, cum dialecti vitiose commiscentur. apud Latinos dialectorum non est varietas, tamen vitium erit simile, si quis temere misceat *humilia* & *grandia verba*. Idem.

6 Ἐνάργειαν.] Ἐνάργεια, id est *evidentia*, ita luculenter rem describit, ut geri videatur, non describi. Huic finitima

quia plus est evidentia, vel ut alii dicunt, *repræsentatio*, quam *perspicuitas*: & illud quidem patet, hæc se quodammodo ostendit, inter ornamenta ponamus. Magna virtus est, res de quibus loquimur, clare atque ut cerni videantur, enunciare. Non enim satis efficit, neque ut debet plene dominatur oratio, si usque ad aures volet, atque ea sibi judex de quibus cognoscit, narrari credit, non exprimi, & oculis mentis ostendi. Sed quoniam pluribus modis accipi solet, non equidem in omnes eam particulas *secabo*, quarum ambitiose à quibusdam numerus augetur, sed maxime necessarias attingam.

[1] Est igitur unum genus, quo tota rerum imago quodammodo verbis depingitur.

Constitit in digitos extemplo arrectus uterque,

& cætera, quæ nobis illam pugilum congredientium faciem ita ostendunt, ut non clarior futura fuerit spectantibus. Plurimum in hoc genere, sicut in cæteris, eminet Cicero. [2] An quisquam tam procul à concipiendis imaginibus rerum abest, ut cum illa in Verrem legit, *Stetit soleatus prætor populi Romani cum pallio purpureo, tunicaque talari, muliercula nixus in litore: non solum ipsum os intueri videatur, & locum & habitum, sed quædam etiam* [3] *ex iis quæ dicta non sunt, sibi ipse adstruat?* Ego certe mihi cernere videor & vultum, & oculos, & deformes utriusque blanditias, & eorum qui aderant, tacitam aversationem, ac timidam verecundiam. [4] Interim ex plu-

nitima est virtus ἐνέργεια. id est, *efficacia*, cujus officium est efficere ut ea quæ dicuntur, non videantur *otiosa*, sed *quasi actuosa*. Idem.

1 *Est igitur unum.*] Primus *enargiæ* modus est, cum rem non admodum copiose describimus, sed ea tamen summimus quæ maxime videantur actionem repræsentare. secundus enim modus fusiorem habet descriptionem, & à pluribus circunstantiis petitam. *Idem.*

2 *An quisquam.*] Appellavit lib. 6. *euphantasiôtum*, qui optime imagines conciperet: cui contrarium esse dixit eum *qui imagines non concipiat.* Solent autem *imagines conducere* tum ut orator optime rem explicet, tum ut auditor facillime intelligat. Est autem mox dicturus etiam de *phantasia Fabius*, quæ posita est in *concipiendis visionibus* & *imaginibus*. Idem.

3 *Ex iis quæ dicta non sunt, &c.*] Vetus exemplar hinc rursus orditur. Vide cap. ult. lib. 5. pag. 319.

4 *Interim ex pluribus.*] Superior modus rem luculente describit, hic autem adhibitis

ex pluribus efficitur illa quam conamur exprimere, facies ut est apud eundem (namque ad omnium ornandi virtutum exempla vel unus sufficit) in descriptione convivii luxurioſi, *Videbar videre alios intrantes, alios vero exuntes, quosdam ex vino vacillantes, quosdam besterna potatione oscitantes. Versatur inter hos Gallius unguentis oblitus, redimitus coronis. Humus erat immunda, lutulenta vino, coronis languidulis, & spinis cooperta piscium.* Quid plus videret qui intrasset? Sic urbium captarum crescit miseratio. Sine dubio enim qui dicit expugnatam esse civitatem, complectitur omnia quæcunque talis fortuna recipit: sed in affectus minus penetrat brevis hic velut nuncius. At si aperias hæc quæ verbo uno inclusa erant, *apparebunt & fusæ per domos ac templa flammæ, & ruentium tectorum fragor, & ex diversis clamoribus unus quidam sonus, aliorum fuga incerta, alii in extremo complexu suorum cohærentes & infantium fœminarumque ploratus, & male usque in illum diem servati fato senes: tum prophanorum sacrorumque direptio, efferentium prædas repetentiumque discursus, & acti ante suum quisque prædonem catenati, & conata retinere infantem suum mater, & sicubi majus lucrum est, pugna inter victores.* Licet enim hæc omnia (ut dixi) complectatur eversio, minus est tamen totum dicere quam omnia. [1] Consequemur autem ut manifesta sint, si fuerint verisimilia: & licebit etiam falso adfingere quicquid fieri solet. Contingit eadem claritas etiam ex accidentibus.

--- [2] *Mihi frigidus horror*

Membra

adhibitis pluribus circunstantiis. *Erasmus* autem *lib.* 2. *Copiæ*, speciem hanc locupletandæ orationis maximam putat, quam appellat *hypotyposin* & *descriptionem*, atque hæc Fabii exempla citat. *Turneb.*

1 *Consequemur autem.*] Poterit, inquit, illa descriptio fieri, si omnia quæ verisimile est in re esse aut esse posse, persequemur. nec enim duntaxat in *energia*, cum *adjicimus adjuncta*, ponere debemus *vera*, sed etiam quæ *veri* habeant similitudinem. *Idem.*

2 *Mihi frigidus horror.*] Evidens est descriptio timoris ab accidentibus. nam in timore sanguis fertur ad cor, partesque interiores. itaque partes exteriores apparent exangues & frigidæ. & quia tum laborat facultas animalis, membra concutiuntur. Addidit coisse sanguinem *hyperbolicôs*, sed tamen satis verisimiliter. id enim credebat, quia partes frigebant, quibus suppeditat *sanguis* & *spiritus* calorem. *Idem.*

Membra quatit, gelidusque coït formidine sanguis. &,
— Trepidæ matres pressere ad pectora natos.

Atque hujus summæ judicio quidem meo, virtutis facillima est via. *Naturam intueamur, hanc sequamur.* Omnis eloquentia circa opera vitæ est, ad se refert quisque quæ audit: & id facillime accipiunt animi quod agnoscunt. [1] Præclare vero ad inferendam rebus lucem, repertæ sunt *similitudines*, quarum aliæ sunt quæ probationis gratia inter argumenta ponuntur, aliæ ad exprimendam rerum imaginem compositæ, quod est hujus loci proprium,

[2] *inde lupi ceu Raptores atra in nebula —* &
Avi similis, quæ circum littora, circum
Piscosos scopulos humilis volat æquora juxta.

Quo in genere id est præcipue custodiendum, ne id quod similitudinis gratia adscivimus, aut obscurum sit aut ignotum. Debet enim quod illustrandæ alterius rei gratia assumitur, ipsum esse clarius eo quod illuminat. Quare sane poëtis quidem permittamus hujusmodi exempla.

[3] *Qualis ubi hybernam Lyciam Xantique fluenta*
Deserit, aut Delon maternam invisit Apollo.

Non idem decebit oratorem, ut occultis aperta demonstret. Sed illud quoque, de quo in argumentis diximus, similitudinis genus ornat orationem, facitque sublimem, floridam, jucundam, mirabilem. [4] Nam quo quæque longius petita est, hoc plus affert novitatis, atque inexpectata magis est. Illa vulgaria videri possunt, & utilia tamen ad conciliandam fidem, *Ut terram cultu, sic animum disciplinis melio-*

1 *Præclare vero.*] Duplex est similitudo: altera ad *docendum* & *probandum* refertur: altera vero ad *expoliendum* & *ornandum*. igitur *ornatui* subjicitur & *enargiæ*. Idem.

2 *Inde lupi ceu.*] Hæc similitudo vocatur εἰκὼν à Græcis, à Latinis *imago*, *est autem formæ cum forma collatio*. Idem.

3 *Qualis ubi, &c.*] Poëtæ solent nonnunquam eas similitudines quas ad illustrandum adhibent, ducere à rebus obscuris aut ignotis: quod nunquam faciet orator. nam poëta sibi proponit doctum lectorem, orator raro solet habere *doctum auditorem*. Idem.

4 *Nam quo quæque longius.*] Hoc de *parabola* videtur intelligendum, quæ *similitudo* est paulo longius ducta. Petitur autem non solum ab *hominibus*, sed etiam à *mutis* & *inanimis*. Idem.

1 Et

meliorem uberioremque fieri. [1] Et ut medici ab alienata morbis membra præcidunt, ita turpes ac pernicioſos, etiam ſi nobis ſanguine cohæreant, amputandos. Jam ſublimius illud pro Archia, *Saxa atque ſolitudines voci reſpondent, beſtiæ ſæpe immanes cantu flectuntur atque conſiſtunt*, & cætera. Quod quidem genus à quibuſdam declamatoria maxime licentia corruptum eſt. [2] Nam & falſis utuntur: nec illa iis quibus tandem ſimilia videri volunt, applicant: quorum utrunque in iis eſt quæ me juvene ubique cantari ſolebant, *Magnorum fluminum navigabiles fontes ſunt.* &, *Generoſioris arboris ſtatim planta cum fructu eſt.* In omni autem parabola aut præcedit ſimilitudo, & res ſequitur, aut præcedit res, & ſimilitudo ſequitur. [3] Sed interim libera & ſeparata eſt: interim, quod longe optimum eſt, cum re cujus eſt imago, connectitur, collatione invicem reſpondente, quod facit redditio contraria, quæ [4] ἀνταπόδοσις dicitur, Præcedit ſimilitudo illa, cujus modo feci mentionem,

---- Inde lupi ceu
---- Raptores atra in nebula,

Sequitur in primo Georgicôn poſt longam de bellis civilibus atque externis conqueſtionem,

Ut cum carceribus ſeſe effudêre quadrigæ,
Addunt ſe in ſpacia, & fruſtra retinacula tendens
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

Sed

1 *Et ut medici, &c.*] Appellat Fabius *membra abalienata*, quæ *exaruerunt, motum & ſenſum amiſerunt*, ac *plane emortua* ſunt. ſolent enim illam *gangrænam* ſecare medici. *Idem.*

2 *Nam & falſis.*] Ex his duo vitia colligere poſſumus in ſimilitudine, cum rem aſſumimus *falſam*, aut *ſimilitudinem cum negotio male connectimus*: non quod ſit ſemper opus *antapodoſi*, ſed ſaltem rerum *connexione* & *applicatione*. Idem.

3 *Sed interim libera.*] *Liberam* appellat *ſimilitudinem*, quam Græci vocant *anantapodoton*, ſine redditione, cum *ſimilitudo* tantum ponitur, neque additur aliquid quod *ſimilitudinem* cum re prorſus comparet. Alteram autem facit *ſimilitudinem* cum *antapodoſi*, quando id adhibetur quod *ſimilitudinem* prorſus cum re conferat. *Idem.*

4 Ἀνταπόδοσις.] Quemadmodum in *ſimilitudine* & *comparatione* dicitur *antapodoſis redditio invicem reſpondens*, ita quoque in periodo membrum appellatur quod ſuperiori reſpondet. unde ἀνανταπόδοτον dicitur, cum membrum aliquod neceſſarium periodo deeſt, ut docet *Budæus*. Idem.

Sed hæc sunt sine antapodosi. Redditio autem illa rem utranque quam comparat, velut subjicit oculis, & pariter ostendit. Cujus præclara apud Virgilium multa reperio exempla, sed oratoriis potius utendum est. Dicit Cicero pro Muræna, [1] *ut ajunt in Græcis artificibus eos aulœdos esse, qui citharœdi fieri non potuerunt: sic nos videmus, qui oratores evadere non potuerunt, eos ad juris studium devenire.* Illud pro eodem, jam pene poëtico spiritu, sed tamen cum sua redditione, quod est ad ornatum accommodatius: nam *ut tempestates sæpe certo aliquo cœli signo commoventur, sæpe improviso, nulla ex certa ratione, obscura aliqua ex caussa concitantur: sic in hac comitiorum tempestate populari sæpe intelligas quo signo commota sit: sæpe ita obscura est, ut casu excitata esse videatur.* [2] Sunt & illæ breves, *Vagique per silvas ritu ferarum.* Et illud Ciceronis in Clodium, [3] *Quo ex judicio velut ex incendio nudus effugit.* Quibus similia possunt cuicunque etiam ex quotidiano sermone succurrere. Huic subjacet virtus non solum aperte ponendi rem ante oculos, sed circuncise atque velociter. Ac merito laudatur brevitas integra, sed ea minus præstat quoties nihil dicit nisi quod necesse est, [4] βραχυλογίαν vocant, quæ reddetur inter schemata. Est vero pulcherrima cum plura paucis complectimur, quale illud Sallustii est, *Mithridates corpore ingenti perinde armatus.* Hoc male imitantes sequitur obscuritas. Vicina prædictæ, sed amplior virtus est [5] ἔμφασις, altiorem

1 *Ut ajunt in Græcis.*] Proverbium hoc usurpatur à *Latinis* & *Græcis*, de *his qui melioribus desperatis ad viliora se conferunt.* cæterum appellat Græcos *artifices, muscos* & *scenicos homines*, qui ab Aristotele *Dionysiaci artifices* appellantur. *Idem.*

2 *Sunt & illæ breves.*] Alia est divisio *similitudinum.* nam quædam *prolixiores* sunt, ut *superiores:* quædam *breviores*, & in duobus tribusve positæ verbis, cujuscemodi sunt *sequentes.* Idem.

3 *Quo ex judicio.*] Intelligit *judicium* quod adversus *Clodium* de *sacris Bonæ Deæ pollutis* est constitutum. nam corrupto pecunia judicio & subornatis falsis testibus Clodius evasit. *Idem.*

4 Βραχυλογίαν *vocant.*] Eadem etiam appellatur βραχυέπεια, quæ fit cum mira brevitate rem totam comprehendimus ut nihil omittamus. illa enim efficit orationem ornatissimam. *Idem.*

5 Ἔμφασις.] Ἔμφασιν *Cornificius lib.* 4. vertit significationem, *qua plus relinquitur in suspicione, quam dicitur.* ejus multas facit species, *exuperationem, ambiguum, consequentiam, &c.* Idem.

1 *Homē-*

altiorem præbens intellectum, quam quem verba per se ipsa declarant. Ejus duæ sunt species: altera, quæ plus significat quam dicit: altera, quæ etiam id quod non dicit. Prior est & apud [1] Homerum, cum Menelaus Graios in equo sedisse dicit: nam verbo uno magnitudinem ejus ostendit. & apud Virgilium.,

Demissum lapsi per funem. ----

Nam sic quoque altitudo demonstrata est. Idem *Cyclopa cum jacuisse dicit per antrum, prodigiosum illud corpus spatio loci mensus est.* Sequens posita est [2] in voce aut omnino suppressa, aut etiam abscissa. Supprimitur vox, ut fecit pro Ligario Cicero. *Quod si in hac tanta tua fortuna lenitas tanta non esset, quantam tu per te inquam obtines: intelligo quid loquar.* Tacuit enim illud quod nihilominus accipimus, non deesse homines qui ad crudelitatem eum impellerent. Abscinditur per ἀποσιώπησιν, quæ quoniam est figura, reddetur suo loco. Est in vulgaribus quoque verbis emphasis, *Virum esse oportet.* &, *Homo est ille.* &, [3] *Vivendum est.* Adeo similis est arti plerunque natura. Non tamen satis eloquentiæ est, ea de quibus dicat, clare atque evidenter ostendere: sed sunt multi ac varii excolendæ orationis modi. [4] Nam & ipsa illa ἀφέλεια simplex & inaffectata habet quendam purum, qualis etiam in fœminis amatur, ornatum, & sunt quædam velut è tenui diligentia circa proprietatem significationemque munditiæ. Alia copia locuples, alia floribus læta: virium non unum genus. Nam quicquid in suo genere satis effectum est, valet.

1 *Homerum.*] Odyss. 4. & 8.

2 *In voce aut omnino suppressa, &c.*] *Supprimitur vox*, quæ nullo modo ponitur, atque ita fit ἔνδειξις ἀπόδοτον, quod tamen emphasin habet. *abscinditur* autem cum *sermo interrumpitur*, & aliquid deest ad sensum absolvendum. utrunque speciem *abscissionem* appellat Cornificius. *Turneb.*

3 *Vivendum est.*] Cum dicimus *Vivendum* est, significamus *vitam esse traducendam:* plus tamen intelligitur per emphasim, scilicet *genio esse indulgendum*, & *in lætitia vivendum.* ut apud Catullum, *Vivamus mea Lesbia atque amemus.* Idem.

4 *Nam & ipsa illa ἀφέλεια.*] Ἀφέλεια simplex est & pura oratio, fluens quasi sponte naturæ, & nullam habens affectationem, qualis est apud Græcos in *Xenophonte & Aleimo. Aphelia præcepta composuit rhetor Aristides.* Idem.

let. [1] Præcipua tamen ejus opera δείνωσις in exaggerenda indignitate: & in cæteris altitudo quædam: [2] φαντασία in concipiendis visionibus: [3] ἐξεργασία in efficiendo velut opere proposito: cui adjicitur ἐπεξεργασία, repetitio probationis ejusdem, & cumulus ex abundanti. ἐνέργεια confinis his est ab agendo ducta, & cujus propria sit virtus, non esse quæ dicuntur, ociosa. Est & amarum quiddam, quod fere in contumelia est positum, quale est Cassii. *Quid facies cum in bona tua invasero?* hoc est cum te docuero nescire maledicere? Et acre, ut illud Crassi, *Ego te consulem putem, cum tu me non putes senatorem.* Sed vis oratoris omnis in augendo minuendoque consistit. Utrique parti totidem modi, ex quibus præcipuos attingemus: reliqui similes erunt. Sunt autem positi in rebus, & verbis. Sed quæ sit rerum inventio ac ratio, tractavimus: nunc quid *elocutio* attollat aut deprimat, dicendum.

1 *Præcipua tamen.*] Viribus ornatior fit oratio, sed virium multæ species, præcipua δείνωσις, id est *gravitas*, quæ est *oratio vim addens rebus indignis & invidiosis.* Eam quoque videtur ponere Fabius in quadam altitudine: nisi forte potius hic locus referatur ad aliam virium speciem. Cæterum quæ subjiciuntur omnia ad vim referenda sunt, tanquam species ad genus. *Idem.*

2 Φαντασία.] Φαντασία interdum ad *enargiam* refertur, tamen præter *enargiam* habet aliquid peculiare, quod positum est in ipsa vi: ut cum orator concipit alicujus rei simulachrum, ut magis judices moveat. *Idem.*

3 Ἐξεργασία.] Ἐξεργασία oratio est vehemens & acris, quæ efficaciter probat & colligit. alioqui ἐξεργασία appellatur *expositio.* Sed hoc loco non ita accipitur. *Idem.*

Cap. IV.

De amplificatione.

[4] PRima est igitur amplificandi vel minuendi species in ipso rei nomine, ut cum eum qui sit *cæsus, occisum:* eum qui

Amplificatio duplex est, *rerum* & *elocutionis. Amplificatio rerum* petitur à locis inventionis, de quibus dictum est lib. 5. Nunc autem Fab. *amplificationem quæ elocutione fit* tractat, ut mirari subeat *Erasmum* cum in secundo commentario rerum copiam tractaret, has *amplificationis species* enumerasse quasi *rerum* essent, ac non *elocutionis*, quamquam *amplificatio per comparationem* magna ex parte rerum esse videtur. *Turnebus.*

1 *Hoc*

qui sit *improbus*, *latronem*: contraque eum qui pulsavit, attigisse: qui vulneravit, læsisse dicimus. Utriusque pariter exemplum est pro M. Cœlio, *Si vidua libere, proterva petulanter, dives effuse, libidinosa meretricio more viveret, adulterum ego putarem, si quis hanc paulo liberius salutasset?* Nam & impudicam meretricem vocavit: & eum cui longior cum illa fuerat usus, liberius salutasse. [1] Hoc genus increscit, ac fit manifestius, si ampliora verba cum ipsis nominibus pro quibus ea posituri sumus, conferantur: ut Cicero in Verrem, *Non enim furem, sed raptorem: non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ: non sacrilegum, sed hostem sacrorum religionumque: non sicarium, sed crudelissimum carnificem civium sociorumque in vestrum judicium adduximus.* Illo enim modo ut sit multum, hoc etiam plus ut sit, efficitur. Quatuor tamen maxime generibus video constare amplificationem, *incremento, comparatione, ratiocinatione, congerie.* [2] *Incrementum* est potentissimum, cum magna videntur etiam quæ inferiora sunt. Id aut uno gradu fit, aut pluribus. Per id venitur non modo ad summum, sed interim quodammodo supra summum. [3] Omnibus his sufficit vel unum Ciceronis exemplum, *Facinus est vincire civem Romanum, scelus verberare, prope parricidium necare: quid dicam in crucem tollere?* Nam & si tantum *verberatus* esset, uno gradu increverat, ponendo etiam id *esse facinus*, quod erat inferius. Et si tantum occisus esset, per plures gradus ascenderat. Cum vero dixerit, *prope parricidium necare*: supra quod nihil est adjecit, quid *dicam in crucem tollere?* ita cum id quod maximum est occupasset, necesse erat in eo quod ultra est, verba deficere.

1 *Hoc genus.*] *Erasmus secundo libro Copiæ*, hanc appellat *amplificationem per correctionem*, quando prius vocabulum tollitur ut gravius subjiciatur. *Idem.*

2 *Incrementum.*] Quando gravibus quibusdam rem augemus. *comparatione*, cum ex eo quod infra est, id augetur quod est supra; *Ratiocinatione*, cum aliud augetur, & ex eo animi collectione alterius intelligitur amplificatio: *Congerie*, cum multa verba aut multas sententias eodem pertinentes congregamus. ex his quædam non solum ad verba, sed etiam ad res pertinent. *Idem.*

3 *Omnibus.*] *Id ait Cic. propter legem Semproniam & Portiam, quæ vetabant civem Romanum interfici, sed permittebant in exilium mitti.* Idem.

cere.[1] Fit & aliter supra summum adjectio: ut apud Virgilium de Lauso:

Quo pulchrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.

Summum est enim, *quo pulchrior alter non fuit*, huic deinde aliquid suprapositum est. Tertius quoque est modus, ad quem non per gradus itur, ut quod non est plus quam maximum, sed quo nihil majus est. *Matrem tuam occidisti.* Quid dicam amplius? *Matrem tuam occidisti.* Nam & hoc augendi genus est, tantum aliquid efficere, ut non possit augeri. [2] Crescit oratio minus aperte, sed nescio an hoc ipso efficacius, cum citra distinctionem in contextu & cursu semper aliquid priore majus insequitur: ut de vomitu in Antonium Cicero. *In cœtu vero populi Romani negocium publicum gerens magister equitum.* Singula incrementum habent. *Per se deforme, vel non in cœtu vomere, in cœtu etiam non populi: populi etiam non Romani: vel si nullum negotium ageret, vel si non publicum: vel si non magister equitum.* Sed alius divideret hæc & circa singulos gradus moraretur: hic in sublime etiam currit, & ad summum pervenit non nixu, sed impetu. [3] Verum ut hæc amplificatio in superiora tendit, ita quæ fit per comparationem, incrementum ex minoribus petit. Augendo enim quod est infra, necesse est extollat id quod supra positum est: ut idem, atque in eodem loco, *Si hoc tibi inter cœnam, & in illis immanibus poculis tuis accidisset, quis non turpe duceret? In cœtu vero populi Romani.* Et in Catilinam, *Servi mehercle mei si me isto pacto metuerent, ut te metuunt omnes cives*

1 *Fit & aliter.*] Nam cum *Virgil.* 8. *Æneid. neminem Lauso pulchriorem dixit*, maximum est complexus, sed data occasione majus aliquid posuit maximo, ut commendaret pulchritudinem Turni. Tum similis est locus apud *Homerum Iliados* 2. *de Ajace Telamonio, quem præstantiorem cæteris Græcis fuisse dicit, excepto Achille.* Idem.

2 *Crescit oratio.*] Alia species est *incrementi*, cum perpetua continuatione verba deinceps graviora ponuntur. non fit autem hæc *amplificatio* per distinctionem, ut fiebat in superioribus exemplis in incisa & distinctos gradus. *Idem.*

3 *Verum ut hæc.*] Erasmus *amplificationem* ex comparatione dupliciter fieri dixit, aut per *fictionem*, *id est*, *hypothesin*, de qua Fab. dixit lib. 5. aut per *exempli collationem*. exempla erunt apud *Fabium* paulo post. *Idem.*

cives tui, domum meam relinquendam putarem. Interim propositio velut simili exemplo, efficiendum est ut sit majus id quod à nobis exaggerandum est: [1] ut idem pro Cluentio, cum exposuisset, Milesiam quandam à secundis hæredibus pro abortu pecuniam accepisse, *Quanto est inquit, Oppianicus in eadem injuria majore supplicio dignus? Si quidem illa cum suo corpori vim attulisset, se ipsa cruciavit: hic autem idem illud effecit per alieni corporis vim atque cruciatum.* Nec putet quisquam hoc quanquam est simile, illi ex argumentis loco, quo majora ex minoribus colliguntur, idem esse. Illic enim *probatio* petitur, hîc *amplificatio*: sicut in Oppianico non id agitur in illa comparatione, *ut ille male fecerit, sed ut pejus.* Est tamen quanquam diversarum rerum quædam vicinia. Repetam igitur hîc quoque idem quo sum illic usus exemplum, sed non in eundem usum. Nam hoc mihi ostendendum est, augendi gratia non tota modo totis, sed etiam partes partibus comparari: sicut hoc loco, *An vero vir amplissimus P. Scipio pontifex maximus Tib. Gracchum mediocriter labefactantem statum reipublicæ, privatus interfecit: Catilinam orbem terrarum cæde atque incendio vastare cupientem, nos consules perferemus?* Hîc & Catilina Graccho, & status reipublicæ orbi terrarum, & mediocris labefactatio cædi & incendiis & vastationi, & privatus consulibus comparatur: quæ si quis dilatare velit, plenos singula locos habent. [2] Quas dixi *per ratiocinationem fieri amplificationes*: videamus an satis proprio verbo signaverim. Nec sum in hoc solicitus, dum res ipsa volentibus discere appareat. Hoc sum tamen secutus, quod hæc *amplificatio* alibi posita est, alibi valet: & ut aliud crescat, aliud augeatur, inde ad id quod extolli volumus, ratio deducitur. Objecturus Antonio Cicero merum & vomitum.

1 *Ut idem pro Cluentio.*] Nam *Oppianicus* prægnantem fratris uxorem una cum fœtu veneno sustulit, ut hæreditatem haberet. *Idem.*

2 *Quas dixi.*] Primum disputat de *appellatione*, quam esse ait optimam, cum ex alio aliud colligatur, quod proprium est syllogismi. hæc *amplificatio* magna ex parte ad rem pertinet, sed eatenus est *elocutionis*, qua ita enunciamus ut non omnia quæ intelliguntur ponantur, sed colligenda relinquantur. *Idem.*

1 *Sic*

tum. *Tu inquit, istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate. Quid fauces & latera ad ebrietatem?* Minime sunt otiosa. Nam respicientes ad hæc, possumus æstimare quantum ille vini in Hipppiæ nuptiis exhauserit, quod ferre & coquere non posset illa gladiatoria corporis firmitate. Ergo si ex alio colligitur aliud, nec improprium, nec inusitatum nomen est ratiocinationis, ut quod ex eadem caussa inter status quoque habemus. [1] Sic & ex insequentibus amplificatio ducitur. Si quidem tanta vis fuit vini erumpentis, ut non casum afferret aut voluntatem, sed necessitatem, ubi minime deceret, vomendi: & cibus non recens, ut accidere interim solet, redderetur, sed qui usque in posterum diem redundaret. Idem hoc præstant quæ antecesserunt. Nam cum Æolus à Junone rogatus,

--- Cavum conversa cuspide montem
Impulit in latus, ac venti velut agmine facto.
Qua data porta, ruunt: ---

apparet quanta sit futura tempestas. [2] Quid? cum res atrocissimas, quasque in summam ipsi extulimus invidiam, elevamus consulto quo graviora videantur quæ secutura sunt: ut à Cicerone factum est cum illa diceret, *Levia sunt hæc in hoc reo crimina. Metum virgarum navarchus nobilissimæ civitatis precio redemit: humanum est. Alius, ne securi feriretur, pecuniam dedit, usitatum est.* Nonne usus est ratiocinatione, qua colligerent audientes quantum illud esset quod inferebatur, cui comparata hæc, humana viderentur atque usitata? [3] Sic quoque solet ex alio aliud augeri, *cum Hannibalis bellicis laudibus ampliatur virtus Scipionis.* Et *fortitudinem Gallorum Germanorumque*

1 *Sic & ex insequentibus.*] Prima est species amplificationis per ratiocinationem, ab *insequentibus*, cum ex ratione eventus colligimus magnitudinem *præcedentium*: ut secunda est species, quando ex *antecedentibus* colligimus magnitudinem *insequentium*. Idem.

2 *Quid? cum res.*] Hic locus etiam ad comparationem referri potest: est tamen *syllogisticus* ex eo quod colligitur aliorum magnitudo, ex eorum elevatione quæ alioqui sunt magna. *Idem.*

3 *Sic quoque.*] Hæc *ratiocinatio* est, cum ex alterius commendatione laus major redundat in aliam personam. *Idem.*

rumque miramur, quo sit major C. Cæsaris gloria. Illud quoque est ex relatione ad aliquid, quod non ejus rei gratia dictum videtur, amplificationis genus. [1] Non putant indignum Trojani principes, Grajos Trojanosque propter Helenæ speciem tot mala tanto temporis spacio sustinere: quænam igitur illa forma credenda est? Non enim hoc dicit Paris, qui rapuit: non aliquis juvenis, non unus è vulgo: sed senes & prudentissimi, & Priamo assidentes. Verum & ipse rex decenni bello exhaustus, amissis tot liberis, imminente summo discrimine, cui faciem illam [2] ex qua tot lachrymarum origo fluxisset, invisam atque abominandam esse oportebat, & audit hæc, & eam filiam appellans juxta se locat, & excusat etiam, atque sibi esse malorum caussam negat. Nec mihi videtur in Symposio Plato, cum Alcibiadem confitentem de se quid à Socrate pati voluerit narrat ut illum culparet hæc tradidisse: sed ut Socratis invictam continentiam ostenderet, quæ corrumpi speciosissimi hominis tam [3] obvia voluntate non posset. Quin ex instrumento quoque, heroum illorum magnitudo æstimanda nobis datur. ad hoc pertinet [4] *clypeus Ajacis:* [5] & *hasta Pelias Achillis.* Qua virtute egregie est usus in Cyclope Virgilius. Nam quod illud corpus concipiam, *cujus*

Trunca manum pinus regit? ——

Quid? cum vix loricam duo multiplicem connixi humeris ferrent, quantus Demoleos, qui indutus eam,

—— *cursit*

1 *Non putant indignum.*] Locus est ex 3. *Iliados.* nam cum seniores ex *Trojanis ex Scæa porta* intuerentur exercitum *Trojanorum & Græcorum*, venit *Helena*, cujus admirati sunt speciem, & hæc dixerunt. *Idem. Non putant indignum.*] Joh. Gebhard. Animadvers. in Properr. lib. 2. Eleg. 3. ℣s. 40. pag. 164.

2 *Ex qua tot lacrymarum origo.*] Jan. Gebhard. Crepund. lib. 3. cap. 9. p. 123. legit ex Ms. Palat. *Ex qua tota lacrimarum ora fluxisset. Ora & jugum*, de fontium initiis, scaturigine ac capite.

3 *Obvia voluntate.*] Jan. Gebhard. Animadvers. in Propertii lib. 1. Eleg. 9. pag. 137.

4 *Clypeus Ajacis.*] *Clypeum* habebat *septemplicem Ajax*, quem nullus alius gestare posset. objecit eum hostibus (inquit Homerus) veluti turrim quandam, inde colligitur fortitudo *Ajacis*. Turn.

5 *Et hasta Pelias.*] *Pelias hasta* dicebatur à monte *Pelio*, quam nullus præter *Achillem* gestare poterat. nam *Patroclus* cum induisset *Achillis arma*, hastam tamen gestare non potuit. *Idem.*

1 *Potest*

— *curſu palantes Troas agebat?*

Quid M. Tullius de M. Antonii luxuria tantum fingere ſaltem potuiſſet, quantum oſtendit dicendo, *Conchyliatis Cn. Pompeii periſtromatis ſervorum in cellis ſtratos lectos videres?* Conchyliata periſtromata, & Cn. Pompeii, & in cellis ſervorum, nihil dici poteſt ultra: & neceſſe eſt tamen infinito plus in domino cogitare. Eſt hoc ſimile illi quod ἔμφασις dicitur: ſed illa ex verbo, hoc ex re conjecturam facit: tantoque plus valet, quanto res ipſa verbis eſt firmior. [1] Poteſt adſcribi amplificationi congeries quoque verborum ac ſententiarum idem ſignificantium. Nam etiam ſi non per gradus aſcendant, tamen velut acervo quodam allevantur. *Quid enim tuus ille Tubero diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?* Simile eſt hoc figuræ quam [2] συναθροισμὸν vocant: ſed illic plurium reum eſt congeries, hîc unius multiplicatio. [3] Hæc etiam creſcere ſolet verbis omnibus altius inſurgentibus: *Aderat janitor carceris, carnifex prætoris, mors terrorque ſociorum, & civium Romanorum, lictor Sextius.* Eadem fere eſt ratio minuendi. Nam totidem ſunt aſcendentibus quot deſcendentibus gradus. Ideoque uno ero exemplo contentus ejus loci quo Cicero de oratione Rulli hæc dicit, *Pauci tamen, qui proximi adſtiterant, neſcio quid illum de lege Agraria voluiſſe dicere ſuſpicabantur.* [4] Quod ſi ad intellectum referas, *minutio* eſt, ſi ad obſcuritatem *incrementum*. Scio poſſe videri quibuſ-

1 *Poteſt adſcribi.*] *Congeries* eſt in congregatione *verborum* & *ſententiarum* eodem tendentium. ea à Græcis συναθροισμὸς appellatur. Fabius tamen *congeriem* ſeparat à *ſynathroeſmo*, ut *ſynathroeſmus* ſit in collectione diverſorum verborum aut diverſarum ſententiarum, *congeries* in ſententiis multis, aut verbis idem ſignificantibus. *Idem.*

2 Συναθροισμὸν *vocant.*] *Rutilius Lupus* eodem prope modo συναθροισμὸν accipit, ponitque in *verbis ſingulis & conjunctis*. Sed quod de *verbis* dicit, accipi etiam poteſt de *ſententia*. Idem.

3 *Hæc etiam creſcere ſolet verbis.*] Vide Jan. Gebhard. Crepund. lib. 3. cap. 8. pag. 123.

4 *Quod ſi ad intellectum.*] Hoc exemplo probat *Fabius* ex eiſdem locis duci *amplificationem* & *diminutionem*, quia eodem in loco eſt utraque. illic autem *Cic. notat obſcuram Rulli orationem.* Turn.

Initio

quibusdam speciem amplificationis hyperbolen quoque, nam & hæc in utranque partem valet: sed quia excedit hoc nomen, in tropos differenda est. Quos continuo subjungerem, nisi esset à cæteris separata ratio dicendi quæ constat non propriis, sed translatis. Demus ergo breviter hoc desiderio jam pene publico, ne omittamus eum quem plerique præcipuum ac pene solum putant orationis ornatum.

CAP. V.

De generibus sententiarum.

Sententiam veteres quod animo sensissent vocaverunt. Id § cum est apud oratores frequentissimum, tum etiam in usu quotidiano quasdam reliquias habet. Nam & juraturi [1] ex animi nostri sententia, & gratulantes *ex sententia* dicimus. Non raro tamen & sic locuti sunt, ut sensa sua dicerent: nam *sensus*, corporis videbantur. Sed consuetudo jam tenuit, ut mente concepta, *sensus* vocaremus: lumina autem, præcipue que in clausulis posita, *sententias*. Quæ minus crebra apud antiquos, nostris temporibus modo carent. Ideoque mihi & de generibus earum, & de usu arbitror pauca dicenda. [2] Antiquissimæ sunt, quæ proprie, quamvis omnibus idem sit nomen, *sententiæ* vocantur, quas Græci γνώμας appellant: Utrunque autem nomen ex eo acceperunt, quod similes sunt consiliis aut decretis. Est autem hæc vox universalis, quæ etiam citra complexum caussæ possit esse laudabilis, interim ad rem tantum relata: ut, *Nihil est tam populare quam bonitas.*

INitio quot modis *sententia* accipiatur explicat: deinde se loqui ait de *ea sententia* quæ lumen quoddam est orationis, & è communi vita sumpta propositio, quæ adhortatur ad honestum & utile, aut à contrariis revocat. *Turneb.*

1 *Ex animi nostri sententia.*] Ea videtur fuisse formula jurandi apud antiquos. unde ait Cic. in Off. *Non enim falsum jurare pejerare est, sed cum ex animi tui sententia juraris.* Idem.

2 *Antiquissimæ sunt.*] Quodcunque dictum argutius & paulo plausibilius, tempore Fabii *sententia* dicebatur: At vero apud antiquos *sententia* dicebatur *propositio vitæ utilis, de rebus honestis & utilibus*: quæ quidem *sententia* multum valet ad paræneſim & ad consilium dandum: unde appellationem sortitur. *Idem.*

1 *Hanc*

bonitas. interim ad personam. quale est Afri Domitii, Princeps qui vult omnia scire, necesse habet multa ignoscere. [1] Hanc quidam partem *enthymematis*, quidam initium aut clausulam *epicherematis* esse dixerunt: & est aliquando non tamen semper. Illud verius esse eam aliquando simplicem, ut eam quam supra dixi. Aliquando ratione subjecta. *Nam in omni certamine qui opulentior est, etiam si accipit injuriam, tamen quia plus potest, facere videtur.* Nonnunquam duplicem, *Obsequium amicos, veritas odium parit.* Sunt etiam qui decem genera fecerunt, sed eo modo quo fieri vel plura possunt, *per interrogationem, comparationem, inficiationem, similitudinem, admirationem*, & cætera hujusmodi, per omnes enim figuras tractari potest. Illud notabile ex diversis, [2] *Mors misera non est, aditus ad mortem miser est.* Ac recte quidem sunt tales, [3] *Tam deest avaro quod habet, quam quod non habet.* Sed majorem vim accipiunt commutatione figuræ, ut

Usque adeone mori miserum est? ---

Acrius enim hoc, quam per se, *Mors misera non est.* [4] Et translatione à communi ad proprium. Nam cum sit rectum, *Nocere facile est, prodesse difficile*: vehementius apud Ovidium Medea dicit,

[5] *Servare potui, perdere an possim rogas?*

[6] Vertit ad personam Cicero, *Nihil habet, Cæsar, nec fortuna tua*

1 *Hanc quidam.*] *Sententia pars est enthymematis, quia si illi ratio subjiciatur, est integrum enthymema*, ut docuit Fabius lib. 5. Ad hæc sententia quæ est ex *contrariis*, efficit *enthymema ex repugnantibus.* Est nonnunquam etiam *sententia* major propositio epicherematis, cum præsertim sit indubitata: nonnunquam vero epicherematis additur clausulæ, more epiphonematis: hoc tamen non est perpetuum. *Idem.*

2 *Mors misera non est.*] *Sententia est Epicuri*, ut apparet ex *prima Tusculana.* est autem ducta à *sententia Epicharmi poëtæ, Emori nolo, sed mortuum esse me nihil existimo.* Idem.

3 *Tam deest avaro.*] *Sententia* est ducta ex Mimo Publii Syri: cujus est sensus, *avarum tam suis carere quam alienis, cum æque neutris utatur.* fit autem per antanaclasin. *Idem.*

4 *Et translatione, &c.*] *Commune* appellat quod est *generalius*, cujus tamen loco *proprium* subjicitur, quod est magis singulare: ut, *prodesse communius est quam servare*, Ovidius tamen *servare* dixit. *Idem.*

5 *Servare potui.*] Hic versus sumptus est ex *Medea Ovidii*, quam tragœdiam *Fab.* laudat lib. 10. *Idem.*

6 *Vertit ad personam Cic.*] *Nulla fortuna major est quam posse servare, nec melior*

tua majus, quam ut possis: nec natura melius: quam ut velis servare quam plurimos. Ita quæ erant rerum, propria fecit hominis. In hoc genere custodiendum est, & id quidem ubique, *ne crebræ* sint, *ne palam falsæ* (quales frequenter ab iis dicuntur qui hæc [1] καθολικὰ vocant: & quicquid pro causa videtur, quasi indubitatum pronuntiant) & ne passim & à quocunque dicantur. Magis enim decent eos in quibus est auctoritas ut rei pondus etiam persona confirmet. [2] Quis enim ferat puerum aut adolescentulum, aut etiam ignobilem, si judicet in dicendo, & quodammodo præcipiat? [3] *Enthymema* quoque est omne quod mente concipimus: proprie tamen dicitur quæ est sententia ex contrariis, propterea quod eminere inter cæteras videtur, ut *Homerus poëta, urbs Roma.* De hoc in argumentis satis dictum est. [4] Non semper autem ad probationem adhibetur, sed aliquando ad ornatum. *Quorum igitur impunitas, Cæsar, tuæ clementiæ laus est, eorum te ipsorum ad crudelitatem acuet oratio? Non quia sit ratio dissimilis, sed quia jam per alia ut id injustum appareret, effectum erat.* Et addita in clausula est epiphonematis modo non tam probatio, quam extrema quasi insultatio. [5] Est enim *epiphonema, rei narratæ vel probatæ summa acclamatio.*

Tantæ

lior natura quam velle servare quam plurimos. ita dicendum erat. *Idem.*

1 Καθολικὰ *vocant.*] *Catholica* vertit *Fab. lib.* 2. *universalia* & *perpetualia*, qualia negat esse præcepta rethorices: attamen à multis *catholica* existimantur, & in omni loco ea valere putant, itaque sententias quoque universales cujus causæ convenire posse credunt. *Idem.*

2 *Quis enim ferat.*] *Sententiæ* magna ex parte *protrepticæ* sunt aut *paræneticæ.* Igitur si orator induceret puerum utentem illis sententiis, ineptum sane videretur judices moveri à tantulo puero. *Idem.*

3 *Enthymema.*] Quemadmodum *sententia* universaliter significat quicquid sentimus, tamen per excellentiam significat propositionem argutam, è vita sumptam de *utilibus* & *honestis*: ita quoque *enthymema* apud Græcos generaliter significat quemcunque mentis conceptum, & per antonomasiam conclusionem ex repugnantibus, & sententiam ex contrariis. atque hac ratione *enthymema* est sententiæ species. *Idem.*

4 *Non semper autem.*] *Enthymema* tamen valet ad ornatum & ad motum, cum in clausula ponitur, re jam tractata & confirmata: itaque non docet, sed duntaxat movet. *Idem.*

5 *Est enim epiphonema.*] Nam omne *epiphonema* sententia est, sed quod argutia quadam ferit aurem. *epiphonema* locum sæpenumero habet in epigrammatis conclusione, ut apud *Martialem:* & in historiæ fine, ut apud *Valerium.* Idem.

Tantæ molis erat Romanam condere gentem:

Facere enim probus adolescens periculose, quam perpeti turpiter maluit. Est & quod appellatur à novis [1] νόημα, qua voce omnis intellectus accipi potest, sed hoc nomine donarunt ea quæ non dicunt, verum intelligi volunt, ut in eum quem sæpius à ludo redemerat soror, agentem cum ea talionis, quod ei pollicem dormienti recidisset, [2] *Eras dignus ut haberes integram manum.* Sic enim auditur, ut depugnares. [3] Vocatur aliquid & *clausula:* quæ si est quod *conclusionem* dicimus, & recte, & quibusdam in partibus necessaria est: Quare prius de facto vestro fateamini necesse est, quam Ligarii culpam ullam reprehendatis. Sed nunc illud volunt, ut omnis locus, omnis sensus in fine sermonis feriat aurem. Turpe autem ac prope nefas ducunt, respirare ullo loco qui acclamationem non petierit. Inde minuti corruptique sensiculi, & extra rem petiti. Neque enim possunt tam multæ bonæ sententiæ esse, quam necesse est multæ sint clausulæ. Jam hæc magis nova sententiarum genera. [4] Ex inopinato: ut dixit Vibius Crispus in eum qui cum loricatus in foro ambularet, prætendebat id se metu facere, [5] *Quis tibi sic timere permisit?* Et insigniter Aphricanus apud Neronem de morte matris, [6] *Rogant te Cæsar Galliæ tuæ, ut fælicitatem tuam fortiter feras.*

Sunt

1 Νόημα.] Nonnulli interpretantur *noëma* sententiam quæ ad locum communem aut ad sententiam aliam alludat. Fabius appellat, *cum aliud dicitur & aliud intelligitur.* Idem.

2 *Eras dignus, &c.*] Nonnulli erant in Lanistarum familia tanquam servi, ut vel inviti cogerentur pugnare. Hic igitur sæpius redemptus fuerat à sorore: cum tamen pugnandi miro teneretur studio, iterum locabat operam suam Lanistæ. soror igitur illi pollicem abscidit, ne posset amplius digladiari. *Idem.*

3 *Vocatur aliquid & clausula.*] *Clausula* bifariam accipitur. est enim interdum *conclusio alicujus loci, quæ quidem efficit ornatum:* aliquando vero sententia in cujuscunque rei fine posita, cujus nimius erat usus tempore Fabii. *Idem.*

4 *Ex inopinato.*] Hæc sententia appellatur à paradoxo, ac sæpenumero solet efficere risum, ut meminit *Fab. lib. 6. & Cic. lib. 2. de Oratore.* Idem.

5 *Quis tibi sic, &c.*] Dicendum erat, *Quis auctor est tui timoris?* Sed ut significaret hominem meticulosum, dicit *præter opinionem*, ab eo non ab alio ortum illum timorem. *Idem.*

6 *Rogant te, &c.*] Dicendum erat, *ut mortem matris fortiter feras:* sed cum Nero *matrem ut insidiatricem esse interfectam diceret, ejusque mortem suæ tribueret fœlicitati*, sic Africanus *præter opinionem* dixit, ut tamen clam notaret parricidium. *Idem.*

1 *Matrem*

Sunt & alio relata, ut Afer Domitius cum Cloantillam defenderet, cui objectum crimen, quod virum qui inter rebellantes fuerat, sepelisset, remiserat Claudius, in epilogo filios ejus alloquens, [1] *Matrem tamen*, inquit, *pueri sepelitote.* Et aliunde petita, id est, in alium locum ex alio translata: ut *pro Spathale Crispus*, quam qui hæredem amator instituerat decessit, cum haberet annos duo devigenti, [2] *O hominem divinum, qui sibi indulsit.* Facit quasdam sententias sola geminatio: qualis est Senecæ in eo scripto quod Nero ad Senatum misit occisa matre, cum se periclicatum videri vellet, *Salvum me esse adhuc nec credo, nec gaudeo.* Melior, cum ex contrariis valet, [3] *Habeo quem fugiam, quem sequar non habeo.* [4] Quid quod miser cum loqui non posset, tacere non poterat? Ea vero fit pulcherrima, cum aliqua comparatione clarescit. Trachallus contra Spathalem, *Placet hoc ergo, ô leges diligentissimæ pudoris custodes, decimas uxoribus dari,* [5] *quartas meretricibus?* Sed horum quidem generum & bonæ dici possunt, & malæ. Illæ semper vitiosæ, uti à verbo, *Patres conscripti, Sic enim incipiendum est mihi, ut memineritis patrum.* Pejus adhuc, quo magis falsum est, & longius petitum. [6] Contra eandem sororem gladiatoris, cujus modo feci mentionem, [7] *At digito pugnavi.* * Est etiam generis ejusdem,

1 *Matrem tamen pueri sepelitote.*] Hoc dicit *Domitius, si Cloantilla morte damnaretur:* sed tamen retulit ad factum *Cloantillæ*, quod antea maritum illa sepelisset. *Idem.*

2 *O hominem divinum.*] Apparet Spathalen meretricem fuisse, quæ accusata sit homicidii, quod hæres ab amatore instituta fuisset, qui paulo post periisset, quasi fraude Spathales, ut potiretur hæreditate. Erat igitur dicendum, *O hominem gratum qui beneficia amasiæ agnovit:* cujus loco dixit, hominem illum bene vixisse qui genio indulserit, cum illi brevi esset moriendum. *Idem.*

3 *Habeo quem fugiam.*] Dictum est *Cic. de Cæsare & Pompeio parantibus bellum civile.* ita enim significabat neutrum esse sequendum. *Idem.*

4 *Quod quid miser cum loqui, &c.*] Hierongri ad Oceanun. Postea vero Pisoniano vitio, cum loqui non posset, tacere non poterat. *Pith.*

5 *Quartas meretricibus?*] Cum leges donent *decimas* duntaxat uxoribus, iniquum est meretrices ferre *quartam partem hæreditatis*, ut Spathales ex *quarta parte* hæres instituta fuerat. Forte vero etiam adolescens ille uxorem duntaxat ex *decima parte* fecerat hæredem. *Turneb.*

6 *Contra eandem sororem gladiatoris, cujus modo feci mentionem, ad digitum pugnavi.*] Sic legend. intelligit, *micare.* Vide *Salmas.* ad Vopiscum p. 497.

7 *At digito pugnavi.*] Vide Jos. Scaliger. Not. in Catalect. Virg. pag. 329.

ejuſdem, neſcio an vitioſiſſimum, quoties verborum ambiguitas cum rerum falſa quadam ſimilitudine jungitur. Clarum auctorem juvenis audivi, cum lecta [1] è capite cujuſdam oſſa ſententiæ gratia tenenda matri dediſſet, *Infœliciſſima fœmina nondum extuliſti filium, & [2] jam oſſa legiſti.* Ad hoc plerique minimis etiam inventiunculis gaudent, quæ excuſſæ riſum habent, inventæ facie ingenii blandiuntur. De eo qui naufragus, & ante agrorum ſterilitate vexatus, in ſcholis fingitur ſe ſuſpendiſſe, *Quem nec terra recipit, nec mare, pendeat.* [3] Huic ſimile in illo, de quo ſupra dixi, cui pater ſua membra laceranti venenum dedit, *Qui hæc edit, debet hoc bibere.* Et in luxurioſum, qui [4] ἀποκαρτέρησιν ſimulaſſe dicitur, *Necte laqueum, habes quod faucibus tuis iraſcaris, Sume venenum, decet luxurioſum bibendo mori,* alia vana: [5] ut ſuadentis purpuratis, ut Alexandrum Babylonis incendio ſepeliant: *Alexandrum ſepelio, hoc quiſquam ſpectabit è tecto?* Quaſi vero id ſit in re tota indigniſſimum. Alia nimia: ut de Germanis dicentem quendam audivi, [6] *Caput neſcio ubi impoſitum.* Et de viro forti, *Bella umbone propellit.* Sed finis non erit, ſi ſingulas

Gaſp. Barthius Animadverſ. ad Gratii Cyneget. pag. 24. & c. *Pareus. At digito pugnavi.*] Ad digitum mihi pugna eſt.

* *Eſt etiam generis ejuſdem.*] Eſt etiam illa mala ſententia à verbis ducta, quæ ex ambiguo manat. habet enim puerilem affectationem, nec cum re eſt conjuncta. *Turneb.*

1 *In capite.*] In aliis ſcribitur, *in capide.* ſic enim appellant vaſculum & poculum, quod etiam dicunt *capedinem* & *capedunculam*, vel lege, *è capite.* Idem.

2 *Jam oſſa legiſti.*] *Oſſa legere* ambiguum eſt. nam olim *cadavere combuſto, oſſa colligebantur, & in urna recondebantur*, ut eſt apud Virgil. 6. Æneid. *oſſaque lecta cado texit Corinæus aheno.* Eſt etiam *oſſa legere* ſimpliciter colligere, ut *oſſa fracta legere è vulnere.* Idem.

3 *Huic ſimile.*] Hujus loci meminit in cap. de *perſpicuitate*, cum dixit quædam eſſe *ἀδιανόητα. Idem.*

4 *Ἀποκαρτέρησιν.*] Ἀποκαρτέρησις eſt ex propoſito mortis electio per inediam & famem. inde ἀποκάρτερον *à Cic.* dicitur 1. *Tuſcul.* quanquam locus eſt illic corruptus. *Idem.*

5 *Ut ſuadentis purp.*] Scribunt quoque hiſtorici. Alexandri duces deliberaſſe de incendenda *Babylone*, ut hoc modo nobilitaretur ſepultura Alexandri, hæc res poſtea ducta eſt ad themata declamatoria. *Idem.*

6 *Caput neſcio, &c.*] Videtur alluſio eſſe ad proceritatem *Germanorum*, quaſi eorum corpus repræſentet prægrandem truncum cui impoſitum ſit *caput*: quaſi diceret eos *capite* hominum habere ſimilitudinem, ſed corpore quaſi arborum. quanquam hic locus varie legatur in exemplaribus. *Idem.*

1 *Duæ*

singulas corruptorum persequar formas. Illud potius, quod est magis necessarium. [1] Duæ sunt diversæ opiniones aliorum sententias solas pene spectantium, aliorum omnino damnantium: quorum mihi neutrum admodum placet. Densitas earum obstat invicem, ut in satis omnibus fructibusque arborum nihil ad justam magnitudinem adolescere potest, quod loco in quem crescat caret. Nec pictura in qua nihil circunlitum est, eminet. Ideoque artifices etiam cum plura in unam tabulam opera contulerunt, spatiis distinguunt, ne umbræ in corpora cadant. Facit res eadem concisam quoque orationem. [2] Subsistit enim omnis sententia: ideoque post eam utique aliud est initium. Unde soluta fere oratio & è singulis non membris, sed frustis collata structura caret [3] cum illa rotunda & undique circuncisa insistere invicem nequeant. Præter hoc etiam color ipse dicendi quamlibet clarus, multis tamen ac variis velut maculis conspergitur. [4] Porro ut affert lumen clavus purpuræ loco insertus, ita certe neminem deceat intertexta pluribus notis vestis. Quare licet hæc enitere, & aliquatenus extare videantur, tamen lumina illa non flammæ, sed scintillis inter fumum emicantibus similia dixeris: quæ ne apparent quidem, ubi tota lucet oratio, ut in sole sidera ipsa desinunt cerni: & quæ crebris parvisque conatibus se attollunt, in æqualia tantum, & velut confragosa, nec admirationem consequuntur eminentium, & planorum gratiam perdunt. Hoc quoque accedit, quod solas captanti sententias, multas necesse est dicere leves,

1 *Duæ sunt.*] Nunc præcipit de sententiarum usu, duasque refutat opiniones. Nam quidam solas sectabantur sententias, quidam ab illis abhorrebant. Sic demum controversiam decidit Fabius, ut putet *illis modice esse utendum.* Idem.

2 *Subsistit enim.*] *Sententia* omnis perfectam habet comprehensionem absolutumque sensum: quod si aliam superaddas *sententiam*, novum inchoabit sensum, atque ita oratio erit dissipata & divulsa. *Idem.*

3 *Cum illa rotunda, &c.*] *Metaphoræ* esse videtur ducta ab *orbiculis, rebusque rotundis*, quæ propter lævorem nec possunt adhærescere nec conjungi, quemadmodum nec *sententiæ* possunt inter se hærere. *Idem.*

4 *Porro ut affert.*] Clavos appellamus in vestimentis, ornamenta quædam eminentia more capitis clavorum. vulgo ferramenta appellamus. *Idem.*

ves, frigidas, ineptas. Non enim potest esse delectus, ubi numero laboratur. Itaque videas & *divisionem* pro sententia poni, & argumentum, si tantum in clausula & calce pronuncietur. *Occidisti uxorem ipse adulter: non ferrem te etiam si repudiasses*, divisio est. *Vis scire venenum esse amatorium? viveret homo nisi illud bibisset*, argumentum est. Nec multas plerique sententias dicunt, sed omnia tanquam sententias. Huic quibusdam contrarium studium, qui fugiunt ac reformidant omnen hanc in dicendo voluptatem, nihil probantes nisi planum, & humile, & sine conatu. [2] Ita dum timent ne aliquando cadant, semper jacent. Quod enim tantum in sententia bona crimen est: non caussæ prodest? non judicem movet? non dicentem commendat? [2] At est quoddam genus, quo veteres non utebantur. Ad quam usque nos vocatis vetustatem? Nam si ad illam extremam, multa Demosthenes, quæ ante eum nemo. [3] Quomodo potest Ciceronem probare, qui nihil putet ex Catone Gracchisque mutandum: Sed ante hos simplicior adhuc loquendi ratio fuit. Ego vero hæc lumina orationis, velut oculos quosdam esse eloquentiæ credo. Sed neque oculos esse toto corpore velim, ne cætera membra officium suum perdant: & si necesse sit, veterem illum horrorem dicendi malim, quam istam novam licentiam. Sed patet media quædam via, sicut in cultu victuque accessit aliquis citra reprehensionem nitor, quem sicut possumus adjiciamus virtutibus. Prius tamen sit, vitiis carere: ne dum volumus esse meliores veteribus, simus tantum dissimiles. Reddam nunc, quam proximam esse dixeram, partem *de tropis*, quos *motus* clarisquæ

1 *Ita dum timent.*] Similitudo est ducta ab *illis qui in altum conscendunt.* est enim periculum ne cadant. solet autem sententia orationem attollere. *Idem.*

2 *At est quoddam genus.*] *Hypophoram* sibi objicit. veteres enim his argutis non utebantur sententiis, sed gravibus tantum, & valde modice. objicit igitur exemplum *Demosthenis, qui multa innovavit*, & exemplum *Ciceronis.* Idem.

3 *Quomodo potest.*] Videtur desiderari membrum, in hanc sententiam, Sin ad illam vetustatem quæ recentior est. Videtur enim Fabius locutus esse ex *disjunctione.* Idem.

1 Quæ

clarissimi nostrorum auctores vocant. Horum tradere præcepta & grammatici solent. Sed à me, cum de illorum officio loquerer, dilata pars est, quia de ornatu orationis gravior videbatur locus, & majori operi servandus.

CAP. VI.

De tropis.

TRopus est verbi vel sermonis *à propria significatione in aliam cum virtute mutatio.* Circa quem inexplicabilis & grammaticis inter ipsos, & philosophis pugna est, [1] quæ sint genera, quæ species, quis numerus, quis cui subjiciatur. [2] Nos omissis quæ nihil ad instituendum oratorem pertinent, cavillationibus, necessarios maxime atque in usum receptos exequemur: hoc modo in his annotasse contenti, quosdam gratia significationis, quosdam decoris assumi, & esse alios [3] in verbis propriis, alios in translatis: vertique formas non verborum modo, [4] sed sensuum, & compositionis. Quare mihi videntur errasse, qui non alios crediderunt tropos, quam in quibus verbum pro verbo poneretur. [5] Neque illud ignoro, in iisdem fere qui significandi gratia adhibentur, esse & ornatum: sed non idem accidet contra, eruntque quidam tantum ad speciem accommodati. Incipiamus igitur ab eo, qui cum frequentissimus est, tum longe pulcherrimus, translatione dico, quæ [6] *metaphora* Græce vocatur.

Quæ

1 *Quæ sint genera.*] Per *genera* intelligit *tropos generales*, qui in alias species dividuntur: ut apud Aristot. *metaphora* dividitur in *metonymiam*, *synecdochen*, *catachresin*, & *allegoriam* & apud Diomedem *allegoria* dividitur in septem species, ὁμοίωσις in tres. *Turnebus.*

2 *Nos omissis quæ nihil ad instit.*] Vide Jan. Gebhard. Crepund. lib. 1. cap. 5. pag. 16.

3 *In verbis propriis.*] Ut cum Livius dicit per *synecdochen*, *Romanus prælio victor*, retinetur proprietas significationis, sed mutatur numeri ratio. *Turnebus.*

4 *Sed & sensuum.*] Mutatur forma sensus, ut in *allegoria* & *ænigmate*: mutatur forma compositionis in *hyperbato* & *anastrophe.* Idem.

5 *Neque illud ignoro.*] Divisionem superiorem suam tuetur, qua dixerat, quosdam gratia significationis, quosdam decoris assumi. *Pith.*

6 Μεταφορά.] Cic. ait ejus usum manasse primum ab *inopia* & *necessitate*, deinde

Quæ quidem cum ita est ab ipsa nobis concessa natura, ut indocti quoque non sentientes ea frequenter utantur: tum ita jucunda atque nitida, ut in oratione quamlibet clara, proprio tamen lumine eluceat. Neque enim vulgaris esse, nec humilis, nec insuavis, recte modo adscita, potest.[1] Copiam quoque sermonis auget permutando, aut mutuando quod non habet: quodque difficillimum est, præstat ne ulli rei nomen deesse videatur. Transfertur ergo nomen aut verbum ex eo loco, in quo proprium est, in eum in quo aut proprium deest, aut translatum proprio melius est. Id facimus aut quia necesse est, aut quia significantius est, aut (ut dixi) quia decentius. Ubi nihil horum præstabit quod transferetur, improprium erit. Necessitate rustici dicunt *gemmam* in vitibus, (quid enim dicerent aliud) & *sitire segetes*, & *fructus laborare*. Necessitate nos, *durum hominem*, aut *asperum*. Non enim proprium erat quod daremus his affectionibus nomen. Jam, *incensum ira*: & *inflammatum cupiditate*: &, *lapsum errore*, significandi gratia. Nihil enim horum suis verbis, quam his accersitis, magis proprium erat. Illa ad ornatum, *lumen orationis*: & *generis claritatem*: & *concionum procellas*: &, *eloquentiæ*[2] *flumina*: ut Cicero pro Milone, *Clodium fontem gloriæ ejus vocat, & alio loco segetem ac materiam*. Quædam etiam parum speciosa dictu, per hanc explicantur,

[3] *Hoc faciunt, nimio ne luxu obtusior usus*
Sit genitali arvo, & sulcos oblimet inertes.

In totum autem metaphora [4] brevior est quam similitudo: eoque

deinde postea ad *delectationem* & *ornamentum* esse translatum. *Turneb.*

1 *Copiam quoque.*] Dupliciter fit *metaphora*, aut per *mutationem nominis*, quando nominis alterius loco alterum substituimus: *aut mutuatione*, quando nomen proprium deest. quanquam revera (ut ait Cicero) omnis *metaphora* est quædam mutatio. *Idem.*

2 *Flumina.*] Alii, *Fulmina.*

3 *Hoc faciunt, &c.*] Diomedes ait esse *periphrasim* in his carminibus, neque tamen refragatur Fabio, quia simul *periphrasis* est, & *metaphorarum* continuatio ab agricultura ductarum, quibus significatur equarum conceptio. *Turneb.*

4 *Brevior est quam similitudo.*] In aliis legitur, *brevior est similitudo*, quod cum Cic. consentit, qui *metaphoram ait contractam esse similitudinis verbi brevitatem.*

quem-

eoque distat, quod illa comparatur rei quam volumus exprimere, hæc pro ipsa re dicitur. *Comparatio* est, cum dico feciſſe quid hominem ut *leonem*: transiatio, cum dico de homine, *leo est*. Hujus vis omnis quadruplex maxime videtur: Cum in rebus animalibus aliud pro alio ponitur: [1] ut de agitatore,

— Gubernator magna contorsit equum vi.

& ut Livius: *Scipionem à Catone adlatrari solitum refert.* Inanima pro aliis generis ejusdem sumuntur, ut, *Classique immittit habenas.* Aut pro rebus animalibus inanima, *Ferro an fato [2] virtus Argivum occidit.* Aut contra,

— Sedet insçius alto
Accipiens sonitum saxi de vertice pastor:

[3] præcipueque ex his oritur mira sublimitas, quæ audaci & proxime periculum translatione tolluntur, cum rebus sensu carentibus, actum quendam & animos damus, qualis est,

[4] *Pontem indignatus Araxes.*

Et illa Ciceronis, *Quid enim tuus ille, Tubero, districtus [5] in acie Pharsalica gladius agebat? Cujus latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum?* Duplicatur interim hæc virtus apud Virgilium,

Ferrumque armare veneno.

Nam & veneno armare, & ferrum armare, translatio est. Secantur hæc in [6] plures: ut à rationali ad rationale, & idem de

quemadmodum autem in *metaphora* similitudinem esse oportet ut sit probabilis, ita dissimilitudo vitiosam efficit translationem. *Idem.*

1 *Ut de agitatore.*] Sic appellatur qui in ludis Circensibus equos agitat, quem appellavit *gubernatorem* per translationem. sic enim proprie navis agitator dicitur. *Idem.*

2 *Virtus.*] Alii, *Metus.*

3 *Præcipueque ex his.*] Hæ translationes non sunt simplices, sed habent adjunctam *prosopopœiam*: neque sublimitas videtur oriri ex *metaphora*, sed ex *prosopopœia metaphoræ conjuncta.* fit autem hæc species cum rebus surdis sensus tribuitur, aut actio quædam animalis. Addit Cic. *illustrissimas esse illas metaphoras quæ à sensibus petuntur, præsertim à visu.* Idem.

4 *Pontem indignatus Araxes.*] Id ait Virg. (ut notat Servius) *quia Xerxes rex Persarum tentavit extructo ponte Araxem fluvium Armeniæ trajicere.* Idem.

5 *In acie Pharsalica gladius.*] Pro gladiato. Vide Vossium Institut. Orator. lib. 4. 6. p. 98.

6 *Plures.*] Dan. *species.*

de irrationalibus & hæc invicem, [1] quibus similis ratio est, & à toto, & à partibus. Sed jam non pueris præcipimus, ut, accepto genere species intelligere non possint. Ut modicus autem atque opportunus ejus usus illustrat orationem: ita frequens & obscurat, & tædio complet: [2] continuus vero in *allegoriam* & *ænigma* exit. [3] Sunt quædam etiam humiles translationes: ut id de quo modo dixi, *Saxea est verruca.* Et sordidæ. Non enim si Cicero recte *sentinam reipub.* dixit, fœditatem hominum significans: idcirco probem illud quoque veteris oratoris, *Persecuisti* [4] *reipub. vomicas.* Optimeque Cicero demonstrat cavendum, ne sit deformis translatio: qualis est (nam ipsis ejus utar exemplis) *Castratam morte Aphricani remp.* &, *Stercus curiæ Glauciam.* [5] Ne nimio major: aut, quod sæpius accidit, minor. Ne dissimilis: quorum exempla nimium frequenter deprehendet, qui sciverit hæc vitia esse. [6] Sed & copia quoque modum egressa vitiosa est, præcipue in eadem specie. [7] Sunt & duræ, id est longinqua similitudine [8] ductæ: ut, [9] *Capitis nives.* &,

Jup-

1 *Quibus similis ratio est.*] Videtur paulo latius fundere *metaphoram* hoc loco, ut etiam complectatur aliquam partem *synecdoches*, scilicet à *toto* & à *partibus*, quo modo Arist. totam *synecdochen* subjicit *metaphoræ*, ut diximus initio. *Turneb.*

2 *Continuus vero.*] Nam continuatæ *metaphoræ* efficiunt *allegoriam.* id est, *inversionem:* quæ si sunt obscuriores, efficiunt *ænigma.* Idem.

3 *Sunt quædam etiam.*] Cum enim est hujusmodi *metaphora*, incidit in *tapeinosin.* idem videtur dicere Cic. cum præcipit *ne sit angustius verbum translatum quam propinquum. Nauteam aquam* vocat Plautus, quæ est in *sentina.* quanquam & *sentina* & pro loco navis & aqua quæ in eo est accipitur. *Idem.*

4 *Reipub. vomicas.*] *Vomica* tumor est sanioſus in corpore, & apostema: dicitur à vomendo. *Idem.*

5 *Ne nimio major.*] Hæc quoque verba sunt Ciceronis. *horum exemplum est, tempestas commessationis, & commessatio tempestatis.* Idem.

6 *Sed & copia.*] Cum *metaphoræ* diutius continuantur quam decet, præsertimque eadem elatæ forma, vitium est. hoc quoque præceptum est *Ciceronis.* Idem.

7 *Sunt & duræ.*] Longinquam quoque similitudinem in *metaphora* culpat *Cicero*, ea tamen corrigi potest addita præcastigatione: ut, *pupillus est, ut sic dixerim, morte Catonis senatus.* Idem.

8 *Ductæ.*] Quæ sequuntur desunt in vetustiss. Exemplaribus ad finem fere hujus libri. *Pith.*

9 *Capitis nives.*] Sic etiam dixit *Domitianus, permixtam mulso nivem*, cum significare vellet *capillos* partim *subrutilos*, partim *canos.* Turneb. *Ut, Capitis nives.*] Pro canitie. Vide Vossium Institut Orator. lib. 4. 6. pag. 100.

1 Jup-

[1] *Juppiter hybernas cana nive conspuit Alpes.*

[2] In illo vero plurimum erroris quod ea quæ poëtis (qui & omnia ad voluptatem referunt, & plurima vertere etiam ipsa metri necessitate coguntur) permissa sunt, convenire quidam etiam prosæ putant. At ego in agendo nec *pastorem populi* auctore Homero dixerim: nec *volucres pennis remigare:* licet Virgilius in apibus ac Dædalo speciosissime sit usus. Metaphora enim aut vacantem occupare locum debet, aut si in alienum venit, plus valere eo quod expellit. Quod aliquanto pene jam magis de *synecdoche* dicam. Nam *translatio* permovendis animis plerunque & signandis rebus, ac sub oculos subjiciendis reperta est. Hæc variare sermonem potest, [3] ut ex uno plures intelligamus, parte totum, specie genus, præcedentibus sequentia, vel contra: omnia liberiora poëtis, quam oratoribus. Nam prosa, ut *mucronem* pro gladio, & *tectum* pro domo recipiet: ita non *puppim* pro navi, nec *abietem* pro tabellis. Et rursus ut pro gladio *ferrum*, ita non pro equo *quadrupedem*. Maxime autem in orando valebit [4] numerorum illa libertas. Nam & Livius sæpe sic dicit, *Romanus prælio victor:* cum Romanos vicisse significat. Et contra, Cicero ad Brutum: *Populo*, inquit, *imposuimus*, & *oratores visi sumus*, cum de se tantum loqueretur. Quod genus non orationes modo ornat, sed etiam quotidiani sermonis usus recipit. [5] Quidam συνεκδοχὴν vocant, cum & id in contextu sermonis quod tacetur accipimus. Verbum enim ex verbo intelligitur, quod inter vitia ἔκλειψις vocatur. *Arcadas*

1 *Juppiter hybernas, &c.*] Carmen est Furii Bibaculi, quod ab Horatio venuste alludendo est usurpatum, *Furius hybernas cana nive conspuit Alpes.* Turn.

2 *In illo vero.*] Significat poëtis audaciores permitti *metaphoras* quam oratoribus, nec protinus illas ab oratoribus esse usurpandas. *Idem.*

3 *Ut ex uno plures intellig.*] Cic. lib. 3. de Oratore, minus ait venustatis esse in *synecdoche* quam in *metaphora.* Verti potest *synecdoche ad verbum conceptio:* à Cornificio vertitur *Intellectio.* Idem.

4 *Numerorum illa libertas.*] Hanc tamen figuram, quæ per *numeros* fit, speciem esse dicunt *heteroseos* & *enallages* Grammatici. *Idem.*

5 *Quidam συνεκδοχὴν.*] Hæc *synecdoche* non est annumeranda *tropis*, sed *figuris*, tractaturque lib. 9. *cap.* 3. *à Fabio.* Fit autem cum aliquid subauditur. tamen aliquando id quod deest vitiosam efficit orationem, quam quidam *eclipsim* vocant. id est, *defectum.* Idem.

cadas [1] *ad portas ruere.* — Mihi hanc figuram esse magis placet. Illic ergo reddetur. Aliud etiam intelligitur ex alio,

[2] *Aspice, aratra jugo referunt suspensa juvenci.*

Unde apparet noctem appropinquare. Id nescio an oratori conveniat, nisi in argumentando, [3] cum rei signum est. Sed hoc ab elocutionis ratione distat. [4] Nec procul ab hoc genere discedit [5] μετωνυμία, *quæ est nominis pro nomine positio:* cujus vis est, pro eo quod dicitur, causam propter quam dicitur, ponere: sed ut ait Cicero, ὑπαλλαγὴ rhetores dicunt. Hæc inventa ab inventore, & subjecta ab obtinentibus significat: ut, *Cererem corruptam undis:* & -- *Receptus Terra Neptunus classes Aquilonibus arcet.* Quod fit retro durius. Refert autem in quantum dictus tropus oratorem sequatur. Nam ut *Vulcanum* pro igne vulgo audivimus, & *Vario Marte pugnatum*, eruditus est sermo: & *Venerem* quam coitum dixisse magis decet: ita *Liberum* & *Cererem* pro vino & pane [6] licentius, quam ut fori severitas ferat: sicut ex eo quod continet, id quod continetur, usus recipit: ut *bene moratas urbes, & poculum epotum, & sæculum fœlix.* At id quod contra est, raro audeat quis, nisi poëta, -- *Jam proximus ardet Ucalegon.* Nisi forte hoc potius est, à possessore, quod possidetur: ut

1 *Ad portas ruere.*] Alii tamen grammatici ajunt *heterosin* esse *infinitivi* pro *præterito imperfecto.* Fabius subintelligere videtur *cæperunt*, ut & lib. 9. interpretatur. *Idem.*

2 *Aspice, &c.*] *Synecdoche* videtur esse à *signo*, quanquam alia ratione potest esse *allegoria.* Idem.

3 *Cum rei signum est.*] Ut si orator argumentaretur *cadaver esse visum cum tumoribus & livore*, aliud colligeretur, scilicet *veneficium.* Aliud quoque ex alio intellexit Cic. cum dixit de conjuratis, *Vixerunt.* sic enim significavit mortuos esse. quanquam hîc signum non est. *Idem.*

4 *Nec procul ab hoc.*] *Metonymiam* vertit Cornificius *denominationem: ad verbum* dici potest *transnominatio:* sed enim hæc apellatio est grammaticorum. nam thetores *hypallagen* appellant. id est, *summutationem & subalternationem.* quanquam apud grammaticos *hypallage* significat *mutationem verborum* in diversum sensum, ut, *Dare classibus austros.* Idem.

5 *Μετωνυμία, quæ est nominis pro nomine positio.*] Inepta est definitio, ut Vossius ait libro 4. Institut. Oratoriar. cap. 8. 1. p. 113.

6 *Licentius quam ut fori severitas ferat.*] Vide Vossium Institut. Orator. lib. 4. cap. 8. 11. pag. 115.

1 *Ab*

ut *hominem devorari*, cujus patrimonium consumitur. Quo modo fiunt innumerabiles species. Hujus enim sunt generis, *cum ab Annibale cæsa apud Cannas sexaginta millia dicimus.* & apud Tragicos [1] ab Ægialao: & *carmina Virgilii venisse, & venire commeatus qui afferantur:* & *sacrilegium deprehensum*, non sacrilegum: & armorum scientiam habere, non artis. [2] Illud quoque & poëtis & oratoribus frequens, quo eum qui efficit, ex eo quod efficitur, ostendimus. Nam & carminum auctores,

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turres. Et,
Pallentesque habitant morbi, tristisque senectus.

Et orator *præcipitem iram*, *hilarem adolescentiam*, *segne otium* dicit. Est etiam huic tropo quædam cum synecdoche vicinia. [3] Nam cum dico *vultus hominis* pro vultu, dico pluraliter quod singulare est: quod plurale est, singulariter. Sed non id ago, ut unum ex multis intelligatur (nam id est manifestum) sed nomen immuto: ut cum *aurata tecta*, *aurea*, pusillum à vero discedo quia non est nisi pars aurata. Quæ singula persequi, minutioris est curæ etiam non oratorem instituentibus. [4] Ἀντωνομασία, quæ aliquid pro nomine ponit, Poëtis quoque modo frequentissima, & [5] per epitheton quia detracto eo cui apponitur, valet pro nomine, *Tydides*, *Pelides* & ex his quæ in quocunque sunt præcipua,

— *Divûm*

1 *Ab Ægialao.*] Suspicor *Ægialaum* hunc fuisse filium Inachi, à quo sit oppidum conditum *Ægialus* juxta Sicyonem. fuit & alius ejusdem nominis. Igitur Tragici poëtæ dicunt nonnullos ab Ægialao fuisse interfectos, cum tamen intelligant ab ejus exercitu. *Turnebus.*

2 *Illud quoque & poëtis, &c.*] Hanc speciem permulti subjiciunt *epitheto*, cum adjectivum ex suo accipitur effectu. sed enim *epitheton* illud est figuratum, ac subjici potest *metonymiæ*. Idem.

3 *Nam cum dico vultus.*] Ut si diceres, *vultus hominis esse varios & dissimiles*, ita significares *hominum vultum esse discrepantem.* sæpius enim singulari solemus uti, cum de toto rei genere loquimur. *Idem.*

4 Ἀντωνομασία.] Ἀντωνομασία vertitur *pronominatio à* Cornificio: appellatur etiam *exoche.* id est, *excellentia.* fit autem cum quodam veluti extraneo cognomine rem significamus. *Idem.*

5 *Per epitheton.*] Poëtæ solent *Antonomasiam* facere solo *epitheto*, cum patronymicis utuntur detracto substantivo. alioqui si substantivum addatur, jam non *antonomasia* erit, sed *epitheton.* Idem.

— *Divûm pater, atque hominum rex.*

Et ex factis, quibus persona signatur,

— *Thalamo quæ fixa reliquit Impius.* —

Oratoribus etiam si rarus ejus rei, nonnullus tamen usus est. Nam ut *Tydiden & Peliden* non dixerint, ita dixerunt *impium* pro parricida: *everſorem* quoque *Carthaginis & Numantiæ* pro Scipione, & *Romanæ eloquentiæ principem* pro Cicerone posuisse non dubitent. Cicero ipse certe usus est hac libertate: [1] *Non multa peccas*, inquit, *ille fortiſſimo viro ſenior magiſter, & ſi peccas, te regere poſſum.* Neutrum enim nomine positum est, & utrunque intelligitur. [2] Ὀνοματοποιΐα quidem, id est *fictio nominis*, Græcis inter maximas habita virtutes, nobis vix permittitur. Et sunt plurima ita posita ab iis qui sermonem primi fecerunt, aptantes affectibus vocem. Nam *mugitus & ſibilus & murmur* inde venerunt. Deinde tanquam consummata sint omnia, nihil generare audemus ipsi, cum multa quotidie ab antiquis ficta moriantur. Vix illa quæ πλασματώδη vocant, quæ ex vocibus in usum receptis quocunque modo declinantur, nobis permittimus, qualia sunt *ſallaturit*, & *proſcripturit* atque *laureati poſtes*, pro illo, lauro coronati, ex eadem fictione sunt. Sed hoc fœliciter *evaluit*: at contra, *vio* pro eo, infœlicius. [3] In Græcis *obeliſco, coludumo,*

1 *Non multa peccas.*] Exemplum est ex oratione pro Muræna. Raphaël in *fortiſſimo viro*, *Murænam* intelligit: in *ſeniore magiſtro Ciceronem.* Sed ego arbitror hæc verba *Ciceronem* esse mutuatum ab aliquo vetusto auctore, qui hodie ignoretur. ita *antonomaſia* intelligitur, sed quas personas significet, ignoratur. *Idem.*

2 Ὀνοματοποιΐα.] *Onomatopœiam* Cornificius appellat *nominationem*, quam ponit partim in *imitatione*, partim in *ſignificatione.* ejus nomine non solum complectitur Fab. *voces affectibus rerum aptatas*, verum etiam *derivationes quæ fiunt per inflexionem.* Idem.

3 *In Græcis obeliſco.*] Hæc verba *usque ad Eo magis*, *usque adeo* sunt depravata à scribis literarum Græcarum imperitis, ut Fabio egeant interprete. Arbitror tamen initium esse versus alicujus verbis audacioribus scriptum. itaque constabit sensus, sive dicas ineptam fuisse nominum compositionem nimisque licentiosam, sive etiam dicas jucundam esse conjunctionem ex libertate linguæ Græcæ. Quid autem *coludumo* significet, plane ignoratur, nisi forte deducatur à verbo κωλύω. id est, *prohibeo*, & dictione Ionica δῶμος, pro δόμος. id est, *domus.* Videtur tamen esse depravata dictio. *Idem. In Græcis obeliſco coludumo.*] Vide Turneb. Adversar. lib. 12. cap. 11. pag. 390.

1 *Septen-*

dumo, &c. dure etiam jungere vetamur, qui toleranter videre [1] *ſeptentriones* videmur. Eo magis neceſſaria καταχρησις, quam recte dicimus *abuſionem*, quæ non habentibus nomen ſuum, accommodat quod in proximo eſt, ſic, -- *Equum divina Palladis arte Ædificant:* & apud Tragicos, *Et jam* [2] *leo pariet, & pater eſt.* Mille ſunt hæc [3] & *Acetabula* quicquid habet, & [4] *pyxides* cujuſcunque materiæ ſunt. & *parricida*, matris quoque aut fratris interfector. [5] Diſcernendumque eſt hoc totum à tranſlatione genus, quod *abuſio* eſt, ubi nomen defuit: *tranſlatio*, ubi aliud fuit. Nam poëtæ ſolent abuſive etiam in his rebus, quibus nomina ſua ſunt, vicinis potius uti, quod rarum in proſa eſt. [6] Illa quoque quidam καταχρήσεις eſſe volunt, cum pro temeritate *virtus*, aut pro luxuria *liberalitas* dicitur. A quibus hæc quidem diſſonantia ſunt. quod in his non verbum pro verbo ponitur, ſed res pro re. Neque enim putat quiſquam *luxuriam* & *liberalitatem* idem ſignificare: verum id quod fit, alius *luxuriam* eſſe dicit, alius *liberalitatem*: quamvis neutri dubium ſit hæc eſſe diverſa. Supereſt ex his quæ aliter ſignificant, [7] μετάληψις, id eſt *tranſſumptio*, *quæ ex alio in aliud velut viam præſtat:* tropus & rariſſimus, & maxime improprius, Græcis tamen fre-

1 *Septentriones.*] *Teriones* lingua antiqua dicuntur boves, à *terendo.* hinc ſeptem ſtellæ quæ ſunt in plauſtro, quia videntur eſſe boves, *ſeptentriones* appellantur: quæ compoſitio dura eſt, ſed tamen invaluit. quare inde colligit nos non debere in compoſitione tam ſuperſtitioſos eſſe. *Turneb.*

2 *Leo pariet.*] Suſpicari oportet ſumptum eſſe exemplum à vetuſto quodam tragico, cujus tempore in uſu non erat *lœna.* Igitur ille *leonem* pro *lœna* dixit *abuſive.* quocirca alter ſubjecit *leonem marem* eſſe, non *fœminam.* Idem.

3 *Et acetabula.*] *Acetabulum* proprie vaſculum eſt in quo ponitur acetum, Græci *oxybaphon* vocant: per *abuſionem* tamen ſignificat quodcunque vaſculum, & quancunque cavitatem quæ aliquid continet. hinc *acetabula* dicuntur in *polypo*, & in *utero fœminarum cotyledones.* Idem.

4 *Pyxides.*] Nam dicuntur proprie à *buxo*, Græci appellant πύξον, ſed translatio fit etiam per *ſimilitudinem*, ubi non ſunt nomina. *Idem.*

5 *Diſcernendumque eſt hoc totum.*] Locus hic declaratur à Franc. Luiſino, Parerg. lib. 2. cap. 2. p. 457. 478. Lamp. Critic. Part. III.

6 *Illa quoque.*] Antea Fab. appellavit hanc figuram nominum derivationem, quæ *catachreſis* non eſt. eſt enim catachreſis *in verbo*, hæc autem *in re.* Idem.

7 Μετάληψις.] *Metalepſis* eſt, quæ non ſtatim, ſed per quoſdam gradus ad id nos deducit quod ſignificatur: ut, *ſpeluncis abdidit atris.* Turneb.

1 *Qui*

frequentior, [1] qui *Centaurum Chirona*, & νήσους ἠχὰς [2] ὀξείας dicunt. Nos qui ferat, si *Verrem*, *suem*: aut *Lælium*, *doctum* nominemus? Est enim hæc in metalepsi natura, ut inter id quod transfertur, sit medius quidam gradus, nihil ipse significans, sed præbens transitum: quem tropum magis affectamus, ut habere videamur, quam ut ullo in loco desideremus. Nam ejus frequentissimum exemplum est, *cano*, *canto*, *dico*: *ita cano*, *dico*. Item est medium illud *cano*. Nec diutius in eo morandum: nihil enim usus admodum video, nisi, ut dixi, in mediis. [3] Cætera jam non significandi gratia, sed ad ornandam modo, non augendam orationem assumuntur. Ornat enim ἐπίθετον, quod recte diximus appositum: à nonnullis sequens dicitur. Eo poëtæ & frequentius & liberius utuntur: Nanque illis satis est convenire verbo cui apponitur: & ita *dentes albi*, & *humida vina* in his non reprehenduntur. Apud oratorem, nisi aliquid efficitur, redundat. Tum autem efficitur, si sine illo quod dicitur minus est: qualia sunt, *O scelus abominandum*, *ô deformem libidinem*. Exornatur autem res tota maxime translationibus, *Cupiditas effrenata*, &, *Insanæ substructiones*. [4] Et solet fieri aliis adjunctis epitheton tropis, ut apud Virgilium, *Turpis egestas*, *& Tristis senectus*. Veruntamen talis est ratio hujusce virtutis, ut sine appositis nuda sit & velut incompta oratio. Ne oneretur tamen multis. nam fit longa & impedita, ut in quæstionibus eam judices similem agmini totidem lixas habenti, quot milites quoque, in quo & numerus est duplex, nec

1 *Qui Centaurum Chirona.*] Hic locus depravatus erat, sed ita ex conjectura repositus est à Raphaële: quam bene, viderit. *Metalepsis* erit, *si Chiron Centaurus appelletur, propterea quod sit peritus equestris disciplinæ.* Idem.

2 Ὀξείας.] Quia figura acuta aptior est ad *velocitatem*. magis enim findere potest aërem. *Idem.*

3 *Cætera jam non.*] *Epitheta* commode usurpata non solum ornant orationem, sed eam interim augent: non tamen passim debet esse eorum usus. Itaque Arist. *frigida Alcidamantis epitheta* reprehendit, quod illis uteretur non ut *condimentis*, sed ut *cibis*. Idem.

4 *Et solet fieri.*] *Epitheton* solum si per se consideres, vix *tropus* esse videbitur, quia nullam habet mutationem: sed aliis *tropis* adjunctis, *tropus* efficitur. itaque nonnunquam habet *metaphoram*, interdum *metonymiam*, nonnunquam *antonomasiam*. Idem.

nec duplum virium: quanquam non singula modo, sed etiam plura verba apponi solent: ut,

Conjugio Anchisæ Veneris dignate superbo.

Sed hoc quoque modo duo verba uni apposita, ne versum quidem decuerint. Sunt autem quibus non videatur hic omnino tropus, quia nihil vertat. Necesse est enim semper: ut id quod est appositum, si à proprio diviseris, per se significet, & faciat *antonomasiam*. Nam si dicas, *Ille qui Carthaginem & Numantiam evertit*, antonomasia est: si adjeceris *Scipio*, appositum. Non potest ergo non esse junctum. [1] At ἀλληγορία, quam *inversionem* interpretamur, aliud verbis, aliud sensu ostendit, ac etiam interim contrarium. Prius, ut,

O navis referent in mare te novi
Fluctus: ô quid agis? fortiter occupa Portum.

totusque etiam ille Horatii locus, quo *navim* pro republica, *fluctuum tempestates* pro bellis civilibus, *portum* pro pace atque concordia dicit. Tale Lucretius,

[2] *Avia Pieridum peragro loca. --*

& Virgilius,

Sed nos immensum spatiis confecimus æquor:
Et jam tempus equûm spumantia solvere colla.

Sine translatione vero in Bucolicis,

[3] *Certe equidem audieram, qua se subducere colles*
Incipiunt, mollique jugum demittere clivo,
Usque ad aquam, & veteris jam fracta cacumina fagi,
Omnia carminibus vestrum servasse Menalcam.

Hoc

1 *At* ἀλληγορία] *Allegoriam* vertit *permutationem* Cornificius. est autem ea, *cum aliud verba dicunt, & alia colligitur sententia.* Fab. *inversionem* interpretatur: ejus etiam nomine complectitur *ironiam*, & omnes ejus species. *Idem. At Allegoria, &c.*] Errat, cum ait, allegoriam proprio quoque sermone constare posse. Vide Vossium Institut. Orator. lib. 4. p. 194.

2 *Avia Pieridum, &c.*] *Allegorice* significat Lucretius se primum philosophiam naturalem apud Latinos carmine perscribere, quæ hactenus prioribus fuisset illabata. *Turneb.*

3 *Certe equidem audieram.*] His carminibus significat rusticus *Virgilium* sua poësi agros suos recepisse, quos in calamitate Mantuanorum Arrius occupaverat. *Idem.*

Hoc enim loco præter nomen cætera propriis decisa sunt verbis: verum *non pastor Menalcas*, sed *Virgilius* est intelligendus. Habet usum talis allegoriæ frequenter oratio, sed raro totius: plerunque apertis permista est. Tota apud Ciceronem talis. *Hoc miror enim, querorque, quenquam hominem ita pessundare alterum verbis velle, ut etiam* [1] *navem perforet in qua ipse naviget.* Illud commistum frequentissimum. *Equidem cæteras tempestates & procellas in illis duntaxat fluctibus concionum semper Miloni putavi esse subeundas.* Nisi adjecisset duntaxat *fluctibus concionum*, esset allegoria: nunc eam miscuit. Quo in genere & species ex arcessitis verbis venit, & intellectus ex propriis. Illud vero longe speciosissimum genus orationis, in quo trium permista est gratia, similitudinis, allegoriæ, & translationis: *Quod fretum,* [2] *quem Euripum, tot motus, tantas, tam varias habere creditis agitationes, commutationes, fluctus, quantas perturbationes, & quantos æstus habet ratio comitiorum? Dies intermissus unus, aut nox interposita sæpe & perturbat omnia, & totam opinionem parva nonnunquam commutat aura rumoris.* [3] Nam id quoque in primis est custodiendum, ut quo ex genere cœperis translationis, hoc desinas. Multi enim cum initium à tempestate sumpserunt, incendio aut ruina finiunt: quæ est inconsequentia rerum fœdissima. Cæterum *allegoria* parvis quoque ingeniis, & quotidiano sermoni frequentissime servit. nam illa in agendis causis jam detrita, *Pedem conferre, & Jugulum petere,* & [4] *Sanguinem mittere*, inde sunt: nec offendunt tamen. Est enim grata in eloquendo novitas, & commutatio: & magis

1 *Navem perforet.*] *Navem perforare* est, *tanto studio velle alteri nocere ut interim tibi ipsi etiam obsis.* ducta est *allegoria* ab æquali periculo navigantium, & eorum qui sunt in eadem navi. *Idem.*

2 *Quem Euripum.*] *Euripus* appellatur *mare angustum quod sæpius fluit & refluit:* intelligitur tamen potissimum de *Euboico Euripo*, qui refluit septies. *Idem.*

3 *Nam id quoque.*] Hoc præceptum pertinet ad *metaphoram* & *allegoriam.* in his enim oportet continuare translationes, & non ab una ad aliam transire, alioqui incidemus in *κοινισμόν*. *Idem.*

4 *Sanguinem mittere.*] Aliquoties usus est Cic. in epist. ad Atticum, significat autem *debilitare maxime adversarium*, & *ejus argumentationes solutionibus frangere. Metaphora* ducta est à *venæ incisione*, quæ debilitat. Erasmus putat duci à *militibus*,

magis inopinata delectant. Ideoque jam in his amisimus modum, & gratiam rei nimia captatione consumpsimus. [1] Est in exemplis *allegoria*, si non prædicta ratione ponantur. [2] Nam *ut Dionysium Corinthi esse*, quo Græci omnes utuntur, ita plura similia dici possunt. Hæc allegoria quæ est obscurior, *ænigma* dicitur: vitium meo quidem judicio, si quidem dicere dilucide, virtus: quo tamen & poëtæ utuntur,

[3] *Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,*
Tres pateat cœli spatium non amplius ulnas?

Et oratores nonnunquam: [4] ut, Cœlius [5] *quadrantariam Clytæmnestram* [6] *in triclinio choam*, [7] *in cubiculo nolam*. Nanque & nunc quædam solvuntur, & tum erant notiora cum dicerentur, & *ænigmata* sunt tamen, nec ea, nisi quis interpretetur, intelligas. In eo vero genere quo contraria ostenduntur, [8] *ironia est: illusionem* vocant: quæ aut pronuntiatione intelligitur, aut persona, aut rei natura: nam si qua earum verbis

bus, quibus olim ignominiæ causa sanguis mittebatur. *Idem.*

1 *Est in exemplis allegoria.*] Sensus est, exempla plerunque in *allegoriam* incidere, si ita constricta ponantur ut ratio historiæ non exprimatur: ut *Lacedæmonii Philippo responderunt bellum minitanti, Dionysium esse Corinthi*, quo significabant fortunæ vicissitudinem & mutationem. Dionysius enim Siculorum tyrannus, regno expulsus, Corinthi musicam & literas docuit. *Idem.*

2 *Nam, &c.*] Vide Erasmum in adagio, Dionysius Corinthi.

3 *Dic quibus, &c.*] Virgilius semel interrogatus dixit hos versus se posuisse ut grammaticos torqueret. *interpretantur ænigma de puteo, tantum enim illic apparet cœli, quanta est putei latitudo.* Turneb.

4 *Ut Cœlius quadrantariam.*] Fr. Robortell. Miscell. de Nomin. pag. 1404. Lamp. Crit. Part. 1. Car. Sigonius p. 257. Lamp. Crit. Part. 11. & Joh. Brodæus Miscell. lib. 3. cap. 24. pag. 503. Cœlius Rhodigin. Antiq. Lect. l. 18. c. 16. pag. 844.

5 *Quadrantariam.*] Per Clytæmnestram *quadrantariam* allegorice intelligitur mulier adultera. nam *quadrans* precium olim erat libidinis, quod meretrici dabatur. Unde soror Clodii *quadrans* est appellata, quod adolescens quidam in ejus loculos immisisset *quadrantes*, id est, *precium concubitus*, ut ait Plutarch. *Turneb.* Vide Cœlium l. 10. c. 16. & An. Alciat. parerg. l. 2. c. 12.

6 *In triclinio choam.*] Dicitur de homine bibaci & vinoso, qui *plenam choam* semper habeat, & uno haustu ebibat. capit autem *fex cotylas*. Turnebus.

7 *In cubiculo nolam.*] Dicitur de homine *strepero, loquaci, & futili*, qui domi semper garriat, nec aliter sonet quam *tintinnabulum*. est autem *nola*, quam vulgo appellamus *campanam*. Idem.

8 *Ironia est: illusionem vocat.*] Errat, quod Ironiam schema facit. item cum

verbis dissentit, apparet diversam esse orationi voluntatem. [2] quanquam in plurimis id tropis accidit, ut interest quid de quo dicatur: quia (quod dicitur alibi) verum est, aut laudi simulatione detrahere aut vituperationi laude concessum esse: quale est quod C. *Verres prætor urbanus homo sanctus & diligens, subsortitionem ejus eo die non haberet.* Et contra, *oratores visi sumus, & populo imposuimus.* Aliquando cum risu quodam contraria dicuntur iis quæ intelligi volunt. quemadmodum in Clodium, *Integritas tua te purgavit, mihi crede, pudor eripuit, vita anteacta servavit.* [2] Præter hæc usus est allegoriæ, ut tristia dicamus melioribus verbis, aut bonæ rei gratia quædam contrariis significemus, aliud textu: quæ & enumeravimus. Hæc siquis profecto ignorat, quibus Græci nominibus appellent σαρκασμὸν, ἀστεϊσμὸν, ἀντίφρασιν, παροιμίαν dici sciat. Sunt etiam qui hæc non species allegoriæ, sed ipsa tropos dicunt: acri quidem ratione, quod illa obscurior sit, & in his omnibus aperte appareat quid velimus. [3] Cui accedit hoc quoque, quod genus cum dividitur in species, nihil habet proprium: ut arboris species sunt *pinus*, & *olea*, & *cupressus*, & ipsius per se nulla proprietas: *Allegoria* vero habeat aliquid proprium. quod quo modo fieri potest, nisi ipsa species est? Sed ad utendum nihil refert. Adjicitur his [4] μυκτηρισμὸς, simulatus quidem, sed non latens derisus.

Pluribus

eam reponit inter species allegoriæ. Vide Vossium Institut. Orator. lib. 4. p. 195.

1 *Quanquam id in plurimis.*] Significat *ironiam* multis modis fieri, ut per *sarcasmum*, *asteismum*, *antiphrasim*, tamen quod attinet ad personam, *ironiam* positam esse in *laudis* simulatione aut *vituperationis*: quanquam id in rebus etiam intelligi potest. *Idem.*

2 *Præter hæc.*] Species est *allegoriæ* σαρκασμὸς, quam accipit pro *charientismo* Fabius, *cum tristia melioribus verbis enuntiamus, aut etiam fœditatem tegimus cum quodam risu.* Præterea est ἀστεϊσμὸς, *ingenua quædam urbanitas*, quam significavit Fab. cum dixit, *aut bonæ rei gratia.* Adjicitur ἀντίφρασις, *quæ per contrarium significat.* est & paroemia, *quæ habet proverbii vulgaris usurpationem.* Idem.

3 *Cui accedit.*] Tota generis proprietas est in ipsis omnibus speciebus: at proprietas *allegoriæ* non est in *sarcasmo*, *asteismo*, & cæteris. itaque *allegoria* non est *genus*, sed duntaxat *species.* Idem.

4 *Μυκτηρισμὸς.*] Joh. Brodæus Miscellan. lib. 4. cap. 32. p. 530. Lamp. Critic. Part. 11. Lud. Cresollius Vacat. Autumn. lib. 2. cap. 6. sect. 3. p. 203.

1 Περιστο-

Pluribus autem verbis cum id quod uno aut paucioribus certe dici poteſt explicatur, περίφρασιν, vocant, *circuitum loquendi*, qui nonnunquam neceſſitatem habet quoties dictu deformia operit: Salluſtius, *Ad requiſita naturæ.* Interim ornatum petit ſolum, qui eſt apud poëtas frequentiſſimus: ut,

Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, & dono divum gratiſſima ſerpit.

Et apud oratores non rarus, ſemper tamen adſtrictior. Quicquid enim ſignificari brevius poteſt, & cum ornatu latius oſtenditur, περίφρασις eſt: cui nomen latine datum eſt, non ſane orationis aptum virtuti, *circunlocutio.* Verum hæc ut cum decorum habet, *periphraſis:* ita cum in vitium incidit, [1] περισσολογία, dicitur. *Obſtat enim quicquid non adjuvat.* [2] *Hyperbaton* quoque, id eſt *verbi tranſgreſſionem*, quam frequenter ratio [3] comparationis & decor poſcit, non immerito inter virtutes habemus. Fit enim frequentiſſime aſpera & dura, & diſſoluta & hians oratio, ſi ad neceſſitatem ordinis ſui verba redigantur, & ut quodque oritur, ita proximis etiamſi vinciri non poteſt, alligetur. Differenda igitur quædam, & præſumenda, atque ut in ſtructuris lapidum impolitiorum, loco quo convenit quicque ponendum. Non enim recidere ea, nec polire poſſumus, quæ coagmentata, ſe magis jungant, ſed utendum his qualia ſunt, eligendæque ſedes. Nec aliud poteſt ſermonem facere numeroſum, quam oportuna ordinis mutatio. [4] Neque alio, κατέβην εἰς πειραῖα,

1 Περισσολογία.] Duo vitia ſunt finitima *periphraſi*, *macrologia*, id eſt, *ſermo longior* quam oporteat, & *periſſologia*, id eſt, *ſuperfluus ſermo:* ut apud Virg. *in faciem mutatus & ora Cupido.* nam poſterior dictio vacat. *Turneb.*

2 Ὑπέρβατον *quoque.*] *Hyperbaton* quoddam vitioſum eſt, de quo locutus eſt in cap. de *perſpicuitate*: quoddam vero laudatur, ut *virtus*, cum orationem non reddit obſcuriorem, & tamen eam efficit numeroſiorem. itaque pertinet ad genus orationis illud quod dicitur verſum atque mutatum à Cicerone. fit autem *perverſione* atque *trajectione.* Idem.

3 *Comparationis.*] Dan. *compoſitionis.*

4 *Neque alio*, κατέβην, &c.] Principium eſt librorum Platonis de Republica, *Deſcendi heri in Piræum cum Glaucone Ariſtonis filio*, ſed enim verba iſta varie in exemplaribus leguntur, quo quidem colligimus Platonem varie ordinem mutaſſe, ac variam lectionem in αὐτογράφοις reliquiſſe, uſque adeo

 curioſus

περιαῖα, Platonis inventa sunt quatuor illa verba, quibus in illo pulcherrimo operum in Piræum descendisse significat, plurimis modis scripta, quod eum quoque maximi facere experiretur. Verum id cum duobus verbis fit, ἀναστροφὴ dicitur, *reversio* quædam, qualia sunt vulgo, *Mecum*, *secum*: apud oratores & historicos, *Quibus de rebus.* [1] At cum decoris gratia contrahitur longius verbum, proprie *hyperbati* tenet nomen: ut, *Animadverti judices, omnem accusatoris orationem in duas divisam esse partes. Nam in duas partes divisam esse, rectum erat, sed durum & incomptum.* Poëtæ quidem etiam verborum divisionem faciunt, & transgressionem.

— Hyperboreo septem subjecta trioni.

[2] quod oratio nequaquam recipiet. [3] At id quidem est propter quod cum dicitur, *tropus* fit, quia componendus est è duobus intellectibus. Alioqui ubi nihil ex significatione mutandum est, & structura sola variatur, *figura* potius *verborum* dici potest: sicut multi narrationem longis mutant hyperbatis. [4] Ex confusis quæ vitia accidunt, suo loco diximus. *Hyperbolen* audacioris ornatus summo loco posui. Est hæc ementiens superjectio. Virtus ejus ex diverso par augendi atque minuendi. Fit pluribus modis. Aut enim plus facto dicimus, *Vomens fustis esculentis gremium suum & totum tribunal implevit.*

-- Geminique minantur In cœlum scopuli.

Aut res per similitudinem attollimus:

-- Credas innare revulsas Cycladas.

Aut

curiosus erat in ordinis mutatione. *Turneb.*

1 *At cum decoris gratia.*] Hæc species à Cornificio appellatur *trajectio*, quando longior fit verborum transgressio. superior dicitur *perversio.* Idem.

2 *Quod oratio nequaquam, &c.*] Tamen quædam reperiuntur tmeses apud Ciceronem, ut, *per mihi gratum, perque jucundum:* &, *quem illa cunque locum*, sed tamen raræ sunt. Idem.

3 *At id quidem.*] *Hyperbaton* illud poëticum quod fit per *divisionem* & *transgressionem*, *tropus* esse videtur, quia mutat significationem & naturam dictionis. At *hyperbaton* illud oratorium quod est in trajectione, non tam videtur esse *tropus* quam *figura*, quia non mutatur *sermo*, sed duntaxat *structura.* Idem.

4 *Ex confusis.*] Intelligit *synchysin*, de qua locutus est in cap. de *perspicuitate.* est enim semper vitiosa, quia efficit obscuritatem, verborum mixtura. *Idem.*

1 *Illa*

Aut per comparationem: ut,

-- Fulminis ocyor aliis.

Aut signis quasi quibusdam,

[1] *Illa vel intactæ segetis per summa volaret*
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas.

Vel translatione, ut ipsum illud *volaret*. Crescit interim hyperbole, alia insuper addita: ut Cicero in Antonium dicit, *Quæ Charybdis tam vorax? Charybdin dico? quæ si fuit, fuit animal unum: Oceanus medius. fidius vix videtur tot res, tam dissipatas, tam distantibus in locis positas, tam cito absorbere potuisse.* Exquisitam vero figuram hujus rei deprehendisse apud principem Lyricorum Pindarum videor in libro quem inscripsit ὕμνους. Is nanque *Herculis impetum* [2] *adversus Meropas*, qui in insula Co dicuntur habitasse, non igni, nec ventis, nec mari, sed *fulmini dicit similem fuisse*: ut illa minora, hoc par esset. Quod imitatus Cicero, illa composuit in Verrem, *Versabatur in Sicilia longo intervallo non Dionysius ille, nec Phalaris* (tulit enim illa quondam insula multos & crudeles tyrannos) *sed novum quoddam monstrum ex vetere illa immanitate, quæ in iisdem versata locis dicitur. Non enim Charybdin tam infestam neque Scyllam navibus, quam istum in eodem freto fuisse arbitror.* Nec pauciora sunt genera minuendi.

-- Vix ossibus hærent.

Et quod Cicero in quodam joculari libello,

[3] *Fundum Varro vocat, quem possim mittere funda:*
Ni tamen exciderit qua cava funda patet.

Sed hujus quoque rei servetur mensura quædam. Quamvis enim est omnis *hyperbole* ultra fidem: non tamen esse debet ultra

1 *Illa vel intactæ.*] His versibus significat maximam *celeritatem* & *levitatem* Camillæ *Virgilius*. sic enim colligit signo: quod tamen est *hyperbolicum*. Idem.

2 *Adversus Meropas.*] *Meropes* homines fuerunt orti à *Merope gigante*, habitantes in *Co* insula una *Cycladum*, à quibus est dicta *Meropis*, eos sustulit *Hercules*. Idem.

3 *Fundum Varro vocat.*] *Varro fundum appellatum esse censuit à funda.* itaque Cic. jocatur, extenuando *hyperbolicôs*, quasi *fundus sit tam exiguus & parvus ut more lapidis possit projici*. Idem.

ultra modum: nec alia via magis in κακοζηλίαν itur. Piget referre plurima hinc orta vitia, cum præsertim minime sint ignota & obscura. Monere satis est, mentiri *hyperbolen*, nec ita, ut mendacio fallere. Quo magis intuendum est, quousque deceat extollere quod nobis non creditur. [1] Pervenit hæc res frequentissime ad risum: qui si captatus est, *urbanitatis*: sin aliter, *stultitiæ* nomen assequitur. Est autem in usu vulgo quoque & inter eruditos, & apud rusticos, videlicet quia natura est omnibus *augendi res vel minuendi* cupiditas insita, nec quisquam vero contentus est. Sed ignoscitur, quia non affirmamus. Tum est *hyperbole* virtus, cum res ipsa de qua loquendum est, naturalem modum excessit. Conceditur enim amplius dicere, quia dici quantum est, non potest: meliusque ultra quam citra stat oratio. Sed de hoc satis, quia eundem locum plenius in eo libro quo *causssas corruptæ eloquentiæ* reddebamus, tractavimus.

1 *Pervenit hæc res.*] Lib. 6. Fabius docuit, sæpenumero ab *hyperbole* ridicula nasci. *Idem.*

M. Fab.

M. Fab. Quintiliani De Institutione Oratoria Liber Nonus.

Cap. I.

Quo differant figuræ à tropis.

CUM sit proximo libro *de tropis* dictum, sequitur pertinens ad figuras, quæ *schemata* Græce vocantur, locus, ipsa rei natura conjunctus superiori. Nam plerique has *tropos* esse existimarunt, [1] quia sive ex hoc duxerint nomen, quod sint formati quodam modo: sive ex eo quod vertant orationem, unde & *motus* dicuntur: fatendum erit esse utrunque eorum etiam in figuris. Usus quoque est idem. nam & vim rebus adjiciunt, & gratiam præstant. Nec desunt qui tropis *figuræ* nomen imponant, quorum est C. Artorius Proculus. Quin adeo similitudo manifesta est, ut eam discernere non sit in promptu. Nam quo modo quædam in his speciebus plane distant, manente tamen generali illa societate, quod utraque res à recta & simplici ratione cum aliqua dicendi virtute deflectitur: ita quædam perquam tenui limite dividuntur: [2] ut cum *ironia* tam inter figuras sententiæ, quam inter *tropos* reperiatur. ἀλληγορίαν autem, & ὑπόνοιαν, & ὀνοματοποιΐαν, & ἐπιθετον, 1

PErsequitur reliquas ornatus partes, *figuras* & *compositionem*. initio docet quid *figura* differat à *tropo*, deinde agit de *figuris sententiarum* & *verborum*, postremo de *compositione*. Turneb.

1 *Quia sive ex hoc, &c.*] *Tropus* græce significat *mores* & *modum*. id est, *quandam conformationem*. idcirco Fab. *tropum dixit esse quasi formatum*. significat etiam *mutationem*, ideoque *motum* interpretatur Fabius. locus est ab etymologia. *Idem*.

2 *Ut cum ironia, &c.*] *Ironia* est duplex. est enim quædam *tropus*, quædam *figura*. *tropus est, cum aliud dicitur, & aliud intelligitur, citra tamen simulationem manifestam: figura est, cum tota voluntas simulatur & fingitur*. ista autem perquam tenui limite discrepant. *Idem*.

ἐπίθετον, clari quoque auctores [1] *figuras* verborum potius quam *tropos* dixerunt. Quo magis signanda est utriusque rei differentia. [2] Est *igitur tropus sermo à naturali & principali significatione translatus ad aliam ornandæ orationis gratia:* vel, (ut plerique Grammatici finiunt) *dictio ab eo loco in quo propria est, translata in eum in quo propria non est. Figura* (sicut nomine ipso patet) *est conformatio quædam orationis remota à communi & primum se offerente ratione.* Quare in tropis ponuntur verba alia pro aliis, ut in μεταφορᾷ, μετωνυμίᾳ, ἀντονομασίᾳ, μεταλήψει, συνεκδοχῇ, καταχρήσει, [3] ἀλληγορίᾳ, plerunque ὑπερβολῇ. namque & rebus fit, & verbis. ὀνοματοποιΐα fictio est nominis. ergo hoc quoque pro aliis ponitur, quibus usuri fuimus, si illud non fingeremus. περίφρασις etiamsi frequenter & id ipsum in cujus locum assumitur, nomen complecti solet, utitur tamen pluribus pro uno. ἐπίθετον quoniam plerunque habet [4] *antonomasiæ* partem, conjunctione ejus fit *tropus.* In *hyperbato* commutatio est ordinis: ideoque multi tropis hoc genus eximunt. Transfert tamen verbum aut partem ejus à suo loco in alienum. [5] Horum nihil in figuras cadit. Nam & propriis verbis, & ordine collocatis figura fieri potest. Quomodo autem *ironia* alia sit tropi, alia schematis, suo loco reddam. Nomine enim fateor esse communia hæc, & scio quam multiplicem habeant, quamque scrupulosam disputationem: sed ea non pertinet ad præsens meum propositum. Nihil

1 *Figuras verborum potius, &c.*] Videntur potius esse *figuræ* quam *tropi*, quia non habent mutationem vocabuli à propria significatione in aliam minus propriam. sed tamen hoc solvetur à Fabio. *Idem.*

2 *Est igitur tropus.*] Præter hanc differentiam, aliam addit Alexander Numenius, quod scilicet *tropus* sit in *dictione*, *figura* autem sit in *oratione*: quo pacto in vitiis differunt *barbarismus* & *solœcismus*. quanquam Fab. *tropum* etiam esse vult in sermone. Discrimen est datum ex definitione per differentiam. *Idem.*

3 Ἀλληγορίᾳ.] Nam *allegoria* interdum est in *verbis*, ut cum sunt multæ metaphoræ continuatæ: aliquando vero est in *rebus*, ut cum quidam gryphi proponuntur & quædam ænigmata. *Idem.*

4 *Antonomasiæ.*] *Epitheton* appellant *antonomasiæ* partem, quia species quædam *antonomasiæ* fit per *epitheton*: adeoque si *epitheton* ponitur sine substantivo, *antonomasiam* efficit, ut docuit lib. 8. *Idem.*

5 *Horum nihil.*] Ita significat *tropum* non solum esse in mutatione significationis propriæ in alienam, sed etiam simpliciter in mutatione vocis, aut in mutatione ordinis vocum. *Idem.*

1 *Tam*

Nihil enim refert quo modo appelletur utrumlibet eorum, si quid orationi prosit, apparet. Nec mutatur vocabulis vis rerum. Et sicut homines si aliud acceperunt quam quod habuerant nomen, iidem sunt tamen: ita hæc de quibus loquimur, sive *tropi*, sive *figuræ* dicentur, idem efficient. Non enim nominibus prosunt, sed effectibus: ut statum conjecturalem, an *inficialem*, an *facti*, an *substantiæ*, an *de substantia* nominemus, nihil interest, dum idem quæri sciamus. Optimum ergo in his sequi maxime recepta, & rem ipsam quocunque appellabitur modo, intelligi. Illud tamen notandum, coire frequenter in easdem sententias & *tropon* & *figuram*. [1] Tam enim translatis verbis quam propriis figuratur oratio. Est autem non mediocris inter auctores dissensio, & quæ vis nominis ejus, [2] & quot genera, & quæ quam multæque sint species. Quare primum intuendum est, quid accipere debeamus figuram. Nam duobus modis dicitur: [3] Uno, qualiscunque forma sententiæ, sicut in corporibus, quibus, quoquo modo sint composita, utique habitus est aliquis: Altero, quo proprie *schema* dicitur, in sensu vel sermone aliqua à vulgari simplici specie cum ratione mutatio: sicut nos *sedemus*, *incumbimus*, *respicimus*. Itaque cum in eosdem casus, aut tempora, aut numeros, aut etiam pedes, continuo quis aut certe nimium frequenter incurrit, præcipere solemus variandas figuras esse vitandæ similitudinis gratia. In quo ita loquimur, tanquam omnis sermo habeat figuram. [4] Itemque eadem figura dicimus *cursitare*, qua

1 *Tam enim translatis.*] Non id ait, quod *tropus* sit species figuræ, sed quia dictiones *tropo* mutatæ ita collocari poterunt in oratione ut efficiant aliquam figuram. *Idem.*

2 *Et quot genera.*] Refert enim Alexander Numenius quosdam existimasse *infinitas esse figurarum species*: in qua videtur esse sententia Cic. Addit præterea Alexander quosdam existimasse *non esse infinitas*, sed tamen usque adeo numerosas ut comprehendi non possent. *Idem.*

3 *Uno qualiscunque forma.*] Jubent *dialectici* in homonymia, *ut rem ante distinguamus, ut constituatur quid accipi debeat*: idem facit Fabius, cum sit homonyma dictio figuræ. *Idem.*

4 *Itemque eadem figura.*] *Figura* hic accipi videtur pro *analogia ac simili derivatione inflexioneque.* referri tamen potest ad secundam speciem, quando efficit *homœoteleuton.* Idem.

1 *Incom-*

qua *lectitare*, id est eadem ratione declinari. Quare illo intellectu priore & communi nihil non figuratum est. Quo si contenti sumus, non immerito Apollodorus si tradenti Cæcilio credimus, [1] incomprehensibilia partis hujus præcepta existimavit. Sed si habitus quidam, & quasi gestus sic appellandi sunt, id demum hoc loco accipi *schema* oportebit, quod sit à simplici atque in promptu posito dicendi modo poëtice vel oratorie mutatum. [2] Sic enim verum erit aliam esse orationem ἀσχημάτιστον, id est carentem figuris, quod vitium non inter minima est: [3] aliam ἐσχηματισμένην, id est *figuratam*. [4] Verum id ipsum anguste Zoilus terminavit, qui id solum putaverit *schema*, quo aliud simulatur dici, quam dicitur: quod sane vulgo quoque sic accipi scio: unde & [5] figuratæ controversiæ quædam, de quibus paulo post dicam, vocantur. Ergo figura sit arte aliqua novata forma dicendi. Genus ejus unum quidam putaverunt, in hoc ipso diversas opiniones secuti. Nam hi quia verborum mutatio sensus quoque verteret, omnes figuras in verbis esse dixerunt: illi quia verba rebus accommodarentur, omnes in sensibus. Quarum utraque manifesta cavillatio est. [6] Nam ut eadem dici solent aliter atque aliter, manetque sensus elocutione

1 *Incomprehensibilia partis hujus, &c.*] In eadem est opinione *Dionysius Halicar. in arte.* Cœcilium citat, qui rhetoricam est professus Romæ tempore Augusti. *Idem.*

2 *Sic enim verum.*] Ἀσχημάτιστον dupliciter accipimus, *aut quod male figuratum est, aut quod nullas omnino figuras habet.* meminit hujus in cap. de ornatu. *Idem.*

3 *Aliam ἐσχηματισμένην.*] Id est figuratam. Vide Turneb. lib. XI. Adversarior. cap. 1.

4 *Verum id ipsum.*] Superiores peccabant quia latius *figuram* accipiebant quam deceret, Zoilus peccat quia angustius. cujus apud Alexandrum Numenium hæc est definitio, *Figura est, cum aliud simulamus, aliud dicimus.* attamen (ut inquit Alexander) apud nos aliquando addubitamus figurate citra simulationem: aliquando quoque utimur aversione non simulantes. *Turneb.*

5 *Figuratæ controver.*] *Figuratæ controversiæ* sunt, quæ non simplici & recto ductu tractantur, sed per simulationem quandam & insinuationem fiunt, aut per contrarium, per *emphasim*, & ex obliquo. auctor Hermogenes *lib. 4. de inventione.* Idem.

6 *Nam ut eadem.*] Colligit duo genera *figurarum*, atque ita confutat cavillationem superiorem. nam *figura est in sensu*, si remanet mutatis verbis: *est autem in dictione*, si mutatis verbis perit. *Idem.*

1 *Figu-*

cutione mutata: ita & figura sententiæ, plures habere verborum figuras potest. Illa est enim posita in concipienda cogitatione, hæc in enuntianda: sed frequentissime coëunt: ut in hoc, *Nemo jam jam Dolabella neque tui, neque tuorum liberûm.* Nam oratio à judice aversa, in sententia: *jam jam, & liberûm*, in verbis sunt schemata. Inter plurimos enim, quod sciam, consensum est duas ejus esse partes: διανοίας, id est *mentis*, vel *sensus*, vel *sententiarum*, nam iis omnibus modis dictum est: & λέξεως, id est *verborum*, vel dictionis, vel elocutionis vel sermonis, vel orationis. nam & variatur, & nihil refert. Cornelius tamen Celsus adjicit verbis & sententiis [1] *figuras colorum:* nimia profecto novitatis cupiditate ductus. Nam quis ignorasse eruditum alioqui virum credat colores & sententias sensus esse? Quare sicut omnem orationem, ita figuras quoque versari necesse est in sensu, & in verbis. [2] Ut vero natura prius est concipere animo res, quam enuntiare: ita de iis figuris ante loquendum est, quæ ad mentem pertinent: quarum quidem utilitas cum magna, tum multiplex, in nullo non orationis opere vel clarissime elucet. Nam etsi minime videtur pertinere ad *probationem*, qua figura quicque dicatur, facit tamen credibilia quæ dicimus, & in animos judicum qua non observatur irrepit. [3] Namque ut in armorum certamine adversos ictus,

1 *Figuras colorum.*] *Figuras colorum* appellat eas, quibus uti solemus cum probabilem afferimus causam rei alioqui turpis. sed enim *figuræ colorum* referri debent ad *figuras sententiarum.* Idem.

2 *Ut vero natura.*] Idem testantur etiam *dialectici*, priores esse animi conceptiones, quoniam verba ad animi conceptiones significandas adhibentur. itaque in tractando sequitur Fab. *naturæ ordinem.* Idem.

3 *Namque ut in armorum certamine, &c. & arma avocare & velut nutu fallere.*] Vulgo *advocare*, male. At *avocare arma* eleganter in armorum certamine is dicitur, qui conlato pede cum adversario, si quam corporis partem armis tectam observat, non in eum dirigit ictum, sed aliam se petere velle fingit. tum adversario se aperiente & illam partem nudante, ut in aliam quam peti videt, arma transferat, ibique se protegat; hic avocatis adversarii armis, repente & necopinanter, non eam partem cui minabatur ictum, sed eam quam detexit adversarius; tecti *fictionem* etiam hodie vocamus in armorum ludo, ejusmodi armorum avocationem. *Salmasius* 59.

ictus, [1] & rectas ac simplices manus cum videre, tum etiam cavere ac propulsare facile est: aversæ tectæque minus sunt observabiles: & aliud ostendisse quam petas, artis est: sic oratio quæ astu caret, pondere, [2] mole, & impulsu præliatur: simulant, variantque conatus, in latera atque in terga incurrere datur, & arma advocare, & velut nutu fallere. [3] Jam vero affectus nihil magis ducit. Nam si frons, oculi, manus multum ad motum animorum valent, quanto plus orationis ipsius vultus ad id quod intendimus efficere, compositus? [4] Plurimum tamen ad commendationem facit, sive in conciliandis agentis moribus, sive ad promerendum actioni favorem, sive ad levandum varietate fastidium, sive ad quædam vel decentius indicanda vel tutius. Sed antequam quæ cuique rei figura conveniat, ostendam, dicendum est nequaquam eas esse tam multas, quam sunt à quibusdam constitutæ. [5] Neque enim me movent nomina illa, quæ fingere utique Græcis promptissimum est. Ante omnia igitur illi qui totidem *figuras* putant, quot *affectus*, repudiandi: non quia *affectus* non sit quædam qualitas mentis: sed quia *figura*, quam non communiter, sed proprie nominamus, non sit simplex rei cujusque enuntiatio. Quapropter in dicendo *irasci*, *dolere*, *misereri*, *timere*, *confidere*, *contemnere*, non sunt figuræ, non magis quam *suadere*, *minari*, *rogare*, *excusare*. Sed fallit parum diligenter intuentes, quod inveniunt in omnibus his locis figuras, & earum exempla ex

1 *Et rectas ac simplices manus.*] *Manus* hoc loco appellamus *gladiatorum petitiones & ictus*, ut exposuimus lib. 5. Appellat autem *manus adversas* & *rectas*, quæ à fronte quasi pugnant, ideoque facile possunt observari & vitari. Vocat *aversas*, quæ ictum inferunt in latera & terga, suntque difficiliores. *Turneb.*

2 *Mole.*] *Modo.* Pith.

3 *Jam vero.*] Idem testatur Alex. Numenius, & Aquila Romanus. *si quis enim*, ait, *ex vehementibus oratorum sententiis figuras detraxerit, tota vis jacebit.* Turneb.

4 *Plurimum tamen.*] Non solum *figuræ sententiarum* prosunt ad affectus movendos, verum etiam valent ad τὸ ἦθος. quod positum est in conciliatione & quadam orationis moderatione. *Idem.*

5 *Neque enim me.*] *Authores Græci* infinitas prope sunt persecuti figuras, ac singulis sua aptaverunt nomina ex copia linguæ. itaque putat Fab. supervacuas ab illis multas inductas figuras. *Idem.*

ex orationibus excerpunt. Neque enim pars ulla dicendi est, quæ non recipere eas possit. Sed aliud est admittere *figuram*, aliud *figuram* esse. Neque enim verebor explicandæ rei gratia frequentiorem ejusdem nominis repetitionem. Quare dabunt mihi aliquam *irascente, deprecante, miserante*, figuram, scio: sed non ideo *irasci, misereri, deprecari*, figura erit. [1] Cicero quidem omnia orationis lumina in hunc locum congerit, mediam quandam (ut arbitror) secutus viam: ut nec omnis sermo *schema* judicaretur, nec ea sola quæ haberent aliquam remotam ab usu communi fictionem: sed quæ essent clarissima, & ad movendum auditorem valerent plurimum: quem duobus ab eo libris tractatum locum ad literam subjeci, ne fraudarem legentes judicio maximi auctoris. [2] In tertio *Oratore* ita scriptum est: [3] *In perpetua autem oratione, cum & conjunctionis lenitatem, & numerorum quam dixi rationem tenuerimus, tum est quasi luminibus distinguenda & frequentanda omnis oratio sententiarum atque verborum.* [4] Nam & *commoratio* una in re, permultum movet & illustris *explanatio*, rerumque, quasi gerantur, sub aspectum pene *subjectio*, quæ & in exponenda re plurimum valet, & ad illustrandum id quod exponitur, & ad amplificandum; ut iis qui audient, illud quod augebimus, quantum efficere oratio poterit, tantum esse videatur: [5] & huic contraria, sæpe *præcisio* est: & ad plus intelligendum quam dixeris *significatio*: & distincte con-

1 *Cicero quidem.*] Cic. *figuras* latius accipit, quam Fabius: strictius tamen quam illi qui sermonem omnem habere putant *schema*. quicquid enim paulo videtur ornatius, à Cicerone *figura* dicitur. *Idem. Cicero quidem.*] In oratore, ex quo hic pleraque ad verbum.

2 *In tertio.*] Locus Cic. de figuris elocutionis ex tertio de Oratore, & ex Orat. ad Brutum ad literam.

3 *In perpetua autem.*] Continuata oratio habere debet commodam juncturam & collocationem verborum, ne sit ullus hiatus, aut asperitas: præterea constare debet pedibus, ut cadat numerose: ornari postremo debet figurarum concinnitate. *Turneb.*

4 *Nam & commoratio.*] *Commoratio* est, cum in firmissimo loco causæ diutius moramur, & eodem sæpius regredimur. appellatur ἐπιμονή. *Idem.*

5 *Et huic contraria, &c.*] *Præcisio* est, cum id quod dicebamus, repente omittimus. vocatur *paralepsis*, estque contraria *hypotyposi*, quoniam *hypotyposis* copiose rem explicat, quam statim amputat *præcisio*. Idem.

1 *Concisa*

[1] concisa brevitas, & [2] *extenuatio*: & huic adjuncta *illusio*, à præceptis Cæsaris non abhorrens: & ab re *digressio*: in qua cum fuerit *delectatio*, [3] tum reditus ad rem aptus & concinnus esse debebit: *propositioque* quid sis dicturus: & ab eo quod est dictum, [4] *sejunctio*: & [5] reditus ad propositum, & *iteratio*: & rationis apta *conclusio*: tum augendi minuendive caussa veritatis *superlatio*, atque *trajectio*: [6] *& rogatio*, atque huic finitima quasi *percontatio*: [7] *expositioque* sententiæ suæ: tum illa quæ maxime quasi irrepit in hominum mentes, alia dicentis ac significantis *dissimulatio*, quæ est perjucunda, [8] cum in oratione non contentione, sed sermone tractatur: deinde *dubitatio*, tum *distributio*, [9] tum *correctio* vel ante vel post quam dixeris, vel cum aliquid à teipso rejicias. *præmunitio* etiam est ad id quod aggrediare: & [10] *rejectio* in alium: *communicatio*, quæ est quasi cum iis ipsis apud quos dicas, *deliberatio*: [11] morum ac vitæ *imitatio*, vel in personis, vel sine illis, magnum quoddam ornamentum orationis, & aptum ad

1 *Concisa brevitas.*] Appellatur *brachylogia*, cum brevissime aliquid stringimus. continetur etiam *epitrochasmos*. id est, *præcursio*.

2 *Extenuatio.*] Est ἐξασθενισμὸς id est, *elevatio* & *contemptio*, quando aliquid oratione contemptum efficimus. *Idem.*

3 *Tum reditus.*] Ἀνάφορα appellatur. id est, *regressio*, cum à *digressione* apte redimus ad *propositum*. Idem.

4 *Sejunctio.*] *Sejunctionem* appellat auctor ad Herennium, cum ostendimus quid nobis conveniat cum adversario, quid non conveniat: hic vero significare videtur *transitum*, ut cum ita dicimus, *Hoc absolutum est, sequitur illud dicendum.* Idem.

5 *Reditus ad propositum.*] Ut cum tractavimus aliquid quod esset utile causæ, & ab eo redimus ad præcipuum causæ cardinem. *Idem.*

6 *Et rogatio, atque huic finitima, &c.*] Nam *rogatio est ut noscamus, percunctatio ut alterum arguamus.* sic Fab. cap. sequenti. *Idem.*

7 *Expositioque sententiæ.*] Ex oratore ad Brutum intelligere debemus hunc locum de subjectione, quando interrogamus, & postea ponimus sententiam nostram respondendo. *Idem.*

8 *Cum in oratione non contentione, &c.*] *Contentio* forma est *orationis* acris ad confirmandum aut refellendum. *sermo* autem locutio est vulgaris & remissa, & finitima quotidianæ phrasi. *Idem.*

9 *Tum correctio, &c.*] Duplex est *correctio*: quædam enim rem præcedit, quæ dicitur προδιόρθωσις: quædam sequitur, quæ dicitur ἐπιδιόρθωσις. *Idem.*

10 *Rejectio in alium.*] Antea *rejectio* simpliciter fiebat, à se removendo: nunc vero fit etiam in alium transferendo. *Idem.*

11 *Morum ac vitæ imitatio.*] *Ethopœia* & *mimêsis*, quæ dupliciter fit, vel cum nos ipsi mores alicujus effingimus non inducta persona, vel cum personas inducimus. *Idem.*

ad animos conciliandos vel maxime, sæpe autem etiam ad commovendos: personarum *ficta inductio*, vel gravissimum lumen augendi: *descriptio*, [1] erroris *inductio*, adhilaritatem *impulsio*, *anteoccupatio*: tum duo illa quæ maxime movent, [2] *similitudo*, & *exemplum*: [3] *digestio*, *interpellatio*, [4] *contentio*, *reticentia*, *commendatio*. [5] Vox quædam libera, atque etiam effrenatior augendi caussa: *iracundia*, *objurgatio*, *promissio*, *deprecatio*, *obsecratio*, [6] *declinatio*: brevis à proposito, non ut superior, illa *digressio*, [7] *purgatio*, *conciliatio*, *læsio*, *optatio*, *atque execratio*. His fere luminibus illustrant orationem sententiæ. [8] Orationis autem ipsius tanquam armorum est vel ad usum *comminatio* & quasi *petitio*, vel ad venustatem ipsa *tractatio*. Nam & *geminatio* verborum habet interdum vim, lepôrem aliâs: & [9] paululum immutatum verbum atque deflexum: & ejusdem verbi crebra tum à primo *repetitio*, tum in extremum *conversio*, & in eadem verba impetus, & [10] *concursio*,

1 *Erroris inductio.*] Ἀποπλάνησις appellatur, quando ita varie rem tractamus aut obscuramus, ut judicem in errorem impellamus: quemadmodum jactavit se Cicero in Cluentiana caussa *offudisse tenebras oculis judicum*. Idem.

2 *Similitudo & exemplum.*] Fabius tamen non putat esse *figuras*, ut pleraque alias quas enumerat *Cicero*: pertinent tamen *similitudo* & *exemplum* ad exornationem, ut docuit lib. 8. *Idem.*

3 *Digestio.*] Videtur intelligere μερισμὸν, quæ *partitio* sic fit, ut aliud alii tribuentes dispertiamus. sic enim explicat in oratore ad Brutum. *Idem.*

4 *Contentio.*] Non potest hîc accipi *contentio* pro *oppositione vocum contrariarum*: alioqui *figura* esset *dictionis*, non *sententiæ*. est igitur *contentio*, *vehemens & acris oratio*, quæ interdum habet δεινώσιν. *Idem.*

5 *Vox quædam libera.*] Vocatur παρρησία. id est, *licentia*, cum majore libertate & quasi licentia loquendi utimur. *Idem.*

6 *Declinatio.*] Ita dixit, ut differret à *digressione*, de qua locutus est. fit autem cum breviter & obiter aliquid præter propositum addimus. *Idem.*

7 *Purgatio.*] Ab Asconio secunda actione in Verrem appellatur ἐπιθεραπεύσις, cum scilicet aliquid dicimus inclementius, & postea medemur. Esse potest etiam *apologia*, cum purgamus aliquid quod videatur iniquum auditori. *Idem.*

8 *Orationis autem.*] Significat *figuras orationis* duplicem habere usum, vel ut prosint ad augendum & vim rebus adjiciendam, vel ut prosint duntaxat ad ornamentum. *Idem.*

9 *Paululum immutatum verbum.*] Dicitur *paronomasia*, à Latinis *agnominatio*, cum alludimus ad nomen positum, immutatione quadam. *Idem.*

10 *Concursio.*] Potest intelligere *complexionem*, quam appellant συμπλοκὴν, quæ fit per *repetitionem* & *conversionem*. Idem.

curſio, & *adjunctio*, & [1] *progreſſio*: & ejuſdem verbi crebrius poſiti quædam *diſtincto*, & *revocatio* verbi: & illa quæ ſimiliter deſinunt, aut quæ cadunt ſimiliter, [2] aut quæ paribus paria referuntur, aut quæ ſunt inter ſe ſimilia. Eſt etiam *gradatio* quædam, & [3] *converſio*, & verborum concinna *tranſgreſſio*, & contrarium, & diſſolutum, & [4] *declinatio*, & *reprehenſio*, & *exclamatio*, & [5] *imminutio*, & quod in multis caſibus ponitur, & quod de ſingulis rebus propoſitis ductum refertur ad ſingula, & ad propoſitum ſubjecta ratio, [6] & item in diſtributis ſuppoſita ratio, & *permiſſio*, & rurſus [7] alia *dubitatio*, & improviſum quiddam, & [8] *dinumeratio*, & alia *correctio*, & [9] *diſputatio*, & quod [10] continuatum, & [11] interruptum, & imago, & ſibi ipſi *reſponſio*, & [12] *immutatio*, &

1 *Progreſſio.*] *Quando diutius progredimur, repetendo eadem verba.* poſſent tamen hæ duæ dictiones habere declarationem verborum ſuperiorum, ut de complexione intelligerentur. *Idem.*

2 *Aut quæ paribus.*] Appellat in oratione ad Brutum, *contrariis relata contraria*, quo pacto hîc accipere videtur. nam quia interdum conferuntur quædam *non contraria*, adjecit, aut quæ ſunt *inter ſe ſimilia.* Idem.

3 *Converſio.*] *Converſio* fit cum verba retrorſum immutantur. appellatur ἀντιμεταβολή: ut, *eripis ut perdas, perdis ut eripias.* Idem.

4 *Declinatio.*] *Declinatio* fit, quando verbum idem varie mutatum & flexum eadem in periodo uſurpatur. *Idem.*

5 *Imminutio.*] De ea intelligi debet, quæ fit *verbo.* nam alia eſt quæ fit *re*, ut dixit *in cap. de amplificatione.* Idem.

6 *Et item in diſtributis.*] Figura hæc vocatur ὑποπαράδοσις. id eſt, *redditio*, quando duo vel tria proponuntur, & ſingulis ratio ſua ſubjicitur. *Idem.*

7 *Alia dubitatio.*] Nam quædam *dubitatio* eſt quæ poſita eſt in *re*, de qua antea dixit: quædam vero pendet à *ſpecie orationis.* Idem.

8 *Dinumeratio.*] *Cum multa enumeramus quæ uno verbo dicere poſſumus.* poſſet etiam eſſe συναθροισμὸς, quia multa congerit & dinumerat, quæ pertinent ad rem unam. *Idem.*

9 *Diſputatio.*] Puto eſſe eam figuram quam appellant *dialogiſmum*, cum ſcilicet nobiſcum diſputamus, & quid agendum ſit nobiſcum dubitamus. poſſet etiam intelligi *ratiocinatio*, quæ uniuſcujuſque dicti rationem reddit. *Idem.*

10 *Continuatum.*] *Cornificius* appellare videtur *continuationem*, quando frequentatis continenter verbis ſententia explicatur. *Idem.*

11 *Interruptum.*] Species eſt *paralepſeos*, ut apparet ex Bruto, cum ſcribit, *aut cum aliquid prætereuntes, cur id faciamus oſtendimus.* aliqui tamen accipiunt hoc loco *eclipſin.* Idem.

12 *Et immutatio.*] Hunc locum ſic explicat *Fabius*, Et *mutatio*, quæ ſi ea eſt quam Rutilius ἀλλοίωσιν vocat, diſſimilitudinem oſtendit hominum, rerum, factorumque: ſi latius fiat, *figura* non eſt: ſi anguſtius, in *antitheton* cadet. Si vero hæc appellatio ſignificat *hypallagen*, de ea dictum eſt. *Idem.*

1 *Disjun-*

& [1] *disjunctio*, & *ordo*, [2] & *relatio*, & *digressio*, & [3] *circunscriptio*. Hæc enim sunt fere, atque horum similia, vel plura etiam esse possunt, quæ sententiis orationem verborumque conformationibus illuminent. Eadem sunt in oratore plurima, non omnia tamen, & paulo magis distincta: quia post orationis & sententiarum figuras, tertium quendam subjecit locum ad alias (ut ipse ait) quasi virtutes dicendi pertinentem: ET reliqua ex collocatione verborum quæ sumuntur quasi lumina, magnum afferunt ornatum orationi. [4] Sunt enim similia illis quæ in amplo ornatu scenæ aut fori appellantur *insignia*, non quod sola ornent, sed quod excellant. Eadem ratio est horum quæ sunt *orationis lumina*, & quodammodo *insignia*: cum aut duplicantur iteranturque verba, aut breviter commutata ponuntur: aut ab eodem verbo ducitur sæpius oratio: aut in idem conjicitur, aut in utrunque, [5] aut adjungitur idem iteratum, aut [6] idem ad extremum refertur: aut continenter unum verbum [7] non in eadem sententia ponitur: aut cum similiter vel cadunt verba, vel desinunt: [8] aut multis modis contrariis relata contraria: aut cum gradatim sursumversus reditur: aut cum demptis conjunctionibus dissolute plura dicuntur: aut cum aliquid prætereuntes, cur id faciamus ostendimus: aut cum corrigimus nosmetipsos, quasi reprehendentes: aut si est aliqua *exclamatio*

1 *Disjunctio.*] Quæ differt à *dissoluto*. nam *dissolutum* est in *disjunctione vocum*, hæc vero figura in *disjunctione commatum & membrorum*. Idem.

2 *Et relatio.*] Fabius fatetur se non intelligere quid *Cicero* velit accipi per *relationem*. Forte vero, inquit, intelligit *hypallagen*, aut *epanodum*, aut *antimetabolen*. Idem.

3 *Circunscriptio.*] *Circunscriptionem* Fabius interpretatur *comprehensam breviter sententiam vel finitionem*. Idem.

4 *Sunt enim similia, &c.*] *Similitudo* ducta est à muneribus quæ populo dabantur ab ædilibus. nam in illis ludis theatro addebantur statuæ & signa ad ornamentum. *Idem.*

5 *Aut adjungitur idem iteratum.*] Πλοκὴ significatur, quæ habet ejusdem verbi iterationem cum quadam interpositione. *Idem.*

6 *Idem ad extremum refertur.*] Est *epanadiplosis*, cum idem verbum est in initio & in fine. *Idem.*

7 *Non in eadem sententia.*] Species est hæc *repetitionis*, sed differt à superiore, quia illa fiebat in *eadem sententia*, hæc in *diversis*. Idem.

8 *Aut multis modis*] Nam *quatuor* aut *quinque* modis fiunt, ut postea docebit *Fabius*. Idem.

exclamatio vel admirationis vel conqueſtionis: aut cum ejuſdem nominis caſus ſæpius commutantur. Sententiarum ornamenta majora ſunt: quibus quia frequentiſſime Demoſthenes utitur, ſunt qui putent idcirco ejus eloquentiam maxime eſſe laudabilem. Enimvero nullus fere ab eo locus ſine quadam confirmatione ſententiæ edicitur: nec aliud quicquam eſt dicere, niſi omnes aut certe pleraſque aliqua ſpecie illuminare ſententias. Quas cum tu optime Brute, teneas, quid attinet nominibus uti, aut exemplis? tantummodo notetur locus. Sic igitur dicet ille quem expetimus, ut verſet ſæpe multis modis eandem & unam rem, & hæreat in eadem commoreturque ſententia. Sæpe etiam ut extenuet aliquid: ſæpe ut irrideat: ut declinet à propoſito, deflectatque ſententiam: ut proponat quid dicturus ſit: ut cum tranſegerit, [1]jam aliquid definiat: ut ſe ipſe revocet: ut quod dixit, iteret: ut argumentum ratione concludat: ut interrogando urgeat: ut rurſus quaſi ad interrogata ſibi ipſe reſpondeat: ut contra ac dicat, accipi & ſentiri velit: ut addubitet quid potius, aut quo modo dicat: ut dividat in partes: ut aliquid relinquat, ac negligat: ut ante præmuniat: ut in eo ipſo in quo reprehendatur, culpam in adverſarium conferat: ut ſæpe cum iis qui audiunt, nonnunquam etiam cum adverſario quaſi deliberet: ut hominum mores ſermoneſque deſcribat: ut muta quædam loquentia inducat: ut ab eo quod agitur, avertat animos: ut ſæpe in hilaritatem riſumve convertat: ut ante occupet quod videat opponi: ut comparet ſimilitudines: ut utatur exemplis: ut aliud alii tribuens diſpertiat: ut interpellatorem coërceat: [2]ut aliquid reticere ſe dicat: ut denuntiet quid caveat: ut liberius quid audeat: ut iraſcatur etiam: ut objurget aliquando: ut deprecetur:

1 *Jam aliquid definias.*] Quidam hic intelligunt διορισμὸν quendam, cum aliquid propoſuimus quod poſtea definitione explicamus. poſſet tamen intelligi *ſententia*, qua de loco jam à nobis tractato quid ſentiamus, breviter explicamus. *Idem.*

2 *Ut aliquid ſe rejicere dicat.*] Videtur tamen ſignificari *reticentia*, quam appellant *apoſiopeſin*. Idem.

1 *Ut*

cetur: [1] ut supplicet: [2] ut medeatur: ut à proposito declinet aliquantulum: ut optet: ut execretur: ut fiat iis apud quos dicet, familiaris: atque alias etiam dicendi quasi virtutes sequatur: brevitatem, si res petet: sæpe etiam rem dicendo subjiciet oculis, sæpe supra feret quam fieri possit: significatio sæpe erit major quam oratio: sæpe hilaritas, sæpe vitæ naturarumque imitatio. Hoc in genere (nam quasi silvam vides) omnis eluceat oportet eloquentiæ magnitudo.

1 *Ut supplicet.*] Plus est *supplicare* quam *deprecari*. fit autem ab oratore cum *supplex* obtestatur judices & obsecrat. *Idem.*

2 *Ut medeatur.*] Intelligunt multi ἐπιθεραπεύσιν, sed videtur potius significari *apologia*, qua aliquid purgamus: ideoque antea Cicero *purgationem* appellabat. *Idem.*

CAP. II.

De figuris sententiarum.

ERgo cui latius complecti conformationes verborum ac sententiarum placuerit, habet quod sequatur: nec affirmare ausim quicquam esse melius, sed hæc ad propositi mei rationem legat. Nam mihi de his sententiarum figuris dicere in animo est, quæ ab illo simplici modo indicandi recedunt: quod idem multis doctissimis viris video placuisse. Omnia tamen illa etiam quæ sunt alterius modi lumina, adeo sunt virtutes orationis, ut sine his nulla intelligi vere possit oratio. [1] Nam quo modo judex doceri potest, si desit illustris *explanatio*, *propositio*, *promissio*, *finitio*, *sejunctio*, *expositio sententiæ suæ*, *rationis apta conclusio*, *præmunitio*, *similitudo*, *exemplum*, *digestio*, *distributio*, *interpellatio*, *interpellantis*

SI quis sententiam *Ciceronis* velit sequi, non magnopere refragabitur *Fabius*: existimat tamen esse *figuram*, *cum variatur simplex enunciandi & indicandi ratio.* Turneb.

1 *Nam quomodo.*] A tribus officiis oratoris ostendit orationem maxime ornari illis luminibus, quæ à *Cicerone* ponuntur inter *figuras*, esse tamen *figuras* negat. quanquam inter *Ciceronem* & *Fabium* magis de *vocabulo* pugna est, quam de *re*, alter enim *vocabulum* fundit, alter contrahit. *Idem.*

lantis coërcitio, contentio, purgatio, læsio? [1] Quid vero agit omnino eloquentia detractis amplificandi minuendique rationibus? Quarum prior desiderat illam plusquam dixeris significationem, id est ὑπερβολὴν & superlationem veritatis, & trajectionem: hæc altera extenuationem, deprecationemque. [2] Qui affectus erunt vel concitati detracta voce libera, effrenatiore iracundia, objurgatione, optatione, execratione? vel illi mitiores, nisi adjuvantur commendatione, conciliatione, ad hilaritatem impulsione? Quæ delectatio, aut quod mediocriter saltem docti hominis indicium, nisi alia repetitione, alia commoratione infigere: digredi à re, & redire ad propositum suum scierit: removere à se, in alium trajicere: quæ relinquenda, quæ contemnenda sint, judicare? Motus est in his orationis atque actus: quibus detractis jacet, & velut agitante corpus spiritu caret. Quæ cum adesse debent, tum disponenda atque varianda sunt, ut auditorem, quod in fidibus fieri videmus, omni sono mulceant. Verum ea plerunque recta sunt, nec se fingunt, sed confitentur. Admittunt autem (ut dixi) *figuras:* quod vel ex proximo doceri potest. Quid enim tam commune, quam interrogare, vel percontari? Nam utroque utimur indifferenter, cum alterum noscendi, alterum arguendi gratia videatur adhiberi. At ea res utrocunque modo dicatur, etiam multiplex habet schema. Incipiamus enim ab iis quibus acrior ac vehementior fit probatio, quod primo loco posuimus. [3] Simplex est sic rogare,

Sed vos qui tandem? quibus aut venistis ab oris?

Figuratum autem, quoties non sciscitandi gratia assumitur, sed instandi: *Quid enim tuus ille Tubero, districtus in acie Phar-*

1 *Quid vero agit.*] Proprium est oratoris *amplificare* & *minuere*, ut docuit *Fabius lib.* 3. at plurima *Ciceronis* lumina ad eas pertinent virtutes. *Idem.*

2 *Qui affectus.*] Affectus sunt duplices, πάθη & ἤθη. his conducit ratio ornamentorum à *Cicerone* positorum. *Idem*

3 *Simplex est sic rogare.*] Græci, ut *Alexander Numenius*, duas interrogationis species ponunt, ἐρώτημα, id est *interrogatum*, & πύσμα, id est, *quæsitum.* priori satisfieri potest una responsione, posteriori non nisi pluribus. *Idem.*

1 *Aut*

Pharsalica gladius agebat? &, *Quousque tandem abutere Catilina patientia nostra?* &, *Patêre tua consilia non sentis?* & totus denique hic locus. Quanto enim magis ardet, quam si diceretur, *Diu abuteris patientia nostra*: &, *Patent tua consilia.* Interrogamus etiam quod negari non possit: *Dixitne tandem caussam C. Fidiculanius Falcula?* At ubi respondendi difficilis est ratio, ut vulgo uti solemus, *Quo modo? qui fieri potest?* [1] Aut invidiæ gratia, ut Medea apud Senecam, *Quas peti terras jubes?* Aut miserationis, ut Sinon apud Virgilium,

Heu quæ me tellus, inquit, *quæ me æquora possunt*
Accipere?

Aut instandi, & auferendæ dissimulationis: ut Asinius, *Audisne? furiosum, inquam,* [2] *non inofficiosum testamentum reprehendimus.* Totum hoc plenum est varietatis: nam & indignationi convenit,

-- *Et quisquam numen Junonis adoret?*

Et admirationi,

-- *Quid non mortalia pectora cogis*
Auri sacra fames? ---

Est interim acrius imperandi genus,

Non arma expedient, totaque ex urbe sequentur?

Et ipsi nosmet rogamus: quale est illud Terentianum,

Quid igitur faciam?

Est aliqua etiam in respondendo figura, cum aliud interroganti, ad aliud, quia sic utilius sit, occurritur, tum augendi criminis gratia, ut testis in reum rogatus, an ab reo fustibus vapulasset, *Et innocens*, inquit. [3] Tum declinandi, quod est frequentissimum: Quæro an occideris hominem, respondetur,

1 *Aut invidiæ gratia.*] *Erasmus* quoque in *Ecclesiaste*, *interrogationem* ait esse maxime aptam affectibus exprimendis & augendis, ut *miserationi, invidiæ, iræ.* Idem.

2 *Non inofficiosum test.*] *Inofficiosum testamentum* est, quod minime factum est ex officio pietatis: ut cum à patre prætermissi sunt liberi. at *furiosum est testamentum*, quod est à *furioso* factum, qui testari non potest. *Idem.*

3 *Tum declinandi.*] Hanc speciem appellat Alexander Num. ἀντεισαγωγὴν, *quando adversus id quod opponitur, aliud objicimus ad defensionem.* Idem.

detur, *Latronem.* An fundum occupaveris, respondetur, *meum.* Ut confessionem præcedat defensio: ut apud Virgilium in Bucolicis dicenti,

Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum
Excipere insidiis? ---

occurritur,

An mihi cantando victus non redderet ille?

Cui est confinis dissimulatio, non alibi quam in risu posita, ideoque tractata suo loco. Nam serio si fiat, pro confessione est. [1]Cæterum & interrogandi seipsum, & respondendi sibi, solent esse non ingratæ vices: ut Cicero pro Ligario, *Apud quem igitur hoc dico? nempe apud eum, qui cum hoc sciret, tamen me antequam vidit, reipublicæ reddidit.* Aliter pro Cœlio ficta interrogatio est. dicet aliquis, *Hæc igitur est tua disciplina? sic tu instituis adolescentes?* & totus locus. Deinde, *Ego si quis judices, hoc robore animi, atque hac indole virtutis ac continentiæ fuit, &c.* [2] Cui diversum est, cum alium rogaveris, non expectare, [3]responsum, & statim subjicere: *Domus tibi deerat? at habebas. pecunia superabit? at egebas.* Quod schema quidam per [3]*subjectionem* vocant. Fit & comparatione: *Uter igitur facilius suæ sententiæ rationem redderet?* Et aliis modis tum brevius, tum latius, tum de una re, tum de pluribus. [4]Mire vero in cauſſis valet *præsumptio*, quæ προλῆψις dicitur, cum id quod objici potest, occupamus. Id neque in aliis partibus parum est, & præcipue proœmio convenit. Sed quanquam generis unius, diversas tamen species habet.

Est

1 *Cæterum & inter.*] Cum nos interrogamus, & statim dicti cujusque rationem subjicimus, *ratiocinatio* vocatur à Cornificio, à Rufiniano vero *apophasis*, quæ quidem est species hujus interrogationis. *Idem.*

2 *Cui diversum est.*] Hanc *interrogationem* appellant *Græci* κατ' ὑποφοράν, unde *Latini* verterunt per subjectionem, ut Cornificius lib. 4. Quod enim potest ab adversario dici, objicimus per interrogationem, & solvimus. *Idem.*

3 *Subjectionem.*] Alii, *Suggestionem.*

4 *Mire vero, &c.*] Hanc figuram vocat Alexander Numenius *procatalepsin*, ac nonnulli quoque ex Latinis. habet locum in *proœmiis*: nam efficit exordium ex hypolepsi, ut ait Hermogenes. in aliis quoque partibus multum prodest, ac videtur (ut inquit Rodolphus) *efficere novum exordium.* Turneb.

1 Est

[1] Est enim quædam *præmunitio*, qualis Ciceronis contra Q. Cæcilium, *quod ad accusandum descendat, qui semper defenderit.* Quædam *confessio:* ut pro Rabirio Posthumo, *quem sua quoque sententia reprehendendum fatetur, quod pecuniam regi crediderit.* Quædam *prædictio:* ut, *Dicam enim non augendi criminis gratia.* Quædam *emendatio:* ut, *Rogo ignoscatis mihi, si longius sum evectus.* Frequentissima *præparatio*, cum pluribus verbis, vel quare facturi quid simus, vel quare fecerimus, dici solet. Verborum quoque vis ac proprietas confirmatur vel præsumptione: *Quanquam illa non pœna, sed prohibitio sceleris fuit.* Aut reprehensione: *Cives, cives, inquam, si hoc eos appellari nomine fas est.* [2] Affert aliquam fidem veritatis & *dubitatio*, cum simulamus quærere nos unde incipiendum, ubi desinendum, quid potissimum dicendum, an omnino dicendum sit: cujusmodi exemplis plena sunt omnia: sed unum interim sufficit, *Equidem quod ad me attinet, quo me vertam nescio. Negem fuisse infamiam judicii corrupti? &c.* Hoc etiam in præteritum valet: nam & dubitasse nos fingimus. [3] A quo schemate non procul abest illa quæ dicitur *communicatio*, cum aut ipsos adversarios consulimus, ut Domitius Afer pro Cloantilla, *At illa nescit trepida quid liceat fœminæ, quid conjugem deceat: forte vos in illa solicitudine obvios casus miseræ mulieri obtulit: tu frater, vos paterni amici: quod consilium datis?* Aut cum judicibus quasi deliberamus, quod est frequentissimum, *Quid suadetis?* &, *Vos interrogo, quid tandem fieri oportuit?* ut Cato: *Cedo, si vos in eo loco essetis, quid aliud fecissetis?* Et alibi, *Communem rem agi putatote, ac vos huic rei præpositos esse.* [4] Sed nonnunquam communicantes aliquid

1 *Est enim quædam.*] *Rufinianus* hanc appellat *procataſceuen*, quando præparatione aliqua præmunimus locum duriorem, ut irrepamus in animos auditorum. *Idem.*

2 *Affert aliquam fidem.*] *Dubitatio* non solum valet ad *veritatem*, ut inquit Erasm. sed etiam ad *affectum. figura* est cum habet quandam simulationem: ea dicitur à quibusdam ἀπορία & ἀμφιπόρησις. *Idem.*

3 *A quo schemate.*] *Communicatio* ἀνακοίνωσις appellatur à Rufiniano. Valet autem imprimis ad probandum, quoniam ita causæ confidimus ut non dubitemus vel ab *adversario* vel à *judicibus* petere consilium. *Idem.*

4 *Sed nonnunquam, &c.*] Hanc figu-

aliquid inexpectatum subjungimus, quod & per se schema est: ut in Verrem Cicero, *Quid deinde? quid censetis? furtum fortasse, aut prædam aliquam?* Deinde cum diu suspendisset judicum animos, subjecit quod multo esset improbius. Hoc Celsus [1] *sustentationem* vocat. Est autem duplex: nam contra frequenter cum expectationem gravissimorum fecimus, ad aliquid quod sit leve, aut nullo modo criminosum, descendimus. Sed quia non tantum per communicationem fieri solet, παράδοξον alii nominaverunt, id est *inopinatum:* Illis non accedo, qui schema esse existimant, etiam siquid nobis ipsis dicamus inexpectatum accidisse: ut Pollio, *Nunquam fore credidi, judices, ut reo Scauro, ne quid in ejus judicio gratia valeret precarer.* [2] Pene idem fons est illius quam *permissionem* vocant, qui communicationis: cum aliqua ipsis judicibus relinquimus æstimanda, aliqua nonnunquam adversariis quoque: ut Calvus Vatinio: *Perfrica frontem, & dic te digniorem qui prætor fieres, quam Catonem.* [3] Quæ vero sunt augendis affectibus accommodatæ figuræ, constant maxime *simulatione.* Namque & irasci nos, & gaudere, & timere, & admirari, & dolere, & indignari, & optare, quæque sunt similia his, fingimus. Inde sunt illa, *Liberatus sum. Respiravi.* &, *Bene habet,* &, *Quæ amentia est hæc?* &, *O tempora, ô mores. O miserum me.* consumptis enim lacrymis infixus tamen pectori hæret dolor. &,

-- Magnæ nunc hiscite terræ.

[4] Quod *exclamationem* quidam vocant, ponuntque inter figuras

ram appellat *Rufinianus* ὑπονοηλὼ, alii, παράδοξον appellant & ἀπροσδόκητον. id est, *inopinatum* & *inexpectatum*, quando quædam dicimus, deinde aliud præter opinionem inferimus. *Idem.*

1 *Sustentationem.*] Quasi verteret dictionem græcam ἐποχὴν, attamen *sustentatio* plerunque fit sine communicatione. *Idem.*

2 *Pene idem fons est.*] *Rutilius* hanc figuram appellat *epicopen*, sed suspicor mendosum esse codicem, legendumque *epitropen:* sic enim vocatur à *Rufiniano.* fit autem plerunque per quandam *simulationem* & *ironiam.* Idem.

3 *Quæ vero sunt.*] Persequitur membra divisionis superioris. nam hactenus dixit de *figuris* quæ ad *docendum* valent, nunc de illis quæ ad *movendum.* ut oratoris officiis accommodet *figuras.* Idem.

4 *Quod exclamationem.*] Appellant Græci ἐκφώνησιν, Latini *exclamationem.*

valet

guras orationis. Hæc quoties vera sunt, non sunt in ea forma de qua nunc loquimur. Assimulata, & arte composita, procul dubio *schemata* sunt existimanda. [1]Quod idem dictum sit de oratione libera, quam [2] Cornificius *licentiam* vocat, Græci παῤῥησίαν. Quid enim minus figuratum, quam vera libertas? Sed frequenter sub hac facie latet adulatio. Nam Cicero cum dicit pro Ligario, *Suscepto bello, Cæsar, gesto jam etiam ex parte magna, nulla vi coactus, consilio ac voluntate mea ad ea arma profectus sum, quæ erant contra te sumpta:* non solum ad utilitatem Ligarii respicit, sed magis laudare victoris clementiam non potest. In illa vero sententia, *Quid autem aliud egimus Tubero, nisi ut quod hic potest, nos possemus?* admirabiliter utriusque partis facit bonam caussam: sed hoc eum demeretur, cujus mala fuerat. [3] Illa adhuc audaciora, & majorum (ut Cicero existimat) laterum, fictiones personarum, quæ προσωποποιΐαι dicuntur. Mire namque cum variant orationem, tum excitant. His & adversariorum, cogitationes velut, secum loquentium protrahimus: quæ tamen ita demum à fide non abhorrent, si ea locutos finxerimus, quæ cogitasse eos non sit absurdum: & nostros cum aliis sermones, & aliorum inter se credibiliter introducimus: & *suadendo, objurgando, quærendo, laudando, miserando*, personas idoneas damus. Quin deducere deos in hoc genere dicendi, & inferos excitare, concessum est. Urbes etiam populique vocem accipiunt. Ac sunt quidam qui has demum προσωποποιΐας dicant, in quibus & corpora & verba fingimus. Sermones hominum assimulatos dicere

Δι. λόγος

valet autem potissimum ad duos affectus, *indignationem* & *miserationem*. Idem. *Quod exclamationem quidam vocant, &c.*] Vide Vossium Institut. Orator. lib. 5. pag. 416.

1 *Quod idem dictum sit de oratione libera, &c.*] Male negat παῤῥησίαν inter schemata referri debere. Vide Vossium Institut. Orator. lib. 5. p. 414.

2 *Cornificius licentiam.*] Vel ex hoc loco colligere possumus rhetoricam ad Herennium esse *Cornificii*, non *Ciceronis*. Cic. enim παῤῥησίαν semper vertit *orationem liberam*, & *vocem liberam*, *in perfecto oratore* & ad Q. Fratrem. Cornificius lib. 4. *licentiam*. Turneb.

3 *Illa adhuc.*] *Prosopopœiam* vertit Rutilius, *personæ effictionem*: Rufinianus vero *deformationem* & *configurationem*: Cornificius l. 4. *conformationem*. Idem.

1 *Quam*,

διαλόγους malunt, [1] quam, quod Latinorum quidam dixerunt, *sermocinationem*. Ego jam recepto more utrunque eodem modo, appellavi. Nam certe sermo fingi non potest, ut non personæ sermo fingatur. Sed in his quæ natura non permittit, hoc modo mollior fit figura: *Etenim si mecum patria, quæ mihi vita mea multo est charior, si cuncta Italia, si omnis respublica sic loquatur, M. Tulli quid agis?* Illud audacius genus, *Quæ tecum Catilina sic agit, & quodammodo tacita loquitur, Nullum jam aliquot annis facinus extitit, nisi per te.* [2] Commode etiam aut nobis aliquas ante oculos esse rerum personarumve imagines fingimus, aut eadem adversariis aut judicibus non accidere miramur: qualia sunt, *Videtur mihi*, &, *Nonne videtur tibi?* Sed magna quædam vis eloquentiæ desideratur. Falsa enim & incredibilia natura necesse est aut magis moveant, quia supra vera sunt: aut pro vanis accipiantur, quia vera non sunt. Ut dicta autem quædam, ita scripta quoque fingi solent: [3] quod facit Asinius pro Liburnia, *Mater mea, quæ mihi tum charissima, tum dulcissima fuit, quæque mihi vixit, bisque eadem die mihi vitam dedit*, & reliqua: deinde, *exhæres esto*. Hæc cum per se figura est, tum duplicatur, quoties, sicut in hac caussa, ad imitationem alterius scripturæ componitur. Nam contra recitabatur testamentum, *P. Novanius Gallio, qui ego omnia meritissimo volo & debeo pro ejus animi in me summa voluntate*, & adjectis deinceps aliis, *hæres esto*. [4] Incipit esse quodammodo παρῳδία, quod nomen

1 *Quam, quod Latinorum quidam, &c.*] Corsinicius tamen lib. 4. *dialogum* interpretatus est *sermocinationem*, quando quosdam verisimiliter loquentes inducimus. appellant alii διαλογισμούς. *Idem.*

2 *Commode etiam.*] Est etiam alia species *prosopopœiæ*, quæ quadam simulatione imaginem quandam fingit: ut si diceres, *videor mihi videre hominem in rep. tumultuantem ac vociferantem*, & reliqua subderes. *Idem.*

3 *Quod facit Asinius.*] In hac scriptura est imitatio illius formulæ quæ scribi solet in *testamentis*. nam qui hæres instituitur, à testatore fere laudatur. adde quod *imitatio est scriptorum adversarii, quæ recitaverat in testamento.* Idem.

4 *Incipit esse.*] Suidas παρῳδίαν appellat, cum è *Tragœdia* sermo transfertur in *Comœdiam*: quo pacto *Aristophanes* pleraque carmina Euripidis ludendo usurpavit. Eodem quoque modo sermo factus ad alterius sermonis imitationem, dicitur *parodia*: vis tamen pendet

nomen ductum à canticis ad aliorum similitudinem modulatis, abusive etiam in versificatione ac sermonum imitatione servatur. Sed [1] formas quoque fingimus sæpe: ut *famam* Virgilius: ut *voluptatem ac virtutem* (quemadmodum à [2] Xenophonte traditur) Prodicus, ut mortem ac vitam, quas contendentes in Satyra tradit Ennius. Est & incertæ personæ ficta oratio. *Hic aliquis.* &, *Dicat aliquis.* Est & jactus sine persona sermo, [3] *Hic Dolopum manus, hîc sævus tendebat Achilles.* Quod fit mistura figurarum, cum προσωποποιΐα accedit illa quæ est orationis per detractionem: detractum est enim quis diceret. [4] Vertitur enim interim προσωποποιΐα in speciem narrandi. Unde & apud historicos reperiuntur [5] obliquæ allocutiones: ut in T. Livii primo statim libro, *Urbes quoque, ut cætera, ex infimo nasci: deinde quas sua virtus ac dii juvent, magnas opes sibi, magnumque nomen facere.* [6] Aversus quoque à judice sermo, qui dicitur ἀποστροφή, mire movet, sive adversarios invadimus, *Quid enim tuus ille Tubero in acie Pharsalica gladius agebat?* Sive ad invocationem aliquam convertimur, *Vos enim jam ego Albani tumuli atque luci.* Sive ad invidiosam implorationem, [7] *O leges Porciæ, legesque Semproniæ.* Sed illa quoque vocatur *aversio*, quæ à pro-

pendet à canticis quæ fiebant ad aliorum similitudinem. *Idem.*

1 *Formas quoque fingimus.*] *Fingere formas* appellat Fab. *quum rebus inanimatis tribuimus quasi quoddam corpus, ut animalia quædam efficere videamur.* Idem.

2 *Xenophonte.*] *Xenophon* refert Prodicum finxisse *voluptatem* & *virtutem* cum Hercule colloquutas in solitudine, quarum altera ad *fortitudinem* invitaret, altera ad *inertiam.* Idem.

3 *Hic Dolopum manus.*] Hoc versu *Virgil.* est imitatus sermonem *Trojanorum, Græcorum* castra aspicientium. neque tamen sermonem hunc attribuit ulli personæ. *Idem.*

4 *Vertitur interim.*] Obliquæ allocutiones peculiares sunt historicis: itaque *Trogus* apud *Justinum*, *Livium* & *Sallustium* reprehendit, quod illis ratius utantur. fiunt autem cum narrationem continuat *historicus*, ita tamen ut videatur obiter inducere personam loquentem, cujus orationem imitatur. *Idem.*

5 *Obliquæ allocutiones.*] Justin. l. 38. Pompeius Trogus in Livio & Sallustio reprehendit quod conciones directas pro sua oratione, pro obliquis operi suo inserenda historiæ modum excesserint. *Pith.*

6 *Aversus à judice sermo, qui dicitur* ἀποστροφή.] Imperfecte Apostrophen definit. Vide Vossium Instit. Orator. lib. 5. pag. 363.

7 *O leges.*] Pro Sestio, & Act. in Verrem 7.

à proposita quæstione abducit audientem:

Non ego cum Danais Trojanam excindere gentem
Aulide juravi. ---

Quod fit & multis & variis figuris, cum aut aliud expectasse nos, aut majus aliquid timuisse simulamus, aut plus videri posse ignorantibus: [1] quale est procœmium pro Cœlio. Illa vero (ut ait Cicero) sub oculos subjectio, tum fieri solet, cum res non gesta indicatur, sed ut sit gesta ostenditur: nec universa, sed per partes: quem locum proximo libro subjecimus evidentiæ: & Celsus hoc nomen isti figuræ dedit. ab aliis [2] ὑποτύπωσις dicitur proposita quædam forma rerum ita expressa verbis, ut cerni potius videatur, quam audiri: *Ipse inflammatus scelere ac furore, in forum venit. ardebant oculi: toto ex ore crudelitas emicabat.* Nec solum quæ facta sint aut fiant, sed etiam quæ futura sint, aut futura fuerint, imaginamur. Mire tractat hæc Cicero pro Milone, quæ facturus fuerat Clodius si præturam invasisset. [3] Sed hæc quidem translatio temporum, quæ proprie μετάστασις dicitur, in διατυπώσει verecundior apud priores fuit. Proponebant enim talia, *Credite vos intueri*, ut Cicero, *Hæc quæ non vidistis oculis, animis cernere potestis.* Novi vero, & præcipue declamatores, audacius, nec mehercule sine motu quodam imaginantur: [4] ut Seneca in controversia, cujus summa est quod pater filium & novercam, inducente altero filio, in adulterio deprehensos occidit. *Duc, sequor: accipe hanc senilem manum, & quocunque vis imprime.* Et paulo post, *Aspice, inquit, quod diu non credidisti. Ego vero non video, nox oboritur, & crassa caligo.* Habet hæc

1 *Quale est procœmium pro Cœlio.*] Fingit enim initio crimen esse grave, cum judicium fiat ludis publicis: deinde paulatim extenuat, ostenditque judicium pendere ab adulterio *Clodiæ.* ita à magnitudine sceleris avocat animos judicum. *Turneb.*

2 Ὑποτύπωσις.] Ab *Alexandro Numenio* & *Aquila Romano* διατύπωσις. Latine vertitur à quibusdam *deformatio* & *descriptio.* Idem.

3 *Sed hæc quidem, &c.*] *Alexander Numenius* aliter accipit *metastasin*, quando scilicet à nobis alio rem transferimus. Quidam alius ex Latinis appellat *metastasin*, quum mutatur oratio à persona loquentis ad aliam personam. Fab. *metastasin* appellat *translationem temporum ad imaginem futuri.* Idem.

4 *Ut Seneca.*] Hæc declam. non extat.

1 *Topo-*

hæc figura manifestius aliquid. Non enim narrari res, sed agi videtur. Locorum quoque dilucida & significans descriptio, eidem virtuti assignatur à quibusdam: alii [1] τοπογραφίαν dicunt. Εἰρωνείαν inveni qui *dissimulationem* vocarent: quo nomine, quia parum totius hujus figuræ videntur vires ostendi, nimirum sicut in plerisque, Græca erimus appellatione contenti. [2] Igitur εἰρωνεία quæ est *schema*, ab illa quæ est tropus, genere ipso nihil admodum distat: (in utroque enim *contrarium ei quod dicitur*, intelligendum est) species vero prudentius intuenti, diversas esse facile est deprehendere. Primum, quod tropus apertior est: & quanquam aliud dicit ac sentit, non tamen aliud simulat. Nam & omnia circa fere recta sunt: ut illud in Catilinam, *A quo repudiatus, ad sodalem tuum virum optimum M. Marcellum demigrasti.* In duobus demum verbis est ironia, ergo etiam brevior est tropus. At in figura, totius voluntatis fictio est, apparens magis quam confessa: ut illic verba sint verbis diversa, hîc sermonis sensus voci: & tota interim caussæ confirmatio, tum etiam vita universa, ironiam habere videtur, qualis est visa Socratis. Nam ideo dictus εἴρων, id est agens imperitum, & admirator aliorum tanquam sapientium: ut quemadmodum ἀπηγείαν facit continua μεταφορά, sic hoc schema faciat troporum ille contextus. [3] Quædam vero genera hujus figuræ nullam cum tropis habent societatem: ut illa statim prima quæ dicitur à negando, quam nonnulli vocant ἀπόφασιν, *Non agam tecum jure summo, non dicam, quod forsitan*

1 *Topographiam.*] Servius libro primo Æneidos *topothesiam* ponit & *topographiam*, appellatque *topographiam* descriptionem veri loci, *topothesiam* vero descriptionem loci non veri, sed ficti. *Idem.*

2 *Igitur εἰρωνεία.*] *Ironia* cum *tropus* est, est in paucioribus verbis: cum autem *figura* est, in verborum multorum continuatione, atque adeo in tota sententia. *Idem.*

3 *Quædam vero.*] Quam appellat Fab. *apophasin.* id est, *negationem*, appellat Alexander Num. *paralepsin*, cum scilicet fingimus aliquid nos omittere quod tamen dicimus. alioqui apud Rufinianum *apophasis* figura est qua interrogamus nos ipsos, statimque respondemus & rationem reddimus: aut cum ab aliis interrogati idem facimus. etenim *apophasis* significat *responsionem* & *sententiam* apud Græcos. *Idem.*

1 *Septim.*

tan obtinerem. &, *Quid ego istius decreta, quid rapinas, quid hæreditatum possessiones datas, quid ereptas proferam?* &, *Mitto illam primam libidinis injuriam.* &, *Ne illa quidem testimonia recito, quæ dicta sunt de sestertiis* [1] *septingentis millibus.* &, *Possum dicere.* Quibus generibus per totas interim quæstiones decurrimus. ut Cicero, *Hoc ego si sic agerem tanquam mihi crimen esset diluendum, hæc pluribus dicerem.* [2] Εἰρωνεία est & cum similes imperantibus vel mittentibus sumus,

I sequere Italiam ventis.

[3] Et cum ea quæ nolumus videri adversariis esse, concedimus eis. Id acrius fit cum eadem in nobis sunt, & in adversario non sunt:

--- Meque timoris
Argue tu Drance, quando tot cædis acervos
Teucrorum tua dextra dedit.

Quod idem contra valet, cum aut ea quæ à nobis absunt, aut etiam quæ in adversarios recidunt, quasi fateamur.

[4] *Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter.*

Nec in personis tantum, sed & in rebus versatur hæc contraria dicendi quam quæ intelligi velis ratio, [5] ut totum pro *Quint. Ligario proœmium*, [6] & illæ elevationes, *Videlicet, O dii boni.*

Scilicet is superis labor est.

Et ille pro Oppio locus, *O amorem mirum! O benevolentiam singularem!* Non procul autem absunt ab hac simulatione tres inter se similes, Confessio nihil nocitura: qualis est, *Habes*

1 *Septingentis.*] *Sexcentis.* Pith.

2 *Εἰρωνεία est & cum, &c.*] *Ironiæ* species est *epitrope*, quum figurate aliquid concedimus, quod tamen factum nolumus. ea appellari potest *permissio.* Turneb.

3 *Et cum ea.*] Appellatur hæc species *chleuasmos.* id est, *subsannatio*, cum personam aliquam vafra & amarulenta irrisione illudimus. *Idem.*

4 *Me duce Dard.*] Verba sunt *Junonis* adversus *Venerem. Venus* autem excitarat *Paridem* ad *Helenam* rapiendam: ergo hæc verba recidunt in caput *Veneris.* Idem.

5 *Ut totum pro Q. Ligario, &c.*] Fabius hujus *ironiæ divinæ* meminit lib. 4. quanquam Georgius Trapezuntius *ironiam* esse negat, & hac in re *Fabium* reprehendit. sed ipse fallitur. *Idem.*

6 *Et illæ elevationes.*] Hæc figura appellatur διασειρμός, quæ habet *elevationem personarum & rerum cum irrisione.* Idem.

1 *Et*

bes igitur Tubero quod est accusatori maxime optandum, confitentem reum. [1] Et concessio, cum aliquid etiam iniquum videmur caussæ fiducia pati: *Metum virgarum navarchus nobilissimæ civitatis pretio redemit: humanum est.* Et pro Cluentio de invidia, *Dominetur in concionibus, jaceat in judiciis.* Tertia [2] consensio: ut pro eodem, *judicium esse corruptum.* Hæc evidentior figura est, cum alicui rei assentimur quæ est futura pro nobis: verum id accidere sine adversarii vitio non potest. Quædam etiam velut laudamus, ut Cicero in Verrem circa crimen [3] Apollonii Drepanitani, *Gaudeo etiam si quid ab eo abstulisti: & abs te nihil rectius factum esse dico.* Interim augemus crimina quæ ex facili aut diluere possumus, aut negare, quod est frequentius, quam ut exemplum desideret. [4] Interim hoc ipso fidem detrahimus illis, quod sint tam gravia: ut pro Roscio Cicero, cum immanitatem parricidii, quanquam per se manifestam, tamen etiam vi orationis exaggerat. [5] Ἀποσιώπησις, quam idem Cicero *reticentiam,* Celsus *obticentiam*, nonnulli *interruptionem* appellant, & ipsa ostendit affectus vel iræ, ut,

Quos ego: sed motos præstat componere fluctus.

Vel solicitudinis, & quasi religionis: *An hujus ille legis, quam Clodius à se inventam gloriatur, mentionem facere ausus esset vivo Milone, ne dicam consule? de nostrum enim omnium: non audeo totum dicere.* Cui simile est in proœmio pro Ctesiphonte Demosthenis. Vel alio transeundi gratia: *Communis autem,*

Tametsi,

1 *Et concessio, &c.*] Hunc locum sic interpretatur Erasmus in Ecclesiaste: *concessio est utilis, quæ nihil habet in se detrimenti*, præterea cum aliquid concedimus alio sensu quam objicitur. *Idem.*

2 *Consensio.*] Hanc appellat *permissionem* Cornificius lib. 4. est autem admodum vicina *confessioni* & *consensioni.* Idem. *Consensio.*] Alii, *Consessio.*

3 *Apollonii Drepanitani.*] Sic appellabatur à *Drepano* oppido *Siciliæ*, qui locus nomen habet à *falce Saturni* quæ in ea loca decidit. *Turneb.*

4 *Interim hoc ipso.*] Quanquam regula est *amplificationis*, ne augeamus ante probationem, defensor tamen nonnunquam ex magnitudine sceleris objecti per *amplificationem* detrahit fidem statim initio: quemadmodum Cicero fecit *augendo parricidium, ut ostenderet non esse perpetratum à Roscio.* Idem.

5 Ἀποσιώπησις.] Hæc figura est finitima *eclipsi*: hoc tamen differt, quod ad *affectum* fere adhibetur, & plura subticet. eam videtur appellasse *præcisionem* Cornificius. *Idem.*

Tametsi, ignoscite mihi, judices. [1] In quo est & illa (si tamen inter schemata numerari debet, cum aliis etiam pars caussæ videatur) digressio: Abit enim caussa in laudes Cn. Pompeii. Id quod fieri etiam sine ἀποσιωπήσει potuit. Nam brevior illa, ut ait Cicero, à re digressio, plurimis fit modis. Sed hæc exempli gratia sufficient. [2] *Tum Cajus Varenus, is qui à familia Anchariana occisus est: hoc quæso, judices, diligenter attendite.* Et pro Milone, *Et aspexit me illis quidem oculis quibus tum solebat, cum omnibus omnia minabatur.* [3] Est alia non quidem reticentia, quæ sit imperfecti sermonis, sed tamen præcisa velut ante legitimum finem oratio: ut illud, *Nimis urgeo, commoveri videtur adolescens.* &, *Quid plura? ipsum adolescentem dicere audistis.* [4] Imitatio morum alienorum, quæ ἠθοποιΐα, vel ut alii malunt, μίμησις dicitur, jam [5] inter leviores affectus numerari potest. Est enim posita fere in eludendo: sed versatur & in *factis*, & in *dictis*. In factis, quod est ὑποτυπώσει vicinum. In dictis, quale est apud Terentium,

[6] *At ego nesciebam quorsum tu ires. Parvula*
Hinc est abrepta, eduxit mater pro sua,
Soror dicta est: cupio abducere ut reddam suis.

Sed nostrorum quoque dictorum factorumque similis imitatio est per relationem, nisi quod frequentius asseverat quam eludit:

1 *In quo est & illa.*] Est interdum quoque *digressio* pertinens ad *aposiopesin*, ut in oratione pro *Cornelio Balbo* de commendatione *Pompeii.* fit autem dupliciter *digressio* citra *aposiopesin*: fit enim interdum prolixius, interdum brevius, ut docet *Cic. in Oratore.* Idem.

2 *Tum Cajus Varenus à fam. Anchariana.*] Vide *Turneb.* lib. 17. Adverss. c. 24.

3 *Est alia non quidem, &c.*] Hanc nonnulli proprio nomine appellant *præcisionem*, quando abscindimus sermonem. *Turneb.*

4 *Imitatio morum alienorum.*] Alexander Numenius ac nonnulli auctores Latini aliter accipiunt *ethopœiam*, quam etiam Rutilius appellat *ethologiam*, nimirum cum inducimus personam aliquam loquentem, cujus mores & sermones verisimiliter exprimimus. sed hanc speciem subjicit Fab. *prosopopœiæ.* Appellat autem hîc *ethopœiam, imitationem morum tum in dictis tum in factis*, ut tamen non inducatur persona loquens. *Idem.*

5 *Inter leniores affect.*] Nam *leniores affectus* appellantur ἤθη, quique *affectus* sunt *naturales*: quemadmodum *accidentales* & majores sunt illi affectus qui dicuntur πάθη. *Idem.*

6 *At ego nesciebam.*] Verba sunt *Phædriæ*, repetentis ea quæ dicta sunt à *Thaide*: atque ita verba ejus imitatur. *Idem. At ego nesciebam.*] In Eunuch. Act. 1. sc. 2.

1 *Hinc*

eludit: *Dicebam habere eos actorem Quin. Cæcilium.* Sunt & illa jucunda, & ad commendationem cum varietate, tum etiam ipsa natura plurimum prosunt, quæ simplicem quandam, & non præparatam ostendendo orationem, minus nos suspectos judici faciunt. [1] Hinc est quasi pœnitentia dicti: ut pro Cœlio: *Sed quid ego ita gravem personam introduxi?* Et quibus utimur vulgo, *Imprudens incidi.* Vel cum quærere nos quid dicamus fingimus. *Quid reliquum est?* &, *Num quid omisi?* Et cum ibidem in Verrem ait Cicero, *Unum etiam mihi reliquum hujusmodi crimen est.* &, *Aliud ex alio succurrit mihi.* [2] Unde etiam venusti transitus fiunt: non quia transitus ipse sit schema: ut Cicero narrato Pisonis exemplo, qui annulum sibi cudi ab aurifice in tribunali suo jusserat, velut hoc in memoriam adductus, adjecit; Hic modo me commonuit Pisonis annulus, quod totum effluxerat, [3] quam multis istum putatis hominibus honestis de digitis annulos aureos abstuliisse? Et cum aliqua velut ignoramus, Sed earum rerum artificem, quem? quemnam? recte admones, Polycletum esse dicebant. Quod quidem non in hoc tantum valet. Quibusdam enim dum aliud agere videmur, aliud efficimus: sicut hic Cicero consequitur, [4] ne cum morbum in signis atque tabulis objiciat Verri, ipse quoque earum rerum studiosus esse credatur. [5] Et Demosthenes jurando per interfectos in Marathone & Salamine, id agit, ut minore invidia cladis apud Cheroneam acceptæ laboret.

Faciunt

1 *Hinc est quasi pœnit.*] Hanc figuram appellat Rutilius *metanœam*, quæ species est *correctionis*, qua nos reprehendimus. *Turneb.*

2 *Unde etiam.*] *Transitus* per se (ut existimat Fab.) *figura* non est, nisi cum illi aliud schema additur, ut *correctio, dubitatio, pœnitentia.* Idem.

3 *Quam multis istum, &c.*] *Romani* nobiles in digitis annulos gestabant. hinc sunt (ut inquit Plinius) *trimodia illa annulorum quæ cæsis ad Cannas Romanis Carthaginem misit Annibal.* Idem.

4 *Ne cum morbum in signis, &c.*] Cic. ut significaret maximam cupiditatem Verris, non vocavit *studium*, non *cupiditatem*, sed *morbum*, ad amplificationem. *Idem.*

5 *Et Demosthenes.*] Ad Cheroneam urbem Bœotiæ *Philippus* Macedonum rex superavit *Athenienses*: ex eo prælio *Demosthenes* abjecto clypeo profugit. *Militiades* autem in *Marathone campo* Atticæ regionis superavit exercitum *Darii* regis *Persarum. Themistocles* in *Salaminio* freto profligavit exercitum *Xerxis.* Idem.

Faciunt illa quoque jucundam orationem, aliqua mentione habita differre, & deponere apud memoriam judicis, & repoſcere quæ depoſueris, & ſeparare quædam ſchemate aliquo: ([1] non enim eſt ipſa per ſe iteratio ſchema,) & excipere aliqua, & dare actioni varios velut vultus. Gaudent enim res varietate: & ſicut oculi diverſarum aſpectu rerum magis detinentur; ita ſemper animis præſtant in quod ſe velut novum intendant.

[2] Eſt emphaſis etiam inter figuras, cum ex aliquo dicto latens aliquid eruitur: ut apud Virgilium,

Non licuit thalami expertem ſine crimine vitam
Degere more feræ? ----

Quanquam enim de matrimonio queritur Dido, tamen huc erupit ejus affectus, ut ſine thalamis vitam non hominum putet, ſed ferarum. [3] Aliud apud Ovidium genus apud quem & Myrrha nutrici amorem patris ſic confitetur,

O dixit, felicem conjuge matrem.

[4] Huic vel confinis, vel eadem eſt, qua nunc utimur plurimum: Jam enim ad id genus, quod & frequentiſſimum eſt, & expectari maxime credo, veniendum eſt: in quo per quandam ſuſpicionem, quod non dicimus, accipi volumus: [5] non utique contrarium, ut in εἰρωνείᾳ, ſed aliud latens, & auditori quaſi inveniendum: quod, ut ſupra oſtendi, jam fere ſolum ſchema à noſtris vocatur, & unde controverſiæ figuratæ

1 *Non enim eſt ipſa, &c.*] Videtur eſſe *ſeparatio*, quædam *ſejunctio*, cum res aliquas, quæ *conjunctæ* videntur, proponimus, deinde ſeparamus: ita cum accedimus ad *ſeparationem*, iteramus. huic finitima eſt *paradiaſtole*, quæ res finitimas ſolet diſtinguere. *Idem.*

2 *Eſt emphaſis.*] Figura hæc (ut inquit Eraſmus in Eccl.) valet ad *dignitatem* orationis, ad *acrimoniam* & *affectum*. huic ſubjecit Fabius lib. 8. *apoſiopeſin*. nunc autem de altera tantum parte loquitur quæ *plus intelligit quam dicit*. Idem.

3 *Aliud apud Ovidium.*] *Myrrha*, ut fabulantur poëtæ, patrem Cypriorum regem amavit, cum eoque rem habuit, ac demum eſt mutata in *arbuſculam*. Idem.

4 *Huic vel confinis.*] Hic totus locus tranſlatus eſt ex tractatione *Dionyſii Halicarnaſſei*, qua agit de *ſchematiſmis*. id eſt, de *figuratis controverſiis*. Anguſtius tamen tractat *Fab.* quam *Dionyſius*. nam *Dionyſius* ponit etiam *figuratas controverſias* per contrarium. admittere videtur duntaxat Fabius eas quæ fiunt *ex obliquo* & ſuſpicione, aut interdum quæ fiunt *per colorem*. Idem.

5 *Non utique contrarium.*] Nam ſi *figurata eſt controverſia per contrarium*, *ironiæ* ſubjici debet, non *emphaſi*. ait enim antea, in *ironia* interdum eſſe totam cauſæ confirmationem. *Idem.*

1 *Nam*

figuratæ dicuntur. Ejus triplex usus est: Unus, si dicere palam parum tutum est. Alter, si non decet. Tertius, qui venustatis modo gratia adhibetur, & ipsa novitate ac varietate magis quam si relatio sit recta, delectat. Ex his quod est primum, frequens in scholis est. Nam & actiones deponentium imperium tyrannorum, & post civile bellum senatusconsulta finguntur, & capitale est objicere anteacta: ut quod in foro non expedit, illic nec liceat. Sed schematum conditio non eadem est. Quamlibet enim apertum, quod modo & aliter intelligi possit, in illos tyrannos bene dixeris, quia periculum tantum, non etiam offensa vitatur. Quod si ambiguitate sententiæ possit eludi, nemo non illi furto favet. Vera negotia nunquam adhuc habuerunt hanc silentii necessitatem, sed aliam huic similem: verum multo ad agendum difficiliorem, cum personæ potentes obstant, sine quarum reprehensione teneri caussa non possit. [2] Ideoque hoc parcius & circunspectius faciendum: quia nihil interest quomodo offendas: & aperta figura perdit hoc ipsum, quod figura est. [3] Ideoque à quibusdam tota res repudiatur, sive intelligatur, sive non. Sed licet modum adhibere: In primis, ne sint manifestæ. Non erunt autem, si non ex verbis dubiis & quasi duplicibus petentur: qualis est in suspecta nuru, [4] *Duxi uxorem, quæ patri placuit.* Aut, quod est multo ineptius, compositionibus ambiguis: ut illa controversia, in qua infamis amore virginis filiæ pater raptam eam interrogat à quo vitiata sit, *Quis te*, inquit, *rapuit?*

1 *Nam & actiones.*] *Thema* est *declamatorium* in hanc sententiam, quod tyrannus imperium deponat, addita stipulatione ut *anteacta* objicere sit capitale. quæ est lex *Amnestiæ*. Idem.

2 *Ideoque hoc parcius.*] Quia in hac conditione potes aperte personas offendere, non videtur *figura* opus, cum offendere possis citra *figuram*: alioqui si *figura* uti velis, parce id faciendum est. si enim continuando *figura* aptior fieret, *figuræ* nomen amitteret. *Idem.*

3 *Ideoque à quibusdam.*] Si *figura* (ait Dionysius) intelligitur, non est melior simplici oratione: si non intelligitur, perditur. Sed hoc demum refutat *Dionysius*. Idem.

4 *Duxi uxorem.*] *Ducit uxorem maritus*, ducit etiam *meretricem leno* ad scortatorem: unde *perductor* appellatur. Præterea duxerat *uxorem* vel ex voluntate patris, vel quam pater amabat. *Idem.*

rapuit? [1] *Tu pater nescis?* [2] Res ipsæ perducant judicem ad suspicionem, & amoliamur cætera, ut hoc solum supersit, in quo multum etiam affectus juvant, & interrupta silentio dictio, & cunctationes. Sic enim fiet, ut judex quærat illud nescio quid, quod ipse fortasse non crederet si audiret: & ei quod à se inventum existimat, credet. Sed ne si optimæ quidem sint, esse debent frequentes. Nam densitate ipsa figuræ aperiuntur, nec offensæ minus habent, sed auctoritatis. [3] Nec pudor videtur quod non palam objicias, sed diffidentia. In summa, sic maxime judex credit figuris, si nos putat nolle dicere. Equidem quandoque & in personas incidi tales, & in rem quoque (quod est magis rarum) quæ obtineri nisi hac arte non posset. [4] Ream tuebar, quæ subjeciisse dicebatur marito testamentum, & dicebatur chirographum marito expirante hæredibus dedisse, & verum erat. Nam quia per leges institui uxor non poterat hæres, id fuerat actum, ut ad eam bona [5] per hoc tacitum fideicommissum pervenirent. Et caput quidem veri facile erat si hoc diceremus palam: sed peribat hæreditas. Ita ergo fuit nobis agendum, ut judices illud intelligerent factum, delatores non possent apprehendere ut dictum: & contigit utrunque. Quod non inseruissem, veritus opinionem jactantiæ,

1 *Tu pater nescis?*] Vel quasi raptorem filiæ suæ pater non debeat ignorare, vel quasi etiam ipse rapuerit & vitiaverit. *Idem.*

2 *Res ipsæ perducant.*] Cum per figuram dicemus *suspiciose*, ita *oblique* rem persequamur, ut ipso orationis ductu sensim ad rei intellectum perveniat judex. addi debent *interruptiones* & *cunctationes*, ut videamur nolle dicere. sic enim erit præstantior figura. *Idem.*

3 *Nec pudor.*] *Figura* uti videmur propter quendam *pudorem* & *verecundiam*: at cum crebræ sunt figuræ, existimat judex nos non audere rem proloqui, propter *diffidentiam*, atque ita oratio amittit *authoritatem* & *probabilitatem*. Idem.

4 *Ream tuebar, &c.*] *Subjicere testamentum*, est, *falsum pro vero supponere*: quod qui facit, damnatur *lege Cornelia testamentaria*. hanc igitur partem existimemus negatam, ac putemus hæredes qui scripti testamento fuerant, chirographum dedisse quo pollicebantur se reddituros mulieri hæreditatem. itaque contractus erat quidam non absimilis fideicommisso: si tamen fideicommissum fuisset, res non valuisset. *Idem.*

5 *Per hoc tacitum fid.*] Nam *verum fideicommissum* fit per *interpositionem verborum*, quando instituimus hæredem, petimusque ut adiverit hæreditatem, eam restituat fideicommissario. *Idem.*

1 *Cum*

tiæ, nisi probare voluissem, in foro quoque esse his figuris locum. Quædam etiam quæ probare non possis figura potius spargenda sunt. Hæret enim nonnunquam telum istud occultum, & hoc ipso quod non apparet, eximi non potest. At si idem dicas palam, & defenditur, & probandum est. [1] Cum autem obstat nobis *personæ reverentia* (quod secundum posuimus genus) tanto cautius dicendum est, quanto validius bonos inhibet pudor, quam metus. Hîc vero tegere nos judex quod sciamus, & verba vi quadam veritatis erumpentia credat coërcere. Nam quanto minus aut ipsi in quos dicimus, aut judices, aut assistentes oderint hanc maledicendi lasciviam, si nolle nos credant? [2] Aut quid interest quo modo dicatur, cum & res & animus intelligitur? Quid denique dicendo proficimus, nisi ut palam sit nos facere, quod ipsi sciamus non esse faciendum? [3] Atqui præcipue prima, quibus præcipere cœperam, tempora hoc vitio laborarunt. Dicebant enim libenter tales controversias, quæ difficultatis gratia placent, cum sint multo faciliores. Nam rectum genus approbari nisi maximis viribus non potest: hæc diverticula & anfractus suffugia sunt infirmitatis: ut qui cursu parum valent, flexu eludunt: cum hæc quæ affectatur ratio sententiarum, non procul à ratione jocandi abhorreat. [4] Adjuvat etiam quod auditor gaudet intelligere, & favet ingenio suo, & alio dicente se laudat. [5] Itaque non solum si per-

1 *Cum autem obstat.*] Est etiam utendum *figura*, quando non decet palam dicere propter personæ reverentiam. *figura* enim efficit *pudorem*, quo movetur *honesta persona: apta oratio* efficit *metum*, quo minus honesti homines moventur. *Idem.*

2 *Aut quid interest.*] Locus est admodum abruptus, ut aliquid deesse videatur. loquitur enim de his qui nimis frequenter utuntur *figuris*, quod vitiosum existimat. Quod autem sit hic sensus, apparet ex sequentibus. *Idem.*

3 *Atqui præcipue.*] Prima tempora quibus præcepit vocat, aut quibus est primum professus *rhetoricam*, aut quibus scripsit *lib. de causis corruptæ eloquentiæ:* illis enim temporibus nimius erat usus *figurarum.* Idem.

4 *Adjuvat etiam.*] Hac impelluntur causa nonnulli ut *figuris* utantur, quia gratius est hoc dicendi genus *auditoribus.* nam cum *auditor* intellexit suspicionem, favet inventioni suæ & suo ingenio. *Idem.*

5 *Itaque non solum.*] Utebantur *figuris* non solum quum erat *persona honesta*, quæ postularet reverentiam, sed etiam cum erat *persona nefaria.* Idem.

si persona obstaret recte orationi (quo in genere sæpius modo quam figuris opus est) decurrebant ad schemata, sed faciebant illis locum etiam ubi personæ inutiles ac nefariæ essent: *ut si pater qui infamem in matrem filium secreto occidisset, reus malæ tractationis, jacularetur in uxorem obliquis sententiis.* [1] Nam quid impurius quam retinuisse talem? Quid porro tam contrarium, quam eum qui accusetur, quia summum nefas suspicatus de uxore videatur, confirmare id ipsa defensione quod diluendum est? At si judicum sumerent animum, scirent quam ejusmodi actionem laturi non fuissent: multoque etiam minus, cum in parentes abominanda crimina spargerentur. Et quatinus huc incidimus, paulo plus scholis demus. Nam & in his educatur orator: [2] & in eo, quo modo declametur, positum est etiam quo modo agatur. Dicendum ergo de iis quoque in quibus non aspersas figuras, [3] sed palam contrarias caussæ plerique fecerunt. [4] Tyrannidis affectatæ damnatus torqueatur, ut conscios indicet: accusator ejus optet quod volet. Patrem qui accusavit, optat ne is torqueatur. pater ei contradicit. Nemo se tenuit agens pro patre, quin figuras in filium faceret, tanquam illum conscium pater in tormentis esset nominaturus. Quo quid stultius? Nam cum hoc judices intellexerint, aut non torquebitur cum ideo torqueri velit: aut torto non credetur. At credibile est hoc eum velle fortasse. Dissimulet ergo, ut efficiat. [5] Sed nobis (declamatoribus dico)

1 *Nam quid impurius.*] De hoc themate scripta est *declamatio à Fabio*, quam *Valla* existimat divinam & admirabilem. cum autem maritus accusetur *malæ tractationis*, diluere id debet. at si figeret uxorem *obliquis sententiis*, id confirmaret per *suspicionem*. Idem.

2 *Et in eo, quo modo, &c.*] Sensus est, si quis bene declamaverit, & ad veritatem, idem etiam optime causas egerit. quod igitur dixero de *declamatione*, idem pertinebit ad *institutionem oratoris*. Idem.

3 *Sed palam contrarias.*] *Dionysius* tamen existimat figuræ quoddam genus esse per *contrarium*, quod videtur *Fab.* reprehendere, aut saltem notare ejus usum, quia *declamatores* perperam eo utebantur. *Idem.*

4 *Tyrannidis affectatæ, &c.*] In hoc est figura, quia quanquam petit, ut torqueatur, alio est animo, sed ita indicat filium esse *tyrannidis* conscium. est igitur *figura à contrario*. Idem.

5 *Sed nobis.*] Alia est *hypophora*, qua *declamatores* tuentur suam *figuram*. quibus

dico) quid proderit hoc intellexisse, nisi dixerimus? Ergo si vere ageretur, similiter consilium illud latens prodidissemus? Quid si neque utique verum est, & habere alias hic damnatus contradicendi causas potest, vel quod legem conservandam putet, vel quod nolit accusatori debere beneficium, vel (quod ego maxime sequerer) ut se innocentem in tormentis esse [1] prætendat? [2] Quare ne illud quidem semper succurret sic dicentibus, *Patrocinium hoc voluit, qui controversiam finxit.* Fortasse enim noluit: sed esto, voluerit: continuone si ille stulte cogitavit, nobis quoque stulte dicendum est? At ego in caussis agendis frequenter non puto intuendum quid litigator velit. [3] Est & ille in hoc genere frequens error, ut putent aliud quosdam dicere, aliud velle: præcipue cum in themate est, aliquem ut sibi mori liceat postulare: ut in illa controversia, *Qui aliquando fortiter fecerat, & alio bello petierat* [4] *ut militia vacaret ex lege, quod quinquagenarius esset, adversante filio ire in aciem coactus deseruit.* Filius qui fortiter eodem prælio fecerat, incolumitatem ejus optat: contradicit pater. Non enim, inquiunt, mori vult, sed invidiam filio facere. Equidem rideo, quod illi sic timent tanquam ipsi morituri, & in consilium suos metus ferunt, obliti tot exemplorum circa voluntariam mortem, caussarum quoque quas habet factus ex viro forti desertor. Sed de una controversia loqui supervacuum est. [5] Ego in univer-

bus respondet Fabius in veris causis occultandum esse hoc consilium, ac perinde idem faciendum in *declamatione.* Idem.

1 *Prætendat.*] *Pertendat.* Pith.

2 *Quare ne illud.*] Alia est *declamatorum* objectio. sic enim dicunt, *At ille qui defenditur, hoc modo se defendi vult:* Fabius respondet non esse per omnia litigatoribus obtemperandum. nam & Cicero *Cluentium* aliter defendit, quam *Cluentius* vellet. *Turneb.*

3 *Est & ille in hoc, &c.*] Hoc quoque genus referri debet ad *figuram* ex contrario ductam, cum *aliud dicimus* & *aliud volumus.* Idem.

4 *Ut militia vacaret.*] *Ex lege militari quinquagenarius vacationem obtinet,* ut *ex lege civili sexagenarius vacationem à muneribus civilibus,* inde dicuntur *senes deponentani.* Idem.

5 *Ego in universum, &c.*] *Prævaricari* hîc appellat Fabius, *à vero dicendi genere deflectere.* fortasse etiam ad id alludit, quod defensor idem sentit cum accusatore. nam *filius petit ne pater moriatur, idem quoque pater petit,* quod attinet ad voluntatem. *Idem.*

universum neque oratoris puto esse unquam prævaricari, neque litem intelligo, in qua pars utraque idem velit: neque tam stultum quenquam, qui si vivere velit, mortem potius male petat, quam omnino non petat. Non tamen nego esse controversias hujusmodi figuratas: ut illa, *Reus parricidii, quod fratrem occidisset, damnatum iri videbatur. Pater pro testimonio dixit eum se jubente fecisse: absolutum abdicat.* [1] Nam neque in totum filio parcit, nec quod priore judicio affirmavit, mutare palam potest, & ut non durat ultra pœnam abdicationis, ita abdicat tamen: & [2] obliqua figura in patre plus facit quam licet, in filio minus. Ut autem nemo contra id quod vult dicit, ita potest melius aliquid velle quam dicit: quomodo ille abdicatus, qui à patre ut filium expositum & ab eo educatum [3] solutis alimentis recipiat postulat, revocari fortasse mavult, non tamen quod petit, non vult. [4] Est latens & illa significatio: qua cum jus asperius petitur à judice, fit ei tamen spes aliqua, clementiæ non palam, ne paciscamur, sed per quandam credibilem suspicionem, ut in multis controversiis, sed in hac quoque: *Raptor nisi intra trigesimum diem, & raptæ patrem, & suum exoraverit, pereat.* Qui exorato raptæ patre suum non exorat, agit cum eo dementiæ. Nam si permittat hic pater, lis tollitur: si nullam spem faciat, ut non demens, crudelis certe videatur, & à se judicem avertat. [5] Latro igitur optime, Occidet ergo, si potero. Remissius, & pro suo ingenio pater Gallio, *Dura anime hodie, dura: heri fortior fuisti.* Confinia sunt his celebrata

1 *Nam neque in totum.*] Explicat rationem figuræ Fabius. *abdicatio enim fit ob aliquam causam.* videtur autem abdicatus à patre propter interfectum fratrem, & tamen liberatus fuerat testimonio patris. Est igitur necessarium ut pater afferat *figuram.* Idem.

2 *Obliqua.*] Alii, *Alioqui.*

3 *Solutis alimentis.*] Nam lex erat *ut liceret expositum filium recipere, dummodo alimenta solverentur nutritio.* Turnebus.

4 *Est latens & illa significatio, qua, &c.*] Species etiam est *figuræ, quando quæ duriora sunt, blanditiis verborum & lenitate mitigamus.* hanc speciem appellant Græci εὐφημισμόν. quanquam & *euphemismus* appellatur, cum dicimus *boni ominis causa.* Idem.

5 *Latro igitur optime.*] Exemplum est ductum ex oratione *Portii Latronis*, declamatoris insignis, in quo vix deprehendas *figuram*, propterea quod oratio illa desideratur. *Idem.*

1 *Nam*

brata apud Græcos ſchemata, per quæ res aſperas mollius ſignificant. [1] Nam Themiſtocles ſuaſiſſe exiſtimatur Athenienſibus, ut urbem apud deos [2] deponerent: quia durum erat dicere, ut relinquerent. [3] & qui victorias aureas in uſum belli conflari volebat, ita declinavit, victoriis utendum eſſe. Totum autem allegoriæ ſimile eſt, aliud dicere, aliud intelligi velle. Quæſitum etiam eſt quomodo reſponderi contra figuras oporteret. Et quidem ſemper ex diverſo aperiendas putaverunt, ſicut latentia vitia reſcinduntur. Idque ſane frequentiſſime faciendum eſt, aliter enim dilui objecta non poſſunt, utique cum quæſtio in eo conſiſtit, quod figuræ petunt. At cum maledicta ſunt tantum, non intelligere interim bonæ conſcientiæ eſt. Atque etiam cum fuerint crebriores figuræ, quam ut diſſimulari poſſint, poſtulandum eſt, ut illud neſcio quid quod adverſarii obliquis ſententiis ſignificare voluerint, ſi fiducia ſit, objiciant palam: aut certe non exigant, ut quod ipſi non audent dicere, id judices non modo intelligant, ſed etiam credant. [4] Utilis etiam aliquando diſſimulatio eſt, ut in eo (nota enim fabula eſt) qui cum eſſet contra eum dictum, *Jura per patroni tui cineres, paratum ſe eſſe reſpondit:* & judex conditione uſus eſt, clamante multum advocato, ſchemata de rerum natura tolli, ut protinus etiam præceptum ſit, ejuſmodi figuris utendum temere non eſſe. Tertium eſt genus, in quo ſola melius dicendi petitur occaſio: ideoque id Cicero non putat eſſe poſitum in contentione. Tale eſt illud, quo idem utitur in Clodium, *Quibus iſte, qui*

1 *Nam Themiſtocles.*] Cum *Xerxes* in *Atticam* veniret, *Themiſtocles Athenienſibus* ſuaſit ut relicta urbe ſe navibus committerent: ſed rem ita declinavit, ut *urbem relinquerent diis aſſervandam more depoſiti.* Idem.

2 *Deponerent.*] Herod. lib. 7. παρακαταθέσθαι.

3 *Et qui victorias aureas.*] *Simulachra victoriæ fiebant ex auro.* ſuadebat igitur aliquis ut ex *victoriæ* ſtatua conficerentur *pecuniæ* ad uſum belli. ſed enim qui *victorias* deſtruit, videtur verbo ominoſo protendere civitati cladem: quocirca hoc molliendum fuit aliqua figura. *Turneb.*

4 *Utilis etiam.*] *Seneca* in declamationibus hujus rei meminit. hoc enim factum eſſe dicit ab *Albutio*, qui hanc obtulerat conditionem *Aruntio*, quam & ille acçepit. *Idem.*

1 *Qui*

[1] *qui omnia sacrificia nosset, facile ab se deos placari posse arbitrabatur.* Ironia quoque in hoc genere materiæ frequentissima est. Sed eruditissimum longe, si per aliam rem alia inducatur: ut cum adversus tyrannum qui sub pacto abolitionis dominationem deposuerat, ait competitor, *Mihi in te dicere non licet, tu in me dic, & potes:* [2] *Nuper te volui occidere.* Frequens illud est, nec magnopere captandum: quod petitur à jurejurando: ut pro exhæredato, [3] *Ita mihi contingat hærede filio mori.* Nam & in totum jurare, nisi ubi necesse est, gravi viro parum convenit: & est à Seneca dictum eleganter, *non patronorum hoc esse, sed testium.* Nec meretur fidem, qui sententiolæ gratia jurat: nisi si potest tam bene quam Demosthenes, ut supra dixi. Levissimum autem longe genus ex verbo, etiamsi est apud Ciceronem in Clodiam, *Præsertim quam omnes amicam omnium potius quam cujusquam inimicam putaverunt.* [4] Comparationem equidem video figuram non esse, cum sit interim probationis, interim etiam causæ genus: & sit talis ejus forma, qualis est pro Murena, *Vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas: ille, ut quo contendit, mature cum exercitu perveniat. Te Gallorum, illum buccinarum cantus excitat, & cætera.* [5] Nescio an orationis potius quam sententiæ sit. Id enim solum mutatur, quod non universa universis, sed singula singulis opponuntur. Et Celsus tamen,

1 *Qui omnia sacrificia nosset.*] Hoc ait, propterea quod *Clodius* ingressus erat in *opertum Bonæ Deæ*, quod non licebat *viris*. Unde fingit Cic. peritum esse sacrificiorum. *Idem.*

2 *Nuper te volui occidere.*] *Figura* est in eo, quod accipi potest *vox tyrannica*, qua occidere *tyrannus* volebat civem privatum, accipi potest etiam *oblique*, quod dici non poterat *aperte*, quasi *competitor* voluerit nuper occidere *tyrannum*. Idem.

3 *Ita mihi contingat, &c.*] *Patronus* hoc jurejurando significat *malam* fuisse *exhæredationem* & *impiam*, quoniam optat filium *hæredem*. sic enim *exhæredationem* aversatur. *Idem.*

4 *Comparationem equidem.*] Duplex est *comparatio*: *quædam enim ad argumenta refertur*, de qua dixit lib. 5. *quædam ad genus causæ*, unde causa *comparativa* dicitur à Fab. lib. 3. Fabius autem *comparationem* non putat esse *schema*, Cic. existimavit in lib. de Oratore, & Rutilius. *Idem.*

5 *Nescio an.*] Ab aliis duæ figuræ fiunt *comparationis*. altera enim ponitur *in re*, quam appellant συγκρίσιν: altera ponitur *in verbo*, quam appellant ἀντίθετον. Rutilius tamen antitheton ponit in *verbo* & in *re*. Idem.

1 *Con-*

men, & non negligens auctor Visellius in hac eam parte posuerunt. Rutilius quidem Lupus in utroque genere, idque ἀντίθετον vocat. Præter illa vero quæ Cicero inter lumina posuit sententiarum, multa alia & idem Rutilius Gorgiam secutus, non illum Leontinum, sed alium sui temporis, cujus quatuor libros in unum suum transtulit, & Celsus videlicet Rutilio accedens, posuerunt *schemata*. [1] *Consummationem*, quam Græcus ἀναπαγλὼ vocat, cum plura argumenta ad unum effectum deducuntur. *Consequens*, ille ἐπακολούθησιν, de quo nos in argumentis diximus. *Collectionem*, qui apud illum est συλλογισμός. Minas, id est κεφάλαιον. *Exhortationem*, προτρεπτικόν. Quorum nihil non rectum est, nisi cum aliquam ex his, de quibus locuti sumus, figuram accipit. Præter hæc Celsus, excludere, asseverare, detrectare, excitare judicem, proverbiis uti, & versibus, & joco, & invidia, & invocatione, intendere crimen, quod est δέησις, adulari, ignoscere, fastidire, admonere, satisfacere, precari, corripere, figuras putat. *Partitionem* quoque, & propositionem, & divisionem, & [2] rerum duarum cognationem, quod est ut idem valeant quæ videntur esse diversa, ut non is demum sit veneficus, qui vitam abstulit data potione, sed etiam qui mentem: quod est in parte finitionis. Rutilius sive Gorgias, [3] ἀναγκαῖον, ἀνάμνησιν, ἀνθυποφοράν, ἀντίρρησιν, προφύξησιν, προέκθεσιν, quod est dicere quid fieri oportuerit, deinde quid factum sit: ἐναντιότητα unde sint enthymemata καὶ αἰτίασιν: μετάληψιν etiam quo statu Hermagoras utitur. Visellius quanquam pauciſſimas facit figuras, facit ἐνθύμημα tamen, quod *commentum* vocat: & rationem appellans ἐπιχείρημα, inter has habet.

1 *Consummationem.*] Hæc figura non reperitur in lib. *Rutilii*, ut videtur mutilus ille liber ad nos perveniſſe. quia autem multa argumenta eidem rei accommodata probationem perficiunt & consummant, idcirco *consummatio* appellatur hæc figura. *Idem.*

2 *Rerum duarum cognationem.*] Fit hæc figura, *cum res diversas easdem dicimus esse*, huic opponitur *paradiastole*, quæ ostendit quantum sit discriminis inter ea quæ prope videntur eadem. *Idem.*

3 Ἀναγκαῖον.] *Necessarium* est, cum causamur necessitatem rerum aut personarum. *Recordatio* est, cum aliquid in memoriam judicis revocamus, ut melius infigatur. *anthypophora*, solutio est *hypophoræ*. Idem.

1 Διασ-

habet. quod quidem recipit quodammodo & Celsus: nam *consequens* an epicherema sit, dubitat. Visellius adjicit & sententiam. Invenio qui aggregent his [1] διασκευὰς, ἀπαγορεύσεις, παραδιηγήσεις. Sed ut hæc non sunt schemata: sic alia vel sint forsitan, ac nos fugerint: vel etiam nova fieri adhuc possint, ejusdem tamen naturæ, cujus sunt ea de quibus dictum est.

1 Διασκευάς.] *Expolitiones* latine possumus dicere, quæ fiunt cum persequimur *circunstantias*, & addimus modum. *auctor Hermog.* Idem.

Cap. III.

De figuris verborum.

3 VErborum vero figuræ & mutatæ sunt semper, & utcunque valuit consuetudo, mutantur. Itaque si antiquum sermonem nostro comparemus, pene jam quicquid loquimur, figura est: ut *huic rei* [1] *invidere*, non, ut omnes veteres, & Cicero præcipue, *hanc rem*: & *incumbere illi*, non *in illum*: & *plenum vino non vini*, & *huic non hunc adulari*, jam dicitur, & mille alia: utinamque non pejora vincant. [2] Verum schemata λέξεως duorum sunt generum: alterum loquendi rationem vocant: alterum quod ad collocationem maxime exquisitum est. Quorum tametsi utrunque convenit orationi, tamen possis illud *grammaticum*, hoc *rhetoricum* magis dicere. Prius fit iisdem generibus, quibus vitia. [3] Esset enim omne *schema* vitium, si non peteretur, sed accideret. Verum auctoritate, vetustate, consuetudine plerunque defenditur, sæpe etiam ratione quadam. Ideoque cum

IMpossibile est ut aliquis omnes verborum *figuras* complectatur, quia quotidie aliæ atque aliæ oriuntur pro sermonis mutatione. *Turneb.*

1 *Invidere.*] Dan. *Invadere.*

2 *Verum schemata.*] Sic quoque dividunt *grammatici*, qui *figuras* ponunt *locutionis* & *constructionis*. sed enim *constructionis figuræ* (ut docet Cic.) maximam afferunt orationi concinnitatem: ideoque *rhetoricæ* à Fabio appellantur. *Turneb.*

3 *Esset enim omne.*] Id antea docuit Fabius, *schema* cum per imprudentiam excidit, habendum esse loco *solœcismi*: sed enim cum petitur, pro virtute ducitur. *Idem. Esset, &c.*] Esset enim omne hujusmod. * Defuit vet. exempl. vide infra.

1 *Quo*

cum sit à simplici rectoque loquendi genere deflexa, virtus est, si habet probabile aliquid quod sequatur. Una tamen in re maxime utilis, ut quotidiani & semper eodem modo formati sermonis fastidium levet, & nos à vulgari dicendi genere defendat. [1] Quo si quis parce, & cum res poscet utetur, velut aspersо quodam condimento jucundior erit: at qui nimium affectaverit, ipsam illam gratiam varietatis amittet, quanquam sunt quædam figuræ ita receptæ, ut pene jam hoc ipsum nomen effugerint: quæ etiam si fuerint crebriores, aures consuetas minus ferient. Nam secretæ, & extra vulgarem usum positæ, ideoque magis nobiles, ut novitate aurem excitant, ita copia satiant: nec se obvias fuisse dicenti, sed conquisitas, & ex omnibus latebris extractas congestasque declarant. [2] Fiunt ergo & circa genus figuræ in nominibus, Nam & *oculis capti talpæ, & timidi damæ* dicuntur à Virgilio: sed subest ratio, quia sexus uterque altero significatur. Tam enim mares esse *talpas* damasque quam fœminas certum est. Et in verbis: ut *Fabricatus est gladium:* & [3] *Inimicos punitus es.* Quod mirum minus est, quod in natura verborum est, & quæ facimus patiendi modo sæpe dicere, ut *arbitror, suspicor:* & contra faciendi quæ patimur: ut *vapulo:* ideoque frequens permutatio est: & pleraque utroque modo efferuntur, *luxuriatur, luxuriat, fluctuatur, fluctuat, assentior, assentio, revertor, reverto.* Est figura, & in numero: vel cum singulari pluralis subjungitur, *Gladio pugnacissima gens Romani. gens* enim ex multis. Vel è diverso,

[4] *Cui non risere parentes,*

Nec

1 *Quo si quis parce.*] Locus hic ductus est ab *Arist.* qui Alcidamantem reprehendebat quod ornamentis uteretur non ut condimentis, sed ut cibis: quo dicto significabat illis parce utendum. *Turneb.*

2 *Fiunt ergo.*] Has figuras grammatici vocant *heterosin* & *enallagen.* id est, *mutationem*, quia mutantur vel partes vel partium qualitates. primum hoc genus vocatur ἑτερογενὲς. *Idem.*

3 *Inimicos punitus es.*] Barthius Adversar. lib. 23. cap. 9. p. 1131. Jan. Gebhard. Crepund. lib. 2. cap. 11. pag. 85. 86.

4 *Cui non risere, &c.*] Mire torquentur in his versibus *grammatici.* nam permulti putant *Cui* legendum esse in dativo singulari: *Fabius* vero accipit in nominativo

Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

Ex illis enim qui non risere, hunc non dignatus deus, nec dea dignata. Et mutatione partium, ut in Satyra,

-- Et nostrum istud vivere triste Aspexi.

cum infinito verbo sit usus pro appellatione. Nostram enim vitam vult intelligi. Utimur & verbo pro participio, ut,

[1] *Magnum dat ferre talentum,*

tanquam ferendum. Et participio pro verbo, *Volo datum.* Interim etiam dubitari potest cui simile vitio sit schema, ut in hoc,

Virtus est vitium fugere. --

Aut enim partes orationis mutat ex illo, *Virtus est fuga vitiorum.* Aut casus ex illo, *Virtutis est vitium fugere.* [2] Multa tamen hoc utroque excitatius junguntur interim schemata. *Sthenelus sciens pugnæ.* Est enim *sciens Sthenelus pugnandi.* Transferuntur etiam tempora, *Timarchides negat esse ei periculum à securi.* [3] Præsens enim pro præterito positum est. Et futurum pro præsenti,

Hoc Ithacus velit. Et ne morer, per omnia sit genera, per quæ fit *solœcismus.* Hæc est quoque quam [4] ἑτέρωσιν vocant. cum dissimilis est, [5] *Zeugma* dicitur: ut apud Sallustium, *Neque ea res falsum me habuit.* &, *Duci probare.* Ex quibus fere præter novitatem brevitas etiam peti solet. Unde eousque processum esse, ut *non pœniturum*, pro non acturo pœnitentiam: & *visuros*, ad videndum missos, idem auctor dixerit.

minativo plurali, cui statim subjicitur *Hunc*, in numero singulari. *Turnebus. Cui non risere parentes nec Deus hunc mensa, &c.*] Turneb. Adversarior. lib. 16. cap. 13.

1 *Dat ferre talentum.*] *Servius* hujuscemodi locutiones interpretatur per *ut* & *verbum passivum.* id est, *ut ferretur.* videtur tamen phrasis esse græca: nam sic loquuntur *Græci* per infinitivum. *Turnebus.*

2 *Multa tamen, &c.*] Sunt elegantiora quædam schemata, quæ fiunt ex superiorum conjunctione, cum mutantur partes & mutatur casus. *sciens* enim accusativum habere debet, deinde *pugnæ* ponitur pro *pugnandi.* Idem.

3 *Præsens enim pro præterito.*] Est autem hæc peculiaris phrasis *historicis.* narrant enim *præterita* per *præsens.* Idem.

4 Ἑτέρωσιν.] Dan. Ἑτερόωσιν.

5 *Zeugma dicitur.*] Nove usurpat *zeugma* Fabius. vulgo enim appellatur, *quando verbum duntaxat unum pluribus accommodatur sententiis:* apud Fabium species est heteroseos. *Turneb.*

1 Quæ

xerit. [2] Quæ ille quidem fecerit *schemata*, an idem vocari possint, videndum, quia recepta sint. Nam receptis etiam vulgo auctore contenti sumus. [2] Verum natura evaluit agentibus, quod Pollio in Labieno damnat: & *contumelim fecit*, quod à Cicerone reprehendi notum est: *affici* enim *contumelia* dicebant. Alia commendatio vetustatis, cujus amator unice Virgilius fuit,

[3] *Vel cum se pavidum contra mea jurgia jactat:*
Progeniem sed enim Trojano à sanguine duci
Audierat. ---

Quorum similia apud veteres tragicos comicosque sunt plurima. Illud etiam in consuetudine remansit. [4] Enimvero his amplius apud eundem:

Nam quis te juvenum confidentissime: ---

cum quis, sermonis initium sit. &,

[5] *Tam magis illa tremens, & tristibus effera flammis,*
Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnæ.

Quod est versum ex illo, *Quam magis ærumna viget, tam magis ad malefaciendum urget.* Pleni talibus antiqui: sicut initio Eunuchi Terentius, [6] *Quid igitur faciam?* inquit. [7] Allusit tan-

1 *Quæ ille quidem.*] Quanquam (inquit Fab.) istas formulas innovavit *Sallustius*, quæri tamen potest an figuræ sint, quia receptæ sunt in usum, ac jam sunt vulgares formulæ loquendi. *Idem.*

2 *Verum natura evaluit.*] Hic locus ita depravatus est, ut vix elici possit sensus. significat tamen quædam olim reprehensa fuisse, quæ postea ipsa consuetudine fuerint usitata. *Idem.*

3 *Vel cum se pavidum.*] *Budæus* in commentar. linguæ Græcæ hoc loco *Fabium* reprehendit: negat enim in particula *Vel* esse antiquitatem, sed hellenismum. ponitur enim pro *Nam* in initio periodi ad indignationem vel affectum. *Idem.*

4 *Enimvero.*] Inde dicebat *Fab.* lib. primo, controversiam esse, possetne aliquando *Enim* præponi.: nam in particula *Enimvero* præponitur. Idem de particula *Igitur* dicebat, possetne postponi & præponi. *Idem.*

5 *Tam magis illa tremens.*] Est *Archaismos* in hac locutione. posuit enim *Tam* & *Quam* pro *Tanto* & *Quanto*, more antiquorum. *Idem. Tam magis illa tremens.*] Vide M. Ant. Muret. Var. Lect. lib. 19. cap. 2. pag. 1223. Jan. Gebhard. Crepund. lib. 3. cap. 11. p. 130.

6 *Quid igitur faciam?*] *Archaismos* est in particula *Igitur*, quia significat *deinde*, ut inquit Donatus. vel *hoc* ait Fabius, quia *Igitur* postponitur. *Turnebus.*

7 *Allusit tandem leno.*] Exemplum est ex aliquo Comico. in his autem locutionibus (ut inquit *Donatus*) Tandem more veterum est expletiva particula, quanquam refragatur *Valla.* Idem.

tandem leno. Catullus in Epithalamio,

-- *Dum* [1] *innupta manet, dum chara suis est.*

Sed prius *dum*, significat quoad: sequens, usque eo. [2] Ex Græco vero translata vel Sallustii plurima: quale est, *vulgus amat fieri:* [3] vel Horatii. [4] Nam id maxime probat hoc Ciceronis:

Et mutatio casus: ut, *nec illi sepositi ciceris.*

Nec longæ invidit avenæ.

Et Virgilii:

-- *Tyrrhenum navigat æquor.*

Etiam vulgatum actis quoque, *Saucius pectus.* Ex eadem parte figurarum additio & abjectio est. Illaque prior videri potest supervacua, sed non sine gratia est,

Nam neque Parnassi vobis juga, nam neque Pindi.

Potest enim deesse alterum *nam.* Et apud Horatium illud,

-- *Fabriciumque,*

[5] *Hunc, & intonsis Curium capillis.*

Est etiam adjectio, quæ in complexu sermonis aut *vitium* habet, aut *figuram.* Figuram, ut, *Accede ad ignem hunc: jam calesces plus satis.* plus enim quam satis est. De altera quæ *detractio* est pluribus dicendum est. [6] Utimur vulgo & comparativis pro absolutis, ut cum se quis infirmiorem esse dixerit, duo inter se comparativa committimus, *si te jam Catilina comprehendi, si interfici jussero, credo erit verendum, mihi, ne non hoc potius omnes boni serius à me, quam quisquam crudelius factum esse dicat.* Sunt illa non similia solœcismo quidem, sed

1 *Innupta.*] *Intacta.* Pithœus.

2 *Ex Græco vero.*] Has locutiones quæ habent *hellenismum*, diligentissime est persequutus Bud. *Amat autem hîc dictum est more Græco pro solet.* Turneb.

3 *Vel Horatii.*] Vide Muret. Var. lect. lib. 19. cap. 2. pag. 123.

4 *Nam id.*] Videntur hic quædam desiderari, nisi forte existimemus *Fabium* respexisse ad verbum *invideo*, de quo dixit antea. nam *Horatius* dixit *invideor* antiquorum more & more Græcorum: quæ res probat *Ciceronis* dictum: nam *Cic.* dixit, *invideo hanc rem.* Turneb.

5 *Hunc & intonsis.*] Vett. lib. teste Mureto ibid. *incomptis.*

6 *Utimur vulgo.*] Ex hoc Fabii loco præceptum fecit Valla, *comparativum* accipi pro *positivo*, ac reprehendit Prisc. & Servium, qui in his locutionibus adjunt *comparativum* minus significare quam *positivum.* Turneb.

1 *Illa*

sed tamen numerum mutantia, quæ & tropis assignari solent, ut de uno pluraliter dicamus,

Sed nos immensum spatiis confecimus æquor.

Et de pluribus singulariter,

Haud secus ac patriis acer Romanus in armis.

Specie diversa, sed genere eadem & hæc sunt,

Neve tibi ad solem vergant vineta cadentem:
Nec mihi tum molles sub dio carpere somnos,
Neu dorso nemoris libeat jacuisse per herbas.

Non enim nescio cui alii prius, nec postea sibi uni, sed omnibus præcipit. Et de nobis loquimur tanquam de aliis: *Dicit Servius, Negat Tullius.* Et nostra persona utimur pro aliena, & alios pro aliis fingimus. Utriusque rei exemplum pro Cecinna. Pisonem adversæ partis advocatum alloquens Cicero dicit, *Restituisse te dixti, Nego me edicto prætoris restitutum esse.* Verum enim illud *restituisse* Ebutius dixit. *Nego me, Cecinna, edicto prætoris restitutum esse.* Ubi & ipsum *dixti*, extrita syllaba, figura in verbo est. [1] Illa quoque ex eodem genere possunt videri quam nos *interpositionem*, vel *interclusionem* dicimus, Græci παρένθεσιν vocant, dum continuationi sermonis medius aliquis sensus intervenit. *Ego cum te (mecum enim sæpissime loquitur) patriæ reddidissem.* Cui adjiciunt *hyperbaton*, non illud quod inter tropos esse voluerunt: sed alterum: quod est ejus figuræ sententiarum, quæ ὑπερβὴ dicitur, simile, cum non sensus mutatur, verum forma eloquendi:

-- Decios, Marios, magnosque Camillos,
Scipiadas duros bello, & te maxime Cæsar.

Acutius adhuc in Polydoro:

Fas omne abrumpit, Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur. --
- Quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames?

Qui

1 *Illa quoque.*] *Parenthesis* referri quoque debet ad *enallagen*, propterea quod continuam orationis formam mutat. eam vertunt aliqui *interjectionem* & *interpositionem.* Idem.

Qui tam parva momenta nominibus discreverunt, μεταβάσιν vocant, quam & aliter fieri putant:

[1] *Quid loquor? aut ubi sum?*

Conjunxit autem παρένθεσιν & ὑπερβατῷ Virgilius in illo loco,

Haud procul inde citæ Metium in diversa quadrigæ
Distulerant (at tu dictis Albane maneres)
Raptabatque viri mendacis viscera Tullus.

Hæc *schemata*, & his similia, quæ erunt *per mutationem*, *adjectionem*, *detractionem*, *ordinem*, & convertunt in se auditorem, nec languere patiuntur subinde aliqua notabili figura excitatum: & habent quandam ex illa vitii similitudine gratiam, ut in cibis interim acor ipse jucundus est. [2] Quod continget, si neque supra modum multæ fuerint, nec ejusdem generis aut junctæ, aut frequentes: quia satietatem ut varietas earum, ita raritas effugit. Illud est acrius genus, quod non tantum in ratione positum est loquendi, sed ipsis sensibus cum gratiam, tum etiam vires accommodat. E quibus primum sit quod fit *per adjectionem*, plura sunt genera. [3] Nam & verba geminantur, vel amplificandi gratia: ut, *Occidi, occidi, non Sp. Melium.* Alterum est enim quod indicat, alterum quod affirmat. Vel miserandi: ut,

Ah Corydon, Corydon. --

Quæ eadem figura nonnunquam per *ironiam* ad elevandum convertitur. [4] Similis geminationis post aliquam interjectionem repetitio est, sed paulo etiam vehementior, *Bona, miserum me (consumptis enim lacrymis tamen infixus animo hæret dolor) bona inquam Cn. Pompeii acerbissimæ voci subjecta præconis. Vivis, & vivis non ad deponendam sed, ad confirmandam audaciam.*

Et

1 *Quid loquor?*] Præter modum hunc, addit secundum Rutilius, *Quum orationem revocamus ad rem aut ad personam institutam*: videturque ea esse species quam vulgo appellant *transitionem*. Idem

2 *Quod continget.*] Hoc *hyperbaton* dissimile est superioribus. fit autem cum repente continuatione sermonis ad rem aliquam aut personam convertimur: videturque quasi esse *Apostrophe*. Idem.

3 *Nam & verba.*] Hæc appellatur vulgo *conduplicatio*, ab Alexandro ἐπαναδίπλωσις. *Idem.*

4 *Similis geminationis.*] Hanc appellat figuram *palillogiam*, cum ex intervallo verbum repetitur. *Idem.*

1 *Etiam*

Et ab iisdem verbis plura acriter & instanter incipiunt: *Nihilne te nocturnum præsidium palatii, nihil urbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil consensus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora vultusque moverunt?* Et iisdem desinunt, *Quis eos postulavit? Appius. quis produxit? Appius.* Quanquam hoc exemplum ad aliud quoque schema pertinet, cujus initia inter se & fines iidem sunt, *quis & quis, Appius & Appius.* Quale est, *Qui sunt qui fœdera sæpe ruperunt? Carthaginenses. Qui sunt qui crudele bellum in Italia gesserunt? Carthaginenses. Qui sunt qui Italiam deformaverunt? Carthaginenses. Qui sunt qui sibi ignosci postulant? Carthagienses.* [1] Etiam in contrapositis vel comparativis solet respondere primorum verborum alterna repetitio, quod modo hujus esse loci potius dixi, *Vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas, ille, ut eo quo intendit mature cum exercitu perveniat. Te Gallorum, illum buccinarum cantus excitat. Tu actionem instituis, ille aciem instruit. Tu caves ne consultores tui, ille ne urbes aut castra capiantur.* Sed hac gratia non fuit contentus orator, vertit in contrarium eandem figuram: *Ille tenet & scit ut hostium copiæ, tu ut aquæ pluviæ arceantur. Ille exercitatus est in propagandis finibus, tu in regendis.* Possunt media quoque respondere, vel primis: ut,

[2] *Te nemus Angitiæ, vitrea te Fucinus unda.* Vel ultimis, *Hæc navis onusta præda Siciliensi, cum ipsa quoque esset ex præda.* Nec quisquam dubitavit idem posse fieri iteratis utrinque mediis. [3] Respondent primis & ultima, *Multi & graves dolores inventi parentibus, & propinquis multi.* [4] Est & illud repetendi genus, quod

1 *Etiam in contrapositis.*] Alternata repetitio sæpenumero locum habet in *antithetis* & in *contentione*. itaque reprehendit eos in superiori capite, qui in hoc exemplo *comparationem* posuerunt pro *figura*, cum sit potius *repetitio dictionis*. Idem.

2 *Te nemus Angitiæ.*] *Nemus Angitiæ* erat apud Marrubios populos Italiæ. sic autem appellabatur ab *Angitia*, id est, *Medea*. Idem.

3 *Respondent primis & ultima.*] Hanc figuram vocat Donatus *epanalepsin*, alii appellant *epanadiplosin*: sed tamen hæc nomina varie usurpantur ab authoribus. *Idem.*

4 *Est & illud repet.*] Cum proposuimus quædam, & ad ea ante perfectum sensum revertimur, *epanodos* est, inquit Alexander: latine dicitur *reversio* vel *regressio*. huic finitima est illa figura quæ à grammaticis dicitur *prolepsis*. Idem.

quod semel proposita iterat & dividit,

Iphitus & Pelias mecum, quorum Iphitus ævo
Jam gravior, Pelias & vulnere tardus Ulyssi.

ἐπάνοδος dicitur Græce, nostri *regressionem* vocant. Nec solum in eodem sensu, sed etiam in diverso eadem verba contra sumuntur, *Principum dignitas erat pene par, non par fortasse eorum qui sequebantur.* Interim variatur casibus hæc & generibus iteratio: *Magnus est labor dicendi, magna res est.* Et apud Rutilium longiore ᾠδῇ,[1] & hæc initia sententiarum sunt, *Pater hic tuus? patrem hunc appellas? patris tu hujus filius es?* Fit casibus modo hoc schema quod πολύπτωτον vocant. Constat & aliis etiam modis: ut pro Cluentio, *Quod autem tempus veneni dandi? illo die? in illa frequentia? Per quem porro datum? unde sumptum? quæ porro interceptio poculi? cur non de integro autem datum?* Hanc rerum conjunctam diversitatem Cæcilius[2] μεταβολὴν vocat: qualis est pro Cluentio locus in Oppianicum, *illum tabulas publicas violasse, Censorias corrupisse, decuriones universi judicarunt: cum illo jam nemo rationem, nemo rem ullam contrahebat: nemo illum ex tam multis cognatis & affinibus tutorem unquam liberis suis scripsit:* & deinceps adhuc multa. Ut hæc in unum congeruntur, ita contra illa disperse sunt, quæ à Cicerone dissipata dici puto,

Hîc segetes, illic veniunt felicius uvæ,
Arborei fœtus alibi, & deinceps.

Illa vero apud Ciceronem mira figurarum mistura deprehenditur, in qua & primo verbo longo post intervallo redditum est ultimum, & media primis, & mediis ultima congruunt: *Vestrum jam hîc factum deprehenditur, Patres conscripti, non meum: ac pulcherrimum quidem factum: verum, ut dixi, non meum,*

1 *Et hæc initia sententiarum sunt.*] Apud *Rutilium Lupum* prolixior est periodus, sumpta ex Carioso oratore. Fabius duntaxat *initia sententiarum sumpsit, in quibus est polyptoton.* Idem.

2 Μεταβολὴν *vocat.*] Alexander Numenius appellat μεταβολὴν *partium mutationem totarum vel in membris vel incisis.* Idem. *Cæcilius* μεταβολὴν.] Meminit etiam hujus Cæcilii Rhetoris, Plutarchus, nec non Dionys. Longinus principio Commentarioli περὶ ὕψους. Muretus Var. Lect. lib. 19. cap. 2.

1 Πλοκὴν

meum, sed vestrum. Hanc frequentiorem repetitionem [1] πλοκὴν vocant, quæ fit ex permistis figuris, ut supra dixi, utque se habet epistola ad Brutum. *Ego cum in gratiam redierim cum Appio Claudio, & redierim per Cn. Pompeium, te ego ergo cum redierim.* Et in iisdem sententiis crebrioribus mutata declinationibus iteratione verborum: ut apud Persium,

-- Usque adeone
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?

Et apud Ciceronem, [2] *Neque enim poterat indicio ex his damnatis qui judicabantur.* Sed sensus quoque toti quemadmodum cœperunt desinent: *Venit ex Asia, hoc ipsum quam bonum? Trib. pleb. venit ex Asia.* In eadem tamen periodo & verbum ultimum primo refertur, tertium jam sermone adjectum est, *Verumtamen venit.* Interim sententia quidem repetitur, sed eodem verborum ordine, *Quid Cleomenes facere potuit? Non enim possum quenquam insimulare falso. Quid, inquam, Cleomenes magnopere facere potuit?* Prioris sententiæ verbum ultimum, ac sequentis primum frequenter est idem: quo quidem schemate utuntur poëtæ sæpius,

Pierides, vos hæc facietis maxima Gallo,
Gallo, cujus amor tantum mihi crescit in horas.

Sed ne oratores quidem raro: *Hic tamen vivit, vivit? immo vero etiam in senatum venit.* [3] Aliquando, sicut in geminatione verborum diximus, initia quoque & clausulæ sententiarum aliis, sed non alio tendentibus verbis, inter se consonant. Initia hoc modo, *Dederim periculis omnibus, obtulerim insidiis, objecerim invidiæ.* Rursus clausulæ: ibidem statim, *Vos enim statuistis, vos sententiam dixistis, vos judicastis.*

Hoc

1 Πλοκὴν vocant.] *Plocen* appellat Fab. *cum verba frequentius iterantur & quasi implicantur.* Alexander Num. appellat *plocen, cum verba iterantur in diversa significatione:* ut, hac in re tandem *Memmius erat Memmius.* Turneb.

2 *Neque enim poterat.*] Nulla videtur hoc in exemplo esse *ploce.* itaque aut Fab. posuit duntaxat initium periodi, cum reliqua putaret esse cognita: aut legendum, *judicio* & *judicabantur*, vel *indicio* & *indicabantur.* Idem.

3 *Aliquando, sicut in gem.*] Hæc figura fit, quando permulta repetuntur verba diversa quidem, sed eandem tamen habentia sententiam. quibus accedit *homœoteleuton, vel in principio vel in fine.* Idem.

[1] Hoc alii μετωνυμίαν, alii *disjunctionem* vocant, utrunque (etiamsi est diversum) recte. Nam est nominum idem significantium separatio. [2] Congregantur quoque verba idem significantia: *Quæ cum ita sint, Catilina, perge quo cœpisti: egredere aliquando ex urbe: patent portæ: proficiscere.* Et in eundem alio libro, *Abiit, excessit, erupit, evasit.* Hoc Cæcilio πλεονασμὸς videtur, id est abundans supra necessitatem oratio: sicut illa, *Vidi oculos ante ipse meos.* In illo enim *vidi*, inest *ipse.* [3] Verum id, ut alio quoque loco dixi, cum supervacua oneratur adjectione, vitium dicitur: cum autem auget manifestam sententiam, sicut hic, virtus: *Vidi, ipse, ante oculos. quot verba, totidem sunt affectus.* Cur tamen hæc proprie nomine tali notarit, non video. Nam & geminatio, & repetitio, & qualiscunque adjectio, πλεονασμὸς videri potest. [4] Nec verba modo, sed sensus quoque idem facientes acervantur. *Perturbatio istum mentis, & quædam scelerum offusa caligo, & ardentes furiarum faces excitarunt.* Congeruntur & diversa: *Mulier, tyranni sæva crudelitas, patris amor, ira præceps, temeritas, dementia.* Et apud Ovidium,

Sed grave Nereidum numen, sed corniger Ammon,
Sed quæ visceribus veniebat bellua ponti
Exaturanda meis. ---

Inveni qui & hoc vocaret πλοκὴν: cui non assentio: cum sint unius figuræ mista quoque, & idem & diversum significantia, quod & ipsum [5] Διαλλαγὴν vocant: *Quæro ab inimicis, sint*

1 *Hoc alii* μετωνυμίαν.] Non mememini me legere, qui hoc *schema* vocaverit *metonymiam.* nam Alexander Numenius *synonymiam* appellat, propterea quod *synonyma* congeruntur *verba:* ut forte hic quoque *synonymiam* legere debeamus. *Idem.*

2 *Congregantur quoque.*] Hanc figuram permulti vocant *congeriem*, alii συναθροισμόν. Græci etiam appellare solent ἐκ τοῦ παραλλήλου. *Idem.*

3 *Verum id.*] Fab. in cap. de *ornatu*, *pleonasmum* dicit esse vitium, cum videtur habere aliquid *otiosum:* cum autem habet *affirmationem*, tum dicitur *virtus.* Idem.

4 *Nec verba modo.*] Idem testatur quoque Rutilius, qui *synatrhœsmum* ait esse non solum in *verbis*, sed etiam in *sententiis congestis.* sed illæ duplices sunt, vel *eædem*, vel *diversæ.* Idem.

5 Διαλλαγὴν *vocant.*] Antea *diallagen* vocavit Fab. *consummationem*, cum plura argumenta eodem tendunt: nunc videtur esse diversitas quædam congerendorum verborum. Nonnulli hoc loco

sint ne hæc investigata, comperta, patefacta, sublata, deleta, extincta per me. Investigata, comperta, patefacta, aliud ostendunt: sublata, deleta, extincta, sunt inter se similia, sed non etiam prioribus. Et hoc autem exemplum, & superius, aliam quoque efficiunt figuram, quæ quia conjunctionibus caret, *dissolutio* vocatur; apta, cum quid instantius dicimus. Nam & singula inculcantur, & quasi plura fiunt. Ideoque utimur hac figura non in singulis modo verbis, sed sententiis etiam: ut Cicero dicit contra concionem Metelli, *Qui indicabantur, eos vocari, custodiri, ad senatum adduci jussi, in senatu sunt positi.* & totus hic locus. [1]Hoc genus βραχυλογίαν vocant, quæ potest esse copulata dissolutio. Contrarium est schema, quod conjunctionibus abundat. Illud ἀσυνδέτον, hoc πολυσυνδέτον, dicitur. Hoc est, vel iisdem sæpius repetitis: ut,

-- Tectumque laremque,
Armaque, [2] Amyclæumque canem, Cressamque pharetram.

Vel diversis,

Arma virumque. --
Multum ille & terris. --
Multa quoque & bello. --

Adverbia quoque & pronomina variantur.

Hîc illum vidi juvenem. --
Bis senos. cui nostra dies, --
Hîc mihi responsum primus dedit ille petenti.

Sed utrunque horum coacervatio. Etenim tantum juncta aut dissoluta omnibus scriptores sua nomina dederunt, sed varia, & ut cuique fingenti placuit. Fons quidem unus, quia acriora facit & instantiora quæ dicimus, & vim quandam præ se ferentia, velut sæpius erumpentis affectus.

Gradatio

loco *enallagen* legunt, propterea quod *dictionum est mutatio & congregatio.* Idem.

1 *Hoc genus βραχυλ.*] Multi putant hoc loco Ἀναλύσιν esse legendum, propterea quod *brachylogia* nihil videtur pertinere ad *disjunctionem.* Sed tamen cum Rutilius de *brachylogia* & *brachypia* loquitur, subjicit exemplum quod videtur esse *dissolutionis.* & Diomedes quoque *brachylogiam* putat esse *dissolutionem.* Idem.

2 *Amiclæumque canem.*] A Julio Polluce imprimis celebrantur *canes Laconici. Amiclæa* autem fuerunt in *Peloponnesi parte Laconica.* Idem.

[1] *Gradatio* quæ dicitur κλῖμαξ, apertiorem habet artem, & magis affectatam, ideoque esse rarior debet. Est autem ipsa quoque adjectionis, repetit enim quæ dicta sunt: & priusquam ad aliud descendat, in prioribus resistit. [2] Ejus exemplum ex Græco notissimo transferatur, *Nec hæc dixi quidem, sed nec scripsi: nec scripsi quidem, sed nec obii legationem: nec obii quidem, sed nec persuasi Thebanis.* Sunt tamen erudita & latina: *Aphricano virtutem industria, virtus gloriam, gloria æmulos comparavit.* & Calvi, *Non ergo magis pecuniarum repetundarum quam majestatis, neque majestatis magis quam Plautiæ legis, neque* [3] *Plautiæ legis magis quam ambitus, neque ambitus magis quam omnium legum judicia perierunt.* Invenitur apud poëtas quoque, ut apud Homerum de sceptro quod à Jove ad Agamemnonem usque deducit: & [4] apud nostrum etiam tragicum,

Jove propagatus est (ut perhibent) Tantalus,
Ex Tantalo Pelops, ex Pelope autem satus
Atreus, qui nostrum porro propagat genus.

At quæ *per detractionem* fiunt figuræ, brevitatis novitatisque maxime gratia petuntur: quarum una est ea, quam libro proximo in figuras distuli, [5] synecdoche, cum subtractum verbum aliquod satis ex cæteris intelligitur: ut *Cælius in Antonium, Stupere gaudio* Græcus. Simul enim auditur, *cæpit.* Cicero

1 *Gradatio.*] *Gradatio* appellatur κλῖμαξ, quasi *scala*, propterea quod (ut inquit Alexander) *quemadmodum ab uno scalæ gradu ad alterum transcendimus, ita hîc quoque ab una dictione trajicimus ad aliam.* Aquila Romanus *scalam* aut *gradiculos* interpretari non vult, sed *ascensum.* Cornificius vertit *gradationem.* Idem.

2 *Ejus exemplum ex Græco.*] Demost. pro Ctesiph. Aquila aliter, transtulit. Imitatus est auctor. ad Herenn. lib. 4. *Pithœus.*

3 *Plautiæ legis.*] *Lex Plautia* erat lata adversus eos *qui per ambitum adepti fuissent magistratus.* erant etiam aliæ leges de *ambitu*, unde subjunxit dictionem generalem. *Turneb.*

4 *Apud nostrum etiam tragicum.*] Hos versus putant esse *Senecæ*, propterea quod *tragicus* appellari videtur per *excellentiam.* existimo tamen ex pedum mensura non esse *Senecæ*, sed veteris cujusdam *tragici.* Utcunque sit, versus hi translati sunt ex *Iphigenia Euripidis in Tauris.* Idem.

5 *Synecdoche.*] Hanc figuram appellat ἔλλειψιν Romanus Aquila, propterea quod aliquid deest. eadem vocatur *synecdoche.* id est, *intellectio*, propterea quod *intelligitur id quod deest.* Idem.

1 Ne

Cicero ad Brutum, *Sermo nullus scilicet nisi de te. Quid enim potius? Tum Flavius, Erras tabellarie, & ego ibidem orans inter cœnam exoravi.* Cui similia sunt illa meo quidem judicio, in quibus verba decenter pudoris gratia subtrahuntur,

Novimus & qui te, transversa tuentibus hirquis,
Et quo, sed faciles, Nymphæ risere, sacello.

Hanc quidam *aposiopesin* putant, frustra. Nam illa quid taceat incertum est, aut certe longiore sermone explicandum: hic unum verbum, & manifestum quidem desideratur: quæ si *aposiopesis* est, nihil in quo deest aliquid non idem appellabitur. [1] Ne ego illud quidem *aposiopesin* semper voco, in quo res quæcunque relinquitur intelligenda, ut ea quæ in epistolis Cicero, [2] *Data Lupercalibus, quo die* [3] *Antonius Cæsari. quia nihil hîc aliud intelligi poterat, quam hoc, diadema imposuit.* Altera est *per detractionem* figura, de qua modo dictum est, cui conjunctiones eximuntur. [4] Tertia quæ dicitur σευγμένον. In qua unum ad verbum plures sententiæ referuntur, quarum unaquæque desideraret illud, si sola poneretur. [5] Id accidit aut præposito verbo ad quod reliqua respiciant: *Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.* Aut illato, quo plura cluduntur: *Neque enim is es, Catilina, ut te aut pudor unquam à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore revocaverit.* Medium quoque potest esse, quod & prioribus & sequentibus sufficiat. [6] Jungit autem & diversos

1 *Ne ego illud quidem.*] Etiam cum desunt interdum plures dictiones, tamen non est *aposiopesis* protinus, ut in exemplo Ciceroniano, sed *synecdoche.* Idem.

2 *Data Lupercalib. quo die, &c.*] Vide Jan. Gebhard. Crepund. lib. 3. cap. 11. pag. 130.

3 *Anto. Cæsari, quia nihil.*] In vetustis codicibus legitur, *non obticuit, lusitque:* ut sit sensus, in exemplo Ciceroniano non esse *aposiopesin*, id est, *obticentiam*, sed duntaxat *synecdochen*, qua luserit tacire significando. *Turneb.*

4 *Tertia quæ dicitur, &c.*] Hanc figuram vocant vulgo grammatici *zeugma*, Cornificius interpretatur *conjunctionem* & *adjunctionem*: fit autem (ut ajunt grammatici) *tribus modis*, quos persequitur Fabius. *Idem.*

5 *Id accidit aut præpo.*] Hanc speciem grammatici vocant *protozeugma*, cum verbum præponitur: *hypozeugma*, cum postponitur. has duas species *adjunctionem* appellat Cornificius. est & *mesozeugma*, cum verbum ponitur in medio. vocat *conjunctionem* Cornificius. *Idem.*

6 *Jungit autem.*] Has species grammatici

versos sexus, ut cum marem fœminamque *filios* dicimus. Et singularia pluralibus miscet. Sed hæc adeo sunt vulgaria, ut sibi artem figurarum asserere non possint. Illud plane figura est, [1] qua diversa sermonis forma conjungitur,

— *Sociis tunc arma capessant*
Edico, & dira bellum cum gente gerendum.

Quamvis enim pars *bellum* posterior participio insistat, utrique tamen convenit illud *edico*: nam utrique detractionis gratia facta conjunctio. συνοικείωσιν vocant, quæ duas res diversas colligat: *Tam deest avaro quod habet, quam quod non habet.* Huic diversam volunt esse distinctionem, cui dant nomen [2] παραδιαστολὴν, qua similia discernuntur: *Cum te pro astuto sapientem appelles, pro confidente fortem, pro illiberali diligentem.* quod totum pendet ex finitione, ideoque an *figura* sit dubito. Cui contraria est ea quæ ex vicinia transit ad diversa aut similia,

— *Brevis esse laboro, Obscurus fio.* & quæ sequuntur. Tertium est genus figurarum, quæ aut similitudine aliqua vocum, aut paribus, aut contrariis vertunt in se aures, & animos excitant. Huic nomen est [3] παρονομασία, quæ dicitur *agnominatio.* Ea non uno modo fieri solet, sed ex vicinia quadam prædicti nominis ducta, casibus declinatur: ut *Domitius Afer pro Cloantilla, Mulier rerum omnium imperita in omnibus rebus infœlix.* Et cum verbo idem verbum plus significanter subjungitur, [4] *Quando homo, hostis homo.* [5] Quibus exemplis

matici vocant *conceptionem tum generum tum numerorum*, Fabius etiam redigit ad *zeugma*. Idem.

1 *Qua diversa sermonis, &c.*] Nonnulli qui paulo sunt religiosiores, existimarent hoc *schema* esse fugiendum, propterea quod efficit ἀνακόλουθον: ac sane raro est eo utendum, nisi in *poëmate*. Idem.

2 Παραδιαστολὴν.] Hæc duo schemata adhuc fiunt venustiora, quando illis rationem vel *similitudinis* vel *diversitatis* subjungimus. *Idem.*

3 *Paronomasia.*] In omnibus vetustis codicibus legitur παρονομασία, quæ dictio fere idem quod *paronomasia* significat. est autem hæc figura posita in *vocis allusione per similitudinem.* Idem.

4 *Quando homo, hostis homo.*] Sensus est, propriam hominis esse humanitatem. non igitur homo videtur ille qui est inhumanus. itaque ad *emphasim* subjecit, *hostis homo*: sed tamen sensus non est perfectus nisi legatur per interrogationem. *Idem.*

5 *Quibus exemplis.*] Locus corruptus esse

exemplis sum in aliud usus, sed in uno facilius est geminatio. παρονομασία ei contrarium est, quod eodem verbo quasi falsum augetur, *Quæ lex privatis hominibus esse lex non videbatur.* Cui confinis est [1] ἀντανάκλασις, ejusdem verbi contraria significatio. *Cum Proculejus quereretur de filio, quod is mortem suam expectaret, & ille dixisset, se vero non expectare: Imo*, inquit, [2] *rogo expectes.* Non ex eodem, sed ex diverso vicinum accipitur, cum supplicio afficiendum dicas, [3] quem supplicatione dignum judicaris. Aliter quoque voces aut eadem diversa in significatione ponuntur, aut productione tantum vel correptione mutatæ: quod etiam in jocis frigidum, equidem tradi inter præcepta miror: eorumque exempla vitandi potius quam imitandi gratia pono. *Amari jucundum est, si curetur ne quid insit amari. Avium dulcedo ad avium ducit:* & apud Ovidium ludentem;

Cur ergo non dicam Furia, te furiam?

[4] Cornificius hanc *traductionem* vocat, videlicet alterius intellectus ad alterum. Sed elegantius, quod est positum in distinguendam rei proprietatem: *Hanc reipublicæ pestem paulisper reprimi, non in perpetuum comprimi posse.* Et quæ præpositionibus in contrarium mutantur, *Non emissus ex urbe, sed immissus in urbem esse videatur.* Melius atque acrius, quod cum figura jucundum est, tum etiam sensu valet, *Emit morte immortalitatem.* Illa levior est, *Non Pisonum, sed pistorum.*

&,

esse videtur: poterit tamen is esse sensus, *Hæc exempla quanquam ad diversum referuntur modum, tamen in vocis geminatione figuram habere, & alioqui perfacile esse voces ita geminare, & figuram efficere.* forte etiam alio in libro est his exemplis usus. *Idem.*

1 Ἀντανάκλασις.] Ἀντανάκλασις est, cum verbum in contrarium aut diversum sensum accipitur quam dictum fuerit. potest verti *contraria refractio.* huic etiam parti Rutilius subjicit *antimetabolen.* Idem.

2 *Rogo expectes.*] Ἀντανάκλασις est in dictione *Expectare*, quæ significat *operiri* & *desiderare:* unde *homonymia* est petita. *Idem.*

3 *Quem supplicatione, &c.*] *Homonymia* est in dictione *Supplicium*, quæ apud Sallustium & antiquos scriptores *supplicationem* & *preces* significat: præterea vulgo significat *pœnam.* Idem.

4 *Cornificius hanc, &c.*] *Paronomasiam* interpretatur Cornificius *agnominationem: traductionem* autem vocat, cum verbum idem sæpius iteratur citra offensionem. idem tamen *traductioni* subjicit eam exornationem in qua verbum idem in alia atque alia re usurpatur. *Idem.*

&, *Ex oratore arator.* Peſſimum vero, *Ne patres conſcripti videantur circunſcripti. Raro evenit, ſed vehementer venit.* Sic contingit ut aliquis ſenſus vehemens & acer venuſtatem aliquam non eodem ex verbo non diſſonam accipiat. Et cur me prohibeat pudor uti domeſtico exemplo? [1] Pater meus contra eum qui ſe legationi immoriturum dixerat, deinde vix paucis diebus inſumptis re infecta redierat, *Non exigo ut immoriaris legationi, immorare.* Nam & valet ſenſus ipſe, & in verbis tantum diſtantibus jucunde conſonat vox præſertim non captata, ſed velut oblata: cum altero ſuo ſit uſus, alterum ab adverſario acceperit. [2] Magnæ veteribus curæ fuit, gratiam dicendi è paribus contrariis acquirere. Gorgias in hoc immodicus, copioſus utique prima ætate Iſocrates fuit. Delectatus eſt his etiam M. Tullius, verum & modum adhibuit non ingratæ (niſi copia redundet) voluptati, & rem alioqui levem, ſententiarum pondere implevit. Nam per ſe frigida & inanis affectatio cum in acreis incidit ſenſus, innata videtur eſſe, non accerſita. Similium fere quadruplex ratio eſt. Nam eſt primum, quoties verbum verbo ſimile, aut non diſſimile valde quæritur: ut,

— *Puppeſque tuæ, pubeſque tuorum.* &, *Si in hac calamitoſa fama, quaſi in aliqua perniciosiſſima flamma.* &, [3] *Non enim tam ſpes laudanda, quam res eſt.* Aut certe par eſt extremis ſyllabis conſonans, *Non verbis, ſed armis.* Et hoc quoque quoties in ſententias acres incidit, pulchrum eſt, *Quantum poſſis, in eo ſemper experiri ut proſis.* Hoc eſt [4] πάρισον, ut pleriſque

1 *Pater meus*] *Quintiliani pater* optimus fuit declamator: idem etiam aliquando *cauſidicus* apud principem. *Idem.*

2 *Magnæ veteribus, &c.*] *Gorgias* & *Thraſymachus, vetereſque ſophiſtæ*, tres imprimis conſectabantur concinnitates, *paria paribus adjuncta, contraria contrariis relata*, & *homœoteleuta.* Iſocrates quoque his plurimum juvenis eſt uſus, ſenex tamen in oratione ad Philippum ſcribit hæcſe omiſiſſe. *Idem.*

3 *Non enim tam ſpes, &c.*] In Fannio: Cauſa difficilis laudare puerum, non enim res laudanda, ſed ſpes eſt. *Pith.*

4 Πάρισον.] *Pariſon* appellat Aquila Romanus, *quando membra orationis pene ſunt æqualia.* aliter Fab. accipere videtur, *quoties verbum verbo ſimile aut non diſſimile valde quæritur.* vertitur ab Aquila Romano, *prope æquatum.* Turnebus.

que placuit. Cleosteleus πλεῖον existimat, quod fit è membris non dissimilibus. Secundum, ut clausula similiter cadat, vel iisdem in ultimam partem collatis, ὁμοιοτέλευτον, similem duarum sententiarum vel plurium finem. *Non modo ad salutem ejus extinguendam, sed etiam gloriam per tales viros infringendam.* Ex quibus fere sunt, non tamen ut semper ultimis consonent, quæ τρίκωλα dicunt, *Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.* Sed in quaternas quoque ac plures hæc ratio ire sententias potest. Fit etiam singulis verbis, *Hæc cubat, dolet, piget, pudet.* &, *Abiit, excessit, erupit, evasit.* Tertium est quod in eosdem casus cadit, ὁμοιόπτωτον dicitur. Sed neque quod finem habet similem, est ὁμοιόπτωτον: utique in eundem finem venit ὁμοιοτέλευτον. Est enim ὁμοιόπτωτον tantum casus similis, etiam si dissimilia sint quæ declinentur: nec tantum in fine deprehenditur, sed respondent vel prima inter se, vel mediis, vel extremis: vel etiam permutatis his, ut media primis, & summa mediis accommodentur, & quocunque modo accommodari poterunt. Nec enim semper paribus syllabis constat: ut est apud Afrum, *Amisso nuper infœlicis aulæ, si non præsidio inter pericula, tamen solatio vitæ inter adversa.* [1] Ea vero videntur optima, in quibus initia sententiarum & fines consentiunt: ut hîc, *Præsidio, solatio.* Et ut pene similia sint verbis, & paribus cadant, & eodem desinant modo. [2] Etiam ut sint, quod est quartum, membris æqualibus, quod ἰσόκωλον dicitur, *Si quantum in agro lociſque desertis audacia potest, tantum in foro atque judiciis impudentia valeret.* ἰσόκωλον est, & ὁμοιόπτωτον habet. *Non minus nunc in caussa cederet Aulus Cecinna Sexti Ebutii impudentiæ, quam tum in vi facienda cessit audaciæ.* ἰσόκωλον, ὁμοιόπτωτον, ὁμοιοτέλευτον. Accedit & ex illa figura gratia, qua nomina dixi mutatis casibus repeti, *Non minus cederet,*

1 *Ea vero.*] Hæc species si sæpius usurpetur, nimiam ostendit affectationem propter magnam exornationem. *Idem.*

2 *Etiam ut sint.*] Quarta species dicitur *Isocôlon*, quando membra periodi æqualia sunt. vertitur ab Aquila Romano *exæquatum*, dicitur à Cornificio *compar*. Idem.

cederet, quam ceſſit. Adhuc ὁμοιοτέλευτον, & παρωνομασία eſt, *Neminem poſſe alteri dare matrimonium, niſi quem penes ſit patrimonium.* [1] Contrapoſitum autem, vel, ut quidam vocant, *contentio* (ἀντίθετον dicitur) non uno fit modo. Nam & fit ſi ſingula ſingulis opponuntur: ut in eo quod modo dixi, *Vicit pudorem libido, timorem audacia.* Et bina binis, *Non noſtri ingenii, veſtri auxilii eſt.* Et ſententiæ ſententiis, *Dominetur in concionibus, jaceat in judiciis.* Cui commodiſſime ſubjungitur & ea ſpecies quam *diſtinctionem* diximus, *Odit populus Romanus privatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit.* Et quæ ſunt ſimili caſu, diſſimili ſententia in ultimo locata: ut, *Quod in tempore mali fuit, nihil obſit: quin quod in cauſſa boni fuit, proſit.* Nec ſemper contrapoſitum ſubjungitur, ut in hoc, *Eſt enim hæc, judices, non ſcripta, ſed nata lex.* Verum, ſicut Cicero dicit, quod de ſingulis rebus propoſitis refertur ad ſingula: ut in eo quod ſequitur, *Quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus.* Nec ſemper quod adverſum eſt, contraponitur, quale eſt apud Rutilium, [2] *Nobis primum dii immortales fruges dederunt, nos quæ ſoli accepimus, in omnes terras diſtribuimus. Nobis majores noſtri Rempubl. reliquerunt: nos etiam ſocios noſtros de ſervitute eripuimus.* Fit etiam aſſumpta illa figura, qua verba declinata repetuntur, quod [3] ἀντιμετάβολη dicitur, [4] *Non ut edam vivo, ſed ut vivam edo.* Et quod apud Ciceronem converſum ita eſt, ut cum mutationem caſus habeat, etiam ſimiliter deſinat: *Ut & ſine invidia culpa plectatur, & ſine culpa invidia*

1 *Contrapoſitum autem.*] *Antitheton* fit, quando oratio conſtat *verbis contrariis.* neque tamen hoc eſt ita exacte accipiendum: ſatis eſt enim dum inſit verbis ſimilitudo contrarietatis. *Idem.*

2 *Nobis primum.*] Hoc exemplum ſumptum eſt ex *Iſiodoro* oratore Græco. loquitur autem de *Athenienſibus*, quibus *Ceres* primum fruges communicavit, quas poſtea in omnes terras diſtribuerunt. *Idem.*

3 Ἀντιμετάβολη *dicitur.*] Hanc figuram interpretatur Cornificius *commutationem.* in qua *ſententiæ commutatis verbis contrariæ fiunt.* cæterum hæc *ſententia* tribuitur Socrati, qua ſignificabat ſe ſobrium, & alios increpabat ut ventri deditos. *Idem.*

4 *Non ut edam vivo, &c.*] Macrob. 11. Saturn. Socrates dicebat homines multos propterea velle vivere, ut ederent & biberent: ſe bibere atque eſſe ut viveret. *Pith.*

1 *Sexto.*]

invidia ponatur. Quod & eodem clauditur verbo: ut quod dici de [1] Sexto Roscio, *Etenim cum artifex ejusmodi sit, ut solus dignus videatur esse* [2] *qui scenam introëat: tum vir ejusmodi sit, ut solus videatur dignus qui eò non accedat.* Est & in nominibus ex diverso collocatis sua gratia, *Si Consul Antonius, Brutus hostis: si conservator reipublicæ Brutus, hostis Antonius.* [3] Olim plura de figuris quam necesse erat: & adhuc erit qui putet esse figuram, *Incredibile est quod dico, sed verum,* ἀντιπροφορὰν vocant. &, *Aliquis hoc semel tulit, ego bis, ego ter.* [4] Διέξοδον, ἄφοδον, *Longius evectus sum, sed redeo ad propositum.* [5] Quædam verborum figuræ paulum figuris sententiarum declinantur, ut *dubitatio.* Nam cum est in re, priori parti assignanda est: cum in verbo, sequenti: *Sive me malitiam, sive stultitiam dicere oportet.* Item correctionis eadem ratio est. *Nam quod illic dubitat, hîc emendat.* Etiam in personæ fictione accidere quidam idem putaverunt, ut in verbis etiam esset hæc figura, *Crudelitatis est mater avaritia.* [6] Et apud Sallustium in Ciceronem, *O Romule Arpinas.* quale est & apud Menandrum [7] Oedipus Othryasius. Hæc omnia copiosius sunt executi, qui non ut partem operis transcurrerunt, sed proprie libros huic operi dedicaverunt, sicut *Cæcilius, Dionysius, Sutilius, Cornificius, Visellius*: aliique non pauci. [8] sed non minor erit eorum

1 *Sexto.*] leg. *Q.*

2 *Qui in scenam introeat.*] Id ait propterea quod *scenici artifices*, ut *Comœdi*, *infamia notabantur*, qua indignus erat *Roscius*, cum esset vir probus. *Turnebus.*

3 *Olim plura.*] Videtur innuere Fab. vel se *plura* scripsisse de *figuris* in quodam libro, vel se *plura* in posterum scripturum. præterea more suo, ut in *figuris sententiarum* fecit, quasdam reddit species, quæ à quibusdam *figuræ* appellantur, cum tamen *figuræ* non sint. *Idem.*

4 Διέξοδον.] Διέξοδος latine dicitur *transitio*, cum ab uno loco ad alterum transimus. ἄφοδος vero est *regressio*, quando ex digressione revertimur ad propositum. *Idem.*

5 *Quædam verborum fig.*] *Figuræ quædam* ambigunt, quoniam servata eadem appellatione, nunc ad *sententiam*, nunc ad *verba* referri debent. *Idem.*

6 *Et apud Sallustium in Ciceronem, &c.*] Vide *Turneb.* Adversar. l. 16. c. 7.

7 *Oedipus Othryasius.*] Vix potest intelligi hæc *prosopopœia*, cum desideretur *Menandri comœdia*: tamen intelligi poterit de quodam *Thessalo*, qui diceret se *nobilem* esse *Thebanum*. *Othris* autem mons est *Thessaliæ*. quidam legunt *Odrisius*, id est, *Thrax*. Turneb.

8 *Sed non minor erit, &c.*] Quidam ajunt intelligi hoc de *Plinio*, qui oratorem ab ipsis incunabulis instituit. alii

eorum qui vivunt, gloria. Ut fateor autem verborum figuras posse plures reperiri à quibusdam, ita iis quæ ab auctoribus claris traduntur, meliores, non assentior. Nam in primis M. Tullius multas in tertio de oratore libro posuit, quas in oratore postea scripto transeundo videtur ipse damnasse: quarum pars est quæ sententiarum potius quam verborum sit, ut *imminutio*, [1] *improvisa imago*, *sibi ipsi responsio*, *digressio*, *permissio*, *contrarium*, hoc enim puto quod dicitur ἀναίρεσις, sumpta ex adverso probatio. Quædam omnino non sunt figuræ, sicut *ordo*, *dinumèratio*, *circunscriptio*: sive hoc nomine significatur comprehensa breviter sententia, sive finitio. [2] Nam & hæc Cornificius atque Rutilius schemata λέξεως putant. Verborum autem concinna transgressio, id est *hyperbaton*, quod Cæcilius quoque putat *schema*, à nobis est interposita. Et *mutatio*: quæ si ea est, quam Rutilius ἀλλοίωσιν vocant, dissimilitudinem ostendit hominum, rerum, factorumque: [3] si latius fiat, figura non est: si angustius, in ἀντίθετον cadet. Si vero hæc appellatio significat ἀναλογίαν, satis de ea dictum est. Quod vere *schema* est, ad propositum subjecta ratio? Utrum quod Rutilius [4] ἀπολογίαν vocat? nam de illo dubitari possit an *schema* sit distributis subjecta ratio. Quod apud eundem primo loco positum est, [5] πρόσαπόδοσις dicitur, quæ ut maxime servetur, sane est in pluribus propositis: quia aut singulis statim ratio subjicitur: ut est [6] apud C. Antonium.

de *Virginio*, qui vixit tempore Fabii. *Idem.*

1 *Improvisa imago.*] Locus hic videtur depravatus, estque legendum, *improvisum*, deinde *imago*, ut apparet ex Cicerone. *Idem.*

2 *Nam & hæc Cornificius.*] Cornificius lib. 4. ad Herennium, *sententiam* & *finitionem* ponit inter *figuras dictionum*. Idem.

3 *Si latius fiat, &c.*] Id videtur dicere *Fab.* propterea quod si tractetur illa *dissimilitudo*, jam quæstio erit de eodem & alio, quæ refertur ad *finitionem*: itaque *figura* non erit. *Idem.*

4 Ἀπολογία,] In vetustis codicibus legitur ἀπόλογία. id est, *purgatio*, quæ quanquam excusando reddit rationem facti, non tamen satis implet *figuram*. & alioqui apud Rutilium ἀπολογία legitur. id est, *redditio causæ*. Idem.

5 Πρόσαπόδοσις.] Πρόσαπόδοσις (ut inquit Rutilius) dicitur, cum *propositis quibusdam ratio subjungitur*. videtur etiam Fab. innuere *prosapodosin*, subjectam ad propositum rationem. *Idem.*

6 *Apud C. Antonium.*] Non est hic *Antonius* orator, qui inducitur apud

Cic.

tonium. *Sed neque accusatorem eum metuo, qui sum innocens: neque competitorem vereor, qui sum Antonius: neque consulem spero, qui est Cicero.* Aut positis duobus vel tribus, eodem ordine singulis continuo redditur: quale apud Brutum de dictatura Cn. Pompeii, *Præstat enim nemini imperare, quam alicui servire. sine illo enim vivere honeste licet, cum hoc vivendi nulla conditio est.* Sed uni rei multiplex ratio subjicitur: ut apud Virgilium,

Sive inde occultas vires, & pabula terræ
Pinguia concipiunt, sive illis omne per ignem
Excoquitur vitium. ---
Seu plures calor ille vias, ---
Seu durat magis. ---

& totus locus.

[1] *Relationem* quid accipi velit, non mihi liquet. Nam si ἐπαναφορὰν aut ἐπιστροφὴν, aut ἀνταποδόσεως dicit, de omnibus locuti sumus. Sed quicquid id est, neque hoc neque superiora in oratore repetit. Sola est in eo libro posita pariter inter figuras verborum, *exclamatio*, quam sententiæ potius puto. affectus enim est, & cæteris omnibus consentio. Adjicit his Cæcilius ἀδιάφορον, de qua dixi. Cornificius *interrogationem, ratiocinationem, subjectionem, translationem,* [2] *occultationem, præterea sententiam, membrum, articulum, interpretationem, conclusionem.* quorum priora alterius generis sunt schemata, sequentia schemata omnino non sunt. Item Rutilius præter ea quæ apud alios quoque sunt *schemata*, [3] παρομοιολογίαν, ἀναγκαῖον, ἠθοποιΐαν, διηγηματολογίαν, ἀφέλησιν, [4] χαρακτηρισμὸν, βραχυλογίαν, [5] ὑποφορὰν, [*] παῤῥησίαν, de quibus idem

Cic. in libris oratoris, sed *Ciceronis* in consulatu competitor, adversus quem *Cic.* dixit in *toga candida.* Idem.

1 *Relationem.*] Quidam tamen *relationem* accipere malunt *epanaphoram*, ut Aquila Romanus. est autem species *repetitionis.* Idem.

2 *Occultationem.*] Suspicor depravatum esse codicem, legendumque *occupationem.* nam *occultatio* non reperitur apud Cornificium. *Idem.*

3 Παρομοιολογίαν.] *Quando aliquid ultro confitemur, & postea majus inferimus & gravius.* Idem.

4 Χαρακτηρισμὸν.] Fit hæc figura cum *veluti quibusdam coloribus delineamus aut personam aut vitam alicujus.* Idem.

5 Παράσιωπησιν.] *Cum dicimus nos aliquid*

idem dico. Nam eos quidem auctores, qui nullum prope finem fecerunt exquirendis nominibus, præteribo: qui etiam quæ sunt argumentorum, figuris adscripserunt. Ego illud de iis etiam quæ vere sunt, adjiciam breviter, sicut ornant orationem opportune positæ, ita ineptissimas esse cum immodice petuntur. Sunt qui neglecto rerum pondere, & viribus sententiarum, si vel inania verba in hos modos depravarint, summos se judicent artifices, ideoque non desinunt eas nectere: quas sine sententia sectari tam est ridiculum, quam quærere habitum, gestumque sine corpore. Sed ne hæ quidem quæ recte fiunt, densandæ sunt nimis; nam & *vultus mutatio*, *oculorumque conjectus*, multum in actu valet: [1]sed si quis ducere os exquisitis modis, & frontis ac luminum inconstantia trepidare non desinat, rideatur. Et oratio habeat rectam quandam velut faciem: quæ ut stupere immobili rigore non debebit, ita sæpius in ea quam natura dedit specie continenda est. Sciendum vero in primis, quid quisque in orando postulet *locus*, quid *persona*, quid *tempus*. Major enim pars harum figurarum posita est in delectatione. Ubi vero atrocitate, invidia, miseratione pugnandum est, quis ferat contrapositis, & pariter cadentibus, & consimilibus irascentem, flentem, rogantem? cum in his rebus cura verborum deroget affectibus fidem: & ubicunque ars ostentatur, veritas abesse videatur.

aliquid tacere, quod tamen tacitum satis intelligitur. Idem.

* Παῤῥησίαν.] Vide Vossium Institut. Orator. lib. 5. p. 414.

1 *Sed si quis ducere os exquisitis.*] Videndus Lud. Cresollius Vacat. Autumnal. libro 2. capite 7. sectione 2. pag. 214. 215.

Cap. IV.

De compositione.

[4]DE *compositione* non equidem post Marcum Tullium scribere auderem (cui nescio an ulla pars operis hujus sit

EXordium est *proleptícum:* nam veniam præfatur quod post Cic. de *compositione* scribat. subnectit eorum reprehensionem, qui *compositionem* vituperant. postremo

sit magis elaborata) nisi [1] & ejusdem ætatis homines [2] scriptis ad ipsum etiam literis reprehendere [3] id collocandi genus ausi fuissent, & post eum plures multa ad eandem rem pertinentia memoriæ tradidissent. Itaque accedam in plerisque Ciceronis, atque in iis ero quæ indubitata sunt, brevior: in quibusdam paulum fortasse dissentiam. Nam etiam cum judicium meum ostendero, suum tamen legentibus relinquam. [4] Neque ignoro quosdam esse, qui curam omnem *compositionis* excludant, atque illum horridum sermonem, ut forte effluxerit, modo magis *naturalem*, modo etiam magis *virilem* esse contendant. [5] Qui si id demum *naturale* esse dicunt, quod à natura primum ortum est, & quale ante cultum fuit, tota hæc ars orandi subvertetur. Neque enim loquuti sunt ad hanc regulam & diligentiam primi homines, nec procœmiis *præparare*, *docere* expositione, argumentis *probare*, affectibus *commovere* scierunt. Ergo his omnibus, non sola compositione caruerunt: quorum si fieri nihil melius licebat, ne domibus quidem [6] casas, aut vestibus pellium tegmina, aut urbibus montes ac sylvas mutari oportuit. Quæ porro ars statim fuit? quid non cultu nitescit? cur vites coërcemus manu? cur eas fodimus? rubos arvis excidimus? terra & hæc generat. mansuefacimus animalia? indomita

postremo addit præcepta *compositionis*, quæ est *apta verborum structura, in ordine, junctura, numero posita.* Turneb.

1 *Et ejusdem ætatis hom.*] Brutus ipse lib. xv. ad Att. Ep. *Pith.*

2 *Scriptis ad ipsum.*] *Calvus* enim scriptis ad Cic. epistolis, *Ciceronem* appellavit *solutum* & *enervem*: Brutus *fractum* & *elumbem.* quinetiam (ut scriptum est quintodecimo epist. ad Attic.) cum Bruti mandato Cicero de *compositione* scripsisset, tamen judicium Ciceronis de *compositione* Bruto displicuit. *Turnebus.*

3 *Vel collocandi genus.*] In vetustis codicibus legitur, *id collocandi genus*, ut significetur *ea compositio*, quam probavit Cic. in *Orat. perfecto.* Idem.

4 *Nec ignoro.*] *Quidam Fabii* tempore erant *antiquarii*, qui *antiquorum* horrorem, ut Catonis, imitabantur, *cultamque* negligebant *compositionem*, quod ea putarent orationem *effœminari.* Idem.

5 *Qui si id demum.*] Ut refutet eorum opinionem, distinguit *appellationis* significationem, à qua vel *absurdum* colligit, vel *naturalem* esse *compositionem.* Idem.

6 *Casas.*] Vitruvius lib. 2. architecturæ, ait *primos mortales casas incoluisse.* iidem etiam cum ignorarent artem texendi, *vestiebantur pellibus animalium:* neque dum ædificatis urbibus, *sylvas incolebant.* Idem.

domita naſcuntur. [1] Verum id eſt maxime naturale, quod fieri natura optime patitur. Fortius vero quî incompoſitum poteſt eſſe, quam junctum, & bene collocatum? Neque ſi parvi pedes vim detrahant rebus, ut [2] *Sotadeorum*, & [3] *Galliamborum*, & quorundam in oratione ſimili pene licentia laſcivientium, compoſitionis eſt judicandum. Cæterum [4] quanto vehementior fluminum curſus eſt prono alveo, ac nullas moras objiciente, quam inter obſtantia ſaxa fractis aquis ac reluctantibus, tanto quæ connexa eſt, & totis viribus fluit, fragoſa atque interrupta melior oratio. Cur ergo vires ipſas ſpecie ſolvi putent, quando nec ulla res ſine arte ſatis valeat, & comitetur ſemper artem decor? An non eam quæ emiſſa optime eſt haſtam ſpecioſiſſime contortam ferri videmus? & arcu dirigentium tela, quo certior manus, hoc eſt habitus ipſe formoſior? [5] Jam in certamine armorum, atque in omni palæſtra quid ſatis recte cavetur ac petitur, cui non artifex motus, & certi quidam pedes adſint? Quare mihi compoſitione velut amentis quibuſdam nerviſve intendi & concitari ſententiæ videntur. [6] Ideo eruditiſſimo cuique perſuaſum eſt, valere eam quamplurimum, non ad delectationem modo, ſed ad motum quoque animorum. Primum, quia nihil intrare poteſt in affectum, quod in aure velut quodam veſtibulo ſtatim offendit. Deinde quod *natura ducimur*

1 *Verum id eſt.*] Opponit aliam naturalis ſignificationem, quam ſequitur, & ex qua colligit *naturalem* eſſe *compoſitionem.* hoc autem additur vice *epiphonematis.* Idem.

2 *Sotadeorum.*] *Sotadei* verſus ſunt, nunc *jambici*, nunc *trochaici*, nunc *dactylici*, nunc *anapæſtici*: qui retrorſum etiam leguntur, & efficiunt quoddam genus carminis. *Idem.*

3 *Galliamborum*] In quibuſdam *Callimachiorum* legitur, à *Callimacho* poëta, qui verſus *jambicos* exiles compoſuit. Sunt tamen *Galliambi* verſus quidam *trochaici* apud Terentianum. nonnulli legunt *Polyambos*, qui verſus ſunt *jambici*, qui retrorſus leguntur. *Idem.*

4 *Quanto vehementior fluminis.*] Gebhard. Crepund. libro 1. capiti 16. pag. 52.

5 *Jam in certamine.*] Hic locus ductus eſt ex oratore ad Brutum. nam ait illic Cicero *ineptos eſſe in certamine armorum qui ſunt apalæſtri.* id eſt, qui carent motus decentia: quam qui habent, optimi fiunt gladiatores. *Turneb.*

6 *Ideo eruditiſſ. cuique.*] Cic. quoque in orat. ad Brutum ſcribit *non tantam fuiſſe futuram Demoſthenis eloquentiam, niſi ejus oratio numeris contorta ferretur.* ea res enim movet auditorem & incendit. *Idem.*

1 *Ad*

ducimur [1] *ad modos.* Neque enim aliter eveniret ut illi quoque organorum soni, quanquam verba non exprimunt, in alios tamen atque alios motus ducerent auditorem. In certaminibus sacris non eadem ratione concitant animos ac remittunt: nec eosdem modos adhibent cum bellicum est canendum, & cum posito genu supplicandum: nec idem signorum concentus est procedente ad prælium exercitu, idem receptui carmen. [2] Pythagoreis certe moris fuit, & cum evigilassent, animos ad lyram excitare, quo essent ad agendum erectiores: & cum somnum peterent, ad eandem prius lenire mentes, ut si quid fuisset turbidiorum cogitationum, componerent. [3] Quod si numeris & modis inest quædam tacita vis, in oratione est vehementissima: quantumque interest, sensus idem quibus verbis efferatur, tantum verba eadem qua compositione vel in exitu jungantur, vel fine claudantur. Nam quædam & sententiis parva, & elocutione modica, virtus hæc sola commendat. [4] Denique quod cuique visum erit vehementer, dulciter, speciose dictum, solvat & turbet: abierit omnis vis, jucunditas, decor. Solvit quædam sua in oratore Cicero. *Nam neque me divitiæ movent, quibus omnes Africanos & Lælios multi venalitii mercatoresque superarunt:* Immuta paululum, ut sit, *Multi superarunt mercatores, venalitiique*, & sequentes deinceps periodos: quas si ad illum modum perturbes, velut fracta aut transversa tela projeceris. [5] Idem corrigit quæ à Graccho composita durius putat. Illum decet, nos hac simus probatione

1 *Ad modos.*] *Modus Phrygius* solet ad arma incitare, *modus* autem *Doricus* aptus est religioni. *Idem.*

2 *Pythagoreis certe.*] Hoc exemplum ducit Fab. ex quarta Tusculana. *Animi porro languidi fiunt somno, vigiliis quoque propter actiones fiunt turbidiores*: unde tumultuosus sequitur sopor. merito igitur animos componebant ad *lyram* Pythagorei. *Idem.*

3 *Quod si numeris.*] *Oratio* multo magis movere debet quam *organa musica*, quia non solum *canit*, verum etiam *loquitur.* Idem.

4 *Denique quod.*] Probatio est à contrario, estque locus ex oratio. Cic. ductus. *si quis enim aptam periodum solverit, sententia non æque placebit, & jucunditas aberit.* Idem.

5 *Idem corrigit.*] Ut abesse non potest, quin ejusdem hominis sit *probos improbare*, qui *improbos probet.* dicendum enim erat, qui *improbos probet, probos improbare.* Idem.

tione contenti, quod in scribendo quæ se nobis solutiora obtulerint, componemus. Quid enim attinet eorum exempla quærere, quæ sibi quisque experiri potest? illud notasse satis habeo, quo pulchriora & sensu & elocutione dissolveris, hoc orationem magis deformem fore: quia negligentia collocationis ipsa verborum luce deprehenditur. [1] Itaque ut confiteor pene ultimam oratoribus artem *compositionis*, quæ perfecta sit, contigisse: ita illis priscis habitam inter curas, in quantum adhuc profecerant, puto. [2] Neque mihi quamlibet magnus auctor Cicero persuaserit, Lysiam, Herodotum, Thucydidem, parum studiosos ejus fuisse. Genus fortasse sint secuti non idem quod Demosthenes, aut Plato, quanquam & ii ipsi inter se dissimiles fuerunt. Nam neque illud in Lysia dicendi textum tenue atque rarum lætioribus numeris corrumpendum erat. Perdidisset enim gratiam, quæ in eo maxima est, simplicis atque inaffectati coloris: perdidisset fidem quoque. [3] Nam scribebat aliis, non ipse dicebat: ut oportuerit esse illa rudibus & incompositis similia: quod ipsum *compositio* est. [4] Et historiæ (quæ currere debet ac ferri) minus conveniissent intersistentes clausulæ, & debita actionibus respiratio, & cludendi inchoandique sententias ratio. [5] In concionibus quidem etiam similiter

1 *Itaque ut confiteor.*] Cic. in Orat. perfecto *numerosam compositionem* ait inventam à *Thrasymacho Calchedonio* & *Gorgia Leontino*: sed illi tamen *numeris* male utebantur. eos itaque Isocrates emendavit, primusque est apte *numeris* usus. *Idem.*

2 *Neque mihi.*] In oratore Cic. his authoribus *numeros* detrahit: qua in re secutus est *Aristotelem*, qui idem scribit lib. 3. ad Theodectem. sed *Fabius* mavult sequi opinionem Dionysii Halicar. qui Herodoto & Thucydidi *numeros* tribuit. & alioqui hoc totum caput mutuatus est à Dionysio. *Idem.*

3 *Nam scribebat.*] Propter legem quæ Athenis erat, *ne quis causæ suæ patronum adhiberet.* fraus enim legi fiebat, atque oratores aliis orationes scribebant. *Idem.*

4 *Et historiæ.*] Cic. ait propriam esse *historiæ* compositionem *tractam* & *fluentem.* illa autem non intersistit clausulis periodorum, sed perpetuo fertur cursu, dum ad exitum rei pervenerit. Unde Arist. appellat *infinitam compositionem.* Idem. *Et historiæ, &c.*] Quæ tamen frequentes sunt Thucyd. *Pith.*

5 *In concionibus.*] Dionysius Halicarnasseus in lib. de *Idiomatibus Thucydidis*, annotat in *Thucydide numerosam compositionem* & *multas figuras.* inde mutuatus est hunc locum Fabius. *Turneb.*

1 *Est*

militer cadentia quædam, & contrapoſita deprehendas: in Herodoto vero cum omnia (ut ego quidem ſentio) leniter fluant, tum ipſa ἁλῦκή habet eam jucunditatem, ut latentes etiam numeros complexa videatur. Sed de propoſitorum diverſitate poſt paulum. Nunc quæ prius iis qui recte componere volent, diſcenda ſint. [1] Eſt igitur ante omnia *oratio* alia *vincta*, atque *contexta*: *ſoluta* alia, qualis in ſermone & epiſtolis: niſi cum aliquid ſupra naturam ſuam tractant, [2] ut *de philoſophia*, *de republica*, ſimilibuſque. Quod non eo dico, quia non illud quoque ſolutum habeat ſuos quoſdam, & forſitan difficiliores etiam pedes: neque enim aut hiare ſemper vocalibus, aut deſtitui temporibus volunt ſermo & epiſtola: ſed non fluunt, nec cohærent, nec verba de verbis trahunt: ut potius laxiora in his vincula, quam nulla ſint. Nonnunquam in cauſſis quoque minoribus decet eadem ſimplicitas, quæ non illis, ſed aliis utitur numeris, diſſimulatque eos, & tantum communit occultius. [3] At illa connexa ſeries tres habet formas: *Inciſa*, quæ κόμματα dicuntur: *Membra*, quæ κῶλα, & περίοδον, quæ eſt vel ambitus, vel circunductum, vel *continuatio*, vel *concluſio*. In omni porro compoſitione tria ſunt neceſſaria, *ordo*, *junctura*, *numerus*. Primum igitur *de ordine*. Ejus obſervatio in verbis eſt ſingulis, & contextis. Singula ſunt quæ diximus ἀσυνθέτως. In his cavendum eſt, ne decreſcat oratio, & fortiori ſubjungatur aliquid infirmius, ut *ſacrilego fur*, aut *latroni petulans*. [4] Augeri enim debent ſenten-

1 *Eſt igitur.*] Romanus Aquila triplicem facit orationem: *ſolutam*, qualis eſt in *epiſtolis*: *tractam*, quam *perpetuam* appellat, qualis eſt in *hiſtoriis*: & *periodicam*, quæ certo ambitu comprehenditur, qualis eſt in *orationibus*. hæc numeros habet, *ſoluta* prope nullos, *tracta* quoſdam habet, ſed minus evidentes. *Idem.*

2 *Ut de philoſophia.*] Quemadmodum epiſtolæ Senecæ de *morali philoſophia* tractant, & ideo multos habent numeros. *Idem.*

3 *At illa connexa.*] *Inciſum* & *membrum* nonnunquam ſunt *periodi* partes, ſæpenumero etiam citra *periodum* in oratione ponuntur, ut cum loquimur *cæſim* & *membratim*. eſt autem *membrum*, *quod pluribus verbis aliquid abſolvit*: *comma*, *quod duobus aut pluribus verbis nihil abſolutum ſignificat*. Idem.

4 *Augeri enim debent.*] Hoc præceptum valet utique in *affirmatione*. nam in *negatione* contrarium eſt obſervandum, ut à *majoribus* deſcendamus ad *minora*. Idem.

sententiæ, & insurgere: ut optime Cicero, *Tu, inquit, istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate.* [1] Aliud enim majus alio supervenit. At si cœpisset à toto corpore; non bene ad latera fauceſque descenderet. Est & alius naturalis ordo, ut *viros ac fœminas, diem ac noctem, ortum & occasum* dicas potius [2] quam retrorsum. [3] Quædam ordine permutato fiunt supervacua, ut *fratres gemini.* Nam si præcesserint *gemini, fratres* addere non est necesse. [4] Illa nimia quorundam fuit observatio, ut *vocabula verbis, verba* rursus *adverbiis, nomina appositis, & pronominibus* rursus essent priora. Nam fit contra quoque frequenter non indecore. Necnon & illud nimiæ est superstitionis, ut quæque sint tempore, ea facere etiam ordine priora: non quin frequenter sit hoc melius, sed quia interdum plus valent ante gesta, ideoque levioribus superponenda sunt. *Verbo sensum cludere,* multo, si compositio patiatur, optimum est. In verbis enim sermonis vis inest. At si id asperum erit, cedat hæc ratio numeris, ut fit apud summos Græcos Latinosque oratores frequentissime. Sine dubio enim omne [5] quod non cludet, *hyperbaton* est. Ipsum hoc inter tropos vel figuras quæ sunt vir-

1 *Aliud enim majus alio supervenit.*] Alia quædam est conditio compositionis in negando quam in affirmando; quia diversum his ab illo ordinem tenemus, id est, retrogradum: ut si dicenti: Ego tibi semper favi, semper benefeci, semper donavi, sæpe etiam vitam restitui. Respondeas: Tu mihi nunquam vitam restituisti, nunquam donasti, nunquam benefecisti, nunquam favisti. in utroque modus augendi est. Auget enim hic posterior parvitatem beneficii aut arte in hoc quoque minuendi genere aliud majus supervenit. Majus enim censetur quod magis efficit. Laur. Vall. *Pithœus.*

2 *Quam retrorsum.*] In vetustis codicibus legitur, *quanquam & retrorsum,* ut significet Fabius hoc præceptum non ita perpetuum esse, ut non aliquando contra facere liceat, ut & fecerunt plerique auctores. *Turneb.*

3 *Quædam ordine permut.*] Præcipiunt quoque ut nomina *communia specialibus* præponantur, *specialia propriis,* ut *urbs Roma,* non *Roma urbs.* Cic. tamen dixit, *geminos fratres,* lib. 2. de Divinatione. sic dicitur *Taurus mons,* & *Bragada flumen,* ab authoribus. *Idem. Quædam ordine permutato fiunt supervacua, ut fratres gemini.*] Vide Vossium Institut. Orator. lib. 4. v. p. 55.

4 *Illa nimia, &c.*] Hæc duo præcepta sequentia translata sunt ex *Dionysio Halicarnassio.* Turneb.

5 *Quod non cludet, hyperbaton est.*] Alias, in *hyperbato* est. Si suapte natura *ordo* non constat, nec *numerus,* oratio est convertenda atque commutanda. est autem hoc *hyperbaton* laudabile. *Idem.*

1 Mecœ-

virtutis, receptum est. Non enim ad pedes verba dimensa sunt: ideoque ex loco transferuntur in locum, ut jungantur quo congruunt maxime: sicut in structura saxorum rudium, etiam ipsa enormitas invenit cui applicari, & in quo possit insistere. Fœliciſſimus tamen sermo est, cui & rectus ordo, & apta junctura, & cum his numerus opportune cadens contingit. Quædam vero transgressiones & longæ sunt nimis, ut in superioribus diximus libris, & interim etiam compositione vitiosæ, quæ in hoc ipsum petuntur, ut exultent atque lasciviant: quales illæ [1] Mecœnatis, *Sole & aurora rubent plurima. Inter sacra movit aqua fraxinos. Ne exequias quidem unus inter miserrimos viderem meas.* Quod inter hæc pessimum est, quia in re tristi ludit compositio. Sæpe tamen est vehemens aliquis sensus in verbo: quod si in media parte sententiæ latet, transire intentione, & obscurari circumjacentibus solet: in clausula positum, assignatur auditori, & infigitur: quale est illud Ciceronis, *Ut tibi necesse esset in conspectu populi Romani vomere postridie.* Transfer hoc ultimum, minus valebit. Nam totius ductus hic est quasi mucro, ut *per se fœdæ vomendi necessitati*, jam nihil ultra expectantibus, hanc quoque adjiceret deformitatem, *ut cibus teneri non posset postridie.* [2] Solebat Afer Domitius trajicere in clausulas verba tantum asperandæ compositionis gratia, & maxime in procœmiis: ut pro Cloantilla, *Gratias agam continuo.* Et pro Lælia, *Eis utrisque apud te judicem periclitatur Lælia.* Adeo refugit teneram delicatamque modulandi voluptatem, ut currentibus per se numeris, quo eos inhiberet, objiceret. Amphiboliam quoque fieri vitiosa locatione verborum, nemo est qui nesciat. Hæc arbitror, ut in brevi, de ordine fuisse dicenda: qui si vitiosus est, licet & juncta sit,

1 *Mecœnatis.*] *Mecœnas* (ut scribit Suetonius) molliorem & lasciviorem sequebatur compositionem. itaque eum semper exagitabat Augustus. *Idem.*

2 *Solebat Afer.*] *Domitius Afer* non solum utebatur *trajectionibus* ad numeros efficiendos, verum ut eos quoque vel tolleret vel obscuraret: idque potissimum faciebat in *procœmiis*, ut orationis simplicitas magis animos subiret, neque ars oratorem efficeret suspectum. *Idem.*

1 Jun-

sit, & apte cadens oratio, tamen merito incompositа dicatur. [1] Junctura sequitur. Ea est in *verbis incisis*, *membris*, *periodis*. Omnia nanque ista & virtutes & vitia in complexu habent. [2] Atque ut ordinem sequar, *Primum quæ imperitis quoque ad reprehensionem notabilia videntur, id est, quæ commissis inter se verbis duobus, ex ultima prioris, ac prima sequentis syllaba, deforme aliquod nomen efficiunt.* Tum vocalium concursus: qui cum accidit, hiat & intersistit & quasi laborat oratio. Pessime longæ quæ easdem inter se literas committunt, sonabunt. Præcipuus tamen erit hiatus earum quæ cavo aut patulo maxime ore efferuntur. *E*, plenior litera est, *I*, angustior: ideoque obscurius in his vitium. Minus peccabit qui longis breves subjiciet, & adhuc qui præponet longæ brevem. Minima est in duabus brevibus offensio. Atque cum aliæ subjunguntur aliis, perinde asperiores erunt, prout oris hiatu simili aut diverso pronuntiabuntur. Non tamen id ut crimen ingens expavescendum est, ac nescio negligentia in hoc, an solicitudo sit pejor. Inhibeat enim necesse est hic metus impetum dicendi, & à potioribus avertat. Quare ut negligentiæ pars est hoc pati, ita humilitatis ubique perhorrescere, [3] nimiosque non immerito in hac cura putant omnes Isocratem secutos, præcipue Theopompum. At Demosthenes & Cicero modice respexerunt ad hanc partem. Nam & coëuntes literæ quæ [4] συναλοιφὴ dicitur, etiam leniorem faciunt orationem, quam si omnia verba

1 *Junctura sequitur.*] *Junctura* est in optima & suavi connexione vocum, maxime autem pendet à suavitate literarum & syllabarum. etenim vitare oportet concursum vocalium & hiatum, & asperitatem consonantium. *Idem.*

2 *Atque ut ordinem.*] Initio præcipit ut in *junctura* vitetur *cacophaton*, cum ex complexu duarum dictionum efficitur *turpe verbum*: ut apud Virgilium, *cæca caligine*. Idem.

3 *Nimiosque non immerito, &c.*] Vix annotare possis in *Isocrate concursum vocalium in junctura:* cujus rei magis etiam observantes fuerunt ejus discipuli. At lingua Ionica molli vocalium concursu gaudet. *Idem.*

4 Συναλοιφὴ *dicitur.*] Apparet ex hoc loco olim Latinos more Græcorum admisisse *apostrophen*, ut cum *vocalis* à *vocali* exciperetur. id autem cum fit, dictio non clauditur suo fine, sed terminatur initio sequentis. nonnunquam *vocalem* etiam *coeuntem* non tollebant, ac fiebat *hiulca oratio*. Idem.

verba suo fine cludantur. & nonnunquam hiulca etiam decent, faciuntque ampliora quædam: ut, *Pulchra oratione acta omnino jactare.* [1] tum longæ per se, & velut optimæ syllabæ aliquid etiam medii temporis inter vocales, quasi intersistatur, assumunt. Qua de re utar Ciceronis potissimum verbis: *Habet*, inquit, *ille tanquam hiatus & concursus vocalium molle quiddam, & quod indicet non ingratam negligentiam de re hominis magis quam de verbis laborantis.* [2] Cæterum consonantes quoque, eæque præcipue quæ sunt asperiores, in commissura verborum rixantur, & *S* ultima cum *X* proxima, quarum tristior, etiamsi binæ collidantur, stridor est: ut, [3] *Ars studiorum.* Quæ fuit caussa & [4] Servio (ut dixi) subtrahendæ *S* literæ, quoties ultima esset, aliaque consonante susciperetur. quod reprehendit Lauranius, [5] Messala defendit. Nam neque Lucilium putant uti eadem ultima cum dicit, *Serenus fuit, & dignus loco.* Quinetiam Cicero in Oratore plures antiquorum tradit sic locutos: inde *belligerare pomeridiem*: & illa Censorii Catonis, *Die hanc, æque M litera in E mollita.* quæ in veteribus libris reperta mutare imperiti solent: & dum librariorum insectari insciti volunt, suam confitentur. [6] Atqui eadem illa litera quoties ultima est, & vocalem verbi sequentis ita contingit, ut in eam transire possit, etiam si scribitur, tamen parum exprimitur: ut, *Multum ille.*-- &, Quantum erat, adeo ut pene cujusdam novæ

1 *Tum longe per se.*] Quando sit *hiatus*, præter tempus illud quod est in vocalibus longis, aliud intercurrit tempus inter duas vocales, quoniam illic aliquandiu intersistimus. in vetustis codibus sic legitur, *Aliquid etiam mediis temporibus*: deinde non *assumunt*, sed *absumunt*. Idem.

2 *Cæterum consonantes quoque.*] Diomedes: Item ex consonantibus quæ in se incidentes studere & quasi rixari videntur fugienda junctura est, ut Sextus Roscius, ars Studiorum, rex Xerxes, error Romuli. *Pith.*

3 *Ars.*] An *Arx*. Pith.

4 *Servio, ut dixi, &c.*] Non memini ubi locutus sit de *Servio* antea: itaque annotat Valla in suo codice, hoc à *Fabio* dictum esse in lib. de *causis corruptæ eloquentiæ*: est tamen locutus de *Servio* lib. primo. *Turneb.*

5 *Messala.*] Hic *Messala* Servium defendit in libro quem de *S litera* conscripsit. *Idem.*

6 *Atqui eadem.*] *M* in medio dictionis optime sonat, in fine vero pessime: itaque eliditur in versu. cum sit autem hæc litera insuavis, proinde *Græci* nullam dictionem in *m* terminarunt, hac in re fœliciores quam *Latini*. Idem.

1 *Ciceroni*

novæ literæ sonum reddat. Neque enim eximitur, sed obscuratur, & tantum aliqua inter duas vocales velut nota est, ne ipsæ coëant. Videndum etiam, ne syllabæ verbi prioris ultimæ, sint primæ sequentis. Id ne quis præcipi miretur, [1] Ciceroni in epistolis excidit, *Res mihi invisæ visæ sunt Brute.* Et in carmine,

[2] *O fortunatam natam me Consule Romam.*

Etiam monosyllaba si plura sunt, male continuabuntur: quia necesse est compositio multis clausulis concisa subsultet. Ideoque etiam brevium verborum ac nominum vitanda continuatio, & ex diverso quoque longorum: afferunt enim quandam dicendi tarditatem. Illa quoque vitia sunt ejusdem loci, si cadentia similiter & similiter desinentia, & eodem modo declinata, multa jungantur. Nec verba quidem verbis, aut nomina nominibus, similiaque his continuari decet: cum virtutes etiam ipsæ tædium pariant, nisi gratia varietatis adjutæ. [3] Membrorum, incisorumque junctura non eo modo est observanda, quo verborum, quanquam & in his extrema & prima *coëunt.* [4] Sed plurimum refert *compositionis*, quæ quibus anteponas. Nam & *vomens, fustis esculentis vinum redolentibus, gremium suum & totum tribunal implevit.* Et contra (nam frequentius utar iisdem diversarum quoque rerum exemplis, quo sint magis familiaria, *Saxa atque solitudines voci respondent, bestiæ sæpe immanes cantu flectuntur atque consistunt.* Magis id insurgebat, si verteretur: Nam etsi plus est saxa quam bestias commoveri, inest tamen compositioni decor. Sed transeamus ad numeros.

Omnis

1 *Ciceroni in epist.*] Non videtur hac in re reprehendendus *Cicero.* Nam in priori plane alluſit, in posteriori etiam lusit: quamquam *Juvenalis* hoc quoque carmen exagitat. *Idem.*

2 *O Fortunatam natam me Consule Romam.*] Vide Turneb. l. 7. cap. 19.

3 *Membrorum incisorumque.*] In *membris jungendis* non solemus vitare *similitudinem syllabarum:* ut, *Domus tibi decorat? at habebas: pecunia aderat? at egebas.* Turneb.

4 *Sed plurimum refert.*] In *membrorum & incisorum conjunctione* plurimum interest quod cui anteponas, quia aliquando ordo naturalis & optimus immutatur propter gratiam & suavitatem compositionis. Hoc præceptum partim *junctura* est, partim *ordinis.* Idem.

1 *Omnis*

[1] Omnis *ſtructura* ac *dimenſio* & *copulatio vocum* conſtat aut numeris (numeros ῥυθμὸς accipi volo) aut μέτρῳ, id eſt dimenſione quadam. Quod etiam ſi conſtat utrunque pedibus, habet tamen ſimplicem differentiam. Nam *rhythmi*, id eſt, numeri, ſpatio temporum conſtant: *metra* etiam ordine: ideoque alterum eſſe quantitatis videtur, alterum qualitatis. [2] Ῥυθμὸς aut par eſt ut *dactylus*. unam enim ſyllabam parem brevibus habet. [3] Eſt quidem vis eadem & aliis pedibus, ſed nomen illud tenet. *Longam* eſſe duorum temporum, *brevem* unius, etiam pueri ſciunt. [4] Aut ſeſcuplex, ut *pæon:* cujus vis eſt ex longa & tribus brevibus: [5] quique ei contrarius, ex tribus brevibus & longa, vel alio quoquo modo tempora tria ad duo relata ſeſcuplum faciunt, Aut duplex, ut *jambus:* nam eſt ex brevi & longa: quique eſt ei contrarius. Sunt hi & metrici pedes: ſed hoc intereſt, quod *rhythmo* indifferens eſt, *dactylus* ne illæ priores habeat breves, an ſequentes. Tempus enim [6] ſolum metitur, [7] ut à ſublatione ad poſitionem iiſdem ſit ſpatiis pedum. In verſu pro *dactylo* poni non poterit *anapæſtus* aut *ſpondens:* nec *pæon* eadem ratione à brevibus incipiet ac deſinet. Neque ſolum

1 *Omnis ſtructura.*] *Numerus* conſtat *intervallo ſyllabarum & pedum:* at *verſus* non ſolum conſtat *pedum intervallo*, ſed etiam *certa collocatione, quæ perpetuo eſt obſervanda.* Hunc locum traduxit Fabius ex rhetoricis ad Theodectem. *Idem.*

2 *Ῥυθμὸς aut par eſt.*] Omnis *modulatio* oritur à proportionibus arithmeticis: igitur Fabius in *numeris* quoque oſtendit certam eſſe temporum proportionem. eſt autem omnis *proportio* aut *æqualis*, aut *inæqualis*. eandem obſervabis in *pedibus.* Idem.

3 *Eſt quidem vis eadem.*] *Menſuram temporum* obſervamus in *numeris*, non *ordinem*: itaque *anapæſtus* eandem vim habere poteſt in *numero.* ita quanquam *anapæſtus* parem vim habet, obtinuit tamen ut *par numerus* diceretur *dactylus.* Idem.

4 *Aut ſeſcuplex.*] *Seſcuplex* dicitur, quod *alterum totum capit*, & *dimidium:* quæ porportio vocatur *ſeſquialtera*, à Græcis *hemiolia.* Idem.

5 *Quique ei contrarius.*] Grammatici hunc pedem *quadruplicem* faciunt ex mutatione *longæ ſyllabæ*, cum ponitur vel *initio*, vel *medio*, vel *fine.* Idem.

6 *Solum.*] Alii, *Sonum.*

7 *Ut à ſublatione.*] *Sublatio* & *poſitio* ea eſt, quæ dicitur à Græcis *arſis* & *theſis.* itaque Fab. vocat *ſublationem, elevationem quæ fit ab initio pedis & numeri ad ejus finem*, id eſt ad *poſitionem.* Aliter appellant qui de *accentibus* ſcribunt: *ſublationem enim vocant, cum elevatur ſyllaba in pronunciatione accentus.* nam in cæteris ſyllabis eſt *poſitio*, quia deprimitur. *Turnebus.*

solum alium pro alio pedem metrorum ratio non recipit, sed ne dactylum quidem aut forte spondeum alterum pro altero. Itaque si quinque continuos dactylos, ut sunt in illo,

Panditur interea domus omnipotentis olympi,

confundas, solveris versum. Sunt & illa discrimina, quod *rhythmis* libera spatia, *metris* finita sunt: & his certe clausulæ, illi quo modo cœperant currunt usque [1] ad μεταβολὴν, id est transitum in aliud genus rhythmi. Et quod *metrum* in verbis modo, *rhythmus* etiam [2] in corporis motu est. [3] Inania quoque tempora *rhythmi* facilius accipient, quanquam hæc & in metris accidunt. [4] major tamen illic licentia est, ubi tempora etiam animo metiuntur, & pedum & digitorum ictu intervalla signant quibusdam notis, atque æstimant quod breves illud spatium habeat, [5] inde τετράσημον, πεντάσημον. Deinceps longiores fiunt percussiones. [6] Nam σημεῖον tempus est unum. In compositione orationis certior, & magis omnibus aperta servari debet dimensio. Est igitur in pedibus. Et metrici quidem pedes adeo reperiuntur in oratione, ut in ea frequenter non sentientibus nobis [7] omnium

1 *Ad μεταβολὴν.*] *Mutationem* appellat, cum absoluta periodo transimus ad alium circuitum & periodum. in sequenti autem periodo mutare debemus *numerum*, quoniam similitudo *numeri* est vitiosa. *Idem.*

2 *In corporis motu est.*] Fabius docuit in cap. de *Musica*, aptum & decentem *corporis motum* appellari εὐρυθμίαν. nam in ipso quoque *corporis gestu* servari debet quædam proportio, quæ efficit *rhythmum*. Idem.

3 *Inania quoque.*] *Inania* vocat tempora, quæ redundant. illa autem minus offendunt in *periodo* quam in *carmine*: quanquam in *carmine* nonnunquam illa ponuntur, ut in *hypermetro*. sed hoc perquam rarum est. *Idem.*

4 *Major tamen illic licentia.*] *Major licentia* est in *metris*, ut in *fingendis verbis*, atque adeo in *numeris*, quia certam habent legem, contra quam aliquando faciunt. nullam autem habet legem orator. Nonnulli hunc locum intelligunt de *oratione*, sed peccant, ut apparet ex sequentibus. *Idem.*

5 *Inde τετράσημον.*] Τετράσημον appellat *notam, quæ intervallum quatuor temporum signabat*, ut πεντάσημον *quinque*. quanquam etiam notæ quædam erant quæ *sex, septem, octo tempora notarent*. Idem.

6 *Nam σημεῖον tempus est unum.*] A quibusdam hic locus intelligitur de *oratione*, quæ majorem habet licentiam *numerorum*: quanquam nonnulli hac in re ita sunt religiosi, ut non solum auribus & animo metiantur numeros in oratione, sed etiam certa cantione & certa annotatione temporum. *Idem.*

7 *Omnium genera excidant versus.*] Cic. in Oratore ad Brutum ait: *orationem nostram*

nium generum excidant versus. [1] Et contra nihil est prosa scriptum, quod non redigi possit in quædam versiculorum genera. Sed in adeo molestos incidimus grammaticos, quam fuerunt qui [2] lyricorum quædam carmina in varias mensuras coëgerunt. At Cicero frequentissime dicit totum hoc constare *numeris*, ideoque reprehenditur à quibusdam, tanquam orationem ad *rhythmos* alliget. Nam sunt numeri *rhythmi*, ut & ipse constituit, & secuti eum Virgilius cum dicit,

-- *Numeros memini, si verba tenerem:*

& Horatius,

-- *Numerisque fertur*
Lege solutis.

Invadunt ergo hanc inter cæteras vocem. Neque enim Demosthenes *fulmina* tantopere vibrasse diceretur, nisi *numeris contorta* ferrentur. In quo si hoc sentimus *rhythmis* contorta, dissentio. Nam *rhythmi*, ut dixi neque finem habent certum, nec ullam in contextu varietatem, sed qua cœperunt sublatione ac positione ad finem usque decurrunt: oratio non descendit ad strepitum digitorum. Id quod Cicero optime videt, ac testatur frequenter, se quod numerosum sit quærere: [3] ut magis non ἔυρυθμον, quod esse insitum atque agreste, quam ἄρυθμον, quod poëticum est, esse compositionem velit, sicut etiam quos palæstritas esset nolumus, peritos tamen palæstræ esse volumus, non ἀπαλαίστους. Verum

nostram magna ex parte jam bis constare: itaque à nobis per imprudentiam fundi jambicos versus & Hipponactios. Idem.

1 *Et contra.*] Infinita sunt versuum genera: itaque cum sit tanta in illis varietas, nulla videtur esse *prosa* quæ non possit in quoddam versiculi genus reduci. *Idem.*

2 *Lyricorum quædam carmina.*] *Lyrici Græci* sibi arbitrio carmina fingere solent, mira varietate, ut carmina vix deprehendas, attamen rediguntur in certos pedes à quibusdam. Forte vero innuit etiam *grammaticos* esse molestos, quia orationem veluti carmina metiuntur. *Idem.*

3 *Ut magis non ἀρυθμὸν*, &c.] Εὔρυθμον dicitur, quod est *bene numerosum*, quale poëma: ἄρυθμον autem, quod *numeris omnino caret & compositionis lege.* Inter hæc duo aliquid medium est, quod habet quandam *modulationem* & quandam *dimensionem.* talis est *numerus oratorius.* non igitur peccat Cic. cum *numeros* tribuit orationi. *Idem.*

rum ea quæ efficitur ex pedibus æqua concluſio, nomen aliquod deſiderat. Quid ſit igitur potius quam *numerus*, & oratorius numerus, ut *enthymema* rhetoricus ſyllogiſmus? Ego certe ne in calumniam cadam, qua ne M. quidem Tullius caruit, poſco hoc mihi, ut cum pro compoſito dixero *numerum*, & ubicunque jam dixi, *oratorium* dicere intelligar. [1] *Collocatio* autem verba jam probata, & electa, & velut aſſignata ſibi debet connectere: nam vel dura inter ſe commiſſa potiora ſunt inutilibus. Tamen & eligere quædam, dum ex iis quæ idem ſignificent, atque idem valeant, permiſerim: & adjicere dum non ocioſa: & detrahere, dum non neceſſaria: ſed & figuris mutare & caſus & numeros, quorum varietas frequenter gratia compoſitionis adſcita, etiam ſine numero ſolet eſſe jucunda: [2] etiam ubi aliud ratio, aliud conſuetudo poſcit, utrum volet ſumat compoſitio, *Vitaviſſe* vel *vitaſſe*: *Deprehendere* vel *deprendere*. [3] Coitus etiam ſyllabarum non negabo, & quicquid ſententiis aut eloquentiæ non nocebit. Præcipuum tamen in hoc opus eſt, ſcire quod quoque loco verbum maxime quadret. Atque is optime componet, qui hoc ſolum componendi gratia faciet. Ratio vero pedum in oratione eſt multo quam in verſu difficilior: primum, quod *verſus* paucis continetur, *oratio* longiores habet ſæpe circuitus: deinde quod *verſus* ſemper ſimilis ſibi eſt, & una ratione decurrit: *orationis* compoſitio niſi varia eſt, & offendit ſimilitudine, & affectatione deprehenditur: [4] & in omni quidem corpore, totoque (ut ita dixerim) tractu, numeris inſerta eſt. Neque enim loqui poſſumus niſi è ſyllabis brevibus ac longis, ex quibus

1 *Collocatio autem.*] *Compoſitio* eſt in verbis *ſimplicibus* & *conjunctis*. *ſimplicia* ſunt eligenda, in *conjunctis* ſervanda eſt *junctura* & *numerus*. Idem.

2 *Etiam ubi aliud ratio, &c.*] *Ratio grammatica* poſcit ut dicamus *vitaviſſe*, at *conſuetudo* poſcit ut dicamus *vitaſſe*. Hic erit utendum ratione *numeri*. Idem.

3 *Coitus etiam ſyllab.*] Videtur *ſyllabarum* appellare *coitum*, *quando duæ ſyllabæ commiſcentur in unam per ſynæreſin*, ut pro *periiſſe*, *periſſe*. Idem.

4 *Et in omni quidem.*] *Numeri* potiſſimum ſunt in *clauſulis* & in *finibus periodorum*, ſecundo loco in *initiis*: media vero ſatis eſt ſi habeant *lenitatem compoſitionis* & *aptum fluxum*: quanquam ne id quidem fieri poſſit ſine pedibus. *Idem.*

1 *Abru-*

quibus pedes fiunt. Magis tamen & desideratur in clausulis, & apparet: primum, quia sensus omnis habet suum finem, possidetque naturale intervallum, quo à sequentis initio dividatur: deinde, quod aures continuam vocem secutæ, ductæque velut prono decurrentis orationis flumine, tum magis judicant, cum ille impetus stetit, & intuendi tempus dedit. Non igitur durum sit neque [1] abruptum, quo animi velut respirant ac reficiuntur. Hæc est sedes orationis, hoc auditor expectat, [2] hîc laus omnis declamat. Proximam clausulis diligentiam postulant initia. nam & ad hæc intentus auditor est. Sed eorum facilior ratio est. Non enim cohærent aliis, nec præcedentibus serviunt: sed novum exordium sumunt, cum illa, quamlibet sit composita, ipsam gratiam perdat, si ad eam rupta via veniamus. [3] Namque cum sit, ut videtur, severa Demosthenis compositio πρῶτον μὲν ὦ ἄνδρες ἀθηναίοι τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις. & illa quæ ab uno (quod sciam) Bruto minus probatur, cæteris placet, κἂν μήπω βάλλῃ, μηδὲ τοξεύῃ· non desunt qui Ciceronem carpant in his, *Familiaris cœperat esse balneatori.* &, *Non minus dura archipiratæ.* nam *balneatori* & *archipiratæ* idem finis est, qui πᾶσι καὶ πάσαις, & qui μηδὲ τοξεύῃ: sed propria sunt, [4] ideo severiora. Est in eo quoque nonnihil, quod hîc singulis verbis bini pedes continentur, quod etiam in carminibus est permolle: nec solum ubi quinæ syllabæ nectuntur, ut in his, *Fortissima Tyndaridarum*: sed etiam ubi quaternæ, cum versus cluditur *Apennino*, & *armamentis*, & *Oriona*. Quare hoc quoque vitandum est, ne plurium syllabarum verbis utamur

1 *Abruptum.*] *Abrupta* est *clausula, quando ante legitimum numerum & aptam dimensionem incipit desinere.* Idem.

2 *Hic laus omnis declamat.*] *Cicero* quoque scribit aliquando totas conciones exclamasse, plausumque sustulisse, quia clausula apte conciderat atque numerose. *Idem.*

3 *Namque cum sit.*] Reprehenditur Cic. quod periodos quasdam male concluserit, quanquam in illis optimus est numerus. Est enim *creticus* cum *spondeo*, sed dictiones sunt productiores quam conveniat: non enim licet terminare *periodum* dictione habente *sex* aut *septem syllabas.* Idem. *Namque cum sit, ut videtur.*] Dan. Nam qui fit ut cum Demosthenis vera videatur. *Pith.*

4 *Ideo severiora.*] Dan. *Dissolutiora.*

utamur in fine. [1] Mediis quoque non ea modo cura sit, ut inter se cohæreant, sed ne pigra, ne longa sint: ne, quod nunc maximum vitium est, brevium contextu resultent, ac sonum reddant pene puerilium crepitaculorum. Nam ut initia clausulæque plurimum momenti habent quoties incipit sensus aut desinit: [2] sic in mediis quoque sunt quidam conatus qui leviter intersistunt: ut currentium pes etiam si non moratur, tamen vestigium facit. [3] Itaque non modo membra atque incisa bene incipere atque cludi decet, sed etiam in iis quæ non dubie contexta sunt, nec respiratione utuntur illi [4] vel occulti gradus. quis enim dubitet unum sensum & unius spiritus esse. *Animadverti, judices, omnem accusatoris orationem in duas divisam esse partes?* Tamen & duo prima verba, & tria proxima, & deinceps duo rursus ac tria suos quasi numeros habent spiritum sustinentes: sicut apud [5] *rhythmicos* æstimantur hæ particulæ prout sunt *graves, acres, lentæ, celeres, remissæ, exultantes.* Proinde id quod ex illis conficitur, [6] aut severum, aut luxuriosum, aut quadratum, aut solutum erit.

[7] Quædam etiam clausulæ sunt claudæ atque pendentes, si relinquantur: sed sequentibus suscipi ac sustineri solent: eoque

1 *Mediis quoque.*] In *mediis* quanquam non diligenter observatur numerus, tamen non debemus contenti esse sola *junctura*, sed etiam efficere debemus ut *modice* fluat oratio & *apte*. Turnebus.

2 *Sic in mediis.*] Quanquam *media spatia* periodi continuo decurrunt fluxu, tamen habent tenuem quandam *quietem*, & quadantenus insistunt. est igitur aliquid opus numero in illa *quiete*. Idem.

3 *Itaque non modo.*] In *mediis spatiis* quanquam non est *colon* & *comma*, tamen sæpenumero est *diastole* aut *hypodiastole*. Turn.

4 *Vel occulti.*] Spiritum sustinemus.

5 *Rhythmicos.*] *Rhythmici* appellantur *musici* quidam, qui diligenter expendunt *numeros singularum particularum*. sic etiam nonnulli *rhetores* appellantur, à *numerorum diligentia*. Idem.

6 *Aut severum.*] Videtur innuere quasi *quatuor* genera *compositionis*. Diomedes tamen grammaticus duntaxat *tria* ponit, *quadratum, confragosum, elumbe*: sed ultimum complectitur *solutum* & *luxuriosum*. *quadratum* autem vocamus, *aptum omnino & conveniens*. sic dicitur *quadrata statura omnium optima*: quæ media est inter *procerum* & *breve*, *obesum* & *gracile*. Idem.

7 *Quædam etiam claus.*] *Clausula curtior* & *brevior* vitiosa est, quia non implet aures: ejus tamen vitium emendatur, si aliquid subjiciatur quod mutilatam clausulam expleat. *Idem.*

eoque facto, vitium quod erat in fine, continuatio emendat. *Non vult* P.R. *obsoletis criminibus accusari Verrem.* durum, si desinas: sed cum est continuatum iis quæ sequuntur, quanquam natura ipsa divisa sint, *Nova postulat, inaudita desiderat:* salvus est cursus. Ut adeas, tantum dabis: male cluderet. nam & trimetri versus pars ultima est. excipit, *Ut cibum vestitumque inferre liceat, tantum:* præceps adhuc firmatur ac sustinetur ultima, *Recusabat nemo.* [1] Versum in oratione fieri, multo fœdissimum est totum: sicut etiam in parte, deforme: utique si pars posterior in clausula deprehendatur, aut rursus prior in ingressu. Nam quod est contra, sæpe etiam decet, quia & cludit interim optime prima pars versus, dum intra paucas syllabas, [2] præcipue senarii atque octonarii. *In Africa fuisse*, initium senarii est, primum pro Quin. Ligario caput, cludit, *Esse videatur.* [3] Nam nimis frequens, octonarium inchoat. Talia sunt Demosthenis, πᾶσι γὰρ πίστεις γὰρ πᾶσιν ὑμῖν ὅσων ἀνοιαν. & totum pene principium. Et ultima versuum initio conveniunt orationis: *Etsi vereor, judices.* &, *Animadverti, judices.* [4] Sed initia initiis non conveniunt. T. Livius hexametri exordio cœpit, *Facturusne operæ pretium sim.* Nam ita edidit, estque melius quam quo modo emendatur, *Nec clausulæ clausulis:* ut Cicero, *Quo me vertam nescio.* qui trimetri finis est. Trimetrum &, *Pro misero dicere liceat.* [5] Sex enim pedes, tres percussiones

1 *Versum in oratione fieri.*] In hoc tamen vitium aliquando incidunt oratores; ut Cic. in Verrem, *cum loquerer, multi fletus gemitusque fiebant*, dempta una syllaba versus est. alio quoque in loco, *O miserum cui peccare licebat:* sic posuit finem hexametri. In Isocrate vero multos annotant versus propter nimiam numerorum diligentiam. *Idem.*

2 *Præcipue senarii.*] Id vero optime, quoniam (ut docet Cic. in Orat. ad Brutum) oratio nostra magna ex parte *jambis* constat: & alioqui hic *numerus* minus est *metricus.* Idem.

3 *Nam nimis frequens.*] Cic. *periodum* inchoat quibusdam pedibus *jambicorum versuum:* reliqui autem pedes quanquam in *metro* peccant, tamen absolvunt *octonarium.* Idem.

4 *Sed initia.*] Duplex esse potest sensus, vel *quod initia periodorum diversa sint, nec sibi consentiant:* vel *quod initia versuum non conveniunt initiis periodorum*, quemadmodum supra dixit. *Idem.*

5 *Sex enim pedes.*] In *trimetro jambico* sex sunt pedes: sed cum breves habeant syllabas, fit proinde ut in mensurarum percussionibus bini pro singulis habeantur. inde *trimetri versus* dicuntur à *tribus mensuris.* Idem. *Sex enim*

cussiones habent. Peius claudit finis hexametri: ut Brutus in epistolis, *Neque enim illi malunt habere tutores aut defensores, quanquam sciunt placuisse Catoni.* Illic minus sunt notabiles, quia hoc genus sermoni proximum est. Itaque & versus hi fere excidunt, quos Brutus ipso componendi ductus studio sæpissime facit, non raro Asinius, sed etiam Cicero nonnunquam, ut in principio statim orationis in Lucium Pisonem, *Prô dii immortales, quis hic illuxit dies?* [1] Non minore autem cura vitandum est, quicquid ῥυθμὸν, quale est apud Sallustium, *Falso quæritur de natura sua.* Quamvis enim vincta sit, tamen soluta videri debet oratio. Atqui Plato diligentissimus compositionis in Timæo prima statim parte vitare ista non potuit. Nam & initium hexametri statim invenias, & [2] Anacreontion protinus colon efficias, & si velis trimetron, & quod duobus pedibus & parte πενθημιμερὶς à Græcis dicitur: & hæc omnia in [3] tribus, ut Thucydidis ἐν ἑρύμαξι κῶμαι ἐφάνησαν, ex mollissimo rhythmorum genere excidant. Sed quia orationem jam constare pedibus dixi, aliqua de iis quoque: quorum nomina quoniam varia esse traduntur, constituendum est quo quenque appellemus. Et quidem Ciceronem sequar: nam is eminentissimos Græcorum est secutus, excepto quod pedes mihi trisyllabos non videtur excedere, quanquam ille *pæone* [4] *dochimoque*, quorum prior

pedes tres pecc.] Horat. *Unde & trimetris adcrescere jussit Nomen Iambeis cum senos redderet ictus.* nam cum bini per se colliduntur, ter se repercutiunt. Alioqui in Jambicis trochaicis & anapæsticis pedes binos pro singulis numeramus: ideoque trimetri tres percussiones, id est, collisiones habere dicuntur. *Pith.*

1 *Non minore autem.*] Appellat ῥυθμὸν, ut antea, quod non solum habet *numerum*, verum etiam *metrum.* Sic *Sallustius* initio *Jugurthini belli* usus est optimo jambico. *Turneb. Non minore autem curavit.*] Reprehendit alia ratione Servius in illud Virgil. *multæ illam frustra.* Antequam inquit rem diceret, prius ejus ostendit eventum: sic Sallustius: *Falso queritur de natura sua humanum genus.* Nam antequam diceret *queritur*, dixit *falso.* Pith.

2 *Anacreontio.*] *Versus Anacreontius* est, qui constat *versu tetrametro hypercatalectico*, id est *una redundante syllaba*: sunt etiam alii versus *Anacreontii* apud Servium in *centimetro.* Turneb.

3 *Tribus, &c.*] Verbis an *versibus.*

4 *Dochimoque.*] *Dochimus* apud Cic. & Fab. primam habet brevem, deinde duas longas, quartam brevem, ultimam longam, ut *amicos leves.* grammatici nonnulli volunt duas primas esse breves, ut *hyacinthini.* Turneb.

1 *Pyrrhi-*

prior in quatuor, secundus in quinque excurrit, utatur. Nec tamen ipse dissimulat quibusdam numeros videri, non pedes. nec immerito. Quicquid enim supra treis syllabas habet, id ex pluribus est pedibus. Ergo cum constent quatuor pedes binis, octo ternis: *spondeum* longis duabus, [1] *pyrrhichium*, quem alii *periambum* vocant, brevibus: *jambum* brevi longaque: huic contrarium è longa & brevi, [2] hunc *choreum* nos, ut alii *trochæum*, nominemus. Ex iis vero qui ternas syllabas habent, *dactylum* longa duabusque brevibus: huic temporibus parem, sed retroactum, appellari constat *anapæston*. Media inter longas brevis faciet *amphimacrum*: sed frequentius ejus nomen est [3] *creticus*. Longa inter breves, *amphibrachys*: duabus longis brevem sequentibus, [4] *bacchius*: totidem longis brevem præcedentibus, huic contrarius *palimbacchius* erit. Tres breves *trochæum*, quem *tribrachyn* dici volunt, qui choreo *trochæi* nomen imponunt: totidem longæ *molossum* efficiunt. Horum pedum nullus non in orationem venit, sed quo quique sunt temporibus pleniores, longisque syllabis magis stabiles, hoc graviorem faciunt orationem, breves celerem ac mobilem. Utrumque locis utile. Nam & illud ubi opus est velocitate, tardum & segne, & hoc ubi pondus exigitur, præceps ac resultans, merito damnetur. [5] Sit in hoc quoque aliquid fortasse momenti, quod & longis longiores, & brevibus sunt breviores syllabæ: ut quamvis neque plus duobus temporibus, neque uno minus habere videantur (ideoque in metris omnes breves longæque

1 *Pyrrhichium.*] *De pedibus metr.*

2 *Hunc choreum nos, &c.*] Hac in re sequitur Ciceronem Fabius. appellat enim *choreum*, pedem constantem longa & brevi. alii vocant *trocheum*, sed *trocheus* Ciceroni & Fabio est *tribrachys*, qui constat tribus brevibus. *Turneb.*

3 *Creticus.*] *Creticus* appellatur, propterea quod *Cretenses* solebant uti eo pede in saltationibus. *Idem.*

4 *Bacchius.*] A cæteris *grammaticis* aliter dicitur. qui enim à Fabio dicitur *bacchius*, ab illis appellatur *palimbacchius*, & contra. *Idem.*

5 *Sit in hoc.*] Syllabæ *longis longiores* sunt, quæ suapte natura productæ habent etiam positionem, ut *mater matris*. *brevibus breviores*, quæ compositione breves sunt, & sine positione, ut *patris pater*. Potest hoc etiam expendi ex sequente syllaba, quæ positionem habet, ideoque præcedenti mutuat aliquod tempus, ut *agrestem*. Idem.

que inter se obsessæ sunt pares) lateat tamen nescio quid, si quicquam supersit, aut desit. Nam versuum propria conditio est, ideoque in his quædam etiam communes. [1]Veritas vero quia patitur æque brevem esse vel longam vocalem cum est sola, quam cum eam consonantes una pluresve præcedunt: certe in dimensione pedum syllaba quæ est brevis, insequente alia vel brevi, quæ tamen duas primas consonantes habeat, fit longa: ut,

[2] *Agrestem tenui musam meditaris avena.*

nam licet *gre* brevis, facit tamen longam *A* priorem. Dat igitur illi aliquid ex suo tempore: quo modo, nisi habeat plus quam quæ brevissima, qualis ipsa esset detractis consonantibus? nunc unum tempus accommodat priori, & unum accipit à sequente, ita duæ natura breves, positione sunt temporum quatuor. [3] Miror autem in hac opinione doctissimos homines fuisse, ut alios pedes ita eligerent, alios damnarent, quasi ullus esset, quem non sit necesse in oratione deprehendi. Licet enim *pæonem* sequatur Ephorus, inventum à Thrasymacho, [4] probatum ab Aristotele, *dactylumque*, ut temperatiores brevibus ac longis: fugiat *spondeum* & *trochæum*, alterius tarditate, alterius celeritate damnata: [5] & *herous*, qui est idem *dactylus*, Aristoteli amplior, *jambus* [6] humanior videatur: *trochæum* ut nimis currentem damnet, eique [7] *cordacis* nomen imponat, eademque dicant Theodectes

1 *Veritas vero.*] Si spectes vocalis naturam, etiam si extrinsecus accedat positio, non tamen magis longa erit aut brevis, ut *fax* positione longum est, natura breve. *Idem.*

2 *Agrestem tenui, &c.*] In Vergilio ubique legitur *sylvestrem*: alio tamen in loco apud Vergil. scribitur, *Agrestem tenui meditabor arundine musam.* Idem.

3 *Miror autem.*] Fabius existimat nullum pedem esse qui orationem ingredi non possit, dummodo apte collocetur. eos itaque reprehendit qui quosdam pedes damnant. *Idem.*

4 *Probatum ab Aristotele.*] Arist. in periodorum initiis maxime probat *pæonem*, qui incipit à longa: ut in fine, qui desinit in longam. *Idem.*

5 *Et herous.*] *Heroum* damnat Arist. propter amplitudinem nimis metricam. appellat *heroum*, quia frequens est in *carmine heroico*. *Jambus* Aristoteli non probatur propter *humilitatem*. incidit enim fere in *sermonem vulgarem*. Idem.

6 *Humana.*] *Humilior.* Pith.

7 *Cordacis.*] *Cordax* dicitur *lasciva* & *comica saltatio*, quæ gesticulationem habet hujusmodi, ut pedes & reliquum corpus celerrime moveantur. *Turnebus.*

Corda-

dectes ac Theophraſtus, ſimilia poſt eos Halicarnaſſeus Dionyſius irrumpent etiam ad vicinos, nec ſemper illis *Heroo*, aut *pæone* ſuo, quem quia verſus raro facit, maxime laudant, uti licebit: [1] ut ſint tamen aliis alii crebriores, non verba facient, quæ neque augeri, neque minui, neque ſicut modulatione produci aut corripi poſſint: ſed *tranſmutatio* & *collocatio*. [2] Plerique enim ex commiſſuris eorum vel diviſione fiunt pedes: quo fit ut iiſdem verbis alii atque alii verſus fiant: ut memini quendam non ignobilem poëtam ita luſiſſe,

Aſtra tenet cœlum, mare claſſes, area meſſem.

[3] Hic retrorſum fit *ſotadeus*. Itemque *ſotadeo* adjungat retrotrimetros.

Caput exeruit mobile pinus repetita.

Miſcendi ergo ſunt, curandumque ut ſint plures qui placeant, & circunfuſi bonis deteriores lateant. Nec vero in literis ſyllabiſque natura mutatur, ſed refert quæ cum qua optime coëat. Plurimum igitur auctoritatis, ut dixi, & ponderis habent *longæ*: celeritatis *breves*: quæ ſi miſcentur quibuſdam longis, currunt: ſi continuantur, exultant. [4] *Acres* quæ ex brevibus ad longas inſurgunt: *leniores*, quæ à longis in breves deſcendunt. Optime incipitur à longis, recte aliquando à brevibus: ut *Novum crimen C. Cæſar.* [5] Lenius, ut, *Animadverti, judices.* Quod initium partitioni ſimile

Cordacis.] Κορδακικώτερον appellat Ariſtoteles.

1 *Ut ſint tamen aliis, &c.*] Pedes non expendimus ex *ipſis verbis*, ſed potius *ex verborum junctura* & *collocatione*. igitur *verba* non faciunt ut ſæpius utamur hoc pede, ſed *collocatio verborum*. Idem.

2 *Plerique enim.*] Vel inde apparet à *verbis ipſis pedes non effici*, quia ſi verba eadem varie mutaveris atque collocaveris, alios atque alios efficies pedes. *Idem.*

3 *Hic retrorſum.*] *Sotadeus* hic verſus (nam ſunt & alii) conſtat *ſpondeo*, *anapæſto*, *dactylo*. Idem. *Hic retrorſum fit ſotadeus.*] Ut illi apud Diomed. III. *Eſſe bonus ſi vis cole Divos optime Panſa.* Martial. *Nec retro lego Sotadem cinædum.* Auſon. Σοτάδειόν τε κινάδον, Ἰωνικὸν ἀμφίβραχυν. *Pith.*

4 *Acres, quæ ex brevibus.*] *Diomedes* lib. 2. hæc verba *Fabii* repetit, ſed *alacres* legit, ac forte aptius ita legeretur. *Turneb.*

5 *Lenius.*] *Diomedes* hunc quoque locum citat, *lenius à duabus*, quæ lectio videtur melior. *Idem.*

mile est, quæ celeritate gaudet. [1] Clausula quoque è longis firmissima est: sed cludent & breves, quamvis habeatur indifferens ultima. [2] Neque enim ego ignoro, in fine pro longa accipi brevem, quod videtur aliquid vacanti tempori, ex eo quod insequitur, accedere: aures tamen consulens meas, intelligo multum referre, utrumne *longa* sit quæ cludit, an *pro longa*. Neque enim tam plenum est, dicere, *Incipientem timere*: quam illud, *Ausus est confiteri*. Atqui si nihil refert brevis an longa sit ultima, idem pes erit: verum nescio quomodo sedebit hoc, illud subsistet. Quo moti quidam, longæ ultimæ tria tempora dederunt, ut illud tempus quod brevis ex longa accipit, huic quoque accederet. [3] Nec solum refert quis claudat, sed quis antecedat. Retrorsum autem neque plus tribus, (iique si non ternas syllabas habebunt, repetendi sunt, absit tamen poëtica observatio) neque minus duobus: alioqui *pes* erit, non *numerus*. [4] Potest tamen vel unus esse *dichoreus*, si unus est qui constat ex duobus choreis. Itemque *pæon*, qui est ex choreo & pyrrhichio, quem aptum initiis putant: vel contra qui est è tribus brevibus & longa, cui clausulam assignant: de quibus fere duobus scriptores hujus artis loquuntur, [5] alios omnes, quotcunque

1 *Clausula quoque.*] Itaque Aristotel. suadebat ut *periodum* terminaremus *pæone posteriore*, cujus ultima syllaba longa est. *Idem.*

2 *Neque enim ego ignoro.*] Propterea quod in fine intersistitur, accedit aliquid temporis brevis syllabæ ex sequentibus, atque ita longa fit. itaque Cic. nihil ait interesse, *dactylo* quis periodum terminet, an *cretico*: reprehenditque Arist. qui *pæone posteriore* dicit terminandam periodum, cum nihil intersit *ultima brevis sit an longa*. sed à Cic. dissentit Fabius. *Idem.*

3 *Nec solum refert.*] Pes unus numerum non efficit, itaque non solum est videndum quis ultimus sit pes, sed quis etiam antecedat. Quod si pedes sint *dissyllabi*, observari poterunt *tres*: sin *trisyllabi*, non plures *duobus*, ne *oratio* abeat in *carmen*. Idem.

4 *Potest tamen.*] *Dichoreus* suavissime *periodum* terminat, dum non sæpius usurpetur. itaque Cic. reprehendit *Asianos oratores*, quod fere *clausulas* hoc pede finirent. constat autem *duobus trocheis*, ut *comprobare*. Idem.

5 *Alios omnes.*] In divisione numerorum æqualem posuit numerum, *duplicem*, *& sesquiplum*, quem dixit *pæonem*, cujus est *proportio duorum ad tria*, ut sit *excessus unitatis*. igitur quicunque pedes *excessum* habent *unitatis*, in diversa tamen sed ejusdem generis proportione, ad *pæonem* referuntur, sive sit proportio *sesquitertia*, sive *sesquiquarta*: qualis est, *Romanus sum*. proportio est enim quatuor ad tria in unitatis excessu. *Idem.*

1 *Est*

cunque sint temporum quæ ad orationem pertineant, *pæonas* appellant. [1] Est & *dochimus*, qui fit ex *bacchio* & *jambo*, vel *jambo* & *cretico*, stabilis in clausulis, & severus. *Spondeus* quoque, quo plurimum est Demosthenes usus, moram semper per se habet: optime præcedet eum *creticus*: ut in hoc, *De quo ego nihil dicam nisi depellendi criminis caussa.* Illud est quod supra dixi multum referre, unone verbo pedes sint duo comprehensi, an uterque liber. Sic enim fit forte, *Criminis caussa:* molle, *Archipiratæ:* mollius si tribrachys præcedat. *facilitates, temeritates.* [2] Est enim quoddam in ipsa divisione verborum latens tempus, ut in pentametri medio spondeo qui nisi alterius verbi fine, alterius initio constet, versum non efficit. Potest, etiam si minus bene, præponi anapæstus, *Muliere non solum nobili, verumetiam nota.* Tum anapæstus & creticus, [3] jambus quoque, qui est utroque syllaba minor. præcedet enim tres longas brevis. Sed & spondeus jambo recte præponitur, *In armis fui.* [4] Tum spondeus & bacchius, sic enim fiet ultimus dochimus, *Iisdem in armis fui.* Ex iis quæ supra probavi, apparet molosson quoque clausulæ convenire, dum habeat ex quocunque pede ante se brevem. Illud scimus, ubicunque sunt, esse pro nobis. Minus gravis erit spondeus præcedente pyrrhichio: ut: [5] *Judicii Juniani.* & adhuc pejus priore pæone: ut, *Brute dubitavi:* nisi potius hoc esse velimus dactylum & bacchium.

Duo

1 *Est & dochimus.*] Cic. quoque *Dochimum* aptissimum putat esse *clausulis*, vetat tamen ne continuetur, propterea quod nimis notabilem efficit numerum. *Idem.*

2 *Est enim quoddam.*] *Spondeus* qui in tertia sede *pentametri* ponitur, fieri debet ex *dictionis fine & initio alterius*, alioqui male connexus erit versus. Sic etiam connecti interdum debent pedes resque efficitur longe mollior. *Idem.*

3 *Jambus quoque, qui est utroque syllaba minor.*] In vetusto codice sic legitur, *Jambus quoque qui est in utrisque, sed illis minor.* nam ultimæ syllabæ, *anapæsti* & *cretici* faciunt *jambum.* Idem.

4 *Tum spondeus & bacchius.*] In vetustis legitur, *tamen & bacchius:* videturque sincerior esse lectio, quia (ut antea docuit) *bacchius* præpositus *jambo* efficit *dochimum.* hanc tamen lectionem reposuit Raphaël. *Idem.*

5 *Judicii Juniani:*] Haudquaquam satis quadrare videtur exemplum. etenim claudi videtur periodus *choreo* & *spondeo*, non *pyrrhichio*, nisi forte Fabius existimavit primam in *Juniano* brevem esse. *Idem.*

1 *Duo*

[1] Duo ſpondei non fere conjungi patiuntur: quæ in verſu quoque notabilis clauſula eſt, niſi cum id fieri poteſt ex tribus quaſi membris: [2] *Cur de perfugis noſtris copias comparatis contra nos?* una ſyllaba, duabus, una. [3] Ne dactylus quidem ſpondeo bene præponitur, quia finem verſus damnamus in fine orationis. bacchius & cludit, & ſibi jungitur, *Venenum timeres.* [4] Vitat choreum, ſpondeum autem amat: ut, *Non venena timeres: ſed virus timeres.* Contrarius quoque qui eſt, cludet, niſi ſi ultimam longam *eſſe* volumus: optimeque habebit ante ſe moloſſon: ut, *Et ſpinis reſperſum.* Aut bacchium, *Quod hic poteſt, nos poſſemus.* Sed verius erit cludere choreum præcedenti ſpondeo. Nam hîc potius eſt numerus, *Nos poſſemus:* &, *Romanus ſum.* [5] Cludet & dichoreus, ſi pes idem ſibi ipſi jungetur, quo Aſiani ſunt uſi plurimum. Cujus exemplum Cicero ponit, *Patris dictum ſapiens, temeritas filii comprobavit.* Accipiet ante ſe choreus & pyrrhichium: *Omnes prope cives virtute, gloria, dignitate ſuperabat.* Cludet & dactylus, niſi eum obſervatio ultimæ creticum facit: ut, *Muliercula nixus in littore.* [6] Habebit ante bene creticum & jambum, ſpondeum male, pejus choreum. Cludit amphibrachus, *Q. Ligarium in Africa fuiſſe,* ſi non eum malumus eſſe bacchium. Non optimus eſt trochæus, ſi ultima

1 *Duo ſpondei.*] *Diſpondeus* in verſu notabilem facit rhythmum: ut, *& coſtam longo ſubducimus Apennino:* unde vitandus eſt in proſa. à Cic. tamen probatur, efficit enim gravem orationem, & eo numero Cic. prodit frequenter uſum eſſe Craſſum. *Idem.*

2 *Cur de profugis.*] Locus eſt ex oratione Craſſi, qui citatur à Cic. in Oratore, ubi legitur *comparant*, non, *comparatis:* ſed ita emendavit Badius propter ſequentia. *Idem.*

3 *Ne dactylus quidem.*] Cum *dactylus* præponitur *ſpondeo*, fit *hexametri* finis: tamen Cic. non vitavit aliquando hunc numerum, ut pro *Rabirio, perpetienda fuerunt.* Idem.

4 *Vitat choreum.*] *Choreus* præponi non poteſt *bacchio* in *clauſula periodi*, propterea quod incideret *clauſula* in *finem verſus hexametri.* nam *choreus* & *bacchius* efficiunt *dactylum* & *ſpondeum.* Idem.

5 *Cludet & dichoreus.*] *Dichoreus*, duplex eſt *choreus*, quo pede nihil eſſe poteſt numeroſius. exemplum quod citat Fab. eſt ex oratione Carbonis. Scribit autem Cic. *ita placuiſſe populo hujuſmodi numerum, ut audita hac periodo ſuſtulerit ingentem clamorem.* Idem.

6 *Habebit ante, &c.*] Idcirco *dactylus* ante ſe non admittit *ſpondeum* & *choreum*, quia ita efficeretur particula verſus. *Idem.*

1 *Alioqui*

ultima est brevis, quod certe sit necesse est, [1] alioqui quomodo cludet, qui placet plerisque, dichoreus? Illa observatione ex trochæo fit anapæstus. Idem trochæus præcedente longa fit pæon: quale est, *Si potero.* &, *Dixit hoc Cicero, Obstat invidia.* Sed hoc initiis dederunt. Cludit & pyrrhichius choreo præcedente: nam sic pæon est. Omnes ii qui in breves excidunt, minus erunt stabiles: nec alibi fere satis apti, quam ubi cursus orationis exigitur, & clausulis non intersistitur. Creticus est initiis optimus: *Quod precatus à diis immortalibus sum.* & clausulis, *In conspectu populi Romani vomere postridie.* Apparet vero quam bene eum præcedant, vel anapæstus, vel ille qui videtur fini aptior, pæon. Sed & se ipse sequitur, *Servare quam plurimos.* Sic melius quam choreo præcedente, *Quis non turpe duceret?* si ultima brevis pro longa sit. [2] Sed fingamus sic, *Non turpe, duceret.* Sed hîc est illud inane quod dixi. Paululum enim moræ damus inter ultimum atque proximum verbum, & turpe illud intervallo quodam producimus: alioqui sit exultantissimum, & trimetri finis, *Quis non turpe duceret?* [3] Sicut illud: *Ore spiritum excipere liceret:* si jungas, lascivi carminis est: sed interpunctis quibusdam & tribus quasi initiis, fit plenum auctoritatis. Nec ego cum præcedentes pedes posui, legem dedi ne alii essent: sed quid fere accideret, quod in præsentia videretur optimum, ostendi. Et quidem optime est sibi junctus anapæstus, ut qui sit pentametri finis [4] vel rhythmus, qui nomen ab eo traxit: *Nam ubi libido dominatur, innocentiæ leve præsidium est.* Nam synalœphe facit, ultimæ syllabæ

1 *Alioqui quomodo cludet.*] *Trocheus* tres habet breves, propter celeritatem igitur non bene consistit. quod si dixeris ultimam esse longam, hac ratione nunquam reperietur *dichoreus* in fine periodi, cujus ultimam syllabam esse brevem necesse est. *Idem.*

2 *Sed fingamus sic.*] *Distinctio* quæ aliquam efficit moram, attribuit *dictioni* aliquid temporis vacantis, ut antea dixit, ex eo quod insequitur, effeitque ne *rhythmus* videatur *poëticus.* nam si continuaretur pronunciatio, videretur esse finis *senarii.* Idem.

3 *Sicut illud.*] Legendum est, *sicut illo ore.* Idem.

4 *Vel rhythmus.*] Per *rhythmum anapæsticum* significare videtur *carmen anapæsticum monometrum,* quod constat duobus *anapæstis.* Idem.

syllabæ pro una sonent. Mollior fiet præcedente spondeo vel bacchio: ut si mutes idem, *leve innocentiæ præsidium est.* [1] Non me capit (ut à magnis viris dissentiam) pæon qui est ex tribus brevibus & longa. Nam est ipse una plus brevi anapæsto, *facilitas & agilitas.* Quod quid ita placuerit his, non video, nisi quod illum fere probaverint, quibus loquendi magis quam orandi studium fuit. Nam & ante se brevibus gaudet pyrrhichio & choreo, *mea facilitas, nostra facilitas.* At præcedente spondeo tum plane finis est trimetri: cum sit [2] per se quoque ei contrarius. Principiis merito laudatur. Nam & primam stabilem, & tres celeres habet: tamen hoc quoque meliores alios puto. Totus vero hic locus non ideo tractatur à nobis, ut oratio quæ ferri debet ac fluere, dimetiendis pedibus ac perpendendis syllabis consenescat. Nam id tum miseri, tum in minimis occupati est. Neque enim qui se totum in hac cura consumpserit, potioribus vacabit: si quidem relicto rerum pondere, ac nitore contempto, [3] *tesserulas* (ut ait Lucilius) *struet, & vermiculate inter se lexeis committet.* Nonne ergo refrigeretur sic calor, & impetus pereat, [4] ut equorum cursum qui dirigit, minuit: & passus qui æquat, cursum frangit? [5] quasi numeri non fuerint in compositione deprehensi: sicut poëma nemo dubitaverit [6] imperito quodam initio fusum, & aurium mensura,

1 *Non me capit.*] Refragatur hic Fabius *Aristoteli, Theodecti, & Theophrasto.* illi enim summopere *pæona* probant, quem non putat tantopere laudandum atque hic opinionem Ciceronis sequitur. *Idem.*

2 *Per.*] Dan. *Pæon.*

3 *Tesserulas struet.*] Alludit ad hos Lucilii versus, *Quam lepide lexes compositæ, ut tesserulæ omnes Arte pavimento atque emblemate vermiculato.* Appellat autem *tesserulas, lapillos quadratos apte formatos, quibus struuntur pavimenta,* quæ dicuntur *tessellata, Vermiculatum* autem appellamus opus, quod constat *minutis quidem sed variis formis, repræsentatque diversas species.* Turneb.

4 *Ut equorum cursum, &c.*] Quemadmodum *equisones* cum *equos* efficere volunt *gradarios*, aut *tolutarios*, ex compositione gressus celeritatem eorum inhibent: sic inhibetur celeritas orationis. *Idem.*

5 *Quasi numeri non, &c.*] Non debet esse tam diligens *numerorum* observatio, quia etiam ante *numerorum* observationem numerosa fuit compositio. *Idem.*

6 *Imperito quodam initio.*] In vetustis codibus legitur, *perito:* Cælius tamen Rhodiginus in lectionibus antiquis *imperito* legendum putat, ex Aristotele.

Nam

sura, & similiter decurrentium spatiorum observatione esse generatum, mox in eo repertos pedes. Satis igitur in hoc nos componit multa scribendi exercitatio, ut ex tempore etiam similia fundamus. Neque vero tam sint intuendi pedes quam universa comprehensio: ut versum facientes, totum illum decursum non sex vel quinque partes, ex quibus constat versus, aspiciunt. Ante enim carmen ortum est, quam observatio carminis. [1] Indeque illud,

Fauni vatesque canebant.

Ergo quem in poëmate locum habet [2] *versificatio*, eum in oratione *compositio*. Optime autem de illa judicant aures, quæ & plena sentiunt, & parum expleta desiderant, & fragosis offenduntur, & lenibus mulcentur, & contortis excitantur, & stabilia probant, clauda deprehendunt, redundantia & nimia fastidiunt. Ideoque docti rationem componendi intelligunt, indocti voluptatem. Quædam vero arte tradi non possunt. [3] Mutandus est casus, si durius is quo cœperamus feratur. Num in quem transeamus ex quo præcipi potest? Figuræ laboranti etiam compositioni variatæ sæpe succurrunt. [4] Quæ? cum orationis, tum etiam sententiæ. [5] Num præscriptum ejus rei ullum est? *Occasionibus utendum, & cum re præsenti deliberandum.* [6] Enimvero spatia ipsa, quæ in hac quidem parte plurimum valent, quod possunt nisi aurium habere judicium? Cur alia paucioribus verbis

Nam Arist. scribit *poësim initium habuisse ab imitatione, cujus initium fuerit rude.* Idem.

1 *Indeque illud, &c.*] Hoc versu *Ennius* significare volebat se primum apud Latinos apte carmen condidisse, quasi priores poëtæ uterentur versibus *impolitis* & *incomptis*: cujuscemodi olim citra observationem à *Faunis* reddebantur in oraculis. *Idem.*

2 *Versificatio.*] *Versificatio* est *observatio legis & pedum in carmine*: unde *versificatores* appellantur, qui carmina condunt ex lege, etsi tamen non tam apte ut poëtæ vocari debeant. nam poëta nescio quid augustius habet. *Idem.*

3 *Mutandus est casus.*] Sic Fabius antea præcepit *mutandos* esse nonnunquam *casus*, *numeros*, *figuras*: qui locus cum hoc conferri debet. *Idem.*

4 *Quæ? cum.*] Alii, *Tum quæ.*

5 *Num.*] Alii, *Nec.*

6 *Enimvero spatia.*] *Spatia* appellat in *periodis*, *ipsius decursus intervallum ab initio ad finem.* solet autem illud intervallum aliquando aures implere, ac tum optima est periodus. *Turneb.*

bis satis plena, vel nimium, alia pluribus brevia & absciſſa ſunt? [1] Cur in circunductionibus etiam cum ſenſus finitus eſt, aliquid tamen loci vacare videtur? *Neminem veſtrum ignorare arbitror, judices, hunc per hoſce dies ſermonem vulgi, atque hanc opinionem populi Romani fuiſſe. Cur hoſce potius quam hos? Neque enim erat aſperum. Rationem fortaſſe non reddam, ſentiam eſſe melius. Cur non ſatis ſit, ſermonem vulgi fuiſſe?* Compoſitio enim patiebatur. Ignorabam, ſed ita ut audio, hoc animus accipit plenum ſine hac geminatione non eſſe. Ad ſenſum igitur referenda ſunt. Nequeas ſatis forte quid ſeverum, quid jucundum ſit, intelligere: facias quidem natura duce melius quam arte: ſed naturæ ipſi ars inerit. [2] Illud prorſus oratoris, ſcire ubi quoque genere compoſitionis ſit utendum. Ea duplex obſervatio: altera, quæ ad pedes refertur: altera, quæ ad comprehenſiones quæ efficiuntur ex pedibus. Et de his prius. Diximus igitur eſſe inciſa, membra, circuitus. [3] *Inciſum* (quantum mea fert opinio) erit ſenſus non expleto numero concluſus: pleriſque pars membri. Tale eſt enim quo Cicero utitur, *Domus tibi deerat? at habebas. pecunia ſuperabat; at egebas.* Fiunt autem etiam ſingulis verbis inciſa: ut, *Diximus, teſtes dare volumus.* Inciſum eſt, *diximus. Membrum* autem eſt ſenſus numeris concluſis, ſed à toto corpore abruptus, & per ſe nihil efficiens. Id enim, *O callidos homines*, perfectum eſt: at remotum à cæteris, vim non habet: *ut per ſe manus, & pes, caput.* &, *O rem excogitatam, ô ingenia metuenda.* Quando ergo incipit corpus eſſe? cum venit extrema concluſio, *Quem, quaſo, noſtrum feſellit, id vos ita eſſe facturos?* Quam Cicero breviſſimam

1 *Cur in circund.*] Hac de cauſa Fabius antea præcipiebat ut quædam etiam adjicerentur, dum non otioſa eſſent. nam interdum bene terminatur ſenſus, male tamen *compoſitio*, propterea quod aures aliquid deſiderant plenius. *Idem.*

2 *Illud prorſus.*] Varianda eſt ſæpenumero *compoſitio*. nunc enim dicendum eſt *caſim*, nunc *membratim*, nunc *perfecta periodo*. præterea aliis atque aliis numeris & pedibus eſt utendum. Eſt igitur artificis, poſſe compoſitionem cum decoro accommodare rebus. *Idem.*

3 *Inciſum (quantum, &c.)*] *Inciſum* à *membro* apud Fab. hoc differt, quia *inciſum* numerum non explet, quem explet *membrum*. Aquila Romanus aliter, ut antea diximus. *Idem.*

1 *Genera*

mam putat. Itaque fere inciſa & membra miſta ſunt, & concluſionem utique deſiderant. Periodo plurima nomina dat Cicero, *ambitum*, *circuitum*, *comprehenſionem*, *continuationem*, *circunſcriptionem*. [1] Genera ejus duo ſunt: alterum ſimplex, cum ſenſus unus longiore ambitu circunducitur: alterum, quod conſtat membris & inciſis, quæ plures ſenſus habent: *Aderat janitor carceris, & carnifex prætoris*, & reliqua. [2] Habet *periodus* membra minimum duo. Medius numerus videtur quatuor: ſed recipit frequenter & plura. Modus ei à Cicerone aut quatuor ſenariis verſibus, aut ipſius ſpiritus modo terminatur. Præſtare debet, ut ſenſum concludat, ſit aperta, ut intelligi poſſit: non immodica, ut memoria contineri. Membrum longius juſto, tardum: brevius, inſtabile eſt. [3] Ubicunque acriter erit & inſtanter pugnaciterque dicendum, membratim cæſimque dicemus. Nam hoc in oratione plurimum valet: adeoque rebus accommodanda compoſitio, ut aſperis aſperos etiam numeros adhiberi oporteat, & cum dicente æque audientem inhorreſcere. [4] Membratim plerumque narrabimus, aut ipſas periodos majoribus intervallis, & velut laxioribus nodis reſolvemus: exceptis quæ non docendi gratia, ſed ornandi narrantur: ut in Verrem *Proſerpinæ raptus*. Hæc enim lenis & fluens contextus decet. Periodus apta procœmiis majorum cauſſarum, ubi ſolicitudine, commendatione, miſeratione res eget. Item communibus locis, & in omni amplifica-

1 *Genera ejus duo ſunt.*] *Altera periodus* eſt, quæ perpetua continuatione decurrit: & quanquam habet membra, tamen in illis non inſiſtit: *altera* eſt *periodus*, membris diſtincta, & in illis interſiſtens. *Idem.*

2 *Habet periodus membra minimum duo.*] Tamen à Græcis ponitur periodus *monocolos*, quæ uno duntaxat conſtat membro. eam Fab. non putat eſſe *periodum*, ſed *membrum* duntaxat. *Idem.*

3 *Ubicunque acriter.*] Aliquando omiſſa comprehenſione *colis* duntaxat utimur & *commatibus*, quod facere debemus ubi opus eſt *acrimonia*, quoniam illa cæſa & membra toties feriunt auditorem. *Idem.*

4 *Membratim plerunque.*] Narrationes forenſes & civiles *membra* potius deſiderant quam *periodos*, aut certe *periodos ſimiles membris*. non enim debet eſſe in eis tam numeroſa comprehenſio, ne judex artem intelligat. narrationes tamen quæ fiunt ad *ornatum* & *amplificationem*, numeroſas admittunt comprehenſiones. *Idem.*

ficatione: sed poscitur tum austera, si accuses, tum fusa, si laudes. Multum & in epilogis pollet. [1] Totum autem adhibendum est, quo sit amplius compositionis genus, cum judex non solum rem tenet, sed etiam captus est oratione, & se credit actori, & voluptate jam ducitur. [2] Historia non tam finitos numeros, quam orbem quendam contextumque desiderat. Nanque omnia ejus membra connexa sunt, quoniam lubrica est, ac fluit ut homines qui manibus invicem apprehensis gradum firmant, continent & continentur. [3] *Demonstrativum* genus omne fusiores habet liberioresque numeros. *Judiciale* & *concionale*, ut materia varium est, sic etiam ipsa collocatione verborum. Ubi jam nobis pars ex duabus quas modo fecimus, secunda tractanda est. Nam quis dubitat alia lenius, alia concitatius, alia sublimius, alia pugnacius, alia gravius esse dicenda? Gravibus, sublimibus, ornatis longas magis syllabas convenire? [4] Ita ut lenia spatium, sublimia & ornata claritatem quoque vocum poscant, potius quam his contraria. [5] Magis laudarem brevibus argumenta, partitiones, jocos, & quicquid est sermoni magis simile. Itaque componemus procœmium varie, atque ut sensus ejus postulabit. Neque enim accesserim Celso, qui unam quandam huic parti formam dedit: & optimam compositionem esse procœmii, ut apud Asinium dixit, *Si Cæsar ex omnibus mortalibus qui sint ac fuerint, posset huic caussæ disceptator*

1 *Totum autem, &c.*] Ex *Cic.* videtur hic esse sensus, tum maxime utendum esse periodo numerosa, cum judex captus est oratione, quia tum non intelligit artem, sed voluptate delinitus sponte sequitur dicentem. *Idem.*

2 *Historia non tam.*] *Cicero* tribuit historiæ genus quoddam orationis *tractum* & *profluens*. nec enim historica periodus membris exæquatur & cæsis, ut oratoria. *Idem.*

3 *Demonstrativum.*] *Genus demonstrativum* magna ex parte comparatur ad *ostentationem ingenii*, neque in eo ars occultatur. igitur illic apertiores sunt *numeri*. Idem.

4 *Ita ut lenia spatium.*] *Spatium* (ut antea) videtur appellare *intervallum à principio ad finem periodi*: nisi forte melius sic accipiamus *spatium syllabarum*, & tempus quod efficit lenitatem. sed *illo spatio* non sunt contenta sublimia, nisi etiam habeant claritatem vocum. *Idem.*

5 *Magis laudarem brevibus argumenta.*] Hoc intelligendum est de *argumentis quæ desiderant duntaxat subtilitatem.* nam quædam sunt de rebus gravissimis, quæ aliud genus dicendi desiderant. *Idem.*

ptator legi, non quisquam te potius optandus nobis fuit. Non quia negem hoc bene esse compositum, sed quia legem hanc esse componendi in omnibus principiis recusem. Nam judicis animus varie præparatur: tum miserabiles esse volumus, tum modesti, tum acres, tum graves, tum blandi, tum flectere, tum ad diligentiam hortari. Hæc ut sunt diversa natura, dissimilem componendi quoque rationem desiderant. An similibus Cicero usus est numeris in exordio pro *Milone*, pro *Cluentio*, pro *Ligario*. Narratio fere tardiores, atque, ut sic dixerim, modestiores desiderat pedes, & nominibus maxime mixtos. Nam & verbis ut sæpius pressa est, ita interim insurgit: sed docere & infigere animis res semper cupit, quod minime festinantium opus est. Ac mihi videtur tota narratio constare longioribus membris, brevioribus periodis. [1] Argumenta acria & citata, pedibus quoque ad hanc naturam accommodatis utentur, non tamen ita ut trochæis, quæ celeria quidem, sed sine viribus sunt. Verum quamvis sint brevibus longisque mista, non tamen plures longas quam breves habentia. [2] Illa sublimia spatiosas clarasque voces habent, amant amplitudinem *dactyli* quoque, ac *pæonis*, etiam si majori ex parte syllabis brevibus, temporibus tamen satis pleni. [3] Aspera contra *jambis* maxime concitantur: non solum quod sint è duabus modo syllabis, eoque frequentiorem quasi pulsum habent, quæ res lenitati contraria est: sed etiam quod omnibus partibus insurgunt, & à brevibus in longas nituntur & crescunt: ideoque meliores *choreis*, qui à longis in breves cadunt. Summissa, qualia in epilogis, lentas, & ipsa & minus exclamantes exigunt.

Vult

1 *Arg. acria.*] *Argumenta vehementia* debent habere *breves syllabas*, ut *currant: longas*, ut *insurgant*: alioqui si *breves* essent duntaxat *syllabæ*, *celeritas* esset sine *viribus*. Idem.

2 *Illa sublimia.*] Merito *sublimibus* accommodat *dactylum*: hunc enim pedem *amplum* & *magnificum* appellat Aristoteles, nuncupatque *heroum*. Idem.

3 *Aspera contra jambis.*] *Jambus* aptus est *maledictis*: convenit igitur *rebus asperis*. adde quod cum dissyllabus sit, frequentes habet percussiones. præterea à *brevi* surgit in *longam*, magisque ferit. *Idem.*

[1] Vult esse Celsus aliquam & superiorem compositionem, quam siquidem sciremus, doceremus: sed sit necesse est tarda & supina. Verum nisi ex verbis atque sententiis per sese id quæritur, satis odiosa esse non poterit. [2] Denique, ut semel finiam, sic fere componendum, quo modo pronuntiandum erit. An non in procœmiis plerunque summissi (nisi cum in accusatione concitandus est judex, aut aliqua indignatione complendus) in narratione pleni atque expressi, in argumentis citati, atque ipso etiam motu celeres sumus? ut in locis ac descriptionibus *fusi* ac *fluentes*, in epilogis plerunque *dejecti* & *infracti*? [3] Atqui corporis quoque motui sua quædam tempora, & ad signa pedum non minus saltationi quam modulationibus adhibet musica ratio numeros. Quid? non vox ad actus accommodatur naturæ ipsarum de quibus dicimus rerum? Quo minus id mirum in pedibus orationis, cum debeant sublimia ingredi, lenia duci, acria currere, delicata fluere. [4] Itaque ubi est necesse, affectamus etiam tumorem, qui spondeis atque jambis maxime continetur.

[5] *Hyperoargus* * *sceptra mihi liquit Pelops.* [6] At ille comicus æque senarius, quem *trochaicum* vocant, pluribus choreis, qui

1 *Vult esse Celsus.*] Videtur *Celsus* posuisse quandam compositionem *exaggeratam* & *gravem*, quam superiorem appellavit, quod opinaretur optimam. eam damnat Fab. quod sit nimis tarda. *Idem.*

2 *Denique, ut semel finiam.*] Ex similitudine pronunciationis docet variandam esse compositionem, rebusque accommodandam. affert præterea alias similitudines ut idem doceat. *Idem.*

3 *Atqui corporis.*] *Motus corporis* constat variis numeris, *saltatio* quoque. parem igitur varietatem in oratione servare debemus. Cum *signa pedum* dixit, aut intellexit *pedum motum numerosum in saltatione*, aut *pedum percussiones* quibus metimur tempora. *Idem.*

4 *Itaque ubi est necesse, affectamus tumorem.*] Barth. Adversar. lib. 25. cap. 10. p. 1233. Racemation. in Petron. p. 487. 488. Edit. Goldasti.

5 *Hyperoargus.*] Carmen est ex quodam Tragico, quod in exemplaribus varie legitur. quod si legatur *Hyperoargus*, significabitur *splendidus* atque *velox*. In aliis legitur *Hyperargus*, ut sit *valde velox*: sed ita non constat versus. hic autem versus constat *spondeis* & *jambis*, itaque tumidus est. *Turneb. Hyperoargus*, * *sceptra mihi Pelops.*] Seneca lib. 2. cap. 81. Turneb. Adversar. lib. 12. cap. 11. pag. 390.

6 *At ille Comicus.*] *Trochaicus senarius* non tantam habet gravitatem quanta est in *tragico jambico*. cadit enim à *longa* in *brevem*. Turneb.

1 *Synio-*

qui trochæi ab aliis dicuntur. *Pyrrhichius* quidem decurrit: sed quantum celeritatis habet, tantum gravitatis amittit,

Quid igitur faciam? non eam ne nunc quidem?

Asperum vero & maledicum etiam in carmine, jambis grassatur,

Quis hoc potest videre, quis potest pati,

Nisi impudicus, & vorax, & aleo? In universum autem, si sit necesse, duram potius atque asperam compositionem malim esse, quam effœminatam & enervem, qualis apud multos: & quotidie magis lascivimus [1] *syntonorum modis saltitantes.* Ac ne tam bona quidem ulla erit, ut debeat esse continua, & in eosdem semper pedes ire. Nam & versificandi genus est, unam legem omnibus sermonibus dare: & id cum manifesta affectatione (cujus rei maxime cavenda suspicio est) tum etiam similitudine tædium ac satietatem creat: quoque est dulcius, magis perit: amittitque & fidem, & affectus, motusque omnes, qui est in hac cura deprehensus: nec potest ei credere, aut propter eum dolere & irasci judex, cui putat hoc vacare. [2] Ideoque vincta quædam quasi solvenda de industria sunt, illa quidem maximi laboris, ne laborata videantur. [3] Sed neque longioribus quam oportet hyperbatis compositioni serviamus, ne quæ ejus gratia fecerimus, propter eam feciisse videamur. Et certe nullum aptum atque idoneum verbum prætermittemus gratia lenitatis. Neque enim erit ullum tam difficile, quod non commode inseri possit, nisi quod in evitandis ejusmodi verbis [4] non decorem compositionis quærimus, sed

1 *Syntonorum.*] *Syntoni, symphoniaci sunt*, qui instrumentis pulsatis harmoniamque efficientibus convenientem, modos suggerunt saltantibus. alii appellant *syntonos*, qui motu corporis convenienti respondent tonis & modulationi canentium. *Idem. Syntonorum.*] Sybaritarum.

2 *Ideoque vincta.*] Sæpenumero in *proœmiis* simplicitas esse debet: nam ea magis solet irrepere in animos auditorum. illic igitur aut *numeri* sunt *tollendi*, aut certe *obscurandi*, ne eos intelligat judex. *Turneb.*

3 *Sed neque long.*] *Transgressionibus* uti solemus *numerorum* causa, sed illæ non debent esse prolixæ, quia ita appareret *numerus* & *affectatio.* Idem.

4 *Non decorem compos. &c.*] Qui fieret, si *verba* illa *aspera* apte collocare-

sed facilitatem. Non tamen mirabor Latinos magis indulsisse compositioni, quam Atticos, quamvis minus in verbis habeant varietatis & gratiæ. Nec vitium dixerim si Cicero à Demosthene paululum in hac parte descivit. Sed quæ sit differentia nostri græcique sermonis, explicabit summus liber. *Compositio* (nam finem imponere egresso destinatum modum volumini festino) debet esse *honesta*, *jucunda*, *varia*. Ejus tres partes, *ordo*, *conjunctio*, *numerus*. *Ratio*, in adjectione, detractione, mutatione. *Usus* pro natura rerum quas dicimus. *Cura* magna, ut sentiendi atque loquendi prior sit. Dissimulatio curæ præcipua, ut numeri sponte fluxisse, non arcessiti & coacti esse videantur.

mus *commutata compositione*. sed *commutatio* forte efficeret difficultatem: igitur facilitatis causa nonnunquam evitamus *ea verba*. Idem.

M. Fab.

M. Fab. Quintiliani De Institutione Oratoria Liber Decimus.

Cap. I.

De copia verborum.

SED hæc eloquendi præcepta sicut cognitioni 1
sunt necessaria, ita non satis ad vim dicendi valent, nisi illis firma quædam facilitas, [1] quæ apud Græcos ἕξις nominatur, accesserit: quam *scribendo* plus, an *legendo*, an *dicendo* consequamur, solere quæri scio. Quod esset diligentius nobis examinandum, si qualibet earum rerum possemus una esse contenti. Verum ita sunt inter se connexa & indiscreta omnia, ut si quid ex his defuerit, frustra sit in cæteris laboratum. Nam neque solida atque robusta fuerit unquam eloquentia, nisi multo stylo vires acceperit: & citra lectionis exemplum labor ille carens rectore, fluit. Qui autem scierit quo sint quæque modo dicenda, nisi tanquam in procinctu paratam quidem ad omnes casus habuerit eloquentiam, [2] velut clausis thesauris incubabit. Non autem ut quicque præcipue necessarium est, sic ad efficiendum oratorem maximi protinus erit momenti.

Positis jam præceptis docet *Fab.* quo pacto ea facile exequi possimus. nec enim satis est tenere artis theoriam, nisi adsit facilitas agendi. quocirca opus est *exercitatione*. quæ fit *scribendo, legendo, dicendo*: quibus de rebus tractat hoc in libro. *Turneb.*

1 *Quæ apud Græcos ἕξις.*] Ἕξις vulgo vertitur *habitus*, à Pontano *habilitas*. Est autem qualitas ex actionum frequentatione nata, quæ efficit promptitudinem & facilitatem. comparatur igitur *exercitatione*. Idem.

2 *Velut clausis thesauris, &c.*] Proverbium est, quod de his dicitur qui eas res custodiunt quibus frui non possunt. Cæterum proprio maxime verbo est usus, cum *incubare* dixit: unde *incubones* appellantur avari, qui diligenter thesauros suos custodiunt, & illis velut incubant. *Idem.*

momenti. [1] Nam certe cum sit in eloquendo positum oratoris officium, dicere ante omnia est: atque hinc initium ejus artis fuisse manifestum est: proximam deinde *imitationem*, novissimam *scribendi* quoque *diligentiam*. Sed ut perveniri ad summa nisi ex principiis non potest: ita procedente jam opere, minima incipiunt esse quæ prima sunt. Verum nos non quomodo sit instituendus orator, hoc loco dicimus: (nam id quidem aut satis, aut certe uti potuimus à nobis dictum est) sed ut athletam qui omnia jam perdidicerit à præceptore, nimirum quo genere exercitationis ad certamina præparandus sit: ita eum qui res invenire & disponere sciet, verba quoque & eligendi & collocandi rationem perceperit, instruamus qua ratione quæ didicit, facere quam optime & quam facillime possit. Non ergo dubium est, quin ei velut opes sint quædam parandæ, quibus uti, ubicunque desideratum erit, possit. Eæ constant *copia rerum ac verborum*. [2] Sed res propriæ sunt cujusque causæ, aut paucis communes: verba in universas paranda: quæ si rebus singulis essent singula, minorem curam postularent: nam cuncta sese cum ipsis protinus rebus offerrent. Sed cum sint aliis alia aut magis propria, aut magis ornata, aut plus efficientia, aut melius sonantia, debent esse non solum nota omnia, sed in promptu, atque (ut ita dicam) in conspectu, ut cum se judicio dicentis ostenderint, facilis ex his optimorum sit electio: [3] Equidem scio quosdam collecta quæ idem significarent vocabula solitos ediscere, quo facilius

1 *Nam certe.*] A *dictione* profecta est *eloquentia*, sine qua prorsus esse nequit: plus tamen est ad *eloquentiam* momenti in imitatione & scriptione. ita *Fabius* videtur decidere superiorem quæstionem. *Idem.*

2 *Sed res propriæ sunt.*] Docet difficiliorem esse copiam *verborum* quam *rerum*. *res* enim propriæ sunt cujusque causæ, & se nobis offerunt: *verba* autem interdum rebus singulis insunt plura, interdum quoque desunt, quemadmodum docent philosophi plures esse *res* quam *vocabula*. Ex his autem Fabii præceptis mutuatus est libros de *copia* Erasmus. *Idem.*

3 *Equidem scio.*] Prima ratio *copiæ verborum* fit ex *synonymia*: non tamen ut temere *synonymis* utaris, (id enim vituperat Fab.) sed ut adhibeas *delectum* & *judicium*. Idem.

lius & occurreret unum ex pluribus, & cum essent usi aliquo, si breve intra spatium rursus desideraretur, effugiendæ repetitionis gratia sumerent aliud quo idem intelligi posset. Quod cum est puerile, cujusdam infelicis operæ, tum etiam utile parum, turbam enim modo congregat, ex qua sine discrimine occupet proximum quodque. Nobis autem *copia* cum judicio paranda est: vim orandi, non circulatoriam volubilitatem spectantibus. Id autem consequemur *optima legendo atque audiendo.* Non solum enim nomina ipsa rerum cognoscemus hac cura, sed cui quodque loco sit aptissimum. Omnibus enim fere verbis, præter pauca quæ sunt parum verecunda, in oratione locus est. [1] Nam scriptores quidam jamborum: veterisque comœdiæ, etiam in illis sæpe laudantur, sed nobis nostrum opus interim tueri satis est. Omnia verba (exceptis de quibus dixi) sunt alicubi optima: nam & humilibus interim & vulgaribus est opus, & quæ cultiore in parte videntur sordida, ubi res poscit, proprie dicuntur. Hæc ut sciamus atque eorum non significationem modo, sed formas etiam mensurasque norimus, ut ubicunque erunt posita, conveniant, nisi multa lectione atque auditione assequi non possumus: cum omnem sermonem auribus primum accipiamus. [2] Propter quod infantes à mutis nutricibus jussu regum in solitudine educati, etiam si verba quædam emisisse traduntur, tamen loquendi facultate caruerunt. [3] Sunt autem alia hujus naturæ ut idem pluribus vocibus declarent, ita ut nihil significationis, quo potius utaris, intersit: ut *ensis* & *gladius.* Alia quæ etiam si propria rerum

1 *Nam scriptores.*] *Scriptores veteres Comœdiæ*, ut *Eupolis*, *Cratinus*, *Aristophanes*, maxime lasciviunt, & fere jocos à re turpi petunt. Eodem quoque modo *Archilochus jambographus.* Idem.

2 *Propter quod.*] *Psammetichus* rex *Ægyptiorum* (ut tradit Herodotus) quibusdam infantulis quos in solitudine educabat, nutrices præfecit mutas. illi post bimatum cum esurirent forte, *becos* pronunciarunt, quod significat lingua Phrygia *panem* & *cibum.* Sic Fab. probat sermonem potissimum ab auditione nasci. *Idem.*

3 *Sunt autem.*] Quædam sunt *synonyma*, sed illa admodum rara, quæ æqualem habent significationem: nihil igitur interest quibus utaris, neque magnopere opus est *delectu*, ut in aliis. hæc etiam appellantur *polyonyma.* Idem.

rum aliquarum sint nomina, τροπικῶς tamen ad eundem intellectum feruntur, ut [1] *ferrum* & *mucro*. Nam per abusionem [2] *sicarios* etiam omnes vocamus qui cædem telo quocunque commiserint. Alia circuitu verborum plurimum ostendimus: quale est,

-- *Et pressi copia lactis.*

Plurima vero mutatione figuramus, [3] *Scio*, *Non ignoro*, & *Non me fugit*, *Non me præterit*, &, *Quis nescit? Nemini dubium est.* Sed etiam ex proximo mutuari licet. Nam & *intelligo*, & *sentio*, & *video*, sæpe idem valent quod *scio*. Quorum nobis ubertatem ac divitias dabit lectio, ut his non solum quomodo occurrerint, sed etiam quomodo oporteat, utamur. Non semper enim hæc inter se idem faciunt: nec sicut de intellectu animi recte dixerim, *Video:* ita de visu oculorum, *intelligo*. Nec ut *mucro* gladium, sic *mucronem* gladius ostendit. Sed ut copia verborum sic paratur, ita non verborum tantum gratia legendum vel audiendum est. [4] Nam omnium quæcunque docemus, hæc sunt exempla potentiora etiam ipsis quæ traduntur artibus, cum eo qui discit perductus est ut intelligere ea sine demonstrante, & sequi jam suis viribus possit: quia quæ doctor præcipit, orator ostendit. Alia vero legentes, alia audientes magis adjuvant. Excitat qui dicit, spiritu ipso, nec imagine & ambitu rerum, sed rebus incendit. Vivunt enim omnia, & moventur, excipimusque nova illa velut nascentia cum favore ac solicitudine. Nec fortuna modo judicii, sed etiam ipsorum qui orant, periculo afficimur. Præter hæc, *vox* & *actio decora*,

1 *Ferrum & mucro.*] Fiunt quædam *synonyma* per *tropum*: ut hæc duo *gladium* significant per *metonymiam* & *synecdochen*. Idem.

2 *Sicarios etiam omnes, &c.*] Sic accipiuntur *sicarii* à jureconsultis in *lege Cornelia de sicariis*: tamen proprie *sicarii* dicuntur à *sica*. id est, *brevi gladio*. Idem.

3 *Scio, non ignoro.*] *Synonymia* est & copia per *isodynamiam*. id est, *æquipollentiam*: adjicitur alia extenuatione figuræ. *Idem.*

4 *Nam omnium.*] Præceptiones *rhetorum* non tantopere conducunt quantum exempla, quæ intelliguntur vel legendo vel audiendo. signum est enim maximi profectus, quando jam discipulus præceptionum exempla deprehendere potest in oratoribus. *Idem.*

decora, commoda ut quisque locus postulabit, pronunciandi vel potentissima in dicendo ratio, & ut semel dicam, pariter omnia decent. In lectione certius judicium, quod audienti, frequenter aut suus cuique favor, aut ille laudantium clamor extorquet. Pudet enim dissentire, & velut tacita quadam verecundia inhibemur plus nobis credere, cum interim & vitiosa pluribus placeant, [1] & à corrogatis laudentur etiam quæ non placent. Sed è contrario quoque accidit, ut optime dictis gratiam prava judicia non referant. [2] Lectio libera est, nec actionis impetu transcurrit: sed repetere sæpius licet, sive dubites, sive memoriæ penitus affigere velis. Repetamus autem, & tractemus, & *ut cibos mansos ac prope liquefactos demittimus, quo facilius digerantur,* [3] *ita lectio non cruda, sed multa iteratione mollita, & velut confecta, memoriæ imitationique tradatur.* [4] Ac diu non nisi optimus quisque, & qui credentem sibi minime fallat, legendus est, sed diligenter, ac pene ad scribendi solicitudinem: nec per partes modo scrutanda omnia, sed perlectus liber utique ex integro resumendus, præcipueque oratio, cujus virtutes frequenter ex industria quoque occultantur. [5] Sæpe enim præparat, dissimulat, insidiatur orator, eaque in prima parte actionis dicit, quæ sunt forte in summa profutura. Itaque suo loco minus placent, adhuc nobis quare dicta sint ignorantibus: ideoque erunt cognitis omnibus repetenda. Illud vero utilissimum, nosse eas causas quarum orationes in manus sumpserimus: & quoties continget, utrinque habitas

1 *Et à corrogatis laudentur.*] *Plinius* in epistolis ait suo tempore permultis oratoribus conductos fuisse atque redemptos auditores in *basilicis*. Unde oratores illi appellabantur *Sophocles* græce, latine *Laudicæni*, quia conducebant auditores ut palam laudarentur. Vide *Eras. in Chiliad.* Idem.

2 *Lectio libera est.*] *Actio* decurrit perpetuo tenore, at *lectionem* cum volumus inhibemus, revocamus, atque ita exactius judicare possumus. *Idem.*

3 *Ita lectio non cruda, &c.*] Vide Jan. Gebhard. Crepund. lib. 3. cap. 18. pag. 150.

4 *Ac diu non nisi.*] Cum judicium non est satis subtile & exactum in discernendis virtutibus & vitiis, legendi sunt duntaxat classici auctores, qui *virtutes* habent sine *vitiis*. Turneb.

5 *Sæpe enim.*] Monet imprimis habendam rationem *œconomiæ*, quæ maxime est artificiosa apud oratores, & maxima virtus est existimanda. *Idem.*

1 *Pollionis*

bitas legere actiones: ut *Demosthenis* atque *Æschinis* inter se contrarias: ut *Servii Sulpitii*, *& Messalæ*, quorum alter pro Ausidia, contra dixit alter: & [1] *Pollionis & Cassii reo Aspernate*, aliasque plurimas. [2] Quinetiam si minus pares videbuntur, aliquæ tamen ad cognoscendam litium quæstionem recte requirentur: ut contra Ciceronis orationes, *Tuberonis in Q. Ligarium*, & *Hortensii pro Verre*. [3] Quinetiam easdem causas ut quisque egerit, utile erit scire. Nam pro domo Ciceronis dixit *Callidius*: & pro Milone orationem *Brutus* exercitationis gratia scripsit, etiamsi egisse eum Cornelius Celsus falso existimat. Et Pollio ac Messala defenderunt eosdem, & nobis pueris insignes pro Volusено Catulo, *Domitii Afri*, *Crispi Passieni*, *Decimi Lælii*, orationes ferebantur. Neque id statim legenti persuasum sit, omnia quæ magni auctores dixerint, utique esse perfecta. Nam & labuntur aliquando, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum suorum voluptati: nec semper intendunt animum, & nonnunquam fatigantur: cum Ciceroni dormitare interim Demosthenes, Horatio vero etiam Homerus ipsi videatur. Summi enim sunt, homines tamen: acciditque iis qui quicquid apud illos repererunt, dicendi legem putant, ut deteriora imitentur (id enim est facilius) ac se abunde similes putent, si vitia magnorum consequantur. Modeste tamen & circunspecto judicio de tantis viris pronuntiandum est, *ne* (quod plerisque accidit) *damnent quæ non intelligunt*. Ac si necesse est in alteram errare partem, omnia eorum legentibus placere, quam multa displicere maluerim. [4] *Plurimum*

1 *Pollionis & Cassii reo Aspern.*] Videatur Ptolem. Flavius Observation. cap. 25. pag. 977. Lamp. Crit. Part. 1.

2 *Quinetiam si minus.*] Oratio *Tuberonis in Quintum Ligarium* citatur à *Pomponio in titulo de origine juris*. *Hortensius* autem tametsi agendo prope par erat *Ciceroni*, tamen scribendo longe erat inferior. *Turneb.*

3 *Quinetiam easdem causas.*] Multi patroni uni *causæ* interdum adhibebantur: igitur eorum orationes utile est legere, ut magis deprehendamus virtutes. *Idem.*

4 *Plurimum dicit.*] Nunc *Fabius* docet qui sint legendi, posteaque auctorum catalogum recensebit, ac de singulis judicabit. poëtas quoque dixit libro primo legendos propter *sublimitatem*: olimque à poetis *pueri* incipiebant, ut ab *Homero* & *Vir-*

rimum dicit oratori conferre Theophrastus lectionem poëtarum: multique ejus judicium sequuntur: neque id immerito. Namque ab his & in rebus spiritus, & in verbis sublimitas, & in affectibus motus omnis, & in personis decor petitur, præcipueque velut attrita quotidiano actu forensi ingenia, optime rerum talium blanditia reparantur. Ideoque in hac lectione Cicero requiescendum putat. [1] Meminerimus tamen non per omnia poëtas esse oratori sequendos, nec libertate verborum, nec licentia figurarum, totumque illud studiorum genus ostentationi comparatum, præter id quod solam petit voluptatem, eamque, fingendo non falsa modo, sed etiam quædam incredibilia, sectatur, patrocinio quoque aliquo juvari: quod alligati ad certam pedum necessitatem, non semper propriis uti possint, sed depulsi à recta via, necessario ad eloquendi quædam diverticula confugiant: nec mutare quædam modo verba, sed *extendere*, *corripere*, *convertere*, *dividere* cogantur: nos vero armatos stare in acie, & summis de rebus decernere, & ad victoriam niti. [2] Neque ego arma squallere situ ac rubigine velim, [3] sed fulgorem his inesse, qui terreat, qualis est ferri, quo mens simul visusque perstringatur: non qualis auri argentique, imbellis, & potius habenti periculosus. Historia quoque alere orationem quodam molli jucundoque succo potest. Verum & ipsa sic est legenda, ut sciamus pleraque ejus virtutes oratori esse vitandas. Est enim proxima poëtis, & quodammodo carmen solutum: & scribitur ad narrandum,

& *Vergilio*. Idem. *Plurimum dicit Oratori conf. Theophrast.*] Vide Joh. Ludovici Strebæi de elect. Orat. colloc. Verb. lib. 1. c. 6. p. 27. &c.

1 *Meminerimus tamen.*] *Poëtarum* major est libertas & licentia quam *oratorum*, habentque ejus rei patrocinium, quia constringuntur versus necessitate: præterea totum genus est *epidicticum* & *ostentativum*. Turneb.

2 *Neque ego arma.*] Hac *metaphora* significat ornatum oratorium debere *severum* esse & *virile*, non *lascivum*, qualis est *poëticus*. Cæterum ubi legitur *perstringantur*, haud scio an legendum sit *præstringatur*: hoc enim verbum significat hebetare aciem oculorum & obtenebrare: unde *præstigiæ* dicuntur. Similis error inolevit apud multos auctores. *Idem.*

3 *Fulgorem his inesse, &c.*] Jan. Gebhard. Crepund. lib. 3. cap. 3. p. 107. Vegetius lib. 2. cap. 14.

1 *Sed*

dum, non ad probandum: totumque opus non ad actum rei, pugnamque præsentem, [1] sed ad memoriam posteritatis, & ingenii famam componitur: ideoque & verbis liberioribus, & remotioribus figuris narrandi tædium evitat. Itaque, ut dixi, neque illa *Sallustiana brevitas*, qua nihil apud aures vacuas atque eruditas potest esse perfectius, apud occupatum variis cogitationibus judicem, & sæpius ineruditum, captanda nobis est: neque illa *Livii lactea ubertas* satis docebit eum, qui non speciem expositionis, sed fidem quærit. [2] Adde quod M. Tullius ne Thucydidem quidem aut Xenophontem utiles oratori putat, quanquam illum bellicum canere, hujus ore musas esse locutas existimet. Licet tamen nobis in digressionibus uti vel historico nonnunquam nitore, [3] dum in iis de quibus erit quæstio, meminerimus non athletarum toros, sed militum lacertos esse: nec [4] versicolorem illam qua Demetrius Phalereus dicebatur uti, vestem bene [5] ad forensem pulverem facere. [6] Est & alius ex historiis usus, & is quidem maximus, sed non ad præsentem pertinens locum, ex cognitione rerum exemplorumque, quibus in primis instructus esse debet orator, ne omnia testimonia expetat à litigatore: sed pleraque ex vetustate diligenter sibi cognita sumat: hoc potentiora,

1 *Sed ad memoriam posteritatis, &c.*] Is. Casaubonus Animadvers. in Sueton. Tranq. lib. 4. p. 249.

2 *Adde quod M. Tullius.*] Quidam oratores imitabantur *Thucydidem*, quidam *Xenophontem*: utrosque reprehendit *Cicero*, quia aliud est scribere historiam, aliud orare. quanquam tanta est suavitas *Xenophontis*, ut appelletur *Musa Attica*. Turneb.

3 *Dum in iis de quibus, &c.*] Athletarum *tori*. id est, *musculi*, robur habent, sed nimium sunt *carnosi*. itaque lasciviunt *carne*. at militum lacerti labore sunt astricti & robusti. hos comparat *oratoribus*, ut *athletas historicis*. Idem.

4 *Versicolorem.*] Aut intelligit distinctam variis coloribus, aut subinde colorem mutantem, quemadmodum *fericum* quoddam est quod alio atque alio circunspicitur colore. *Idem.*

5 *Ad forensem pulverem.*] Alluit ad proverb. *sine pulveris jactu, aut tactu.* id est, *sine pugna.* nam *pulvis* nominatus ἀφὴ inspergebatur *athletis*. præterea milites cum pugnant, *pulverem* excitant. *Idem.*

6 *Est & alius.*] Exempla sumuntur ex historiis, sed ea pertinent ad *probationem*, non ad *elocutionem*, de qua nunc loquimur: quanquam possunt esse quædam exempla quæ adhibentur expolitionis causa, ut de *similitudine* dixit lib. 8. *Idem.*

1 *Phi-*

tiora, quod ea sola criminibus odii & gratiæ vacant. [1] A philosophorum vero lectione ut essent nobis multa petenda, vitio factum est oratorum, qui quidem illis optima sui operis parte cesserunt. Nam & *de justis, honestis, utilibus,* quæque sunt his contraria, & *de rebus divinis* maxime dicunt, & argumentantur acriter: & altercationibus atque interrogationibus oratorem futurum optime *Socratici* præparant. Sed his quoque adhibendum est simile judicium, ut etiam cum in rebus versemur iisdem, non tamen eandem esse conditionem sciamus litium ac disputationum, fori & auditorii, præceptorum & periculorum. [2] Credo exacturos plerosque, cum tantum esse utilitatis in legendo judicemus, ut id quoque adjungamus operi, *qui sint legendi*, quæ in quoque auctore præcipua virtus. Sed persequi singulos, infiniti fuerit operis. Quippe cum in Bruto M. Tullius tot millibus versuum de Romanis tantum oratoribus loquatur, & tamen de omnibus ætatis suæ, quibus cum vivebat, exceptis [3] Cæsare atque Marcello, silentium egerit: quis erit modus, si & illos, & qui postea fuerunt, & Græcos omnes & philosophos & poëtas persequi velim? Fuerit igitur brevitas illa tutissima, quæ est apud Livium in epistola ad filium scripta, legendos Demosthenem atque Ciceronem: tum ita ut quisque esset Demostheni & Ciceroni simillimus. Non est tamen dissimulanda nostri quoque judicii summa. Paucos enim, vel potius vix ullum ex iis [4] qui vetustatem pertulerunt, existimo posse reperiri, qui judicium adhi-

1 *Philosophorum vero lectione.*] *Cic. lib.* 3. *de Orat.* ait eosdem olim fuisse *oratores* & *philosophos*: sed cum nonnulli extitissent calumniatores, qui omissa philosophia eloquentia abuterentur, optimi quidam viri spreta eloquentia philosophari cœperunt privatim. ita oratores meliorem partem reliquerunt philosophis. vide & *Fabii* præfationem l. 1. *Idem.*

2 *Credo exacturos.*] *Fabius* deinceps est numeraturus præcipuos auctores, quos potissimum imitari debemus. qua in re maxime est observandum, à *Fabio* annotari uniuscujusque peculiares virtutes, ut in legendo quid excerpere debeamus, sciamus. *Idem.*

3 *Cæsare, &c.*] Errat.

4 *Qui vetustatem pertulerunt.*] *Metaphora* ducta est à *vino generoso.* dicitur enim *vinum* ferre *ætatem* & *vetustatem*, quod *vetustate* non degenerat, non acet, non mucet: ut contrarium vinum dicitur fugiens. *Turneb.*

1 *Quotus*

adhibentibus non allaturus sit utilitatis aliquid, cum se Cicero ab illis quoque vetustissimis auctoribus, ingeniosis quidem, sed arte carentibus, plurimum fateatur adjutum. Nec multo aliter de nobis sentio. [1] Quotus enim quisque inveniri tam demens potest, qui ne minima quidem alicujus certæ fiducia partis, memoriam posteritatis speraverit? qui si quis est, intra primos statim versus deprehendetur, & citius nos dimittet, quam ut ejus nobis magno temporis detrimento constet experimentum. Sed non quicquid ad aliquam partem scientiæ pertinet, protinus ad faciendam etiam φράσιν de qua loquimur, accommodatum est. Verum antequam de singulis loquar, pauca in universum de varietate opinionum dicenda sunt. Nam quidam solos veteres legendos putant, neque in ullis aliis esse naturalem eloquentiam & robur viris dignum, arbitrantur. Alios recens hæc lascivia, delitiæque, & omnia ad voluptatem multitudinis imperitæ composita delectant. Sunt etiam qui rectum dicendi genus sequi volunt. Alii pressa demum & tenuia, & quæ minimum ab usu quotidiano recedant, sana & vere [2] Attica putant. Quosdam elatior ingenii vis, & magis concitata, & plena spiritus capit. Sunt & lenis, & nitidi, & compositi generis non pauci amatores. De qua differentia disseram diligentius, cum de genere dicendi quærendum erit. Interim summatim quid à qua lectione petere possint, qui confirmare facultatem dicendi volunt, attingam. Paucos enim, qui sunt eminentissimi, excerpere in animo est. facile est autem studiosis, qui sint his simillimi, judicare: ne quisquam queratur omissos forte aliquos eorum quos ipse valde probet. Fateor enim plures legendos esse, quam

1 *Quotus enim quisque.*] Sensus est, nullus est ex recentibus scriptor, qui etsi cætera vitiosa habeat, non putet tamen sese aliqua saltem parte mereri posteritatem & lectionem. eam igitur partem excerpere debebimus, omissis vitiis. *Idem.*

2 *Attica.*] *Attica eloquentia* omnium est optima. nonnulli eam esse putabant, cum presse diceretur & tenuiter, propterea quod *Lysias Atticus* orator tenuis esset & subtilis. eos refutat *Cic. in Orat. ad Brutum.* Idem.

1 *Igitur*

quam qui à me nominabuntur. Sed nunc genera ipsa lectionum quæ præcipue convenire intendentibus ut oratores fiant existimem, persequar. [1] Igitur ut Aratus *ab Jove incipiendum* putat, [2] ita nos rite cœpturi ab *Homero* videmur. [3] Hic enim (quemadmodum ex oceano dicit ipse amnium vim fontiumque cursus initium capere) omnibus eloquentiæ partibus exemplum & ortum dedit. Hunc nemo in magnis sublimitate, in parvis proprietate superaverit. Idem lætus ac pressus, jucundus & gravis, tum copia, tum brevitate mirabilis: nec poëtica modo, sed oratoria virtute eminentissimus. [4] Nam ut *de laudibus*, *exhortationibus*, *consolationibus* taceam: nonne vel nonus liber, quo missa ad Achillem legatio continetur, vel in primo inter duces illa contentio, vel dictæ in secundo sententiæ, omnes litium ac consiliorum explicant artes? Affectus quidem vel illos mites, vel hos concitatos, nemo erit tam indoctus, qui non in sua potestate hunc auctorem habuisse fateatur. [5] Age vero, nonne in utriusque sui operis ingressu pauciſſimis versibus legem procœmiorum non dico servavit, sed constituit? Nam & benevolum auditorem invocatione dearum, quas præsidere vatibus creditum est, & intentum proposita rerum magnitudine, & docilem summa celeriter comprehensa facit. Narrare vero quis brevius, quam *qui mortem nunciat Patrocli?* quis significantius potest, [6] *quam qui* * *Curetum Ætolo-*

1 *Igitur ut Aratus.*] *Aratus* sic incipit *astrologiam*, Ab Jove incipiamus, quem nunquam tacitum & indictum sinamus: nimirum ex consuetudine antiquorum, qui rebus agendis deos præfari solebant. *Idem.*

2 *Ita nos rite cept. ab Homero.*] Barthii Racemat. in Petron. pag. 490. Joh. Weitzii Not. ad Theocrit. Idyll. XVI. Mart. Crusii Prolegom. in Homeri l. 1. Iliad. Manilii lib. 2. Joh. Wilkii Orat. de Homero.

3 *Hic enim.*] *Plutarchus in vita Homeri*, testatur Homerum auctorem fuisse omnis philosophiæ, ac philosophos ab eo hausisse suas opiniones. præterea docet eum summum esse in omni genere eloquentiæ. *Turneb.*

4 *Nam ut de laudibus.*] *Ulysses*, *Diomedes*, & *Phœnix*, pulcherrimas orationes habuerunt ad *Achillem*, quibus suadebant ut iram deponeret, & arma in Trojanos caperet. his orationibus etiam respondet *Achilles*. Idem.

5 *Age vero.*] *Homerus* initio poëmatum sibi proponit & invocat, quam legem servant poëtæ Græci: Latini contra proponunt: deinde invocant. *Idem.*

6 *Quam qui Curetum.*] Respicit ad illa Homeri Iliad. 1. ℣. 525. Κερῆτες τ' ἐμά-

Ætolorumque prælium exponit? Jam similitudines, amplificationes, exempla, digressus, signa rerum & argumenta, cæteraque probandi ac refutandi, sunt ita multa, ut etiam qui de artibus scripserunt, plurima earum rerum testimonia ab hoc poëta petant. Nam epilogus quidem quis unquam poterit illis Priami rogantis Achillem precibus æquari? Quid? in verbis, sententiis, figuris, dispositione totius operis, nonne humani ingenii modum excedit? Ut magni sit viri, virtutes ejus non æmulatione (quod fieri non potest) sed intellectu sequi. Verum hic omnes sine dubio, & in omni genere eloquentiæ procul à se reliquit, Heroicos tamen præcipue, videlicet quia clarissima in materia simili comparatio est. [1] Raro assurgit *Hesiodus*, magnaque pars ejus in nominibus est occupata, tamen utiles circa præcepta sententiæ lenitasque verborum, & compositionis probabilis: daturque ei palma in illo medio genere dicendi. [2] Contra in *Antimacho* vis & gravitas, & minime vulgare eloquendi genus habet laudem. Sed quamvis ei secundas fere Grammaticorum consensus deferat, & affectibus, & jucunditate, & dispositione, & omnino arte deficitur, ut plane manifesto appareat quanto sit aliud proximum esse, aliud secundum. [3] *Panyasin* ex utroque mistum putant, in eloquendo neutrius æquare virtutes: alterum tamen ab eo materia, alterum disponendi ratione superari. [4] *Apollonius* in ordinem à grammaticis datum non venit, quia

τ' ἐμφίονθ', καὶ Αὐτωλοὶ μενεχάρμαι. &c. *Pith.*

* *Curetum.*] *Curetes* (ut inquit Stephanus) populi sunt *Acarnaniæ*, vicini *Ætolis*. sunt & populi *Cretæ*, qui educaverunt *Jovem*. Turneb.

1 *Raro assurgit Hesiod.*] *Hesiodus* propter sententias olim à pueris ediscebatur: suadetque in quadam epist. ad *Leptam* Cic. ut ediscatur. *Idem.*

2 *Contra in Antimacho.*] *Antimachus* poëta *Colophonius* fuit, *Hipparchi* filius: idem etiam *grammaticus*: ajunt fuisse servum *Panyasidis* poëtæ. *Idem.*

3 *Panyasin.*] *Panyasis* filius *Polyarchi*, poësin pene desuetam in usum revocavit. scripsit *Heraclida* 14. libris. quidam eum ab Homero *secundum* ponunt, quidam *inferiorem* dicunt *Antimacho* & *Hesiodo*. Author Suidas. *Idem.*

4 *Apollonius.*] *Apollonius Rhodius* scripsit *Argonautica*. vixit autem tempore *Aristarchi* & *Aristophanis Byzantii*, qui Critici fuerunt, auctores alios in ordinem redegerunt, alios numero exemerunt. *Idem.*

1 *Arati*

quia Aristarchus atque Aristophanes poëtarum judices, neminem sui temporis in numerum redegerunt: non tamen contemnendum edidit opus æquali quadam mediocritate. [1] *Arati* materia motu caret, ut in qua nulla varietas, nullus affectus, nulla persona cui usquam sit oratio: sufficit tamen operi, cui se parem credidit. Admirabilis in suo genere *Theocritus*, sed musa illa rustica & pastoralis non forum modo, verum ipsam etiam urbem reformidat. Audire videor undique congerentes nomina plurimorum poëtarum. Quid? Herculis acta non bene [2] *Pisandros*. Quid? [3] Nicandrum frustra secuti *Macer* atque *Virgilius?* Quid? [4] *Euphorionem* transibimus? quem nisi probasset Virgilius, idem nunquam certe conditorum Chalcidico versu carminum feciset in Bucolicis mentionem. Quid? Horatius frustra [5] *Tyrtæum* Homero subjungit? Nec sane quisquam est tam procul à cognitione eorum remotus, ut non indicem certe ex bibliotheca sumptum transferre in libros suos possit. Nec ignoro igitur quos transeo, nec utique damno, ut qui dixerim esse in omnibus utilitatis aliquid: sed ad illos jam perfectis constitutisque viribus revertemur. Quod etiam in cœnis grandibus sæpe facimus, ut cum optimis satiati simus, varietas tamen nobis ex vilioribus grata sit. Tunc & elegiam vacabit in manus sumere, cujus princeps habetur [6] *Callimachus*. Secundas confessione plurimorum *Philætas* occupavit. Sed dum assequimur illam firmam (ut dixi)

1 *Arati materia.*] *Aratus Solensis*, qui vixit tempore *Antigoni regis Macedoniæ*, cui familiaris fuit, scripsit *Astrologica* quæ appellantur *phænomena*. id est, *apparentia*, quæ à Cic. juvene in latinum sunt versa. *Idem. Arati materia motu caret.*] Barth. Adversar. lib. 1. c. 1. p. 34.

2 *Pisandros.*] *Pisander* filius Pisonis *Heracleam* scripsit duobus libris. id est, *acta Herculis*. Auctor Suidas. *Turneb.*

3 *Nicandrum.*] *Nicander* poëta Colophonius fuit: scripsit *Theriaca* & *Alexipharmaca*, præterea *Georgica*, quæ imitatus est *Virgilius*. Idem.

4 *Euphorionem.*] *Euphorion* poëta fuit Chalcidensis, scriptor elegiarum. is præfuit *bibliothecæ Antiochi Magni*. Idem.

5 *Tyrtæum.*] *Tyrtæus* poëta suis carminibus *Lacedæmonios* excitare solebat ad prælia. ejus quoque nonnulla hodie extant carmina in *gnomologiis Græcorum*. Idem.

6 *Callimachus.*] *Callimachus* poëta fuit *Cyrenæus*, tempore *Ptolemæi Philadelphi*. idem *grammaticus*, scripsit *elegias* & *hymnos*, & *alia opuscula*. Idem.

dixi) facilitatem, optimis assuescendum est: & multa magis quam multorum lectione firmanda mens, & ducendus est color. Itaque ex tribus receptis Aristarchi judicio scriptoribus jamborum, ad ἦθος maxime pertinebit unus *Archilochus*. Summa in hoc vis elocutionis, cum validæ, tum breves vibrantesque sententiæ, plurimum sanguinis atque nervorum, adeo ut videatur quibusdam, quod quoquam minor est, materiæ esse non ingenii vitium. [1] Novem vero lyricorum longe *Pindarus* princeps, spiritus magnificentia, sententiis, figuris, beatissima rerum verborumque copia, & velut quodam eloquentiæ flumine: propter quæ Horatius eum merito credidit nemini imitabilem. *Stesichorus* quam sit ingenio *validus*, materiæ quoque ostendunt, maxima bella & clarissimos canentem duces, & epici carminis onera lyra sustinentem. Reddit enim personis in agendo simul loquendoque debitam dignitatem: ac si tenuisset modum, videtur æmulari proximus Homerum potuisse: sed redundat, atque effunditur: quod ut est reprehendendum, ita copiæ vitium est. [2] *Alcæus* in parte operis aureo plectro merito donatur, qua tyrannos insectatur: multum etiam moribus confert: in eloquendo quoque brevis & magnificus, & diligens, plerunque Homero similis, sed in lusus & amores descendit, majoribus tamen aptior. *Simonides* tenuis, alioqui sermone proprio & jucunditate quadam commendari potest: [3] præcipua tamen ejus in commovenda miseratione virtus, ut quidam in hac eum parte omnibus ejusdem operis auctoribus præferant. [4] Antiqua comœdia

1 *Novem vero, &c.*] Novem Lyrici apud Græcos sunt, *Pindarus*, *Stesichorus*, *Alcæus*, *Simonides*, *Ibicus*, *Alceman*, *Bacchylides*, *Anacreon*, *Sappho*. Idem.

2 *Alcæus.*] *Alcæus Mitylenæus* scripsit *Æolica dialecto*. poëtæ autem lyrici plectro utebantur ex caprinis ungulis ad percutiendam lyram & citharam. *Idem.*

3 *Præcipua tamen ejus in.*] Turneb. Adversar. lib. 21. cap. 27. p. 758.

4 *Antiqua comœdia.*] Duplex est apud Græcos comœdia, *Antiqua* & *nova*. *Antiqua* nominatim solet vitia taxare, quod postea lege prohibitum fuit. itaque deventum est ad novam comœdiam, quæ *themata commentitia* fingit. Videtur *satyra latina* fluxisse à *comœdia antiqua*. Turneb.

dia cum synceram illam sermonis Attici gratiam prope sola retinet, tum facundissimæ libertatis, etsi est in insectandis vitiis præcipua, plurimum tamen virium etiam in cæteris partibus habet. Nam & grandis, & elegans, & venusta, & nescio an ulla, post Homerum tamen, [1] quem ut Achillem semper excipi par est, aut similior sit oratoribus, aut ad oratores faciendos aptior. Plures ejus auctores: *Aristophanes* tamen & *Eupolis Cratinusque* præcipui. [2] Tragœdias primus in lucem *Æschylus* protulit, sublimis & gravis, & grandiloquus sæpe usque ad vitium, sed rudis in plerisque & incompositus: [3] propter quod correctas ejus fabulas in certamen deferre posterioribus poëtis Athenienses permisere, suntque eo modo multi coronati. Sed longe clarius illustraverunt hoc opus *Sophocles* atque *Euripides*: quorum in dispari dicendi via uter sit poëta melior, inter plurimos quæritur. Idque ego sane quoniam ad præsentem materiam nihil pertinet, injudicatum relinquo. Illud quidem nemo non fateatur necesse est, iis qui se ad agendum comparent, utiliorem longe Euripidem fore. [4] Namque is & in sermone (quod ipsum reprehendunt, quibus gravitas & cothurnus & sonus Sophoclis videtur esse sublimior) magis accedit oratorio generi: & sententiis densus, & in iis quæ à sapientibus tradita sunt, [5] pene ipsis par, & in dicendo ac respondendo cuilibet eorum qui fuerunt in foro diserti, comparandus. In affectibus vero cum omnibus mirus, tum in iis qui miseratione constant, facile præcipuus. [6] Hunc &

1 *Quem ut Achillem.*] Alludit ad locum secundi *Iliados.* ubi enim Homerus *Nirea pulcherrimum Græcorum* dixit, *Achillem* excipit: ubi fortissimum *Ajacem, Achillem* quoque excipit. *Idem.*

2 *Tragœdias.*] *Tragœdiarum* inventor fuit *Thespis*, si credimus *Horatio*: cum tamen *Æschylus* exornaverit formam theatri, invenerit *personam*, *cothurnum*, & *syrma tragicum*, merito potest dici inventor *tragœdiæ*, saltem politioris. *Idem.*

3 *Propter quod.*] Consuetudo erat *Athenis* ut Bacchanalibus ludi fierent, in quibus agerentur *comœdiæ* & *tragœdiæ*, victorque coronaretur. *Idem.*

4 *Namque is.*] *Aristophanes* in Ranis Euripidem passim insectatur atque irridet, eique præfert Sophoclem propter sublimitatem cothurni. *Idem.*

5 *Pene ipsis par.*] Nam *Euripides* audiverat *Socratem* & *Anaxagoram*, quorum sententiis sæpe in tragœdia utitur. *Idem.*

6 *Hunc & admiratus.*] *Menander Athenienses*

& admiratus maxime est (ut sæpe testatur) & secutus, quamquam in opere diverso, *Menander:* qui vel unus, meo quidem judicio, diligenter lectus, ad cuncta quæ præcipimus effingenda sufficiat: [1] ita omnem vitæ imaginem expressit: tanta in eo inveniendi copia, & eloquendi facultas: ita est omnibus rebus, personis, affectibus accommodatus. Nec nihil profecto viderunt, qui orationes quæ *Charisii* nomine eduntur, à Menandro scriptas putent. [2] Sed mihi longe magis orator probari in opere suo videtur, nisi forte aut illa mala judicia quæ *epitrepontas*, [3] *epicleros*, *lochos* habent: [4] aut meditationes [5] in *Psophoda*, *& Nomotheta*, & *Hypobolimæo* non omnibus oratoriis numeris sunt absolutæ. [6] Ego tamen plus adhuc quiddam collaturum declamatoribus puto, quoniam his necesse est secundum conditionem controversiarum plures subire personas, patrum, filiorum, maritorum, militum, rusticorum, divitum, pauperum, irascentium, deprecantium, mitium, asperorum. In quibus omnibus mire custoditur ab hoc poëta decorum. Atque ille quidem omnibus ejusdem operis auctoribus abstulit nomen, & fulgore quodam suæ claritatis tenebras obduxit. Habent tamen alii quo-

thenienſis ſcriptor novæ comœdiæ fuit, & in ea princeps. vixit tempore *Alexandri*, ſcripſitque epiſtolas ad *Ptolemæum* & nonnullas orationes. author *Suidas*. hunc præcipue ſunt imitati Comici Latini. *Idem.*

1 *Ita omnem vitæ imaginem.*] Barth. Adverſar. lib. 21. c. 27. pag. 758.

2 *Sed mihi longe magis.*] Hic locus videtur eſſe depravatus, neque poteſt emendari, cum deſiderentur *comœdiæ Menandri*. ſenſus eſſe videtur, cujuſque eloquentiam ex proprio opere magis intelligi, ut poëtæ eloquentiam ex poëmate. *Turneb.*

3 *Epicleros.*] *Epiclerus* apud Græcos dicitur *puella orba quæ parentum hæreditatem habet:* quam jus erat agnato proximo in uxorem vendicare. eſt etiam *puella orba & indotata*, quam proximus cogebatur uxorem ducere, aut alicui collocare data dote. *Idem.*

4 *Aut meditationes in Pſophoda & Nomotheta.*] Reſcribe, *in Pſophodei*. Recenſet illic Comœdias aliquot Menandreas. Vide Meurſ. Attic. Lect. lib. 2. cap. 6.

5 *In Sophocle.*] In vetuſto legitur, *in Pſophode*, ut ſit titulus comœdiæ à ſtrepitu. alioqui hic *Sophoclem* accipere debemus pro *comœdia*. Turneb.

6 *Ego tamen plus.*] Declamatores (ut docuit lib. 3.) fere declamare ſolent per *proſopopœiam*. induunt enim ejus perſonam cujus cauſam tuentur: proinde decorum ſervare debent in *perſona* & in *affectibus*. Idem.

1 *Phi-*

quoque Comici, si cum venia legantur, quædam quæ possis decerpere: & præcipue [1] *Philemon*, qui ut pravis sui temporis judiciis Menandro sæpe prælatus est, ita consensu omnium meruit credi secundus. Historiam multi scripsere præclare, sed nemo dubitat duos longe cæteris præferendos, quorum diversa virtus laudem pene est parem consecuta. Densus, & brevis, & semper instans sibi [2] *Thucydides*, dulcis; & candidus, & fusus [3] *Herodotus*. ille concitatis, hic remissis affectibus melior: ille concionibus, hic sermonibus: ille vi, hic voluptate. [4] *Theopompus* his proximus, ut in historia prædictis minor, ita oratori magis similis: ut qui antequam est ad hoc opus solicitatus, diu fuerit orator. [5] *Philistus* quoque meretur: qui turbæ quamvis bonorum post hos aut horum eximatur, imitator Thucydidis: & ut multo infirmior, ita aliquatenus lucidior. *Ephorus*, [6] ut Isocrati visum, calcaribus eget. [7] *Clitarchi* probatur ingenium, fides infamatur. [8] Longo post intervallo temporis natus *Timagines*, vel hoc est ipso probabilis, quod intermissam historias scribendi industriam nova laude reparavit. *Xenophon* non excidit mihi, sed inter philosophos reddendus est. Sequitur oratorum ingens manus, cum decem simul Athe-

1 *Philemon.*] *Philemon Siculus* fuit, deinde *Athenas* migravit, habitavitque in *Piræo* tempore Alexandri Macedonis. periit autem, ut ferunt, *nimio risu*. Idem.

2 *Thucydides.*] *Thucydides Atheniensis*, Olori filius, in rep. versatus est tempore belli Peloponnesiaci, sed ob suspicionem proditionis missus est in exilium, ubi pulcherrimam scripsit historiam. *Idem.*

3 *Herodotus.*] *Herodotus Halicarnassæus* relicta patria *Thurium* profectus, scripsit historiam lingua *Ionica*. Idem.

4 *Theopompus.*] *Theopompus Chius*, discipulus Isocratis, historiam scripsit de rebus Græcorum, exorsus ab his quæ omiserat *Herodotus* & *Thucydides*. Idem.

5 *Philistus.*] *Philistus Syracusius*, familiaris Dionysii tyranni, scripsit de rebus Siculis undecim libros. Hunc Fabius putat dignum qui post tres superiores cæteris anteponatur. *Idem.*

6 *Ut Isocrati visum.*] *Isocrates* præceptor dicebat, Theopompum egere *fræno*, *Ephorum calcaribus*. alter enim erat *acri* ingenio, alter *remisso*. Idem.

7 *Clitarchi.*] *Clitarchus* comes fuit expeditionum Alexandri, & rerum ejus scriptor, non servavit tamen veritatis fidem. *Idem.*

8 *Longo post intervallo.*] *Timagenes Milesius* historicus scripsit de *Heraclea* & de præclaris ejus viris quinque libros. fuit & alius *Timagenes Rhodius*, nisi fallor. *Idem.*

Athenis ætas una tulerit: quorum longe princeps *Demosthenes*, ac pene lex orandi fuit. tanta vis in eo, tam densa omnia, ita quibusdam nervis intenta sunt, tam nihil ociosum, is dicendi modus, [1] ut nec quod desit in eo, nec quod redundet invenias. [2] Plenior *Æschines* & magis fusus, & grandiori similis, quo minus strictus est: carnis tamen plus habet, lacertorum minus. Dulcis in primis & acutus [3] *Hyperides*: sed minoribus cauſſis ut non dixerim utilior, magis par. His ætate *Lysias* major, subtilis atque elegans, & quo nihil, si oratori satis sit docere, quæras perfectius. nihil enim est inane, nihil arcessitum, puro tamen fonti quam magno flumini proprior. *Isocrates* in diverso genere dicendi nitidus & comptus, & palæstræ quam pugnæ magis accommodatus, omnes dicendi veneres sectatus est: nec immerito: auditoriis enim se, non judiciis comparat: in inventione facilis, honesti studiosus: [4] in compositione adeo diligens, ut cura ejus reprehendatur. Neque ego in his, de quibus sum locutus, has solas virtutes, sed has præcipuas puto: nec cæteros parum fuisse magnos. Quinetiam *Phalereum* illum *Demetrium* (quamquam is primus [5] inclinasse eloquentiam dicitur) multum ingenii habuisse & facundiæ fateor, vel ob hoc memoria dignum, quod ultimus est fere ex Atticis qui dici possit orator: quem tamen in illo medio genere dicendi præfert omnibus Cicero. Philosophorum

1 *Ut nec quod desit, &c.*] Annotant hanc esse præcipuam *Atticorum* vim, nihil supervacaneum dicere: quod ita observavit *Demosthenes*, ut nihil tamen interim omitteret. *Idem.*

2 *Plenior Æschines.*] *Æschines Atrometi* filius, primum *histrio*, deinde *scriba*, postremo *orator* fuit. gessit inimicitias cum Demosthene, à quo superatus Rhodum exulatum abiit, ubi rhetorices professor fuit, primusque extemporalis orationis auctor. *Idem.*

3 *Hyperides.*] *Hyperides demagogus Athenienſis*, amicus Demosthenis fuit, ab eo tamen Demosthenes est *repetundarum* accusatus. *Idem.*

4 *In compositione adeo diligens.*] Tam diligens est *compositio* Isocratis, ut nonnunquam in versum incidat. adde quod in eo frequenter sunt *paria*, *isocola*, *antitheta*, *similiter cadentia* & *desinentia*. Idem.

5 *Inclinasse eloquentiam dicitur.*] *Demetrius* cognomento *Phalereus*, à *Phalero portu Atticæ regionis*, demagogus fuit Athenienſis. maluit autem (ut ait Cic.) populum delectare, quam inflammare. ita eloquentiam inclinavit, in exilium actus apud Ptolemæum Soterem. *Idem.*

phorum, ex quibus plurimum se traxisse eloquentiæ M. Tullius confitetur, quis dubitet *Platonem* esse præcipuum, sive acumine disserendi, sive eloquendi facultate divina quadam & Homerica? multum enim supra prosam orationem, & quam pedestrem Græci vocant, surgit: [1] ut mihi non hominis ingenio, sed quodam Delphico videatur oraculo instinctus. [2] Quid ego commemorem *Xenophontis* jucunditatem illam inaffectatam, sed quam nulla possit affectatio consequi? ut ipsæ finxisse sermonem Gratiæ videantur: & quod de Pericle veteris comœdiæ testimonium est, in hunc transferri justissime possit, in labris ejus sedisse quandam persuadendi deam. Quid reliquorum *Socraticorum* elegantiam? Quid *Aristotelem?* quem dubito scientia rerum, an scriptorum copia, an eloquendi suavitate, an inventionum acumine, an varietate operum, clariorem putem. Nam in Theophrasto tam est eloquendi nitor ille divinus, [3] ut ex eo nomen quoque traxisse dicatur. Minus indulsere eloquentiæ [4] Stoici veteres: sed cum honesta suaserunt tum in colligendo probandoque quæ instituerant, plurimum valuerunt: rebus tamen acuti magis, quam (id quod sane non affectarunt) oratione magnifici. Idem nobis per Romanos quoque auctores ordo ducendus est. Itaque ut apud illos Homerus, sic apud nos *Virgilius* auspicatissimum dederit exordium, omnium ejus generis poëtarum Græcorum nostrorumque illi haud dubie proximus. Utar enim verbis iisdem, quæ ex *Afro*

Domi-

1 *Ut mihi non hominis ingenio.*] Cic. ait Platonis orationem propter sublimitatem & numeros *carmen* esse videri. quemadmodum autem *Pythia* afflatu numinis carmen fundebat *heroicum*, quod *sublime* est & *grave*: ita Plato veluti numinis instinctu fundere videtur prosam ita sublimem. *Turneb.*

2 *Quid ego commemorem.*] *Xenophon Grylli* filius, Socratis auditor, Platonisque condiscipulus: coluit illam quam Græci appellant ἀφέλειαν. id est, *simplicitatem inaffectatam.* propter autem suavitatem sermonis vocatur *Apes Attica.* Idem.

3 *Ut ex eo nomine, &c.*] Antea enim vocabatur *Tyrtamus*, sed postea ex divina eloquentia *Theophrastus* est appellatus. Diog. Laërt. *Idem.*

4 *Stoici veteres.*] Cic. in orator. duas sectas oratori putat utiles, *Academicam & Peripateticam: Epicuream* vero contemnit & *Stoicam.* nam *Stoica secta* quamquam de rebus pulcherrime disputat, ornamenta tamen eloquentiæ contemnit. *Idem.*

Domitio juvenis accepi: qui mihi interroganti, quem Homero crederet maxime accedere, Secundus, inquit, est Virgilius, [1] propior tamen primo quam tertio. Et hercle ut illi naturæ cœlesti atque immortali cesserimus, ita curæ & diligentiæ vel ideo in hoc plus est, quod ei fuit magis laborandum: [2] & quantum eminentioribus vincimur, fortasse æqualitate pensamus. Cæteri omnes longe sequentur. [3] Nam *Macer* & *Lucretius* legendi quidem, [4] sed non ut phrasin, id est corpus eloquentiæ faciant: elegantes in sua quisque materia, sed alter humilis, alter difficilis. [5] *Attacinus Varro* in iis per quæ nomen est assecutus, interpres operis alieni, non spernendus quidem, verum ad augendam facultatem dicendi parum locuples. [6] *Ennium* sicut sacros vetustate lucos adoremus, in quibus grandia & antiqua robora jam non tantam habent speciem, quantam religionem. Propiores alii, atque ad hanc phrasin de qua loquimur, magis utiles. Lascivus quidem in Heroicis quoque *Ovidius*, & nimium amator ingenii sui: laudandus tamen in partibus. *Cornelius* autem *Severus*, etiam si versificator quam poëta melior, si tamen, ut est dictum, ad exemplar primi libri bellum Siculum perscri-

1 *Propior tamen primo quam tertio.*] Ita significavit Domitius *Virgilii* excellentiam, qui cum proximus sit *Homero*, reliquos tamen poëtas tum Græcos tum Latinos procul à se relinquat. *Idem.*

2 *Et quantum eminentioribus, &c.*] *Homerus* multis in locis superat *Vergilium*, *Vergilius* multis quoque in locis æquat virtutes *Homeri*: ita æqualitate pensat. Annotat præterea *Macrobius*, nonnullis in locis à *Vergilio* superari *Homerum*. Idem.

3 *Nam Macer.*] *Macer Veronensis* poëta scripsit de *volucribus* & *herbis*, imitatus Nicandrum. de *rebus Iliacis* quoque scripsit, easque deduxit ad *excidium Trojanum*. Idem. *Macer & Lucretius legendi.*] Vide Barth. Adversar. lib. 43. cap. 2. pag. 1928.

4 *Sed non ut phrasin.*] Vid. Phil. Beroald. Lamp. Crit. Part. 1. pag. 256.

5 *Attacinus Varro.*] *Varro Attacinus* vixit tempore Ovidii. scripsit autem *Argonautica*, ut interpres Apollonii Rhodii. Appellatus est *Attacinus* ab *Attace* vico *Galliæ Narbonensis*, ut vult Eusebius: ut alii, ab *Attace fluvio*. Turneb. *Attacinus Varro.*] Joh. Savaro ad Sidon. Apoll. lib. 4. Epist. 3. Commentar. pag. 229. *Attacinus Varro.*] Et apud Horat. 1. Serm. apud Euseb. V.C.P. Terentius vico Attace in provincia Narbonensi nascitur. Ata fluvius est Atax. Acate sive Agatha vicus vel urbs sed ad Aurarim fluvium. *Pith.*

6 *Ennium.*] Barth. Animadv. in Claudian. pag. 333.

scripsisset, vindicaret sibi jure secundum locum: Sed eum consummari mors immatura non passa est: puerilia tamen ejus opera & maximam indolem ostendunt, & mirabilem præcipue in ætate illa recti generis voluntatem. [1] Multum in *Valerio Flacco* nuper amisimus. [2] Vehemens & poëticum ingenium *Saleii Bassi* fuit, nec ipsum senectute maturum. [3] *Rabirius ac Pedo* non indigni cognitione, si vacet. [4] *Lucanus ardens*, & concitatus, & sententiis clarissimus, &, ut dicam quod sentio, magis oratoribus quam poëtis annumerandus. [5] Hos nominavimus, quia [6] Germanicum Augustum ab institutis studiis deflexit cura terrarum, parumque diis visum est esse eum maximum poëtarum. Quid tamen iis ipsis ejus operibus, in quæ [7] donatus imperi juvenis successerat, sublimius, doctius, omnibus denique numeris præstantius? Quis enim caneret bella melius, quam qui sic gerit? Quem præsidentes studiis deæ propius audirent? Cui magis suas artes aperiret familiare nomen *Minervæ?* Dicent hæc plenius futura secula. Nunc enim cæterarum fulgore virtutum laus ista præstringitur. Nos tamen sacra literarum colentes feras Cæsar, si non tacitum hoc præterimus, & Virgiliano certe versu testamur.

Inter

1 *Multum in Valerio.*] Hic scripsit *Argonautica* ad imitationem Apollonii Rhodii. *Turneb. Multum in Valerio Flacco, &c.*] Barthii Adversar. lib. 56. c. 11. pag. 2654.

2 *Vehemens & pæt. ing. Saleii Bassi.*] Adi Jan. Gebhard. Crepund. lib. 3. c. 7. pag. 117. &c.

3 *Rabirius ac Pedo.*] *Rabirius ac Pedo Albinovanus* vixerunt tempore Ovidii. sic enim de his scribit, *Cumque foret Marsus, magnique Rabirius oris, Iliacusque Macer, sideriusque Pedo.* quo ex loco apparet *Pedonem* scripsisse de *Astrologia.* Turneb.

4 *Lucanus magis oratoribus quam, &c.*] Pithœus, Collectan. ad Petron. p. 174. Melior Goldastus Symbol. ad eundem p. 707. Joh. Savaro Comment. ad Sidon. Apollin. lib. 2. Epist. 10. p. 155. Servius in lib. 1. Æneid. Raderus ad Martial. lib. 14. Epigr. 171. Gyraldus Dialog. 4. Barthii Adversar. lib. 23. c. 28. p. 1169. 1170.

5 *Hos nominavimus, &c.*] *Germanicus Cæsar*, filius Drusi, res magnas gessit in *Germania* & *Asia.* idem optimus poëta: vertit enim è Græco in Latinum *Aratum*, reliquit præterea comœdias Græcas. *Turneb.*

6 *Germanicum Augustum.*] J. Rutgers. Var. lect. l. 2. c. 9. p. 122. &c.

7 *Donatus imperio.*] Nam cum *Augustus* successorem sibi *Tiberium* designasset, illi adoptandum reliquit *Germanicum.* Turneb.

1 *Inter*

[1] *Inter victrices hederam tibi serpere lauros.*

Elegia Græcos quoque provocamus, cujus mihi tersus atque elegans maxime videtur auctor *Tibullus*. Sunt qui *Propertium* malunt. *Ovidius* utroque lascivior: sicut durior *Gallus*. [2] Satyra quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus est *Lucilius*, qui [3] quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores, ut eum non ejusdem modo operis auctoribus, sed omnibus poëtis præferre non dubitet. [4] Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui *Lucilium* fluere lutulentum, & esse aliquid quod tollere possis, putat. Nam & eruditio in eo mira, & libertas, atque, inde acerbitas, & abunde salis. Multo est tersior ac purus magis *Horatius*, & ad notandos hominum mores præcipuus. Multum & veræ gloriæ, quamvis uno libro, *Persius* meruit. Sunt clari hodieque, & qui olim nominabuntur. [5] Alterum illud est, & prius Satyræ genus, quod non sola carminum varietate mistum condidit *Terentius Varro*, vir Romanorum eruditissimus. Plurimos hic libros & doctissimos composuit, peritissimus linguæ Latinæ, & omnis antiquitatis, & rerum Græcarum, nostrarumque plus tamen scientiæ collaturus, quam eloquentiæ. *Jambus* non sane à Romanis celebratus est ut proprium opus, à quibusdam interpositus: cujus acerbitas in *Catullo*, *Bibaculo*, *Horatio*: quanquam illi [6] epodos intervenire reperiatur. *At Lyricorum idem Horatius*

1 *Inter victrices, &c.*] Innuit Fab. hoc versu, *Germanicum* optimum esse poëtam, & optimum imperatorem. nam *poëtæ* hedera coronantur, *imperatores* autem donantur laurea triumphali. *Idem.*

2 *Satyra quidem.*] *Satyra* carent Græci, ejusque loco habent antiquam comœdiam. est autem duplex apud Latinos: *altera enim constat carminis varietate:* quæ est antiquior: *altera vitiorum notatione.* Idem.

3 *Quosdam ita deditos sibi, &c.*] *Adrianus* imperator *Lucilium* cæteris poëtis Satyricis anteponebat. ei multum tribuisse videtur Nonius, ut qui nullum auctorem frequentius in ore habeat. *Idem.*

4 *Ego quantum ab illis tantum ab Horatio dissentio.*] Vide Turneb. lib. 15. Adversarior. cap. 9.

5 *Alterum illud est, &c.*] *Marcus Varro* Satyras scripsit cognomento *Menippæas*, ut refert Gellius. hoc autem Satyræ genus constat carminum varietate. *Turneb.*

6 *Epodos intervenire reperiantur.*] *Epodos* particula est quæ accinitur integro versui, à qua nomen habet liber Horatii. Scribitur etiam, intervenire non reperia-

tius fere solus legi dignus. Nam & insurgit aliquando, & plenus est jucunditatis & gratiæ, & variis figuris & verbis felicissime audax. Si quem adjicere velis, is erit *Cæsius Bassus*, quem nuper vidimus: sed eum longe præcedunt ingenia viventium. Tragœdiæ scriptores *Accius* atque *Pacuvius* clarissimi, gravitate sententiarum, verborum pondere, & auctoritate personarum. Cæterum nitor, & summa in excolendis operibus manus, magis videri potest temporibus quam ipsis defuisse. Virium tamen Accio plus tribuitur: Pacuvium videri doctiorem, qui esse docti affectant, volunt. [1] Jam *Varii Thyestes* cuilibet Græcorum comparari potest. [2] *Ovidii Medea* videtur mihi ostendere quantum vir ille præstare potuerit, si ingenio suo temperare quam indulgere maluisset. [3] Eorum quos viderim, longe princeps *Pomponius Secundus*, quem senes parum tragicum putabant, eruditione ac nitore præstare confitebantur. [4] In comœdia maxime claudicamus: licet Varro dicat *musas*, [5] Ælii Stolonis sententia, *Plautino sermone locuturas fuisse, si Latine loqui vellent*, licet *Cæcilium* veteres laudibus ferant, licet *Terentii scripta* ad Scipionem Africanum referantur: [6] quæ tamen sunt in hoc genere elegantissima, & plus adhuc habitura gratiæ, si intra versus trimetros stetissent. Vix levem consequi-

reperiatur, quia apud scriptores Latinos interdum *jambici* versus continui absque *Epodo* reperiuntur. *Idem.*

1 *Jam Varii.*] *Varius* poëta tempore Vergilii gratissimus Octaviano Cæsari fuit. idem *Epicus* & *Tragicus* fuit poëta. Ajunt tamen *Thyestem* scriptum fuisse à *Cassio Parmensi*, qui jussu Augusti Athenis est interfectus. Ajunt alii scriptum esse à *Vergilio.* Idem.

2 *Ovidii Medea.*] *Beatus Rhenanus* in quadam annotatione in Tertullianum ait se *Medeam Ovidii legisse.* sperare igitur debemus nos eam aliquando habituros. *Idem.*

3 *Eorum quos viderim.*] *Pomponius* Secundus, poëta tragicus, Plinii amicus fuit, ejusque vita à Plinio duobus libris est scripta. propter elegantiam & nitorem appellabatur *Pindarus tragicus.* Idem.

4 *In comœdia.*] Existimat Fab. *Latinos* in *comœdia Græcis* esse longe inferiores, propterea quod deest illis *gratia* illa *Attica*, & *venus* quæ adest *Atticis.* Idem.

5 *Ælii Stolonis sententia.*] Hadr. Junius Animadvers. lib. 6. cap. 11. p. 472. Lamp. Critic. Part. 4. *Ælii Stolonis.*] *Stilonis.* Pass.

6 *Quæ tamen sunt, &c.*] Longe diversum est judicium *Fabii* à judicio *Volcatii Sedigiti* nam *Volcatius* primas tribuit *Cæcilio*, secundas *Planto*, sextas *Terentio.* Turneb.

§ Toga-

sequimur umbram, adeo ut mihi sermo ipse Romanus non recipere videatur illam solis concessam Atticis venerem, quando eam ne Græci quidem in alio genere linguæ obtinuerint. [1] Togatis excellit *Afranius*, utinamque non inquinasset argumenta puerorum fœdis amoribus, mores suos fassus. At historia non cesserit Græcis, [2] nec opponere Thucydidi *Sallustium* verear: ne indignetur sibi Herodotus æquari T. *Livium*, cum in narrando miræ jucunditatis, clarissimique candoris, tum in concionibus supra quam enarrari potest eloquentem: ita ducuntur omnia cum rebus tum personis accommodata: sed affectus quidem, præcipue eos qui sunt dulciores, ut parcissime dicam, nemo historicorum commendavit magis. Ideoque immortalem illam Sallustii velocitatem, diversis virtutibus consecutus est. Nam mihi egregie dixisse videtur *Servilius Novianus* pares eos magis quam similes: qui & ipse à nobis auditus est, clari vir ingenii, & sententiis creber, sed minus pressus, quam historiæ auctoritas postulat. Quam paulum ætate præcedens eum [3] *Bassus Ausidius* egregie utique in libris belli Germanici præstitit, genere ipso probabilis in omnibus, sed in quibusdam suis ipse viribus minor. [4] Supereſt adhuc, & exornat ætatis nostræ gloriam, vir seculorum memoria dignus, qui olim nominabitur, nunc intelligitur. Habet amatores, nec imitatores, ut libertas, quanquam circumcisis quæ dixisset, ei nocuerit. Sed elatum abunde spiritum, & audaces sententias deprehendas etiam in iis quæ manent. Sunt & alii scriptores boni: sed nos genera degustamus, non biblio-

1 *Togatis excellit.*] *Togatæ comœdiæ* sunt totæ Latinæ, scilicet *moribus & ritu Romano* compositæ: ut *palliatæ* vocantur, quæ ad imitationem Græcorum sunt compositæ. *Idem. Togatis excellit Afranius.*] Jan. Rutgersius Variar. lect. lib. 4. cap. 19. p. 438.

2 *Nec opponere Thucydidi Sallustium.*] Apta est comparatio: etenim *Thucydides & Sallustius densi* sunt & *stricti*, Herodotus & Livius *lenes & profluentes.* Turnebus.

3 *Bassus Ausidius.*] Just. Lipsii Commentar. in Senecæ Epist. 30. p. 283.

4 *Supereſt adhuc.*] Raphaël existimat significari *Cornelium Tacitum*, Annalium scriptorem, forte tamen intelligitur *Plinius*, qui bellum Germanicum viginti libris conscripsit. *Turneb.*

1 *Nec*

bibliothecas excutimus. Oratores vero vel præcipue Latinam eloquentiam parem facere Græcæ possunt. Nam *Ciceronem* cuicunque eorum fortiter opposuerim. [1] Nec ignoro quantam mihi concitem pugnam, cum præsertim id non sit propositi, ut eum *Demosthenis* comparem hoc tempore: neque enim attinet, cum Demosthenem in primis legendum, vel ediscendum potius putem. Quorum ego virtutes pleraſque arbitror similes, consilium, ordinem dividendi, præparandi, probandi rationem, omnia denique quæ sunt inventionis. In eloquendo est aliqua diversitas: densior ille, hic copiosior: ille concludit astrictius, hic latius pugnat: ille acumine semper, hic frequenter & pondere: illi nihil detrahi potest, huic nihil adjici: curæ plus in illo, in hoc naturæ. Salibus certe, & commiseratione (qui duo plurimum affectus valent) vincimus. [2] Et fortasse epilogos illi mos civitatis abstulerit: sed & nobis illa quæ Attici mirantur, diversa Latini sermonis ratio minus permiserit. In epistolis quidem, quanquam sunt utriusque, nulla contentio est. Cedendum vero in hoc quidem, quod ille & prior fuit, & ex magna parte Ciceronem quantus est, facit. Nam mihi videtur M. Tullius cum se totum ad imitationem Græcorum contulisset, effinxisse vim Demosthenis, copiam Platonis, jucunditatem Isocratis. Nec vero quod in quoque optimum fuit, studio consecutus est tantum, sed plurimas vel potius omnes ex seipso virtutes extulit immortalis ingenii beatissima ubertate. [3] Non enim pluvias (ut ait Pindarus) aquas colligit, sed vivo gurgite exundat, dono

1 *Nec ignoro.*] Id propterea inquit, quia *Demosthenis* eloquentia multis jam seculis erat probata: at Fabii tempore apud quosdam male audiebat etiam *Cicero*, ut apparet ex *dialogo Taciti*. Adde quod Plutarchus in comparatione Cic. & Demosthenis Demosthenem Cicerone longe superiorem facit. *Idem.*

2 *Et fortasse epilogos.*] Non licebat *Athenis* affectum movere, ac ne epilogo quidem uti. hoc igitur modo excusat Demosthenem Fabius. Idem quoque ait l. 6. *Demosthenem minime falsum* fuisse. *Idem.*

3 *Non enim pluvias.*] Per *allegoriam* significat Ciceronem non magnum esse factum duntaxat imitatione, sed naturali ingenii ubertate. *Metaphora* est ducta ab *aqua viva*, quæ ab ipsa scaturigine oritur & fluit. *Idem.*

1 *Movere*

dono quodam providentiæ genitus, in quo totas vires suas eloquentia experiretur. Nam quis docere diligentius, [1] movere vehementius potest? Cui tanta unquam jucunditas affuit? ut ipsa illa quæ extorquet, impetrare eum credas, & cum transversum vi sua judicem ferat, tamen ille non rapi videatur, sed sequi. Jam in omnibus quæ dicit, tanta auctoritas inest, ut dissentire pudeat: nec advocati studium, sed testis aut judicis afferat fidem. Cum interim hæc omnia, quæ vix singula quisquam intentissima cura consequi posset, fluunt illaborata: & illa qua nihil pulchrius auditu est, oratio, præ se fert tamen fœliciſſimam facilitatem. Quare non immerito ab hominibus ætatis suæ *regnare in judiciis dictus est:* apud posteros vero id consecutus, ut Cicero jam non hominis sed eloquentiæ nomen habeatur. Hunc igitur spectemus: hoc propositum nobis sit exemplum. *Ille se profeciſſe sciat, cui Cicero valde placebit.* [2] Multum in *Asinio Pollione* inventio, summa diligentia: adeo ut quibusdam etiam nimia videatur: & consilii & animi satis: à nitore & jucunditate Ciceronis ita longe abest, ut videri possit seculo prior. At *Messala* nitidus & candidus, & quodammodo [3] præ se ferens in dicendo nobilitatem suam viribus minor. C. vero *Cæsar* si foro tantum vacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur. tanta in eo vis est, id acumen, ea concitatio, [4] *ut illum eodem animo dixiſſe, quo bellavit, appareat.* Exornat tamen hæc omnia mira sermonis, cujus proprie studiosus fuit, elegantia. [5] Multum ingenii in

1 *Movere vehementius.*] Itaque scribit Cic. si quando plures essent patroni unius causæ, omnium consensu solitos sibi tribui epilogos. *Idem.*

2 *Multa in Asinio.*] *Asinius* tamen *Gallus*, Pollionis filius, patrem cum Cicerone in libris scriptis comparavit, & præstantiorem ostendit: cui respondit *Claudius Cæsar* imperator. *Idem.*

3 *Præ se ferens in dicendo nobilitatem suam.*] *Messala* orator è nobiliſſima Valeriorum familia vixit Augusti tempore. in senectute ita memoriam perdidit, ut oblitus sit proprii nominis. auctor *Plinius.* Alius etiam est *Messala* orator apud *Tacitum in dialogo.* Idem.

4 *Ut illum eodem animo dixiſſe, &c.*] Lud. Cresoll. Vacat. Autumn. l. 2. c. 13. Sect. 3. p. 405. & lib. 3. c. sect. 3. p. 499.

5 *Multum ingenii, &c.*] *Cælius* Ciceronis auditor fuit, cumque in tribunatu cum optimatibus sensisset, in ædilitate popularis & turbulentus evasit, aliqui tota vita lascivior. *Turnebus.*

1 *Gravis.*]

in *Cælio*, & præcipue in accusando multa urbanitas, dignusque vir, cui & mens melior, & vita longior contigisset. [1] Juveni qui *Calvum* præferrent omnibus, inveni qui Ciceroni crederent eum nimia contra se calumnia verum sanguinem perdidisse. sed est & sancta & [2] gravis oratio, & castigata, & frequenter vehemens quoque. Imitator est autem Atticorum, fecitque illi properata mors injuriam, si quid adjecturus, non si quid detracturus fuit. Et *Servius Sulpitius* insignem non immerito famam tribus orationibus meruit. Multa, si cum judicio legatur, dabit imitatione digna [3] *Cassius Severus*: qui si cæteris virtutibus colorem & gravitatem orationis adjecisset, ponendus inter præcipuos foret. Nam & ingenii plurimum est in eo, & acerbitas mira & urbanitas, & vis summa: sed plus stomacho quam consilio dedit. præterea ut amari sales, ita frequenter amaritudo ipsa ridicula est. Sunt & alii multi diserti, quos persequi longum est. Eorum quos viderim, [4] *Domitius Afer*, & *Julius Africanus*, longe præstantissimi. Verborum arte ille, & toto genere dicendi præferendus, & quem in numero veterum habere non timeas: hic concitatior, sed in cura verborum nimius, & compositione nonnunquam longior, & translationibus parum modicus. Erant clara & nuper ingenia. [5] Nam & *Trachallus* plerunque sublimis, & satis apertus fuit, & quem velle optima crederes: auditus tamen major. Nam & vocis, quantam in nullo cognovi, felicitas, & pronuntiatio vel scenis suffectura, & decor: omnia denique ei, quæ sunt

1 *Gravis.*] *Brevis.* Pithœus.

2 *Inveni qui Calvum.*] Cic. in Bruto scribit *Calvum* nimis in se inquisivisse, ac nimium se observasse. itaque ejus oratio attenuata erat, nimisque castigata. *Idem.*

3 *Cassius Severus.*] Seneca in Declamationibus, *Cassii Severi* orationem ait valde cultam esse, & gravibus sententiis plenam. Hic scriptor acerbus admodum fuit: itaque senatusconsulto aboliti sunt ejus libri, quos postea restituit *Caligula*. Auctor *Tranquillus*. Idem.

4 *Domitius Afer.*] *Domitius Afer* orator tempore Neronis vixit. periit (ut inquit Eusebius) in cœna *ex nimia cibi repletione*. Idem.

5 *Nam & Trachallus.*] *Trachallus* orator paulo ante Quintiliani ætatem voce ita valuit ut ex quatuor basilicis sit auditus: indeque factum est proverbium, *Trachallo vocalior*. huic etiam adfuerunt omnia naturæ adjumenta, quæ præter artem extrinsecus requiruntur. *Idem.*

sunt extra, superfuerunt. Et *Vibius Crispus*, compositus, & jucundus, & delectationi natus: privatis tamen caussis quam publicis melior. *Julio Secundo* si longior contigisset ætas, clarissimum profecto nomen oratoris apud posteros foret. Adjecisset enim atque adjiciebat cæteris virtutibus suis, quod desiderari potest. Id est autem, ut esset multo magis pugnax, & sæpius ad curam rerum ab elocutione respiceret. Cæterum interceptus quoque magnum sibi vendicat locum. Ea est facundia, tanta in explicando quod velit, gratia: tam candidum & lene & speciosum dicendi genus: tanta verborum etiam quæ assumpta sunt, proprietas: tanta in quibusdam ex periculo petitis significantia. Habebunt qui post nos de oratoribus scribent, magnam eos qui nunc vigent materiam vere laudandi. [1] Sunt enim summa hodie, quibus illustratur forum, ingenia. Nanque & consummati jam patroni veteribus, æmulantur, & eos juvenum ad optima tendentium imitatur ac sequitur industria. Supersunt qui de philosophia scripserunt, quo in genere pauciſſimos adhuc eloquentes literæ Romanæ tulerunt. [2] Idem igitur *M. Tullius*, qui ubique, etiam in hoc opere *Platonis* æmulus extitit. Egregius vero, multoque quam in orationibus præstantior [3] *Brutus*, suffecit ponderi rerum: scias eum sentire quæ dicit. Scripsit non parum multa *Cornelius Celsus*, [4] Scepticos secutus, non sine cultu ac nitore. *Plancus* in Stoicis rerum cognitione utilis. In Epicureis levis quidem, sed non injucundus tamen auctor est *Catius*. Ex industria *Senecam* [5] in omni genere eloquentiæ distuli, propter vulga-

1 *Sunt enim summa.*] Florebat *Aper*, *Marcellus*, *Maternus*, *Messala*, *Cæcilius Plinius*, & multi alii. vide Tacitum. *Idem.*

2 *Idem igitur M. Tullius.*] Budæus in commetariis linguæ Græcæ *Ciceronem* ita imitatorem Platonis ait fuisse, ut in philosophicis operibus ejus elegantiam & suavitatem exæquarit. *Idem.*

3 *Brutus.*] *Brutus* philosophiam Stoicam sectatus est, in eaque multos libros scripsit, ut colligere licet ex epist. ad *Atticum*. Idem.

4 *Scepticos secutus.*] *Sceptici* philosophi sunt, qui nihil constituunt, sed de rebus omnibus dubitant. Sic appellati sunt, *quasi consideratores*. Galenus quoque refert, *scepticam* quandam in medicina *sectam* fuisse. *Idem.*

5 *In omni genere eloquentiæ.*] Nam scripsit

vulgatam falso de me opinionem, qua damnare eum, & invisum quoque habere sum creditus. Quod accidit mihi, dum corruptum & omnibus vitiis fractum dicendi genus revocare ad severiora judicia contendo. Tum autem solus hic fere in manibus adolescentium fuit. Quem non equidem omnino conabar excutere, sed potioribus præferri non sinebam, [1] quos ille non destiterat incessere, cum diversi sibi conscius generis, placere se in dicendo posse iis, quibus illi placerent, diffideret. Amabant autem eum magis, quam imitabantur: tantumque ab illo defluebant, quantum ille ab antiquis descenderat. Foret enim optandum pares, aut saltem proximos illi viro fieri. Sed placebat propter sola vitia, & ad ea se quisque dirigebat effingenda, quæ poterat: [2] deinde cum se jactaret, eodem modo dicere, Senecam infamabat. Cujus & multæ alioqui, & magnæ virtutes fuerunt, ingenium facile & copiosum, plurimum studii, multarum rerum cognitio: in qua tamen aliquando ab iis quibus inquirenda quædam mandabat, deceptus est. Tractavit etiam omnem fere studiorum materiam. Nam & orationes ejus, & poëmata, & epistolæ, & dialogi feruntur. In philosophia parum diligens, egregius tamen vitiorum insectator fuit. Multæ in eo claræque sententiæ, multa etiam morum gratia legenda: [3] sed in eloquendo corrupta pleraque, atque eo pernicioſissima, quod abundant dulcibus vitiis. Velles eum suo ingenio dixisse, alieno judicio. Nam si aliqua contempsisset, si parum concupisset, si non omnia sua amasset,

psit *epistolas, declamationes, orationes, dialogos, poëmata*, & pleraque in philosophia. *Idem.*

1 *Quos ille non destiterat incessere.*] Gellius lib. 12. ait *Senecam* conatum esse vituperare *Ciceronem* atque *Vergil.* ac multis in locis reprehendere. eo autem in loco Gellius mire reprehendit *phrasim* & *compositionem* Senecæ. *Idem.*

2 *Deinde quum se jactaret, &c.*] Sensus est, qui vitia *Senecæ* imitabantur pro virtutibus, venditabant orationis ornatum & elegantiam nomine *Senecæ*, qui tum in pretio erat. Verum *Seneca* tum ab illis non laudabatur, sed infamabatur, quia ejus vitia proponebantur. *Idem.*

3 *Sed in eloquendo.*] Caligula imperator Senecam, qui tum in pretio erat, appellare solebat *commissiones meras, & arenam sine calce.* ita damnavit genus dicendi *fractum*, nimisque *concisum*, ac pene *commaticum.* Idem.

set, si rerum pondera minutissimis sententiis non fregisset: consensu potius eruditorum, quam puerorum amore comprobaretur. Verum sic quoque jam robustis, & severiore genere satis firmatis legendus, vel ideo, quod exercere potest utrinque judicium. Multa enim (ut dixi) probanda in eo, multa etiam admiranda sunt: eligere modo curæ sit, quod utinam ipse fecisset. Digna enim fuit illa natura, quæ meliora vellet, quæ quod voluit, effecit.

Cap. II.

De imitatione.

2 EX his cæterisque lectione dignis auctoribus & verborum sumenda copia est, & varietas figurarum, & componendi ratio: tum ad exemplum virtutum omnium mens dirigenda. [1] Neque enim dubitari potest, quin artis pars magna contineatur *imitatione*. Nam *ut invenire primum* fuit, estque præcipuum: *sic ea quæ bene inventa sunt, utile sequi.* Atque omnis vitæ ratio sic constat, ut quæ probamus in aliis, facere ipsi velimus. [2] Sic literarum ductus, ut scribendi fiat usus, pueri sequuntur: sic musici vocem docentium, pictores opera priorum, rustici probatam experimento culturam in exemplum intuentur. Omnis denique disciplinæ initia ad propositum sibi præscriptum formari videmus. Et hercle necesse est aut similes aut dissimiles bonis simus. Similem raro natura præstat, frequenter imitatio. [3] Sed hoc ipsum, quod tanto faciliorem nobis rationem rerum omnium

Catalogus auctorum ad imitationem spectat, qua facilitatem dicendi formam consequimur. Igitur subjungenda fuerunt *imitationis* præcepta. *Turnebus.*

1 *Neque enim dubitari potest.*] Cornificius *imitationem* ab arte separat, eam arti subjungit Fab. lib. 3. cap. 5. quia arte opus est ad intelligendas virtutes auctoris & imitandas. *Idem.*

2 *Sic literarum ductus.*] Ad *imitationis* commendationem *inductione* utitur, omniaque *imitatione* constare ostendit. *Idem.*

3 *Sed hoc ipsum.*] Admonet Fab. non ita utendum esse *imitatione*, quin aliquid ex nobis gignamus. Sic Cic. cum se contulisset ad *imitationem Platonis, Demosthenis, Isocratis*, plurimas & præstantissimas ex seipso virtutes extulit. Auctor Fab. *Idem.*

1 *Turpe*

nium facit, quam fuit iis qui nihil quod sequerentur, habuerunt, nisi caute & cum judicio apprehenditur, nocet. Ante omnia igitur imitatio per se ipsa non sufficit, vel quia pigri est ingenii, contentum esse iis quæ sunt ab aliis inventa. Quid enim futurum erat temporibus illis quæ sine exemplo fuerunt, si homines nihil nisi quod jam cognovissent, faciendum sibi aut cogitandum putassent? Nempe nihil fuisset inventum. Cur igitur nefas est reperiri aliquid à nobis, quod ante non fuerit? An illi rudes sola mentis natura ducti sunt in hoc ut tam multa generarent, nos ad quærendum non eo ipso concitemur, quod certe scimus inveniisse eos qui quæsierunt? Et cum illi, qui nullum cujusquam rei habuerunt magistrum, plurima in posteros tradiderint, nobis usus aliarum rerum ad eruendas alias non proderit, sed nihil habebimus nisi beneficii alieni? quemadmodum quidam pictores in id solum studeant, ut describere tabulas mensuris ac lineis sciant. [1] Turpe etiam illud est, contentum esse id consequi, quod imiteris. Nam rursus quid erat futurum, si nemo plus effeciisset eo quem sequebatur? [2] Nihil in poëtis supra *Livium Andronicum*, nihil in historiis [3] supra *Pontificum annales* haberemus: [4] ratibus adhuc navigaremus: non esset pictura, nisi quæ lineas modo extremas umbræ [5] quam corpora in sole feciissent, circunscriberet. Ac si omnia percenseas, nulla sit ars qualis inventa est, nec intra initium stetit: nisi forte nostra potissimum tempora damnamus hujus infelicitatis, ut nunc demum nihil crescat. *Nihil enim crescit sola imitatione.* Quod si prioribus adjicere fas non est, quomodo spe-

1 *Turpe etiam illud est.*] *Turpe est nihil invenire posse: est ineptum quoque non vincere eum quem imiteris.* nisi enim hoc factum esset ab antiquis, nulla fuisset artium progressio & amplificatio. *Idem.*

2 *Nihil in poëtis.*] *Livius Andronicus* primus apud Latinos *fabulas* edidit anno ante Ennium natum. *Idem.*

3 *Supra pontificum annales.*] Historiæ primum apud Romanos scriptæ sunt à *Pontificibus*, sermone quidem puro, sed exili. Vide Cicer. libro 2. de Oratore *Idem.*

4 *Ratibus adhuc navigaremus.*] *Vitruvius* libro secundo ait primum homines tabulis inter se connexis, quæ *rates* & *schediæ* appellantur, navigasse. *Idem.*

5 *Quam corpora in sole feciissent.*] Hoc modo *Gyges Lydius* in Ægypto picturam reperit. *Idem.*

sperare possumus ullum oratorem perfectum? cum in iis quos maximos adhuc novimus, nemo sit inventus in quo nihil aut desideretur, aut reprehendatur. [1] Sed etiam qui summa non appetunt, contendere potius, quam sequi debent. Nam qui agitur prior sit, forsitan etiam si non transierit, æquabit. Eum vero nemo potest æquare, cujus vestigiis sibi utique insistendum putat. Necesse est enim semper sit posterior, qui sequitur. Adde quod plerunque facilius est plus facere, quam idem. [2] Tantam enim difficultatem habet similitudo, ut ne ipsa quidem natura in hoc ita evaluerit, ut non res quæ simillimæ videantur, discrimine aliquo discernantur. Adde quod quicquid alteri simile est, necesse est minus sit eo quod imitatur, ut umbra corpore, & imago facie, & actus histrionum veris affectibus. Quod in orationibus quoque evenit. Nanque iis quæ in exemplum assumimus, subest natura, & vera vis: contra omnis imitatio facta est & ad alienum propositum commodatur. Quo fit ut minus sanguinis ac virium declamationes habeant, quam orationes: quod in illis vera, in his assimulata materia est. [3] Adde quod ea quæ in oratore maxima sunt, imitabilia non sunt, *ingenium*, *inventio*, *vis*, *facilitas*, & quicquid arte non traditur. Ideoque plerique cum verba quædam ex orationibus excerpserunt, aut aliquos compositionis certos pedes, mire à se quæ legerunt, effingi arbitrantur: cum & verba intercidant invalescantque temporibus, ut quorum certissima sit regula in consuetudine, eaque non sua natura sint bona aut mala, (nam per se soni tantum sunt) sed prout opportune proprieque aut secus collocata sunt: & com-

1 *Sed etiam.*] Per divisionem ostendit, neque eum qui consummatus esse velit orator, neque eum qui summam eloquentiam non appetat, sola *imitatione* contentum esse debere, quia *imitator* semper est inferior. *Idem.*

2 *Tantam enim difficultatem.*] In tot hominum millibus duos reperire non possis indiscreta similitudine: attamen apud Plinium lib. 7. multa sunt exempla *similitudinis*. Idem.

3 *Adde quod ea quæ.*] Proprietates *ingeniorum* arte comprehendi non possunt: quocirca *imitationi* non subjacent: solemus enim imitari idipsum quod arte traditur. *Idem.*

1 *Qua-*

compositio cum rebus accommodata sit, tum ipsa varietate gratissima. [1] Quapropter exactissimo judicio circa hanc partem studiorum examinanda sunt omnia: Primum, quos imitemur. nam sunt plurimi qui similitudinem pessimi cujusque & corruptissimi concupierint. Deinde in ipsis quos elegerimus, quid sit ad quod efficiendum nos comparemus. Nam in magnis quoque auctoribus incidunt aliqua vitiosa, & à doctis inter ipsos etiam mutuo reprehensa. atque utinam tam bona imitantes dicerent melius, quam mala pejus dicunt. Nec vero saltem iis quibus ad evitanda vitia judicii satis fuit, sufficiat imaginem virtutis effingere, & solam, ut sic dixerim, cutem, vel potius illas [2] Epicuri figuras, quas è summis corporibus dicit effluere. Hoc autem iis accidit, qui non introspectis penitus virtutibus, ad primum se velut aspectum orationis aptarunt: & cum iis fœliciſſime cessit imitatio, qui verbis atque numeris sunt non multum differentes, [3] vim dicendi atque inventionis non assequuntur, sed plerunque declinant in pejus, & proxima virtutibus vitia comprehendunt, fiuntque pro grandibus *tumidi:* pressis *exiles:* fortibus *temerarii:* lætis *corrupti:* compositis *exultantes:* simplicibus *negligentes.* Ideoque qui horride atque incompositè quidlibet frigidum illud & inane extulerunt, antiquis se pares credunt: qui carent cultu atque sententiis, Atticis scilicet: qui præcisis concluſionibus obscuri, Sallustium atque Thucydidem superant: tristes ac jejuni Pollionem æmulantur, otiosi & supini, si quid modo longius circunduxerunt, jurant [4] ita Ciceronem loquuturum fuisse.

1 *Quapropter.*] Imitari decet optimos auctores, idque faciendum cum *judicio*, quoniam auctores *classici* nonnunquam errant. *Idem.*

2 *Epicuri figuras.*] *Epicurus* dicebat assidue è corporibus *simulachra* & *idola* veluti *exuvias* quasdam effluere, quæ oculos pellerent, atque ita visionem efficerent. Hoc autem duntaxat ex opinione Democriti. *Idem.*

3 *Vim dicendi atque inventionis, &c.*] Qui primum *orationis* aspectum imitantur, ut *verba* & *numeros*, quia *inventionem* negligunt, neque res expendunt, apte dicere non possunt, neque verba rebus aptare. itaque quamquam optimos auctores imitantur, tamen declinant in vitia proxima virtutibus. *Idem.*

4 *Ita Ciceronem loquuturum fuisse.*] Annotant enim proprium esse *Demo-*

fuisse. Noveram quosdam, qui se pulchre expressisse genus illud cœlestis hujus in dicendo viderentur, si in clausula posuissent, *Esse videatur.* Ergo primum est, ut quod imitaturus est quisque, intelligat: & quare bonum sit, sciat. Tum in suscipiendo onere consulat suas vires. Nam quædam sunt inimitabilia, quibus aut infirmitas naturæ non sufficiat, aut diversitas repugnet. [1] Nec cui tenue ingenium erit, sola velit fortia & abrupta: cui forte quidem, sed indomitum, amore subtilitatis & vim suam perdat, & elegantiam quam cupit, non assequatur. Nihil est enim tam indecens, quam cum mollia dure fiunt. Atque ego illi præceptori quem instituera in libro secundo, tradidi non ea sola docenda esse, ad quæ quemque discipulorum natura compositum videret. Nam is & adjuvare debet quæ in quoque eorum invenerit bona, & quantum fieri potest, adjicere quæ desunt, & emendare quædam & mutare. [2] Rector enim est alienorum ingeniorum atque formator. difficilius est naturam suam fingere. Sed ne ille quidem doctor, quanquam omnia quæ recta sunt, velit esse in suis auditoribus quam pleniſſima, in eo tamen cui naturam obstare viderit, laborabit. [3] Id quoque vitandum (in quo magna pars errat) ne in oratione poëtas nobis & historicos, in illorum operibus oratores aut declamatores imitandos putemus. *Sua cuique proposita lex, suus decor est.* Nec comœdia in cothurnos assurgit, nec contra tragœdia socco ingreditur. Habet tamen omnis eloquentia ali-

sthenis & *Ciceronis*, prolixioribus interdum periodis uti. Adde quod Aper apud Tacitum *Ciceronem* ut otiosum & supinum exagitat, & solennem ejus clausulam *Esse videatur*, reprehendit. *Idem.*

1 *Ne cui tenue.*] In *imitatione* neque à tuo ingenio prorsus debes desciscere, neque tamen ingenium ita sequi ut non adjicias quod naturæ desit: qua de re pulcherrime locutus est Fab. l. 2. quum quærebat *an quisque secundum ingenii sui naturam esset docendus.* Idem.

2 *Rector enim est.*] Significat id facile à *præceptore* fieri posse, propterea quod facilius est *alienam* formare naturam, quam *suam.* nam *nostram* naturam amplectimur, & in *nostris* vitiis cæcutimus. *Idem.*

3 *Id quoque vitandum.*] Petenda est *imitatio* à simili specie scriptorum: quocirca errant qui in oratione usurpant *dictiones poëticas.* est tamen communis quædam *imitatio*, qua ex omnibus scriptoribus aliquid sumere possumus. *Idem.*

1 *Etiam*

aliquid commune. Id imitemur, quod commune est. [1]Etiam hoc solet incommodi accidere iis qui se uni alicui generi dediderunt, ut si asperitas his placuit alicujus, hanc etiam in leni ac remisso causarum genere non exuant: si tenuitas, aut nuditas, in asperis gravibusque causis ponderi rerum parum respondeant: cum sit diversa non causarum modo inter ipsas conditio, sed in singulis etiam causis partium: sintque alia leniter, alia aspere, alia concitate, alia remisse, alia docendi, alia movendi gratia dicenda: quorum omnium dissimilis atque diversa inter se ratio est. Itaque ne hoc quidem suaserim, uni se alicui proprie, quem per omnia sequatur, addicere. Longe perfectissimus Græcorum *Demosthenes*, aliquid tamen aliquo in loco melius alii. Plurima ille: sed *non qui maxime imitandus*, etiam *solus imitandus est*. Quid ergo? non est satis omnia sic dicere, quomodo *Marcus Tullius* dixit? Mihi quidem satis esset, si omnia consequi possem. Quid tamen nocet, vim *Cæsaris*, [2]asperitatem *Cælii*, diligentiam *Pollionis*, judicium *Calvi*, quibusdam in locis assumere? Nam præter id quod prudentis est, quod in quoque optimum est si possit, suum facere: tum in tanta rei difficultate unum intuentes, vix aliqua pars sequitur. Ideoque cum totum exprimere quem elegeris, pene sit homini inconcessum; plurium bona ponamus ante oculos, ut aliud ex alio hæreat, & quo quicque loco conveniat, aptemus. Imitatio autem (nam sæpius idem dicam) non sit tantum in verbis. Illuc intendenda mens, quantum fuerit illis viris decoris in rebus atque personis, quod consilium, quæ dispositio, quam omnia etiam quæ delectationi videantur data, ad victoriam spectent: quid agatur procœmio, quæ ratio & quam varia narrandi, quæ vis probandi ac refellendi, quanta in affectibus

1 *Etiam hoc solet.*] In *imitatione* certum dicendi genus sequi non debemus, sed omnia. nam alioqui raro *apte* diceremus. hoc autem pertinet ad præceptum superius. *Idem.*

2 *Asperitatem Cælii.*] *Aper* apud Tacitum Cælium ait propter *hiatus* & *compositionem* sæpe asperum esse. ab eo quoque notatur ut *antiquarius*. Idem.

bus omnis generis movendis scientia, quantaque laus ipsa popularis utilitatis gratia assumpta: quæ tum est pulcherrima, cum sequitur, non cum arcessitur. Hæc si pervidérimus, tum vere imitabimur. Qui vero etiam propria his bona adjecerit, ut suppleat quæ deerant, circuncidat si quid redundabit, is erit (quem quærimus) perfectus orator: quem nunc consummari potissimum oportebat, cum tanto plura exempla bene dicendi supersint, quam illis qui adhuc summi sunt, contigerunt. Nam erit hæc quoque laus eorum, ut priores superasse, posteros docuisse dicantur.

Cap. III.

Quomodo scribendum sit.

3 Et hæc quidem auxilia extrinsecus adhibentur: in iis autem quæ nobis ipsis paranda sunt, ut laboris, sic utilitatis etiam longe plurimum affert *stylus*. Nec immerito M. Tullius hunc optimum effectorem ac magistrum dicendi vocat. [1] Cui sententiæ personam L. Crassi in disputationibus quæ sunt de oratore assignando, judicium suum cum illius auctoritate conjunxit. [2] *Scribendum ergo quam diligentissime, & quam plurimum.* Nam ut terra alte effossa generandis alendisque seminibus fœcundior est: sic profectus non à summo petitus, studiorum fructus effundit uberius, & fidelius continet. Nam sine hac quidem conscientia, ipsa illa ex tempore dicendi facultas, inanem modo loquacitatem dabit, & verba in labris nascentia. Illic radices, illic fundamenta sunt: [3] illic opes velut [4] sanctiore quodam ærario

Auditionem & *lectionem* extrinsecus petimus: at *stylus* est à nobis ipsis. sed cum *styli* tractationem in duo dividat, *quomodo scribendum*, & *quid scribendum*, priorem partem hoc cap. tractat, posteriorem quinto. *Idem.*

1 *Cui sententiæ.*] Certior est sententia *Ciceronis*, quia loquitur *Crassus*, quam si loqueretur *Antonius*: quoniam alter *præcepta constituit*, alter *dissimulat*. Idem.

2 *Scribendum quam diligentiss. &c.*] Jac. Lud. Strebæus De Elect. & Orat. Colloc. Verb. lib. 1. cap. 7. p. 31. & seqq.

3 *Illic opes velut sanctiore quodam.*] Vide Agellium lib. 2. cap. 10. Jan. Gebhard. Crepund. lib. 3. c. 18. p. 151.

4 *Sanctiore quodam ærario.*] Duplex fuit Romæ *ærarium*: alterum ex quo ad annuas

ærario reconditæ, unde ad subitos quoque casus, cum res exiget, proferantur. Vires faciamus ante omnia, quæ sufficiant labori certaminum, & usu non exhauriantur. [1] *Nihil enim rerum ipsa natura voluit magnum effici cito, præposuitque pulcherrimo cuique operi difficultatem.* quæ nascendi quoque hanc fecerit legem, [2] ut majora animalia diutius visceribus parentum continerentur. Sed cum sit duplex quæstio, *quomodo, & quæ* maxime scribi oporteat, jam hinc ordinem sequar. Sit primo vel tardus, dum diligens stylus, quæramus optima, nec protinus se offerentibus gaudeamus: adhibeatur judicium inventis, dispositio probatis. Delectus enim rerum verborumque agendus est, & pondera singulorum examinanda. Post subeat ratio collocandi, versenturque omni modo numeri: non ut quodque se proferet verbum, occupet locum. [3] Quæ quidem ut diligentius exequamur, repetenda sæpius erunt scriptorum proxima. Nam præter id quod sic melius junguntur prioribus sequentia, calor quoque ille cogitationis, qui scribendi mora refrixit, recipit ex integro vires, & velut repetito spatio sumit impetum, quod in certamine saliendi, fieri videmus, ut conatum longius petant, & ad illud quo contenditur spatium, cursu ferantur: utque in jaculando brachia reducimus, & expulsuri tela, nervos retro tendimus. [4] Interim tamen, si feret flatus, danda sunt vela, dum nos indulgentia illa non fallat.

Omnia

annuas necessitates pecunia depromebatur: alterum quod intactum erat, nec aperiebatur nisi ob ingentem Reipub. necessitatem, & ob repentinos casus. Simili metaphora Fabius dixit lib. undecimo, *sanctius sacrarium*. Turneb.

1 *Nihil enim rerum ipsa natura, &c.*] Quod cito effectum esset, id Latini *effugisse* dicebant; sicut *elabi*. Gebhard. Crepund. lib. 3. c. 18. p. 151.

2 *Ut majora animalia, &c.*] Quemadmodum *elephas* continetur, ut quidam ajunt, *decennio* in utero parentis: unde proverbium, *Citius elephanti pariant*. Aristotel. ait *biennio*. Turneb. *Ut majora animalia, &c.*] Plin. lib. x. *Quo majus est animal tanto diutius formatur in utero*. Pithœus.

3 *Quæ quidem ut dilig.*] Ut *optime* scribamus, non solum intueri debemus præsentem periodum, sed superiores quoque, ut *melior* sit *connexio*, ac *cogitatio* resumat impetum ex continuatione. *Turneb.*

4 *Interim tamen.*] Aliquando sine superiorum repetitione, si facile succedit *inventio* & *verborum collocatio*, oratio continuanda est, adhibito tamen judicio. quinetiam illa quæ profluxerunt, postea sunt emendanda. *Idem.*

1 *Virgi-*

Omnia enim nostra dum nascuntur, placent: alioqui nec scriberentur. Sed redeamus ad judicium, & retractemus suspectam facilitatem. Sic scripsisse Sallustium accepimus: & sane manifestus est etiam ex opere ipso labor. [1] Virgilium quoque pauciſſimos die composuisse versus, auctor est Varus. Oratoris quidem alia conditio est. Itaque hanc moram & solicitudinem initiis impero. Nam primum hoc constituendum, hoc obtinendum est, [2] ut quam optime scribamus: celeritatem dabit consuetudo. Paulatim res facilius se ostendent, verba respondebunt, compositio sequetur: cuncta denique, ut in familia bene instituta, in officio erunt. Summa hæc est rei, *Cito scribendo non fit ut bene scribatur: bene scribendo, fit ut cito.* [3] Sed tum maxime cum facultas illa contigerit, resistamus, [4] ut provideamus, & ferocientes equos frenis quibusdam coërceamus: quod non tam moram faciet, quam novos impetus dabit. Nec enim rursus eos qui robur aliquod in stylo fecerint, ad infœlicem calumniandi se pœnam alligandos puto. [5] Nam quomodo sufficere civilibus officiis possit, qui singulis actionum partibus insenescat? Sunt autem quibus nihil sit satis omnia mutare, omnia aliter dicere quam occurrit, velint: increduli quidam, & de ingenio suo pessime meriti, qui diligentiam putant, facere sibi scribendi difficultatem. Nec promptum est dicere, utros peccare validius putem, quibus omia sua placent, an quibus nihil. Accidit enim etiam ingeniosis adolescentibus frequenter, ut labore consumantur, & in

1 *Virgilium quoque.*] Solebat *Vergil.* paucos scribere versus initio impolitos, quos deinde diligentissime retractabat: adeo ut diceret versus suos similes esse *fœtui ursino.* Euripidem quoque ajunt aliquando vix uno die composuisse tres versus. *Idem.*

2 *Ut quam optime scribamus.*] Pollio apud Plin. Secund. *Commode agendo factum est ut sæpius agerem: Sæpe agendo, ut minus commode.* Pith.

3 *Sed tum maxime.*] Etiam cum cito scribere poterimus, immorari tamen nonnunquam debebimus, ut cohibeatur impetus fervidior, judicium adhibeatur, novus resumatur impetus. *Turnebus.*

4 *Ut provideamus.*] Ac *prohibeamus.* Passerat.

5 *Nam quomodo.*] Utendum est *judicio*, ita tamen ut *morositatem* fugiamus, quæ perdere solet sanguinem & vires orationis, ut scripsit de *Calvo Cicero.* Turneb.

1 *Is*

& in silentium usque descendant nimia bene dicendi cupiditate. Qua de re memini narrasse mihi Julium Secundum illum æqualem meum, atque à me, ut notum est, familiariter amatum, miræ facundiæ virum, infinitæ tamen curæ, quid esset sibi à patruo suo dictum. [1] Is fuit Julius Florus, in eloquentia Galliarum (quoniam ibi demum exercuit eam) princeps, alioqui inter paucos disertus, & dignus illa propinquitate. Is cum Secundum scholæ adhuc operatum, tristem forte vidisset, interrogavit, Quæ caussa frontis tam obductæ? nec dissimulavit adolescens, tertium jam diem esse, ex quo omni labore materiæ ad scribendum destinatæ non inveniret exordium: quo sibi non præsens tantum dolor, sed etiam desperatio in posterum fieret. Tum Florus arridens, *Nunquid tu*, inquit, *melius dicere vis, quam potes?* Ita se res habet, *Curandum est ut quam optime dicamus: dicendum tamen pro facultate.* Ad profectum enim opus est studio, non indignatione. [2] Ut possimus autem scribere etiam plura, & celerius, non *exercitatio* modo præstabit, in qua sine dubio multum est, sed etiam *ratio*, si non resupini, spectantesque tectum, & cogitationem murmure agitantes, expectaverimus quid obveniat, sed quid res poscat, quid personam deceat, quod sit tempus qui judicis animus intuiti, humano quodam modo ad scribendum accesserimus. Sic nobis & initia, & quæ sequuntur, natura ipsa præscribit. Certa sunt enim pleraque, & nisi conniveamus, in oculos incurrunt: ideoque nec indocti nec rustici diu quærunt unde incipiant: quo pudendum est magis si difficultatem facit doctrina. *Non ergo putemus semper optimum*

1 *Is fuit Julius Florus.*] *Julius Florus* vir fuit eloquens, eloquentiam tamen exercuit duntaxat in *Gallia Cisalpina*. eloquentia autem *Galliarum* non tam elegans erat quam *Romana*. Romæ enim erat linguæ puritas. A Julio Floro sanguinem ducit L. Florus, qui epitomen scripsit in Livium. *Idem.*

2 *Ut possimus autem.*] Celerius scribemus si methodum adhibeamus, spectemusque omnes rei circunstantias. nam quidam nullam sequuntur methodum in *cogitando* & *scribendo*: itaque tardi sunt. eos reprehendit *Fab.* l. 2. c. 12. *Idem.*

mum esse, quod latet: immuteſcamus alioqui, ſi nihil dicendum videatur, niſi quod non invenimus. [1] Diverſum eſt huic eorum vitium, qui primo decurrere per materiam ſtylo quam velociſſimo volunt, ([2] *hanc ſylvam* vocant) & ſequentes calorem atque impetum, ex tempore ſcribunt, repetunt deinde, & componunt quæ effuderant: ſed verba emendantur & numeri, manet in rebus temere congeſtis quæ fuit levitas. Protinus ergo adhibere curam rectius erit, atque ab initio ſic opus ducere, [3] ut cælandum, non ex integro fabricandum ſit. Aliquando tamen affectus ſequemur, in quibus fere plus calor quam diligentia valet. [4] Satis apparet ex eo quod hanc ſcribentium negligentiam damno, quid de illis dictandi delitiis ſentiam. Nam in ſtylo quidem quamlibet properato dat aliquam cogitationi moram non conſequens celeritatem ejus manus: ille cui dictamus, urget, atque interim pudet etiam dubitare, aut reſiſtere, aut mutare, quaſi conſcium infirmitatis noſtræ timentes. Quo fit, ut non rudia tantum, & fortuita, ſed impropria interim, dum ſola eſt connectendi ſermonis cupiditas, effluant: quæ nec ſcribentium curam, nec dicentium impetum conſequantur. At idem ille qui excipit, ſi tardior in ſcribendo, aut inertior in legendo velut *offenſator* fuerit, inhibetur curſus, atque omnis quæ erat conceptæ mentis intentio, mora & interdum iracundia excutitur. [5] Tum illa quæ apertiorem

1 *Diverſum eſt.*] Quidam velociter ſcribunt, poſtea quæ ſcripſerunt emendant: ſed *emendatio* pertinet duntaxat ad verba, interim remanet mala inventio. Latini autem appellant *ſylvam*, extemporalem ſcripturam quæ poſtea emendatur. hinc ſunt *Papinii ſylvæ* & *Lucani*. Idem.

2 *Hanc ſylvam vocant.*] Silvæ Statii Papinii cujus hic notare videtur non titulum modo librorum, ſed extemporaneum ſcribendi genus, qui ille præfationibus gloriatur. *Pith.*

3 *Ut cælandum.*] Metaphora eſt ducta à *cælatoribus* aut *vaſculariis*. nam *vaſcularii* conflare ſolent optime opus, deinde exſculpere & expolire. *Turneb.*

4 *Satis apparet.*] Solebant nonnunquam *declamatores* ex tempore orationes dictare, quas exciperent auditores. id multis de cauſis vituperat *Fabius*. Idem.

5 *Tum illa quæ.*] Cum affectum movere volumus, neceſſe eſt ut ipſi moveamur: quod aſſequimur quibuſdam adjumentis, ut *manuum jactatione*, & *pedum ſuppoſione*. Quod cum dictando facere non auſimus, neceſſe eſt ut oratio jaceat. *Idem.*

1 *Denique*

rem animi motum sequuntur, quæque ipsa animum quodammodo concitant, quorum est jactare manum, torquere vultum simul, & interim objurgare, quæque Persius notat cum leviter dicendi genus significat,

Nec pluteum, inquit, *cædit, nec demorsos sapit ungues:* etiam ridicula sunt, nisi cum soli sumus. [1] Denique ut semel quod est potentissimum dicam: *secretum* (quod dictando perit) *atque liberum arbitris locum, & quam altissimum silentium scribentibus maxime convenire* nemo dubitaverit. Non tamen protinus audiendi, qui credunt aptissima in hoc nemora, sylvasque quod illa cœli libertas, locorumque amœnitas, sublimem animum, & beatiorem spiritum parent. Mihi certe jucundus hic magis, quam studiorum hortator videtur esse secessus. Namque illa ipsa quæ delectant, necesse est avocent ab intentione operis destinati. Neque enim se bona fide in multa simul intendere animus totum potest: & quocunque respexerit, desinit intueri, quod propositum erat. Quare sylvarum amœnitas, & præterlabentia flumina, & inspirantes ramis arborum auræ, volucrumque cantus, & ipsa late circunspiciendi libertas, ad se trahunt: ut mihi remittere potius voluptas ista videatur cogitationem, quam intendere. [2] Demosthenes melius qui se in locum ex quo nulla exaudiri vox, nihilque prospici posset recondebat, ne aliud agere mentem cogerent oculi. Ideoque lucubrantes, silentium noctis, & clausum cubiculum, & lumen unum velut tectos maxime teneat. Sed cum in omni studiorum genere, tum in hoc præcipue bona valetudo, quæque eam maxime præstat *frugalitas, necessaria est:*

1 *Denique ut semel, &c.*] Fabius existimat *locum quietum* aptum esse scriptioni, nec tamen probat *sylvas*, in quibus poëtæ ajunt versari *Nymphas* & *Musas*, propterea quod amœnitate animum avocant à cogitatione. Cæcilius tamen Plin. (ut scribit in quadam epist.) libenter in *sylvis* pugillares implevit. *Idem.*

2 *Demosthenes.*] *Demosthenes*, ut scribit *Plutarchus*, domum subterraneam extruxit, in qua pronunciationem exercere solebat, soluisque declamare: ac nonnunquam toto trimestri illic delitescebat, comamque radebat, ne cogeretur foras prodire. *Idem.*

est: cum tempora ab ipsa rerum natura ad quietem refectionemque nobis data, in acerrimum laborem convertimus, [1] Cui tamen non plus irrogandum est, quam quod summo supererit, haud deerit. Obstat enim diligentiæ scribendi etiam fatigatio: & abunde si vacet, lucis spatia sufficiunt: occupatos in noctem necessitas agit. Est tamen *lucubratio*, quoties ad eam integri ac refecti venimus, optimum secreti genus. Sed silentium & secessus, & undique liber animus, ut sunt maxime optanda, ita non semper possunt contingere: ideoque non statim si quid obstrepet, abjiciendi codices erunt, & deplorandus dies: verum incommodis repugnandum, & hic faciendus usus, ut omnia quæ impediunt, vincat intentio. quam si tota mente in opus ipsum direxeris, nihil eorum quæ oculis vel auribus incursant, ad animum perveniet. An vero frequenter etiam fortuita hoc cogitatio præstat, ut obvios non videamus, & itinere deerremus: non consequemur idem si & voluerimus? Non est indulgendum caussis desidiæ. Nam si non nisi refecti, non nisi hilares, non nisi omnibus aliis curis vacantes, studendum existimaverimus, semper erit propter quod nobis ignoscamus. [2] Quare in turba, itinere, conviviis etiam faciat sibi cogitatio ipsa secretum. Quid alioqui fiet, cum in medio foro, tot circunstantibus judiciis, jurgiis, fortuitis etiam clamoribus, erit subito continua oratione dicendum, si particulas [3] quas ceris mandamus, nisi in solitudine reperire non possumus? Propter quæ idem ille tantus amator secreti Demosthenes, in littore in quod se maximo cum sono

1 *Cui tamen non.*] Non plus est tribuendum *lucubrationi*, quam quod *somno* supereſſet: alioqui si plus *somno* detraxeris, naturam læseris. hoc tamen est expendendum ex corporis ratione & constitutione: quidam enim homines *breviori somno*, quidam *prolixiori* egent. *Idem.*

2 *Quare in turba.*] Quemadmodum Plinius Major in *balneis*, *conviviis*, *lectica*, semper aut scribebat aut legebat. tempus enim perire arbitrabatur, quod studiis non impenderetur. Sic Cato Uticensis in Curia dum senatus cogeretur, legebat. *Idem.*

3 *Quas ceris mandamus.*] Vel annotationem capitum intellige & locorum præcipuorum: (id enim facere solebant olim oratores memoriæ causa: atque hic sensus videtur melior:) aut certe accipe *scripturæ rationem.* Idem.

1 *Debet*

sono fluctus illideret, meditans, consuescebar concionum fremitus non expaveſcere. Illa quoque minora (sed nihil in studiis parvum est) non sunt transeunda, scribi optime ceris, in quibus facillima est ratio delendi: nisi forte visus infirmior membranarum potius usum exiget: quæ ut juvant aciem, ita crebra relatione, quoad intinguntur calami, morantur manum, & cogitationis impetum frangunt. Relinquendæ autem in utrolibet genere vacuæ tabellæ, in quibus libera adjicienti sit excursio. Nam interim pigritiam emendandi angustiæ faciunt, aut certe novorum interpositione priora confundunt. Ne latas quidem ultra modum esse ceras velim, expertus juvenem studiosum alioqui prælongos habuisse sermones, quia illos numero versuum metiebatur: idque vitium, quod frequenti admonitione corrigi non potuerat, mutatis codicibus esse sublatum. [1] Debet vacare etiam locus, in quo notentur quæ scribentibus solent extra ordinem, id est ex aliis quam qui sunt in manibus loci, occurrere. Irrumpunt enim optimi nonnunquam sensus, quos neque inserere oportet, neque differre tutum est: quia interim elabuntur, interim memoriæ suæ intentos, ab alia inventione declinant: ideoque optime sunt in depositio.

1 *Debet vacare etiam.*] Aliquando cum priorem partem, verbi causa, *orationis* scribimus, venit nobis in mentem alicujus argumenti, aut alicujus sententiæ quæ utilis est futura in summa *orationis* parte. ne igitur obliviscamur, statim in margine annotare debemus. *Idem.*

CAP. IV.

De emendatione.

SEquitur *emendatio*, pars studiorum longe utilissima. Neque enim sine causa creditum est, stylum non minus agere, [1] cum delet. Hujus autem operis est, *adjicere*, *detrahere*, 4

CUm delet.] Styli pars altera est *acuminata*, qua scribimus: altera *obtusa* & *latior*, qua delemus. Hinc illud Horatianum, *Sæpe stylum vertas.* Divus quoque Hieronymus partem illam *styli* appellat optimam, ita scilicet commendans emendationem. *Turneb.*

trahere, mutare. [1] Sed facilius in his simpliciusque judicium, quæ replenda vel dejicienda sunt: premere vero tumentia, humilia extollere, luxuriantia astringere, inordinata digerere, soluta componere, exultantia coërcere, duplicis operæ. Nam & damnanda sunt quæ placuerant, & invenienda quæ fugerant. [2] Nec dubium est optimum esse emendandi genus, si scripta in aliquod tempus reponantur, ut ad ea post intervallum velut nova atque aliena redeamus, ne nobis scripta nostra tanquam recentes fœtus blandiantur. Sed neque hoc contingere semper potest, præsertim oratori, cui sæpius scribere ad præsentes usus necesse est: Et ipsa emendatio finem habet. Sunt enim qui ad omnia scripta tanquam vitiosa redeant, & quasi nihil fas sit rectum esse quod primum est, melius existiment quicquid est aliud: idque faciant quoties librum in manus resumpserint, similes medicis etiam integra secantibus. Accidit itaque ut cicatricosa sint, & exanguia, [3] & cura pejora. Sit igitur aliquando quod placeat, aut certe quod sufficiat: [4] ut opus poliat lima, non exterat. *Temporis* quoque *esse debet modus.* [5] Nam quod Cinnæ Smyrnam novem annis accepimus scriptam, [6] & Panegyricum Isocratis, qui parcissime, decem annis dicunt elaboratum, ad oratorem nihil pertinet: cujus nullum erit, si tam tardum fuerit, auxilium.

Cap.

1 *Sed facilius.*] *Adjicere* & *detrahere* facile est, *mutare* autem difficilius: nam & cum ratione damnanda sunt quæ scripseris, & alia substituenda. *Idem.*

2 *Nec dubium est.*] Sic locutus est quoque in epistola, cum scribit *se voluisse dare libris suis otium, ut refrigerato inventionis amore repetitos, tanquam lector perpenderet.* Idem.

3 *Et cura peiora, &c.*] Non ab simili est locus ille Plinii lib. 37. cap. 10. Nocere sæpe nimiam diligentiam, & manum de tabula non posse tollere. *Passerat.*

4 *Ut opus poliat lima, non exterat.*] Plin. Epist. *Itaque opus non jam spendescit lima, sed atteritur.* Pith.

5 *Nam quod Cinnæ Smyrnam.*] *Helvius Cinna* poëta fuit tempore Catulli: scripsit *epigrammata* & *Smyrnam:* quæ maxime probatur: de qua Catullus,

Smyrna mei Cinnæ nova post denique messem
Scripta fuit, nonamque edita post hyemem.
Turneb.

6 *Et panegyricum.*] Plutarchus in Isocratis vita ait quosdam scripsisse, *decem* annis scriptum *Panegyricum*, quosdam *quindecim.* Idem.

CAP. V.

Quæ scribenda sint præcipue.

PRoximum est ut dicamus *quæ præcipue scribenda* sint. Hoc exuberantis quidem est operis, ut explicemus quæ sint materiæ: quæ prima aut secunda, aut deinceps tractanda sint. Nam id factum est etiam primo libro, quo puerorum: & secundo, quo jam robustorum studiis ordinem dedimus. Sed de quo nunc agitur, unde copia ac facilitas maxime veniat, *vertere græca in latinum* veteres nostri oratores optimum judicabant. Id se L. Crassus in illis Ciceronis de Oratore libris dicit factitasse. Id Cicero sua ipse persona frequentissime præcipit: [1] quin etiam libros Platonis atque Xenophontis edidit hoc genere translatos. Id Messalæ placuit: multæque sunt ab eo scriptæ ad hunc modum orationes: adeo ut etiam cum illa Hyperidis [2] pro Phryne difficillima Romanis subtilitate contenderet. Et manifesta est exercitationis hujusce ratio. Nam & rerum copia Græci auctores abundant, & plurimum artis in eloquentiam intulerunt: & hos transferentibus, verbis uti optimis licet. Omnibus enim utimur nostris: figuras vero, quibus maxime ornatur oratio, multas ac varias excogitandi etiam necessitas quædam est: quia plerunque à Græcis Romana dissentiunt. [3] Sed & illa ex Latinis conversio, multum & ipsa contulerit. Ac de carminibus quidem neminem credo dubitare, quo solo genere exercitationis dicitur usus esse Sulpitius. Nam & sublimis spiritus attollere orationem potest: & verba poëtica liber- 5

1 *Quinetiam libros Platonis.*] Maxime probat Cicero versiones è Græco. itaque juvenis admodum transtulit *Arati Phænomena*, & *Oeconomicum Xenophontis*. Præterea *Platonis Timæum*, quem appellavit de *universitate*. vertit item contrarias orationes *Demosthenis* & *Æschinis*. Turneb.

2 *Pro Phryne.*] *Hyperides* enim defendit *Phrynem* accusatam impietatis: cumque videret judices parum moveri sua oratione, vestimenta descidit, & venustate corporis absolutionem expressit. *Idem.*

3 *Sed & illa.*] Prodest interdum *authorem Latinum* aliis verbis exprimere, interdum quoque *carmen Latinum* in prosam redigere, atque ita *paraphrasi* res istas explicare. *Idem.*

libertate audaciora, præsumunt eandem proprie dicendi facultatem. Sed & ipsis sententiis adjicere licet oratorium robur, & omissa supplere, & effusa substringere. [1] Neque ego παράφρασιν esse *interpretationem* tantum volo, sed circa eosdem sensus certamen atque æmulationem. [2] Ideoque ab illis dissentio, qui vertere orationes latinas vetant, quia optimis occupatis, quicquid aliter dixerimus, necesse sit esse deterius. Nam neque semper est desperandum, aliquid illis quæ dicta sunt, melius posse reperiri: neque adeo jejunam ac pauperem natura eloquentiam fecit, ut una de re bene dici nisi semel non possit. [3] Nisi forte histrionum multa circa voces easdem variare gestus potest, orandi minor vis, ut dicatur aliquid, post quod in eadem materia nihil dicendum sit. Sed esto, neque melius quod invenimus sit, neque par: est certe proximus locus. An vero ipsi non bis ac sæpius de eadem re dicimus, & quidem continuas nonnunquam sententias? Nisi forte contendere nobiscum possumus, cum aliis non possumus. Nam si uno tantum genere bene diceretur, fas erat existimari præclusam nobis à prioribus viam. Nunc vero innumerabiles sunt modi, plurimæque eodem viæ ducunt. *Sua brevitati gratia, sua copiæ, alia translatis virtus, alia propriis.* Hoc oratio recta, illud figura declinata commendat. [4] Ipsa denique utilissima est exercitationi difficultas. Quid quod auctores maximi sic diligentius cognoscuntur? Non enim scripta, lectione secura transcurrimus: sed tractamus singula & necessario introspicimus:

1 *Neque ego παράφρασιν*, &c.] Ἔκφρασις dicitur *pura & lucida enarratio*, παράφρασις autem *explicatio uberior*, ut cum auctore veluti contendere velis. at μετάφρασις pleraque mutare solet, nunc*que* efficere *grandiora*, nunc *humiliora*, nunc *prolixiora*, nunc *breviora*. Idem

2 *Ideoque ab illis.*] Obiter reprehendit Ciceronem. is enim lib. 1. de Oratore, sub persona Crassi damnat *paraphrasim* auctorum Latinorum, quia cum auctores usurpaverint optima vocabula, reliquum est ut deterioribus utamur. *Idem.*

3 *Nisi forte histrionum.*] Solebat Cic. cum Roscio contendere, pluribusne modis variare posset eandem sententiam, an ille pluribus gestis exprimere. *Idem.*

4 *Ipsa denique.*] Nam qui se exercuit in rebus *difficillimis*, proclivior erit ad *facilium* tractationem. *Idem.*

1 *Pluri-*

cimus: & quantum virtutis habeant, vel hoc ipso cognoscimus, quod imitari non possumus. Nec aliena tantum transferre, sed etiam nostra pluribus modis tractare proderit: ut ex industria sumamus sententias quasdam, easque versemus quam numerosissime, velut eadem cera aliæ atque aliæ formæ duci solent. [1] Plurimum autem parari facultatis existimo ex simpliciſſima quaque materia. Nam in illa multiplici *personarum, causarum, temporum, locorum, dictorum, factorum* diversitate facile deliteſcet infirmitas, tot se undique rebus, ex quibus aliquam apprehendas, offerentibus. Illud virtutis indicium est, fundere quæ natura contracta sunt, augere parva: varietatem similibus, voluptatem expositis *dare*, & bene dicere multa de paucis. [2] In hoc optime facient infinitæ quæstiones, quas vocari θέσεις diximus, quibus Cicero jam princeps in republica exerceri solebat. His confinis est destructio & confirmatio sententiarum. Nam cum sit sententia, decretum quoddam atque præceptum, [3] quod de re, idem de judicio rei quæri potest. Tum loci communes, quos etiam scriptos ab oratoribus scimus. Nam qui hæc recta tantum, & in nullos flexus recedentia copiose tractaverit, utique in illis plures excursus recipientibus magis abundabit, eritque in omnes causas gratus. [4] Omnes enim generalibus quæstionibus constant. Nam quid interest, *Cornelius Tribunus plebis quod codicem legerit, reus sit: an quæramus, violeturne majestas, si magistratus rogationem suam populo ipse recitaverit? Milo Clodium rectene occiderit, veniat in judicium.*

1 *Plurimum autem.*] *Simplicissimam* appellat *materiam*, quæ nullam habet varietatem, quæque circunstantiis caret, aut certe paucas habet. *Idem.*

2 *In hoc optime facient.*] Hisce de rebus egit in *progymnasmatis* lib. 2. Cic. autem jam prætorius & consularis theses declamabat. initio enim ea erat exercitatio, nondum inventis declamationibus ad similitudinem causarum forensium. *Idem.*

3 *Quod de reo, idem de judicio.*] Si hanc lectionem sequemur, duplex efficietur sententia, atque altera species erit locus communis. In aliis codicibus sic legitur, *quod de re, idem de judicio rei*: ut significet eodem modo *per se* tractari sententiam atque in *judiciis*. Idem.

4 *Omnes enim generalibus.*] Etenim omnis quæstio *finita* pendet ab *infinita*, neque in causa tam *circunstantiæ* expenduntur, quam *infinita quæstio*, ut docuit cap. 5. lib. 3. *Idem.*

judicium: an, oporteatne insidiatorem interfici vel pernicioſum reipublicæ civem, etiam ſi non inſidietur? Cato Martiam honeſtene tradiderit Hortenſio: an, conveniatne res talis bono viro? De perſonis judicatur, ſed de rebus contenditur. Declamationes vero, quales in ſcholis rhetorum dicuntur, ſi modo ſunt ad veritatem accommodatæ, & orationibus ſimiles, non tantum dum adoleſcit profectus, ſunt utiliſſimæ, quæ inventionem & diſpoſitionem pariter exercent, ſed etiam cum eſt conſummatus, ac jam in foro clarus. Alitur enim atque eniteſcit velut pabulo lætiore facundia, & aſſidua contentionum aſperitate fatigata renovatur. [1] Quapropter hiſtoriæ nonnunquam ubertas in aliqua exercendi ſtyli parte ponenda, & dialogorum libertate geſtiendum. Ne carmine quidem ludere contrarium fuerit: [2] ſicut athletæ remiſſa quibuſdam temporibus ciborum atque exercitationum certa neceſſitate, ocio [3] & jucundioribus epulis reficiuntur. Ideoque mihi videtur *M. Tullius* tantum intuliſſe eloquentiæ lumen, quod in hos quoque ſtudiorum receſſus excurrit. Nam ſi nobis ſola materia fuerit ex litibus, neceſſe eſt deteratur fulgor, [4] & dureſcat articulus, & ipſe ille mucro ingenii quotidiana pugna retundatur. Sed quemadmodum forenſibus certaminibus exercitatos, & quaſi militantes reficit ac reparat hæc velut ſagina dicendi: ſic adoleſcentes non debent nimium in falſa rerum imagine detineri, & inanibus ſimulacris: uſque adeo ut difficile ab his digreſſos ſit aſſuefacere, ne ab illa in qua prope conſenuerint umbra, [5] vera diſcrimina velut quendam ſolem reformident: quod acci-

1 *Quapropter hiſtoriæ.*] Cic. quoque *hiſtorias* ſcripſit & græce & latine: præterea multos *dialogos*: *epigrammata* autem & *poëma* ſæpenumero luſit. *Idem.*

2 *Sicut athletæ remiſſa, &c.*] And. Schottus, Obſervat. Philoſoph. lib. 5. cap. 9. pag. 216. ſupra lib. 5. cap. 10.

3 *Et jucundioribus epulis.*] Nam *athletæ* veſcebantur *pane coliphio vocato*, præterea *carne porcina & bubula.* is enim victus conducit ad robur. *Turneb. Jucundioribus epulis reficiuntur.*] Gebhard. Crepund. lib. 3. cap. 18. Ex Ms. Palat. legendum cenſet: *eduliis.*

4 *Et dureſcat articulus.*] Metaphora eſt ducta à *gladiatoribus*, qui articulorum flexu & mollitie adverſarium nunc *invadere*, nunc *declinare*, nunc *excipere* ſolent. *Turneb.*

5 *Vera diſcrimina, &c.*] Similitudo eſt ducta

accidisse etiam *Porcio Latroni*, qui primus clari nominis professor fuit, traditur: ut cum ei summam in scholis opinionem obtinenti, caussa in foro esset oranda, impense petierit, uti subsellia [1] in basilicam transferrentur. Ita illi cœlum novum fuit, ut omnis ejus eloquentia contineri tecto ac parietibus videretur. Quare juvenis qui rationem inveniendi eloquendique à præceptoribus diligenter acceperit (quod non est infiniti operis, si docere sciant) & exercitationem quoque modicam fuerit consecutus, oratorem sibi aliquem ([2] quod apud majores fieri solebat) deligat, quem sequatur, quem imitetur, judiciis interfit quamplurimis, & sit certaminis cui destinatur, frequens spectator: tum caussas vel easdem quas agi audierit, stylo & ipse componat, vel etiam alias, veras modo, & utrinque tractet: [3] Et quod in gladiatoribus fieri videmus, [4] in rebus actis exerceatur: ut feciisse Brutum diximus pro Milone. Melius hoc, quam rescribere veteribus orationibus, ut fecit Sestius contra Ciceronis actionem habitam pro eodem, cum alteram partem satis nosse non posset ex sola defensione. Citius autem sic idoneus erit juvenis, quem præceptor coëgerit in declamando quam simillimum esse veritati, & per totas ire materias: quarum nunc facillima, & maxime favorabilia decerpunt. Obstat huic quod secundo libro posui, frequens turba discipulorum, [5] & consuetudo classium certis diebus audiendarum: nonnihil etiam

est ducta à *gladiatoribus* qui in *xysto* & *palæstra* exercentur *sciamachia*, id est, *umbratili pugna*. Idem.

1 *In basilicam transferrentur.*] *Basilica* enim quæ juxta forum erat, similis erat *latronis* auditorio. quidam præterea ajunt forum *judiciale* fuisse sub dio. *Idem.*

2 *Quod apud majores.*] Hujus rei meminit *Tacitus* in *dialogo*, atque ait hanc fuisse labem eloquentiæ, quod omissa fuerit ea consuetudo. *Idem.*

3 *Quod in gladiatoribus fieri vid.*] *Gladiatores* nunc solent oppugnare, nunc defendere, ac mutantur officia, ut nunc sint *mirmillones*, nunc *retiarii*, nunc *secutores*, nunc *thraces*, itaque in quibusdam codicibus, pro, *in rebus actis*, scribitur, *retiariis*. est autem *retiarius* gladiator qui *rete* habet ad involvendum mirmillonem. *Idem.*

4 *In rebus actis.*] Vett. dd. leg. *de rectoriis*. Supra lib. 6. cap. 5. opponuntur obliquis & obtusis armis sive infectis. *Pith.*

5 *Et consuetudo classium.*] Discipuli enim in *classes* dividebantur, præceptorque diem constituebat quo *prima classis* declamaret, quo *secunda*, quo *tertia* & sic deinceps. *Turneb.*

etiam persuasio patrum, numerantium potius declamationes, quam æstimantium. Sed (quod dixi primo, ut arbitror, libro) nec ille se bonus præceptor majore numero quam sustineri possit, onerabit: & nimiam loquacitatem recidet, ut omnia quæ sunt in controversia, non (ut quidam volunt) quæ in rerum natura, dicantur: & vel longiore potius dierum spatio laxabit dicendi necessitatem, [1] vel materias dividere permittet. Una enim diligenter effecta plus proderit, quam plures inchoatæ & quasi degustatæ. Propter quod accidit, ut nec suo loco quicque ponatur: nec illa quæ prima sunt, servent suam legem: juvenibus floscu-los omnium partium in ea quæ sunt dicturi congerentibus: quo fit, ut timentes ne sequentia perdant, priora confundant.

1 *Vel materias dividere.*] Ut si proposuerit præceptor *plura themata*, unum tractet: aut si proposuerit *thema multiplex*, partes quasdam auferat. *Idem.*

Cap. VI.

De cogitatione.

6 Proxima stylo *cogitatio* est, [1] quæ & ipsa vires ab hoc accipit, & est inter scribendi laborem, extemporalemque fortunam media quædam, & nescio an usus frequentissimi. Nam scribere nec ubique nec semper possumus: cogitationi temporis ac loci plurimum est. Hæc paucis admodum horis magnas etiam causas complectitur. Hæc quoties intermissus est somnus, ipsis noctis tenebris adjuvatur. Hæc inter medios rerum actus aliquid invenit vacui, nec ocium patitur. Neque vero rerum ordinem modo (quod ipsum satis erat) intra se ipsa disponit, sed verba etiam copulat, totamque ita contexit orationem, ut ei nihil præter

Antequam orationem habeamus, *cogitatione* sepire debemus & complecti totam causam: sed *cogitatio* constat ingenii acumine & memoria, de qua dicemus lib. undecimo. *Turneb.*

1 *Quæ & ipsa vires, &c.*] Nam *cogitatio* est earum rerum quas dicturi sumus, nec tamen scripturi. ea autem oratio non est extemporalis, propter *cogitationem* diligentem quæ præcessit. *Idem.*

1 *Nam*

præter manum desit. [1] Nam memoriæ quoque plerunque inhæret fidelius, quod nulla scribendi securitate laxatur. Sed ne ad hanc quidem vim cogitandi perveniri potest aut subito, aut cito. [2] Nam primum facienda multo stylo forma est, quæ nos etiam cogitantes sequatur, tum assumendus usus paulatim, ut pauca primum complectamur animo, quæ reddi fideliter possint: mox per incrementa tam modica, ut onerari se labor ille non sentiat, augenda usu, & exercitatione multa continenda est, quæ quidem maxima ex parte memoria constat: ideoque aliqua mihi in illum locum differenda sunt. Eo tamen pervenit, ut is cui non refragetur ingenium, acri studio adjutus tantum consequatur, ut ea etiam quæ cogitarit, quæque scripserit atque edidicerit, in dicendo fidem servent. [3] Cicero certe Græcorum Metrodorum Sceptium, & Eriphylum Rhodium, nostrorumque Hortensium tradidit, quæ cogitaverant, ad verbum in agendo retulisse. Sed si forte aliquis inter dicendum effulserit extemporalis color, non superstitiose, cogitatis demum est inhærendum. Neque enim tantum habent curæ, ut non sit dandus & fortunæ locus, cum sæpe etiam scriptis ea quæ subito nata sunt, inserantur. Ideoque totum hoc exercitationis genus ita instituendum est, [4] ut & digredi ex eo, & redire in id facile possimus. Nam ut primum est domo afferre paratam dicendi copiam, & certam: ita refutare temporis munera longe stultissimum est. Quare *cogitatio* in hoc præparetur, ut nos fortuna decipere non possit, adjuvare possit. Id autem fiet memoriæ viribus, ut illa quæ complexi animo sumus, fluant secura,

1 *Nam memoriæ.*] Fidelius continere solemus quæ duntaxat cogitavimus, quam quæ scripsimus, quia scriptio animum avocat à rei cogitatione. *Idem.*

2 *Nam primum facienda.*] Assiduus stylus quandam dicendi & orandi rationem ingenerare nobis solet, quæ postea se *cogitationi* ultro offert. *Idem.*

3 *Cicero certe.*] Artem *memoriæ* invenit *Simonides*, consummavit *Metrodorus*, & quæ cogitaverat, dicere potuit. Cic. quoque in 4. Academica Hortensii *memoriam* commendat, sed tamen ait in Hortensio majorem fuisse *verborum memoriam*, in Lucullo *rerum*. Idem.

4 *Ut & digredi ex eo, & redire, &c.*] Vide Gebhard. Crepund. lib. 3. cap. 18. pag. 151.

ſecura, non ſollicitos & reſpicientes, & una ſpe ſuſpenſos recordationis, non ſinant providere: alioqui vel *extemporalem temeritatem malo, quam male cohærentem cogitationem.* Pejus enim quæritur retrorſus, quia cum illa deſideramus, ab aliis avertimur: & ex memoria potius repetimus, quam ex materia. [1] Plura ſunt autem, ſi utrunque quærendum eſt, quæ inveniri poſſunt, quam quæ inventa ſunt.

1 *Plura ſunt autem.*] Etiam ſi perdiu cogitaveris, attamen omnia invenire non poteris, quæ ſunt in *re.* quid igitur obeſt quo minus præter ea quæ cogitaverimus, aliud ex tempore inveniamus? *Turneb.*

Cap. VII.

Quemadmodum extemporalis facultas paretur & contineatur.

7 Maximus vero ſtudiorum fructus eſt, & velut præmium quoddam ampliſſimum longi laboris, *extempore dicendi facultas:* quam qui non erit conſecutus, mea quidem ſententia civilibus officiis renuntiabit, & ſolam ſcribendi facultatem potius ad alia opera convertet. Vix enim bonæ fidei viro convenit auxilium in publicum polliceri, quod in præſentiſſimis quibuſque periculis deſit: *ut indicare portum, ad quem navis accedere, niſi lenibus ventis vecta, non poſſit.* Siquidem innumerabiles accidunt ſubitæ neceſſitates, vel apud magiſtratus, vel repræſentatis judiciis continuo agendi. Quarum ſi qua non dico cuicunque innocentium civium, ſed amicorum ac propinquorum alicui evenerit, ſtabitne mutus, & ſalutarem petentibus vocem ſtatim, ſi non ſuccurratur, perituris, moras & receſſum & ſilentium quæret, dum illa verba fabricentur, & memoriæ incidant, & vox ac latus præparetur? *Quæ vero patitur hoc ratio ut quiſquam ſit orator imparatus ad caſus? Quid, cum adverſario reſpondendum erit, fiet?* Nam ſæpe ea quæ opinati ſumus,

Extemporalem facultatem prius reperit *Gorgias Leontinus*, ut auctor eſt Philoſtratus. is enim auſus eſt dicere in auditoriis, qua de re quis audire vellet. Alii ajunt à *Pericle* inventam fuiſſe, alii à *Pythone Byzantio*, alii etiam ab *Æſchine*, poſtea quam miſſus eſt in exilium. *Idem.*

1 *Neque*

mus, & contra quæ scripsimus, fallunt, ac tota subito caussa mutatur. *Atque ut gubernatori ad incursus tempestatum, sic agenti ad varietatem caussarum ratio mutanda est. Quid porro multus stylus, & assidua lectio, & longa studiorum ætas facit, si manet eadem quæ fuit incipientibus difficultas?* Periisse profecto confitendum est præteritum laborem, cui semper idem laborandum est. [1] Neque ego hoc ago, ut ex tempore dicere malit, sed ut possit. Id autem maxime hoc modo consequemur. Nota sit primum dicendi via. Neque enim prius contingere cursus potest, quam scierimus *quo sit* & *qua* perveniendum. Nec satis est non ignorare quæ sunt caussarum judicialium partes, aut quæstionum ordinem recte disponere, quanquam ista sunt præcipua: sed quid quoque loco primum sit, quid secundum ac deinceps: quæ ita sunt natura copulata, ut mutari aut intervelli sine confusione non possint. Quisquis autem via qua sit ingrediendum discet, ducetur ante omnia rerum ipsa serie, velut duce propter quod homines etiam modice exercitati, facillime tenorem in narrationibus servant. Deinde, quid quoque loco quærant, scient: nec circunspectabunt, nec offerentibus se aliunde sensibus turbabuntur: nec confundent ex diversis orationem, velut salientes huc, illuc, nec usquam insistentes. Postremo habebunt modum & finem, qui esse citra divisionem nullus potest. Expletis pro facultate omnibus quæ proposuerint, perveniisse se ad ultimum sentient. [2] Et hæc quidem *ex arte*, illa vero *ex studio*, ut copiam sermonis optimi, quemadmodum præceptum est, comparemus: multo ac fideli stylo sic formetur oratio, ut scriptorum colorem etiam quæ subito effusa sunt, reddant, ut cum multa scripserimus, etiam multa dicamus. Nam *consuetudo* & *exercitatio* facilitatem maxime parit, quæ si paululum intermissa fuerit,

1 *Neque ego hoc ago, &c.*] Attamen *Demosthenes* nunquam nisi præmeditatus accessit ad causam agendam: *Demades* vero sæpius ex tempore dixit. auctor Plutarch. *Idem.*

2 *Et hæc quidem ex arte.*] *Extemporalis facultas* paratur partim *arte*, partim *consuetudine* & *exercitatione*, & *mobili animi natura.* nam qui sunt obtusi, nunquam hanc orationem assequentur. *Idem*

1 *Sed*

fuerit, non velocitas illa modo tardatur, [1] ſed & νάρκημα ipſum coit atque concurrit. Quanquam enim opus eſt naturali quadam mobilitate animi, ut dum proxima dicimus, ſtruere ulteriora poſſimus, [2] ſemperque noſtram vocem proviſa & formata cogitatio excipiat: vix tamen aut natura, aut ratio in tam multiplex officium diducere animum queat, ut *inventioni*, *diſpoſitioni*, *elocutioni*, *ordini rerum verborumque*, tum iis quæ dicit, quæ ſubjuncturus eſt, quæ ultra ſpectanda ſunt, adhibita vocis, pronuntiationis, geſtus obſervatione, una ſufficiat. Longe enim præcedat oportet intentio, ac præ ſe res agat: quantumque dicendo conſumitur, tantum ex ultimo prorogetur: ut donec perveniamus ad finem, non minus proſpectu procedamus quam gradu, ſi non interſiſtentes offenſanteſque brevia illa atque conciſa ſingultantium modo ejecturi ſimus. [3] Eſt igitur uſus quidam irrationalis, quem Græci ἄλογον τελῶ vocant, quo manus in ſcribendo decurrit, quo oculi totos ſimul in lectione verſus flexuſque eorum & tranſitus intuentur, & ante ſequentia vident, quam priora dixerunt. Quo conſtant miracula illa [4] in ſcenis *pilariorum ac ventilatorum*, ut ea quæ emiſerint, ultro venire in manus credas, & qua jubentur decurrere. Sed hic uſus ita proderit, ſi ea de qua locuti ſumus ars anteceſſerit, ut ipſum illud quod in ſe rationem non habet, in ratione verſetur. Nam mihi ne dicere quidem videtur, niſi qui *diſpoſite*, *ornate*, *copioſe* dicit. Sed nec tumultuarii nec fortuiti ſermonis contextum mirabor unquam, quem jurgantibus etiam mulierculis ſuperfluere video: [5] quem ſi calor

1 *Sed & νάρκημα ipſum coit.*] Dan. *ſed & animus ipſe in ſe ipſum coit.* Pith.

2 *Semperque noſtram vocem prov.*] Horat. *Verbaque proviſam rem non invita ſequentur.*

3 *Eſt igitur uſus.*] *Uſus irrationalis*, eſt exercitatio quæ nihil habet in ſe artis, ſed tamen continuatione efficit majorem celeritatem: ut ſæpe ſcribendo acquiritur celeritas ſcribendi, non adbita ratione aut arte. talis exercitatio debet eſſe in extemporali oratione. *Turn.*

4 *In ſcenis pilariorum.*] *Pilarii* ſunt *præſtigiatores*, qui adhibitis *pilulis* & *ſphærulis* miracula efficiunt. At *ventilatores* ſunt, qui tanta arte *præſtigiis* utuntur, ut ea quæ in manibus habent diſpareant, & in ventum abire videantur. *Idem.*

5 *Quem ſi calor.*] Hiolocus admodum eſt ab-

lor ac spiritus tulit (frequenter enim accidit, ut successum extemporalem consequi cura non possit) Deum tunc affuisse, cum id evenisset, veteres oratores (ut Cicero dicit) ajebant. Sed ratio manifesta est. Nam bene concepti affectus & recentes rerum imagines continuo impetu feruntur, quæ nonnunquam mora styli refrigescunt, & dilatæ non revertuntur. [1] Utique vero cum infelix illa verborum cavillatio accessit, & cursus ad singula vestigia restitit, non potest ferri contorta vis, [2] sed ut optime vocum singularum cedat electio, non continua, sed composita est. Quare capiendæ sunt illæ de quibus dixi, rerum imagines, quas vocari φαντασίας indicavimus, omniaque de quibus dicturi erimus, *personæ*, *quæstiones*, *spes*, *metus*, habenda in oculis, in affectus recipienda. [3] *Pectus est enim quod disertos facit, & vis mentis.* Ideoque imperitis quoque, si modo sunt aliquo affectu concitati, verba non desunt. Tum intendendus animus, non in aliquam rem unam, sed in plures simul continuas: ut si per aliquam rectam viam mittamus oculos, simul omnia quæ sunt in ea circaque intuemur, non ultimum tantum videmus, sed usque ad ultimum. Addit ad dicendum etiam pudor stimulos, addit & dicendorum expectata laus: mirumque videri potest, quod cum stylus secreto gaudeat, atque omnes arbitros reformidet, extemporalis actio auditorum frequentia, ut miles congestu signorum excitatur. Nanque & difficiliorem cogitationem exprimit & expolit dicendi neces-

est abruptus, ut asteriſco notandus ſit: deeſſe enim aliquid videtur. eſt tamen ſenſus, nonnunquam ipſo affectu effici, ut oratio extemporalis meditatam & ſcriptam ſuperet. *Idem.*

1 *Utique vero.*] Præcipue vero refrigeratur *affectus*, cum ſtylus eſt diligentior quam deceat, ut ſingula propemodum verba expendantur. tunc enim vis rerum amittitur. *Idem.*

2 *Sed ut optime.*] Etiam ſi illi *cavillatores* verborum dictiones apte collocant, eorum tamen oratio non eſt idonea, quoniam affectus continuatione fieri debent. at oratio eorum quanquam compoſita eſt, non tamen continuatione contorquetur. *Idem.*

3 *Pectus eſt enim.*] Verba non debent in *labris* naſci, ſed ex *mente* depromi. Alluſit autem ad opinionem *Chryſippi*, qui animam poſuit in *pectore*, quemadmodum Ariſt. principia omnium ſenſuum in *corde* collocavit. *Idem. Pectus eſt enim quod diſertos facit.*] Lud. Creſollius Vacat. Autumnal. lib. 3. p. 461.

necessitas, & secundos impetus auget placendi cupido. Adeo præmium omnia spectant, ut eloquentia quoque, quanquam plurimum habeat in se voluptatis, maxime tamen præsenti fructu laudis opinionisque ducatur. [1] Nec quisquam tantum fidat ingenio, ut id sibi speret incipienti statim posse contingere: sed sicut in cogitatione præcepimus, ita facilitatem quoque extemporalem à parvis initiis paulatim perducemus ad summam: quæ neque perfici neque contineri nisi usu potest. Cæterum pervenire eo debet, ut cogitatio non utique melior sit ea, sed tutior, cum hanc [2] felicitatem, non in prosa modo multi sint consecuti, sed etiam in carmine, ut *Antipater Sidonius*, & *Licinius Archias*. Credendum enim Ciceroni est: non quia nostris quoque temporibus non & fecerint quidam hoc & faciant, quod tamen ipsum non tam probabile puto (neque enim habet aut usum res, aut necessitatem) quam exhortandis in hanc spem, qui foro præparantur, utile exemplum. Neque vero tantam esse unquam fiduciam facilitatis velim, ut non breve saltem tempus, quod nusquam fere deerit, ad ea quæ dicturi sumus, dispicienda sumamus, quod quidem in judiciis ac foro datur semper. Neque enim quisquam est, qui causam quam non didicerit, agat. [3] Declamatores quosdam perversa ducit ambitio, ut exposita controversia protinus dicere velint: quin etiam, quod est in primis frivolum ac scenicum, verbum petant quo incipiant. Sed tam contumelioso in se ridet invicem eloquentia: & qui stultis videri eruditi volunt, stulti eruditis videntur. Si qua tamen fortuna tam subitam fecerit agendi necessitatem, mobiliore quodam opus erit inge-

1 *Nec quisquam.*] *Exercitatione* est eousque provehenda *facultas extemporalis*, ut *cogitata* oratio non sit melior aut præstantior *extemporali*, sed sit longe securior, quia cogitandi spatium solet omnia efficere firmiora. *Turneb.*

2 *Fœlicitatem.*] *Antipater Sidonius* (ut scribit Cic. lib. 3. de Orat.) multa exercitatione fecerat ut versus hexametros & cujuscunque alterius generis *ex tempore* funderet. idem scribit de *Archia*, in oratione pro eodem. *Idem.*

3 *Declamatores quosdam.*] Philostratus ait *sophistas* cum ex tempore dicere solebant, tamen aliquantum spatii semper sumpsisse ad cogitandum, extra unum *Gorgiam*, quem imitabantur Fabii tempore *declamatores*. Idem.

1 *Tum*

ingenio, & vis omnis intendenda rebus, & in præsentia remittendum aliquid ex cura verborum, si utrunque non dabitur. [1] Tum & tardior pronuntiatio moras habet, & suspensa ac velut dubitans oratio, ut tamen deliberare, non hæsitare videamur. [2] Hoc, dum egredimur è portu, si nos nondum aptatis satis armamentis aget ventus: deinde paulatim simul euntes aptabimus vela, & disponemus rudentes & impleri sinus optabimus. Id potius, quam se inani verborum torrenti dare quasi tempestatibus, quo volent, auferendum. Sed minore studio continetur hæc facultas, quam paratur. Ars enim semel præcepta, non capitur. Stylus quoque intermissione paulum admodum de celeritate deperdit, promptum hoc, & in expedito positum, exercitatione sola continetur. Hac uti sic optimum est, ut quotidie dicamus audientibus pluribus, maxime de quorum simus judicio ac opinione soliciti: rarum est enim ut satis se quisquam vereatur. Vel soli tamen dicamus potius, quam non omnino dicamus. [3] Est illa exercitatio cogitandi, totasque materias vel silentio (dum tamen quasi dicat intra seipsum) persequendi, quæ nullo non & tempore & loco, quando non aliud agimus, explicari potest: & est in parte utilior, quam hæc proxima. Diligentius enim componitur quam illa, in qua contextum dicendi intermittere veremur. Rursus illa prior plus confert, vocis firmitatem, oris facilitatem, motum corporis, qui & ipse, ut dixi, excitat oratorem, & [4] jactatione manus, pedis supplosione, [5] sicut cauda leones facere dicun-

1 *Tum & tardior.*] Attamen ne tum quidem deerit *cogitatio*: nam cum mora quadam in exordio loquemur, ac fingemus nos dubitare, ut interim cogitare possimus quid sit utile causæ. *Idem.*

2 *Hoc, dum egredimur.*] Venusta est *allegoria*, qua significat initio ita esse dubitandum ac tarde loquendum, ut interea aliquid inveniamus. Etenim cum firmamenta causæ invenerimus, celerior erit nostra oratio. *Idem.*

3 *Est illa exercitatio.*] Alia quoque est *exercitatio extemporalis orationis*, quando cogitabundi materiam aliquam nobis proponimus, quam & persequimur non loquentes. illa etenim *cogitatio* æquiparat pene dictionem. *Idem.*

4 *Jactatione manus.*] Lud. Cresollius Vacat. Autumnal. l. 2. p. 338. 375.

5 *Sicut cauda leones.*] Arist. & ex Aristotele Plinius ajunt *leonem* se ad pugnam excitare cum verberatione caudæ, qua flagellat latera sua. sic enim iram concipit. *Turneb.*

dicuntur, hortatur. *Studendum vero semper, & ubique.* Neque enim fere tam est ulllus dies occupatus, ut nihil lucrativæ, ut Cicero Brutum facere tradit, operæ ad scribendum aut dicendum rapi aliquo momento temporis possit. Siquidem [1] C. Carbo etiam in tabernaculo solebat hac uti exercitatione dicendi. Ne id quidem tacendum est, quod eidem Ciceroni placet, nullum nostrum usquam negligentem esse sermonem, quicquid loquemur, ubicunque sit pro sua scilicet portione perfectum. Scribendum certe nunquam est magis, quam cum multa dicemus ex tempore. Ita enim servabitur pondus, & innatans illa verborum facilitas in altum reducetur, sicut rustici proximas vitis radices amputant, quæ illam in summum solum ducant, ut inferiores penitus descendendo firmentur. Ac nescio an utrunque cum cura & studio fecerimus, invicem prosit, ut scribendo dicamus diligentius, dicendo scribamus facilius. Scribendum ergo, quoties licebit: si id non dabitur, cogitandum: ab utroque excluſi, debent tamen [2] adniti, ut neque deprehensus orator, neque litigator destitutus esse videatur. [3] Plerunque autem multa agentibus accidit, ut maxime necessaria, & utique initia scribant, cætera quæ domo afferunt, cogitatione complectantur, subitis ex tempore occurrant. [4] Quod feciſſe M. Tullium commentariis ipsius apparet. Sed feruntur aliorum quoque & inventi forte ut eos dicturus quisque composuerat, & in libros digesti: ut causarum quæ sunt actæ à Servio Sulpitio, cujus tres orationes extant. Sed hi, de quibus loquor, commentarii ita sunt exacti, ut ab ipso mihi in memoriam posteritatis esse videantur compositi.

1 *C. Carbo.*] *Cajus Carbo*, qui secutus est partes Marianas adversus *Syllam*, in suo tentorio exercere solebat *eloquentiam.* Sic Brutus ea nocte quæ præcessit prælium Pharsalicum, scribebat in tentorio epitomen *Polybii. Idem.*

2 *Adniti.*] *Unice adniti.* Pith.

3 *Plerunque autem.*] Sic hoc tempore extant procœmia Demosthenis *judicialis generis* & *suasorii*, quæ sibi comparaverat ille, & in commentarios redegerat. *Turneb.*

4 *Quod feciſſe M. Tullium, &c.*] *Commentarii*, libri sunt qui summas rerum complectuntur: illi conficiebantur ab oratoribus ad *causæ dispositionem* & *memoriam.* Idem.

positi. Nam Ciceronis ad præsens modo tempus aptatos libertus Tyro contraxit: quos non ideo excuso, quia non probem, sed ut sint magis admirabiles. [1] In hoc genere prorsus recipio hanc brevem annotationem, libellosque qui vel manu teneantur, & ad quos interim respicere fas sit. Illud quod Lenas præcipit, displicet mihi, quæ scripserimus, in summas sive commentarios & capita conferre. facit enim & discendi negligentiam hæc ipsa fiducia, & lacerat ac deformat orationem. Ego autem ne scribendum quidem puto, quod simus memoria persecuturi. Nam hîc quoque accidit ut revocet nos cogitatio ad illa elaborata, nec sinat præsentem fortunam experiri. Sic anceps inter utrunque animus æstuat, cum & scripta perdidit, & non quærit nova. Sed de memoria destinatus est libro proximo locus, nec huic parti subjungendus, quia sunt alia prius nobis dicenda.

1 *In hoc genere.*] Sunt quidam libelli minores *commentariis*, qui capita causæ breviter complectuntur: eos in manu ad memoriam tenere solebant oratores, unde *enchiridia* appellantur: vulgo *memorias* & *brevia* appellamus. *Idem.*

M. Fab. Quintiliani de Institutione Oratoria Liber Undecimus.

Cap. I.

Præfatio, & de apte dicendo.

1 Parata, sicut superiori libro continetur, *facultate scribendi, cogitandique, & ex tempore etiam, cum res poscet, orandi*, proxima est cura, ut dicamus apte: quam virtutem quartam *elocutionis* Cicero demonstrat, quæque meo quidem judicio maxime necessaria est. Nam cum sit ornatus orationis varius & multiplex, conveniatque alius alii: nisi fuerit accommodatus rebus atque personis, non modo non illustrabit eam, sed etiam destruet, & vim rerum in contrarium vertet. Quid enim prodest esse verba & Latina, & significantia, & nitida, figuris etiam numerisque elaborata, nisi cum iis in quæ judicem duci formarique volumus, consentiant? Si genus sublime dicendi *parvis* in caussis, parvum limatumque *grandibus*, lætum *tristibus*, lene *asperis*, minax *supplicibus*, summissum *concitatis*, trux atque violentum *jucundis* adhibeamus? Ut monilibus, & margaritis, ac veste longa, quæ sunt ornamenta fœminarum deformentur viri, [1] nec habitus triumphalis, quo nihil excogitari potest augustius, fœminas deceat.

Hunc

De *verbis latinis* dictum est libro primo, de *perspicuis* & *ornatis* libro octavo, nono, decimo: reliqua pars est, dicere *apte* & *commodate*, quod est orationem rebus & personis convenientem habere. Atque huic parti subjicitur *decorum*, de quo multa à philosophis & oratoribus scribuntur. attamen *apte* dicere nonnulli subjiciunt *ornatui*, ut docuit Fabius libro primo, qui tamen separavit libro octavo. *Turnebus.*

1 *Nec habitus triumphalis.*] Mulieres habent *instita* & *stolas longas*, quæ sunt *talares*: at triumphantes utuntur *trabea veste picta*, & *toga palmata*. Idem.

1 *Hunt*

[1] Hunc locum Cicero breviter in tertio *de oratore libro* perstringit: neque tamen videri potest quicquam omisisse, dicendo, *non omni caussæ*, nec *auditori*, nec *personæ*, nec *tempori* congruere orationis unum genus. Nec fere pluribus in oratore eadem. Sed illic L. Crassus, cum apud summos oratores, hominesque eruditissimos dicat, satis habet partem hanc velut notare inter agnoscentes. Et hîc Cicero alloquens Brutum testatur esse hæc ei nota, ideoque brevius à se dici, quanquam sit fusus locus, [2] tracteturque à philosophis latius. Nos institutionem professi, non solum scientibus ista, sed etiam discentibus tradimus: ideoque paulo pluribus verbis debet haberi venia. Quare notum sit nobis ante omnia, quid *conciliando*, *docendo*, *movendo* judici conveniat: quid quaque parte orationis petamus. [3] Ita neque vetera, aut translata aut ficta verba in *incipiendo*, *narrando*, *argumentando* tractabimus, neque decurrentis contexto nitore circuitus, ubi dividenda erit caussa, & in partes suas digerenda, *neque humile* atque *quotidianum* sermonis genus, & compositione ipsa *dissolutum*, epilogis dabimus, nec jocis *lacrymas*, ubi opus erit miseratione, siccabimus. [4] Nam ornatus omnis non tam sua quam rei cui adhibetur, conditione constat: nec plus refert, quid dicas, quam quo loco. Sed totum hoc apte dicere, non *elocutionis* tantum genere constat, [5] sed est cum *inventione* commune. Nam si tantum habent

1 *Hunc locum Cic.*] Excusat *Ciceronem* Fabius, qui breviter hanc partem tractaverit. scribebat enim ad doctos & peritos: itaque opus erat *admonitione*, quam *præceptione*. Fab. autem instituit *discentes* & *rudes*. Idem.

2 *Tracteturque à philosophis latius.*] Hoc ideo ait, quia huic parti subjicitur *decorum*, de quo philosophi in Officiis tractare solent copiosissime. *Idem.*

3 *Ita neque vetera.*] Quando judicem nobis conciliamus, aut docemus, ut in narratione & argumentatione, veteribus verbis audacter translatis aut fictis est supersedendum. Hæc autem locum habent in *amplificationibus* & *locis communibus*: in *epilogis* etiam apte usurpantur. *Idem.*

4 *Nam ornatus omnis.*] *Ornatus* non tam expenditur ex *se* quam ex *relatione*, itaque numerosa compositio quæ videtur ex se ornata, in tenui dicendi genere inornata est, quia non est apta. *Idem.*

5 *Sed est cum invent.*] Ut si in caussa tenui utaris gravissimo loco communi, de majestate populi Romani, aut res afferas grandiores quam postulet caussa. *Idem.*

bent etiam verba momentum, quanto res ipsæ majus? Quarum quæ esset observatio, suis locis subinde subjecimus. Illud est diligentius docendum, eum demum dicere apte, qui non solum *quid expediat*, [1] sed etiam *quid deceat*, inspexerit. Nec me fugit plerunque hæc esse conjuncta. Nam quod decet, fere prodest: neque alio magis animi judicum conciliari, aut si res in contrarium tulit, alienari solent. Aliquando tamen & hæc dissentiunt. Quoties autem pugnabunt, ipsam utilitatem vincet quod decet. Nam quis nescit nihil magis profuturum ad absolutionem Socrati fuisse, quam si esset usus illo judiciali genere defensionis, & oratione summissa conciliasset judicum animos sibi, crimenque ipsum solicite redarguisset? Verum id cum minime decebat: ideoque sic egit, [2] ut qui pœnam suam honoribus summis esset æstimaturus. Maluit enim vir sapientissimus, quod supereresset ex vita, sibi perire, quam quod præteriisset. Et quando ab hominibus sui temporis parum intelligebatur, posterorum se judiciis reservavit, brevi detrimento jam ultimæ senectutis, ævum seculorum omnium consecutus. Itaque quanvis Lysias, qui tum in dicendo præstantissimus habebatur, defensionem illi scriptam attulisset, [3] uti ea noluit: cum bonam quidem, sed parum sibi convenientem judicasset. Quo vel solo patet, non persuadendi, sed bene dicendi finem in oratore servandum, cum interim persuadere deforme sit. Non fuit hoc utile absolutioni: sed (quod est majus) homini fuit. [4] Et nos secundum communem potius

1 *Sed etiam quid decet.*] Hoc tamen *decorum* proprie non intelligitur de *philosophico*, quanquam de eo quoque, sed potius de *decoro poëtico*. id autem est, cum accommodatur oratio rebus & personis. *Idem.*

2 *Ut qui pœnam suam.*] Nam, ut ait Cic. sic causam egit *Socrates*, ut non simplex aut reus, sed magister & dominus judicum videretur. quinetiam dixit se meruisse ut publice in Prytaneo aleretur. *Idem.*

3 *Uti ea noluit.*] Sic enim Socrates respondit Lysiæ, *Quemadmodum si calceos Sicyonios mihi afferres, quia muliebres essent, illis non uterer*: sic oratione tua non utar, quia parum decora mihi foret. *Idem.*

4 *Et nos secundum communem.*] Nam secundum Stoicos, cum *omne decorum sit honestum, omneque honestum utile, omne decorum est utile.* hoc autem de *decoro philosophico* est intelligendum. *Idem.*

1 *Prior*

tius loquendi consuetudinem, quam ipsam veritatis regulam, divisione hac utimur, *ut ab eo quod deceat, utilitatem separemus.* Nisi forte [1] prior ille Africanus qui patria cedere, quam cum tribuno plebis humillimo contendere de innocentia sua maluit, inutiliter sibi videtur consuluisse. Aut P. Rutilius vel quum illo pene Socratico genere defensionis est usus, vel quum revocante eum P. Sylla manere in exilio maluit, quid sibi maxime conduceret, nesciebat. [2] Hi vero parva illa, quæ abjectissimus quisque animus utilia credit, si cum virtute conferantur, despicienda judicaverunt: ideoque perpetua seculorum admiratione celebrantur. Neque nos simus tam humiles, ut quæ laudamus, inutilia credamus. Sed hoc qualecunque discrimen raro admodum evenit. Cæterum idem fere (ut dixi) in omni genere caussarum & proderit, & decebit. [3] Est autem quod omnes & semper & ubique suadere ac dicere honeste facereque deceat, contraque neminem ullo unquam in loco turpiter. Minora vero, quæque sunt ex mediis plura sunt talia, ut aliis sint concedenda, aliis non sint, aut *pro persona, tempore, loco, caussa* magis ac minus vel excusanda debeant videri, vel reprehendenda. Cum dicamus autem de rebus aut alienis, aut nostris, dividenda ratio est eorum, dum sciamus pleraque neutro loco convenire. In primis igitur *omnis sui vitiosa jactatio est*, eloquentiæ tamen in oratore præcipue: affertque audientibus non fastidium modo, sed plerunque etiam odium. [4] Habet enim mens nostra natura sublime quid-

1 *Prior ille Africanus.*] *Scipio Africanus* à Petilio Aleo Tribun. pleb. vel (ut alii dicunt) à Nævio in jus est vocatus, atque accusatus quod pecunia victo Antiocho parta populum Romanum fraudasset. quamobrem *Linternum* secessit, ubi periit. *Idem.*

2 *Hi vero parva illa.*] Optimi illi viri non separarunt *decorum* ab *utili:* & vulgarem utilitatem, quæ à virtute abest, contempserunt. *Idem.*

3 *Est autem quod omnes.*] Quæ cum *recto* atque *virtute* conjuncta sunt, illa semper sunt *decora*, & *contraria indecora:* at quæ pendent ex mediis officiis aut rebus indifferentibus, pro ratione circunstantiæ nunc sunt *decora*, nunc *indecora:* ut verba Thersitæ adversus Agamemnonem ridentur, eadem si dicerentur à Diomede, non ridentur. ita persona *decorum* facit & *indecorum.* Idem.

4 *Habet enim mens nostra.*] Cum quispiam se commendat & extollit, id ita auditor accipit, quasi id dictum sit in

quiddam & erectum, & impatiens superioris. Ideoque abjectos, aut summittentes se, libenter allevamus, quia hoc facere tanquam majores videmur: & quoties discessit æmulatio, succedit humanitas. At qui se supra modum extollit, premere ac despicere creditur, nec tam se majorem, quam minores cæteros facere. Inde invident humiliores. Hoc vitium est eorum, qui nec cedere volunt, nec possunt contendere: rident *superiores*, improbant *bonos*. Plerunque vero deprehendas arrogantium fallacem de se opinionem: sed in his veri quoque sufficit conscientia. [1] Reprehensus est in hac parte non mediocriter Cicero, quanquam is quidem rerum à se gestarum major, quam eloquentiæ fuit in orationibus utique jactator. At plerunque illud quoque non sine aliqua ratione fecit. Aut enim tuebatur eos quibus erat usus adjutoribus in opprimenda conjuratione, aut respondebat invidiæ: cui tamen non fuit par, servatæ patriæ pœnam passus exilium: ut illorum quæ egerat in consulatu frequens commemoratio, possit videri non gloriæ magis quam defensioni data. Eloquentiam quidem cum plenissimam diversæ partis advocatis concederet, sibi nunquam in agendo immodice arrogavit. Illius sunt enim, *Siquid est in me ingenii, judices, quod sentio quam sit exiguum.* &, *Nam quo minus ingenio possum, subsidium mihi diligentia comparavi.* Quinetiam contra Q. Cæcilium de accusatore in Verrem constituendo, quamvis multum esset in hoc quoque momenti, uter ad agendum magis idoneus veniret, *dicendi tamen facultatem magis illi detraxit, quam arrogavit sibi: seque non consequutum, sed omnia feciſſe ut posset eam consequi*, dixit. In epistolis aliquando familiariter apud amicos, nonnunquam in dialogis, aliena tamen persona, verum de eloquentia sua dicit.

sui contemptum, atque ægerrime fert superiorem esse oratorem, ac vere sui *commendatio* est alterius *depressio*. Idem.

1 *Reprehensus est in hac.*] Plutar. etiam in comparatione Demosthenis & Ciceronis, Ciceronem vituperat præsertim hoc nomine, *quod nimius sit jactator:* à quo vitio procul sane abest Demosthenes. Ciceronem tamen Fabius excusat. *Idem.*

1 Et

dicit. [1] Et aperte tamen gloriari, nescio an sit magis tolerabile vel ipsa vitii hujus simplicitate, quam illa jactatione perversa, si abundans opibus *pauperem* se neget, nobilis *obscurum*, & potens *infirmum*, quam si se disertus *imperitum* plane & infantem vocet. Ambitiosissimum gloriandi genus est etiam *deridere*. Ab aliis ergo laudemur. Nam ipsos, ut Demosthenes ait, *erubescere, etiam cum ab aliis laudabimur, decet*. Neque hoc dico, non aliquando de rebus à se gestis oratori esse dicendum, sicut eidem Demostheni pro Ctesiphonte: quod tamen ita emendavit, ut necessitatem id faciendi ostenderet, invidiamque omnem in eum regereret, [2] qui hoc se coëgisset. Et M. Tullius sæpe dicit de oppressa conjuratione Catilinæ, sed *modo id virtuti senatus, modo providentiæ deorum immortalium assignat*. Plerunque contra inimicos atque obtrectatores plus vendicat sibi. [3] Erant enim tuenda cum objicerentur. In carminibus utinam pepercisset, quæ non desierunt carpere maligni,

[4] *Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.* &,

O fortunatam natam me consule Romam.

Et, *Jovem* illum, à quo in concilium deorum advocatur. &, *Minervam*, quæ omnes eum artes edocuit: quæ sibi ille, secutus quædam Græcorum exempla, permiserat. Verum eloquentiæ ut indecora jactatio, sic nonnunquam concedenda fiducia est. Nam quis reprehendat hæc, *Quid putem? contemptumne me? Non video nec in vita, nec in gratia, nec in rebus gestis, nec in hac mea mediocritate ingenii, quid despicere possit*

1 *Et aperte tamen.*] Nonnulli dissimulatione quadam se laudant, quæ res multo est intolerabilior, propter *hypocrisim*, quam *aperta sui laudatio*. Idem.

2 *Qui hoc se coëgisset.*] Nam accusaverat Ctesiphontem Æschines, quod Demosthenem coronasset, virum probum. Ita Demostheni Ctesiphontis defensori dicendum fuit de rebus quas gessisset, ut innocentiam suam ostenderet. *Idem.*

3 *Erant enim tuenda quum objicerentur.*] Nam objiciebatur *Ciceroni* quod contra legem Porciam de *conjuratis* ultimum supplicium sumpsisset: qua de causa missus quoque est in exilium. *Idem.*

4 *Cedant arma togæ.*] Cic. carmine scripserat tres libros de temporibus suis, ut scribit in epistola quadam ad Lentulum. solebat quoque gloriari, & appellare diem oppressæ conjurationis, *natalem Urbis*. Idem.

posſit Antonius. Et paulo poſt apertius: *An decertare mecum voluit contentione dicendi? Hoc quidem beneficium eſt. Quid enim plenius, quid uberius, quam mihi pro me, & contra Antonium dicere?* Arrogantes & illi, qui ſe judicaſſe de cauſſa, nec aliter affuturos fuiſſe proponunt. Nam & inviti judices audiunt præſumentem partes ſuas: nec hoc oratori contingere inter adverſarios, quod Pythagoræ inter diſcipulos contigit, poteſt, *Ipſe dixit.* Sed iſtud magis minuſve vitioſum eſt pro perſonis dicentium. Defenditur enim aliquatenus *ætate, dignitate, auctoritate*: quæ tamen vix in ullo tanta fuerint, ut non hoc affirmationis genus temperandum ſit aliqua moderatione, ſicut omnia in quibus patronus argumentum ex ſeipſo petet. Quod fuiſſe tumidius, ſi criminis loco eſſe negaſſet Cicero, [1] *Equitis Romani eſſe filium ſe defendente.* At ille fecit hoc etiam favorabile, conjungendo cum judicibus dignitatem ſuam. *Equitis* autem *Romani eſſe filium*, criminis loco poni ab accuſatoribus, neque his judicantibus oportuit, neque defendentibus nobis. *Impudens*, tumultuoſa, iracunda *actio, omnibus indecora*: ſed ut quiſque *ætate, dignitate, uſu* præcedit, magis in ea reprehendendus. Videas autem rixatores quoſdam neque judicum reverentia, neque agendi more ac modo contineri. Ex quo ipſo mentis habitu manifeſtum ſit tam in ſuſcipiendis quam in agendis cauſſis nihil penſi habere. Profert enim mores plerunque *oratio*, & animi ſecreta detegit. [2] Nec ſine cauſſa Græci prodiderunt, *Ut vivat quemque etiam dicere.* Humiliora illa vitia, ſummiſſa adulatio, affectata ſcurrilitas, in rebus ac verbis parum modeſtis ac pudicis vilis pudor, in omni negotio neglecta auctoritas: quæ fere accidunt iis qui nimium aut blandi eſſe, aut ridiculi volunt. [3] Ipſum etiam eloquentiæ genus alios

1 *Equitis Rom. eſſe filium.*] Nam *Cic.* (ut ſcribit Eutropius) natus eſt *Arpini*, matre *Helvia*, & patre *Equite*, ex regio Voſcorum genere oriundo. *Idem.*

2 *Nec ſine cauſa Græci.*] Proverbium eſt apud Græcos, *Qualis vita, talis oratio*: quo nimirum ſignificant, ab homine *probo* parem quoque proficiſci orationem, ab *improbo* improbam. *Idem.*

3 *Ipſum etiam eloq.*] Oratio ætati eſt aptanda: *ſenes* autem remiſſi ſunt: quocirca eorum oratio debet eſſe tranquillior.

alios aliud decet. Nam neque tam plenum & erectum & audax, & præcultum senibus convenerit, quam pressum & mite, & limatum, & quale intelligi vult Cicero, cum dicit *orationem suam cœpisse canescere:* sicut vestibus quoque non purpura coccoque fulgentibus illa ætas satis apta sit. In juvenibus etiam uberiora paulo, & pene periclitantia feruntur. At in iisdem siccum & solicitum & contractum dicendi propositum, plerunque affectatione ipsa severitatis invisum est: quando etiam morum senilis auctoritas, immatura in adolescentibus creditur. [1] Simpliciora militares decent. [2] Philosophiam ex professo (ut quidam faciunt) ostentantibus, parum decori sunt plerique orationis ornatus, maximeque ex affectibus, quos illi vitia dicunt. Verba quoque exquisitiora, & compositio numerosa tali proposito diversa. Non enim solum illa lætiora, qualia à Cicerone dicuntur, *Saxa atque solitudines voci respondent:* sed etiam illa, quanquam plena sanguinis, *Vos enim jam Albani tumuli atque luci, vos inquam, imploro atque testor, vosque Albanorum obrutæ aræ, sacrorum populi Romani sociæ & æquales:* non conveniant barbæ illi atque tristitiæ. At vir civilis, vereque sapiens, qui se non ociosis disputationibus, sed administrationi reipublicæ dederit (à qua longissime isti qui philosophi vocantur, recesserunt) omnia quæ ad efficiendum oratione quod proposuerit, valent, libenter adhibebit: cum prius quod honestum sit, efficere in animo suo constituerit. *Et quod principes deceat, aliis non concesseris.* Imperatorum ac triumphalium separata est aliqua ex parte ratio eloquentiæ: sicut Pompejus abunde disertus rerum suarum narrator: & hic qui

lior. *juvenes* autem sunt fervidi: sit igitur eorum oratio exultantior atque fervidior. *Idem.*

1 *Simpliciora.*] Nunc ab aliis personæ conditionibus petitur *decorum orationis*, ac in homine militari *simplex* esse debet & *fortis* oratio, nec admodum compta. hinc declarabitur locus Tranquilli, qui *Cæsarem ait fuisse eloquentia militari.* Idem.

2 *Philosophiam ex professo.*] Oratores qui *philosophiam* sectantur, qualis fuit *Cato* & *Rutilius*, affectibus uti non debent, nec item *prosopopœia* aut *apostrophe.* numerosas etiam *periodos* non captabunt. *Idem.*

qui bello civili se interfecit, Cato, eloquens senator fuit: [1] Idem dictum, sæpe in alio liberum, in alio furiosum, in alio superbum est. Verba adversus Agamemnonem à Thersite habita ridentur: da illa Diomedi, aliive cui pari, magnum animum ferre præ se videbuntur. *Ego te consulem putem, inquit L. Crassus Philippo, cum tu me non putes senatorem?* Vox honestissimæ libertatis, non tamen ferres quemcunque dicentem. [2] Negat se magni facere aliquis poëtarum, *utrum Cæsar ater an albus homo* sit: insania. verte, ut idem Cæsar de illo dixerit, *arrogantia* est. Major in personis observatio est apud comicos tragicosque. Multis enim utuntur, & variis. Eadem & eorum qui orationes aliis scribebant, fuit ratio, & declamantium est. Non enim semper ut advocati, sed plerunque ut litigatores dicimus. Verum etiam in iis caussis quibus advocamur, eadem differentia diligenter est custodienda. Utimur enim fictione personarum, & velut ore alieno loquimur: dandique sunt iis quibus vocem accommodamus, sui mores. Aliter enim *P. Clodius*, aliter *Appius Cæcus*, aliter *Cæcilianus* ille, aliter *Terentianus* pater fingitur. *Quid asperius lictore Verris? Ut adeas, tantum dabis? Quid fortius illo?* Cujus inter ipsa verberum supplicia una vox audiebatur, [3] *Civis Romanus sum.* Quam dignæ Milonis in peroratione ipsa voces eo viro, qui pro republica seditiosum civem toties compescuisset, quique insidias virtute superasset? Denique non modo quot in caussa, totidem in prosopopœia sunt varietates: sed hoc etiam plures, quod in his puerorum, fœminarum, populorum, mutarum etiam rerum assimulamus affectus, quibus omnibus debetur

1 *Idem dictum.*] Thersites lib. 2. Iliados objurgat *Agamemnonem* quod injuria affecerit Achillem, suadetque Græcis ut mittant *Agamemnonem*, & in patriam revertantur. *Idem.*

2 *Negat se magni facere.*] Significat *Catullum*, qui sic in Cæsarem scripsit,

Nil nimium Cæsar studeo tibi velle placere,
Nec scire utrum sis albus an ater homo.

qui proverbialiter significavit, se non magni facere *probus* esset *Cæsar* an *improbus*. Idem.

3 *Civis Romanus sum.*] Idcirco miser ille hanc vocem geminabat, quia lex Porcia vetabat *ne civis Romanus virgis cæderetur, aut fecuri percuteretur.* Idem.

1 *Eadem*

tur ſuus decor. [1] Eadem in iis pro quibus agemus, obſervanda ſunt. Aliter enim pro alio ſæpe dicendum eſt, ut quiſque *honeſtus*, *humilis*, *invidioſus*, *favorabilis erit*, adjecta propoſitorum quoque & anteactæ vitæ differentia. Jucundiſſima vero in oratore *humanitas*, *facilitas*, *moderatio*, *benevolentia*. Sed illa quoque diverſa bonum virum decent, malos odiſſe, publica vice commoveri, ultum ire ſcelera & injurias: & omnia, ut initio dixi, honeſta. Nec tantum *quis* & *pro quo*, ſed etiam *apud quem* dicas, intereſt. *Facit enim & fortuna diſcrimen & poteſtas:* nec eadem apud principem, magiſtratum, ſenatorem, [2] privatum tantum liberum, ratio eſt: nec eodem ſono publica judicia, & arbitrorum diſceptationes aguntur. Nam ut orantem pro capite ſolicitudo deceat & cura, & omnes ad amplificandam orationem quaſi machinæ: ita in parvis rebus judiciiſque vana ſint eadem, rideaturque merito qui apud diſceptatorem de re leviſſima [3] ſedens dicturus, utatur illa Ciceronis confeſſione, *non modo ſe animo commoveri, ſed etiam corpore ipſo perhorreſcere*. Quis vero neſciat quin aliud dicendi genus poſcat gravitas ſenatoria, aliud aura popularis? cum etiam ſingulis judicantibus, non idem apud graves viros, quod leviores: non idem apud eruditum, quod militarem, ac ruſticum deceat: ſitque nonnunquam ſummittenda & contrahenda oratio: ne judex eam vel intelligere vel capere non poſſit. Tempus quoque ac locus egent obſervatione propria. Nam & tempus tum lætum, tum triſte, [4] tum liberum, tum anguſtum eſt.

1 *Eadem in iis.*] *Decorum* à perſona tripliciter petitur, *à perſona dicentis*, *à perſona pro qua dicit*, & *ad quam dicit*. Idem.

2 *Privatum tantum liberum.*] Ut recuperatores *privati* judicabant, neque tamen judicium eorum liberum eſt, ſed legibus aſtrictum. quocirca videtur intelligere eos arbitros, qui ex bona fide judicant, non legis rigore. *Idem.*

3 *Sedens dicturus.*] Orator in publicis judiciis *ſtans* dicebat. Unde apud Cic. legitur, *ſurrexi ad dicendum*. At in privatis, ut apud arbitros *ſedens* dicebat. *Idem.*

4 *Tum liberum, tum anguſtum eſt.*] Interdum oratoribus *libera* dicendi tempora permittebantur, ut quot horis vellent, cauſam perorarent: nonnunquam illis dabantur *clepſydræ*, quibus tempus dicendi præfiniebatur: auctor Plinius lib. 6. epiſt. Cic. quoque conqueritur ſibi duntaxat datam eſſe ſemihoram ad perorandam cauſam Rabirii. *Idem.*

est. Atque ad hæc omnia componendus orator. Et loco publico, privatone; celebri, an secreto, aliena civitate an tua, in castris denique an foro dicas, interest plurimum: ac suam quicque formam, & proprium quendam modum eloquentiæ poscit: cum etiam in cæteris actibus vitæ non idem *in foro*, *curia*, *campo*, *theatro*, *domi*, facere conveniat: & pleraque quæ natura non sunt reprehendenda, atque ideo interim sunt necessaria, alibi quam mos permiserit, turpia habeantur. [1] illud jam diximus, quanto plus nitoris & cultus demonstrativæ materiæ, ut ad delectationem audientium compositæ, quam quæ sunt in actu & contentione, suasoriæ judicialesque permittant. Hoc adhuc adjiciendum, aliquas etiam quæ sunt egregiæ dicendi virtutes, quo minus deceant, effici conditione causarum. An quisquam tulerit reum in discrimine capitis, præcipue qui apud victorem & principem pro se ipse dicat, frequenti translatione, fictis ac repetitis ex vetustate verbis: compositione quæ sit maxime à vulgari usu remota, decurrentibus periodis, quam lætissimis locis sententiisque dicentem? Non perdant hæc omnia necessarium periclitanti solicitudinis colorem, petendumque etiam innocentibus misericordiæ auxilium? Commoveaturne quisquam ejus fortuna, quem tumidum, ac sui jactantem, & ambitiosum institorem eloquentiæ in ancipiti sorte videat? Non, imo oderit reum verba aucupantem, & anxium de fama ingenii, & cui esse diserto vacet. Quod mire Cælius in defensione causæ qua reus de vi fuit, comprehendisse mihi videtur, Ne cui vestrum, atque etiam omnium qui ad rem agendam adsunt, mens aut vultus molestior, aut vox immoderatior aliqua, aut denique, quod nimium est, jactantior, gestus fuisse videatur. [2] Atqui sunt quæ-

1 *Illud jam diximus.*] Est etiam *decorum* petendum à genere *causæ* & *materiæ:* sed hac de re satis est locutus in cap. de *ornatu* lib. 8. *Idem.*

2 *Atqui sunt quædam.*] Causæ quæ postulant *miserationem*, abesse debent à *lascivia:* non igitur in his captamus sententias ad *delectationem*, neque *epiphonemata* aut *enthymemata* ad *argutiam*, sed queruli erimus & supplices. *Idem.*

1 *Age,*

quædam actiones in satisfactione, deprecatione, confessione positæ: sententiolisne flendum erit? *Epiphonemata* aut *enthymemata* exorabunt? Non quicquid meris adjicietur affectibus, omnes eorum diluet vires, & miserationem securitate laxabit? [1] Age si *de morte filii sui*, vel *injuria* quæ morte sit gravior, dicendum patri fuerit, aut in narrando gratiam illam expositionis, quæ continget ex sermone puro atque dilucido. quæret breviter ac significanter ordinem rei protulisse contentus, aut argumenta diducet in digitos, & propositionum ac partitionum captabit lepôrem, &, ut plerunque in hoc genere moris est, intentione omni remissa loquetur? Quo fugerit interim dolor ille? ubi lachrymæ substiterint? unde se in medium tam secura observatio artium miserit? Non ab exordio usque adultimam vocem continuus quidam gemitus, & idem tristitiæ vultus servabitur, si quidem volet dolorem suum etiam in audientes transfundere? quem si usquam remiserit, in animum judicantium non reducet. [2] Quod præcipue declamantibus (neque enim me pœnitet ad hoc quoque opus meum, & curam susceptorum semel adolescentium respicere) custodiendum est, quo plures in schola finguntur affectus, quos non ut advocati, sed ut passi subimus. Cum etiam hoc genus simulari litium soleat, [3] cum jus mortis à senatu quidam vel ob aliquam magnam infœlicitatem, vel etiam pœnitentiam petunt, in quibus non solum cantare, quod vitium pervasit, aut lascivire, sed ne argumentari quidem nisi mistis, & quidem ita, ut in ipsa pro-

1 *Age, si de morte.*] Nunc de causa agit quæ alterum affectum postulat, scilicet *iracundiam*. in ea narratio debet esse concitata & iracunda, nec lepôrem captare debemus in argumentis, sed impetum & affectum. quocirca vitanda erit affectata illa παρεγχείρησις. id est, *diductio in digitos*, quam in Hortensio reprehendit Cicero. *Idem.*

2 *Quod præcipue.*] Præcepta rhetorum, ut ex Sulpitio Victore colligere possumus, sunt de his judicialibus causis quæ affectum non desiderant, sed purum docendi modum, quas *judiciales* appellat Sulpitius. attamen aliæ sunt *patheticæ*, quæ ubique desiderant affectum: aliæ *ethicæ*, quæ ubique desiderant expressionem morum. *Idem.*

3 *Cum jus mortis, &c.*] Id fingebatur propter consuetudinem *Massiliensium*, etenim homini permittebatur ut venenum biberet, si justam afferret mortis causam. qui mos in insula quoque *Cæa* valuit. *Valerius lib.* 2. Idem.

1 *Qua-*

probatione magis emineant, affectibus decet. Nam qui intermittere in agendo dolorem potest, videtur posse etiam deponere. Nescio tamen an hujus (de quo loquimur) decoris custodia maxime circa eos contra quos dicimus, examinanda sit. Nam sine dubio in omnibus statim accusationibus hoc agendum est, ne ad eas libenter descendisse videamur. Ideoque mihi illud Cassii Severi non mediocriter displicet, *Dii boni, vivo: & quo me vivere juvet, Aspernatem reum video.* Non enim justa ex caussa vel necessaria videri potest postulasse eum, sed quadam accusandi voluptate. Præter hoc tamen, quod est commune, propriam moderationem quædam caussæ desiderant. [1] Quapropter & qui curationem bonorum patris postulabit, doleat ejus valetudine: & quamlibet gravia filio pater objecturus, miserrimam sibi ostendat esse hanc ipsam necessitatem: nec hoc paucis modo verbis, sed toto colore actionis, ut id eum non dicere modo, sed etiam vere dicere appareat. Nec caussanti pupillo sic tutor irascatur unquam, ut non remaneant amoris vestigia, & sacra quædam patris ejus memoria. Jam quo modo contra abdicantem patrem, querentem uxorem, agi caussam oporteret, in *libro*, ut arbitror, *septimo* dixi. Quando etiam ipsos loqui, quando advocati voce uti deceret, *quartus liber*, in quo proœmii præcepta sunt, continet. Esse & in verbis quod deceat, aut turpe sit, nemini dubium est. [2] Unum jam igitur huic loco, quod est sane summæ difficultatis, adjiciendum videtur, quibus modis ea quæ sunt natura parum speciosa, quæque non dicere, si utrunlibet esset liberum, maluissemus, non tamen sint indecora dicentibus. Quid asperiorem habere frontem potest, aut quid aures hominum magis respuunt, quam cum est filio filiisve

1 *Quapropter & qui.*] *Dementes* & *furiosi* apud Romanos in perpetua sunt cura, neque suorum bonorum domini sunt. petit igitur filius cujus pater est furiosus, bonorum administrationem. *Idem.*

2 *Unum jam igitur.*] Ad decorum quoque pertinet *color.* id est, rei turpis decens velamentum, sed ejus ratio est paulo difficilior. de *colore* nonnulla præcepit Fab. in cap. de narratione. *Idem.*

1 *Nam*

filiisve advocatis in matrem perorandum? aliquando tamen necesse est, ut in caussa Cluentii Habiti: sed non semper illa via, qua *contra Sassiam* Cicero usus est: non quia non ille optime, sed quia plurimum refert, qua in re & quomodo lædat. Itaque illa cum filii caput palam impugnaret, fortiter fuit repellenda. Duo tamen quæ sola supererant, divine Cicero servavit. Primum, ne oblivisceretur *reverentiæ*, quæ parentibus debetur: deinde ut repetitis altius caussis, diligentissime ostenderet: quam id quod erat in matrem dicturus, non oporteret modo fieri, sed etiam necesse esset. Primaque hæc expositio fuit, quanquam ad præsentem quæstionem nihil pertinebat, adeo in caussa difficili atque perplexa nihil prius intuendum credidit, quam quid deceret. Fecit itaque nomen parentis non filio invidiosum, sed ipsi in quam dicebatur. Potest tamen aliquando mater & in re leviore aut minus infesta contra filium stare: tum lenior atque summissior decebit oratio. Nam & satisfaciendo, aut nostram minuemus invidiam, aut etiam in diversum eam transferemus: & si graviter dolere filium palam fuerit, credetur abesse ab eo culpa, fietque ultro miserabilis. Avertere quoque in alios crimen decet, ut fraude aliquorum concita credatur: & omnia nos passuros, nihil aspere dicturos, testandum: ut etiam si non possimus non convitiari, nolle videamur. Etiam si quid objiciendum erit, officium est patroni, ut id filio invito, sed fide cogente facere credatur. Ita poterit uterque laudari. Quod de matre dixi, de utroque parente accipiendum est. [1] Nam inter patres etiam filiosque cum interveniisset emancipatio, litigatum scio. In aliis quoque propinquitatibus custodiendum est, ut inviti, & necessario & parce judicemur dixisse: magis autem aut minus, ut cuique personæ debetur reverentia. Eadem pro libertis adversus patronos observantia. Et ut semel plura com-

1 *Nam inter patres etiam, &c.*] *Emancipatio est imaginaria venditio, qua filius extra potestatem patris & manum emittitur.* nam quandiu filius est in potestate patris, cum patre litigare non potest: ut auctores sunt jurisconsulti. *Idem.*

1 *Itaque*

complectar, nunquam decebit sic adversus tales agere personas, quo modo contra nos agi ab hominibus conditionis ejusdem iniquo animo tulissemus. Præstatur hoc aliquando etiam dignitatibus, ut libertatis nostræ ratio reddatur, ne quis nos aut petulantes in lædendis his, aut etiam ambitiosos putet. [1] Itaque Cicero quanquam erat in Cottam gravissime dicturus, neque aliter agi P. Oppii causa poterat, longa tamen præfatione excusavit officii sui necessitatem. Aliquando etiam inferioribus, præcipueque adolescentulis parcere aut mederi decet. Utitur hac moderatione Cicero pro Cælio contra Atracinum, ut eum non inimice corripere, sed pene patrie monere videatur. [2] Nam & juvenis, & nobilis: & non injusto dolore venerat ad accusandum. Sed in iis quidem in quibus vel judici, vel etiam assistentibus ratio nostræ moderationis probari debet, minor est labor: illic plus difficultatis, ubi ipsos contra quos dicimus, veremur offendere. Duæ simul hujusmodi personæ Ciceroni pro Muræna dicenti obstiterunt *M. Catonis, Serviique Sulpitii:* quam decenter tamen Sulpitio cum omnes concessisset virtutes, scientiam petendi consulatus ademit? Quid enim aliud esset quo se victum homo nobilis & juris antistes magis ferret? Ut vero rationem defensionis suæ reddidit, cum se studuisse petitioni Sulpitii contra honorem Murænæ, non idem debere accusationi contra caput, diceret? [3] Quam molli autem articulo tractavit Catonem? cujus naturam summe admiratus, non ipsius vitio, sed Stoicæ sectæ, quibusdam in rebus factum duriorem videri volebat: ut inter eos non forensem contentionem, sed studiosam disputationem crederes incidisse. [4] Hæc est profecto ratio, & certissimum præceptorum

1 *Itaque Cicero.*] Fuit *Ciceroni* pro Oppio necessario dicendum contra Cottam, quoniam ex sola Cottæ epistola accusatus est Oppius. *Idem.*

2 *Nam & juvenis.*] Nam *Cælius* Servium Polam Atracini patrem accusarat, ita hac accusatione Atracinus patris injuriam ulciscebatur. *Idem.*

3 *Quam molli autem.*] In oratione pro *Muræna* multa jocatus est in *paradoxa Stoicorum:* cumque laudasset *Catonis Uticensis* naturam, austeritate præceptorum factam esse duriorem significavit. *Idem.*

4 *Hæc est profecto ratio.*] Ex *Cic.* exemplo præceptum elicit, quo in aliquem dicere

rum genus, illius viri obſervatio, ut cum aliquid detrahere ſalva gratia velis, concedas alia omnia: in hoc ſolo vel minus peritum quam in cæteris, adjecta, ſi poterit fieri, etiam cauſſa cur ita ſit, vel paulo pertinaciorem, vel credulum, vel iratum, vel impulſum ab aliis. Hoc illis commune remedium eſt, ſi in tota actione æqualiter appareat non honor modo, ſed etiam charitas: præterea cauſſa ſit nobis juſta ſic dicendi: neque id moderate tantum faciamus, ſed etiam neceſſario. Diverſum ab hoc, ſed facilius, cum hominum aut alioqui turpium, aut nobis inviſorum quædam facta laudanda ſunt. Decet enim rem ipſam probare in qualicunque perſona. [1] Dixit Cicero pro Gabinio & P. Vatinio inimiciſſimis antea ſibi hominibus, & in quos orationes etiam ſcripſerat: verum cauſſa juſta fit fatendo non ſe de ingenii fama, ſed de fide eſſe ſolicitum. Difficilior ei ratio in judicio Cluentiano fuit, [2] cum Scamandrum neceſſe haberet dicere nocentem, cujus egerat cauſſam. Verum illud elegantiſſime, cum eorum à quibus ipſe productus eſſet, preces, tum etiam adoleſcentiam ſuam excuſat: detracturus alioqui plus auctoritatis, ſi in cauſſa præſertim ſuſpecta, ſe eum eſſe, qui temere nocentes reos ſuſciperet, fateretur. [3] Apud judicem vero quam aut proponitur alienum commodum in cauſſa quam ſuſceperimus, aut ſuum, ut perſuadendi ardua ratio, ita dicendi expeditiſſima. Fiducia enim juſtitiæ ejus, non cauſſæ, nihil nos timere ſimulabimus. Ipſe erit gloria inflandus, ut tanto clarior futura ſit fides ac religio in pronunciando, quanto minus vel offenſæ vel utilitati ſuæ indulſerit. Hoc modo & apud eos à quibus appellatum erit, ſi forte

cere poterimus, ut tamen non offendamus. *Idem.*

2 *Dixit Cic. pro Gabinio.*] *Gabinium*, à quo ejectus fuerat in judicio, *repetundarum* Cic. defendit. Publium autem Vatinium, infeſtum ſemper ſuæ dignitati, duobus publicis judiciis tutatus eſt. Auctor *Vel. lib. 4.* Idem.

1 *Cum Scamandrum, &c.*] Nam antea defenderat Cic. *Scamandrum*, qui accuſabatur *veneficii*, ac dicebatur veneficium illud paraſſe in Cluentium. *Idem.*

3 *Apud judicem vero.*] Siquando *judicis* animus à noſtra cauſa erit averſus propter commodum aliquod, laudare debebimus juſtitiam ejus, ſic enim omiſſo commodo ſpectabit æquitatem. *Idem.*

si forte ad eosdem remittemur, adjicienda ratio vel necessitatis alicujus, si id caussæ cedit, vel erroris, vel suspicionis. Tutissimum ergo pœnitentiæ confessio, & satisfactio culpæ: perducendusque omni modo judex ad iræ pudorem. Accidit etiam nonnunquam, ut eandem caussam de qua pronuntiavit, cognoscat iterum: tum illud quidem commune, apud alium nos judicem disputaturos de illius sententia non fuisse: neque enim emendari ab alio quam ab ipso fas esse: cæterum ex caussa, ut quæque permittet, aut ignorata quædam, aut defuisse testes, aut (quod timidissime, & si nihil aliud plane fuerit, dicendum est) patronos non satisfeciisse succurret, etiam si apud alios judices agetur, [1] ut in secunda assertione, aut in centumviralibus judiciis duplicibus, parte victa, decentius erit, quoties contigerit servare judicum pudorem: de qua re latius in *probationum loco* dictum est. Potest evenire, ut in aliis reprehendenda sint, quæ ipsi fecerimus: ut *objicit Tubero Ligario, quod in Africa fuerit.* [2] Et ambitus quidam damnati, recuperandæ dignitatis gratia reos ejusdem criminis detulerunt, ut in scholis luxuriantem patrem luxuriosus ipse juvenis accusat. Id quam decenter fieri possit, equidem non invenio, nisi aliquid reperiatur quod intersit, *persona, ætas, tempus, caussa, locus, animus.* Tubero juvenem se patri hæsisse, illum à senatu missum non ad bellum, sed ad frumentum coëmendum ait: ut primum licuerit, à patribus recessisse: Ligarium & perseverasse, & non pro Cn. Pompejo, inter quem & Cæsarem dignitatis fuerit contentio, cum salvam uterque rempublicam vellet, [3] sed pro Juba atque Afris inimicissimis populo Romano stetisse.

Cæterum

1 *Ut in secunda assertione.*] *Assertio secunda*, secundum est judicium, in quo de liberali causa disputatur. id est, de *libertate* alicujus. *Centumviralia* autem judicia divisa erant in duas hastas, ita ut posset provocari ab una hasta ad aliam. plura hac de re diximus *lib.* 5. *cap.* 2. Idem.

2 *Et ambitus.*] Nam lex erat, ut *ambitus damnatus ignominiosus esset*: si tamen alterum accusasset ambitus, & reum percgisset, obliterata priore ignominia in integrum restitueretur. *Idem.*

3 *Sed pro Juba.*] Hic *Juba* fuit rex *Mauritaniæ*, qui secutus est partes Pompeii, ac demum in Africa à Cæsare superatus. *Idem.*

1 *Os*

Cæterum vel facillimum est ibi alienam culpam accusare, ubi fateris tuam. Verum id jam judicis est non actoris. Quod si nulla contingit excusatio, sola colorem habet *pœnitentia*. Potest enim videri satis emendatus, qui in odium eorum in quibus erraverat, ipse conversus est. Sunt enim quidam, qui hoc natura ipsa rei non indecens faciunt: ut cum pater ex meretrice natum, quod amet meretricem in matrimonium, abdicat. Scholastica materia, sed non quæ non possit accidere. Hîc igitur multa non deformiter dicet: vel quod omnium sit votum parentum, ut honestiores quam sint ipsi, liberos habeant (nam & filia nata, meretrix eam mater pudicam esse voluisset) vel quod humilior ipse fuerit (licet enim hoc dicere) vel quod non habuerit patrem qui moneret: quin eo minus faciendum filio fuisse, ne renovaret domus pudorem, & exprobraret patri nuptias, matri prioris vitæ necessitatem: ne denique legem quandam suis quoque subinde liberis daret: & credibilis erit etiam propria quædam in illa meretrice turpitudo, quam nunc hic pater ferre non possit. Alia prætereo. Neque enim nunc declamamus, sed ostendimus nonnunquam posse ipsis incommodis dicentem bene uti. Illic major æstus, ubi quis pudenda quæritur, ut stuprum, præcipue in maribus: aut [1] os prophanatum. Non dico si loquatur ipse (nam quid aliud ei quam gemitus ac fletus, & execratio vitæ conveniat? ut judex intelligat potius dolorem illum, quam audiat) sed patrono quoque per similes affectus eundum erit, quia hoc injuriæ genus verecundius inest passis, quam ausis. Mollienda est in plerisque alio colore asperitas orationis, [2] ut Cicero *de proscriptorum liberis* fecit. Quid enim crudelius, *quam homines honestis parentibus ac majoribus natos, à republica summoveri?* Itaque durum id esse summus ille tractandorum animorum artifex confitetur: sed

1 *Os prophanatum.*] Id dicitur de iis, qui exugere solent aliorum pudenda. *Idem.*

2 *Ut Cicer. de proscript.*] Sylla usque adeo fuit *sanguinarius proscriptor*, ut proscriptorum liberos patrimoniis spoliaverit, & lege lata illis viam ad magistratus præcluserit: quod nunc *Fab.* ait. *Idem.*

sed ita legibus Syllæ cohærere statum civitatis affirmat, ut his solutis stare ipsa non possit. Assecutus itaque est, ut aliquid eorum quoque caussa videretur facere, contra quos diceret. Illud etiam in jocis monui, quam turpis esset fortunæ insectatio: & ne in totos ordines, aut gentes aut populos petulantia incurreret. Sed interim fides patrocinii cogit quædam de universo genere aliquorum hominum dicere, ut libertinorum, vel militum, vel publicanorum, vel similiter aliorum: in quibus omnibus commune remedium est, ut ea quæ lædunt, non libenter tractare videaris: nec in omnia impetum facias, sed in id quod expugnandum est: & reprehendens, alia laude compenses. Si milites cupidos dicas esse, non mirum, quod periculorum ac sanguinis majora sibi deberi præmia putent: eosdem petulantes, & hoc fieri, quod bellis magis quam paci assueverint. Libertinis detrahenda est auctoritas: licet his testimonium reddere industriæ, per quam exierint de servitute. Quod ad nationes exteras pertinet, Cicero varie detracturus Græcis testibus fidem, doctrinam his concedit ac literas: seque ejus gentis amatorem esse profitetur: *Sardos* contemnit, *Allobrogas* ut hosteis insectatur: quorum nihil tunc cum diceretur, parum aptum, aut remotum à cura decoris fuit. Verborum etiam moderatione detrahi solet, si qua est rei invidia, si asperum dicas nimium severum, injustum persuasione labi, pertinacem ultra modum tenacem esse propositi: plerunque velut ipsos coneris ratione vincere, quod est mollissimum. Indecorum est super hæc omnia nimium: ideoque etiam quod natura rei satis aptum est, nisi modo quoque temperetur, gratiam perdit. Cujus rei observatio judicio magis quodam sentiri, quam præceptis tradi potest. Quantum satis sit & quantum recipiant aures, non habet hæc res mensuram & quasi pondus, quia ut in cibis, alia aliis magis complent. Adjiciendum etiam breviter videtur, quod fere dicendi virtutes diversissimæ, non solum suos amatores habeant, sed ab eisdem sæpe laudentur. Nam Cicero quodam loco scribit

id esse

id esse optimum, quod cum te facile credideris consequi imitatione, non possis. Alio vero, non se id egisse, [1] *ut ita diceret quomodo se quilibet posse confideret, sed quomodo nemo.* Quod potest pugnare inter se videri. Verum utrumque, ac merito laudatur. Causa enim modo distat: quia simplicitas illa, & velut securitas inaffectatæ orationis, mire tenues causas decet: majoribus illud admirabile dicendi genus magis convenit. In utroque eminet Cicero, ex quibus alterum imperiti se posse consequi credent, neutrum qui intelligunt.

1 *Ut ita diceret, quomodo se quilibet, &c.*] Videntur ista pugnare, sed tamen maxime consentiunt. alterum enim dicitur de *tenui* genere dicendi, alterum de *grandiloquo*. utrunque genus est *Cicero* sequutus pro materiæ ratione. plus tamen est eloquentiæ in posteriori genere. *Idem.*

CAP. II.

De memoria.

Memoriam quidam naturæ modo esse munus existimaverunt, estque in ea non dubie plurimum, sed ipsa excolendo, sicut alia omnia, *augetur*: & totus de quo diximus, adhuc inanis est labor, nisi cæteræ partes hoc velut spiritu continentur. [1] Nam & omnis disciplina *memoria* constat, frustraque docemur, si quicquid audimus, præterfluat: & exemplorum, legum, responsorum, dictorum, beneque factorum velut quasdam copias, quibus abundare, quasque in promptu semper habere debet orator, eadem illa vis repræsentat. Neque immerito *thesaurus* hic *eloquentiæ* dicitur. [2] Sed non firme tantum continere, verumetiam cito percipere 2

ALbutius existimavit *memoriam* esse totam in natura positam, ut Fab. docuit cap. 3. lib. 3. Existimare autem debemus duplicem esse, *naturalem* & *artificialem*: *naturalem*, quæ cum cogitatione nobis insita est: *artificialem*, quæ inductione & præceptione constat, estque posita in locis & imaginibus. *Turneb.*

1 *Nam & omnis.*] Hac de causa dicunt physici, *animalia duntaxat illa esse disciplinabilia, quæ memoriam habent*, cujusmodi sunt *canes*. nam quæ ea carent, ut *muscæ*, disciplinam non admittunt. *Idem.*

2 *Sed non firme.*] More suo latius *memoriam* accipit quam Aristoteles, ut etiam solertiam & ingenii acumen complectatur. Sic locutus est *Fab. lib.* 1. *cap.* 4. Idem.

pere multa acturos oportet, nec quæ scripseris modo iterata lectione complecti, sed in cogitatis quoque rerum ac verborum contextum sequi: & quæ sint ab adversa parte dicta, meminisse: nec utique eo quo dicta sunt ordine refutare, sed opportunis locis ponere. Quid? extemporalis oratio non alio mihi videtur mentis vigore constare. Nam dum alia dicimus, quæ dicturi sumus, intuenda sunt. ita cum semper cogitatio ultra id quod est, longius quærit: quicquid interim reperit, quodammodo *apud memoriam* deponit: quod illa quasi media quædam manus acceptum ab inventione, tradit elocutioni. Non arbitror autem mihi in hoc immorandum, quid sit quod *memoriam* faciat: quanquam plerique imprimis quædam vestigia nostro animo, [1] quæ velut in ceris annulorum signa serventur, existimant. [2] Neque ero tam credulus, ut quasi habitu tardiorem firmioremque *memoriam* fieri putem. Ejus autem quod ad animum pertinet, magis admirer naturam, subito res vetustas tanto ex intervallo repetitas reddere se & offerre: nec tantum requirentibus, sed etiam sponte interim: nec vigilantibus, sed etiam quiete compositis magis: [3] eoque illa quoque animalia quæ carere intellectu videmus, meminerunt, & agnoscunt, & quamlibet longo itinere diducta, ad assuetas sibi sedes revertuntur. Quid? non hæc varietas mira est, *excidere proxima, vetera inhærere?* hesternorum immemores, acta pueritiæ recordari? Quid, quod quædam requisita se occultant, & eadem forte succurrunt? nec manet semper *memo-*

1 *Quæ velut in ceris.*] Arist. putat hoc modo *memoriam* fieri, cum phantasiæ simulachrum insculptum fuerit parti memoratrici, non secus quam annulus sigillare solet. nam & hac utitur similitudine. *Idem.*

2 *Neque ero tam credulus.*] Videtur Fab. respexisse ad id quod lib. primo dixit, *peculiarem esse hominibus solertiam & mentis agitationem:* quanquam philosophi pro corporis constitutione nunc *meliorem* nunc *deteriorem memoriam* esse ajunt. nisi fortasse *habitum* appellat qualitatem acquisitam ex multis actionibus. nam quanquam multis actionibus videtur fieri melior *memoria*, non tamen *habitum* acquirit, sed vim suam exerit magis atque magis, quæ antea veluti sopita erat. *Idem.*

3 *Eoque illa quoque animalia, &c.*] Id quidem merito: quia *memoria* est ex sensibus interioribus, qui sunt brutis cum hominibus communes. *Idem.*

memoria, [1] sed aliquando etiam redit? Nesciretur tamen quanta vis esset ejus, quanta divinitas illa, nisi in hoc lumen orandi vim extulisset. Non enim rerum modo, sed etiam verborum ordinem præstat: nec ea pauca contexit, sed durat prope in infinitum, & in longissimis actionibus prius audiendi patientia quam memoriæ fides deficit. Quod & ipsum argumentum est, subesse artem aliquam juvarique ratione naturam: cum iidem docti facere illud, indocti & inexercitati non possimus: [2] quanquam invenio apud Platonem obstare *memoriæ*, usum literarum: videlicet quod illa quæ scriptis reposuimus, velut custodire desinimus, & ipsa securitate dimittimus. Nec dubium est, quin plurimum in hac parte valeat mentis intentio, & velut acies luminum à prospectu rerum quas intuetur, non aversa. Unde accidit, ut quæ per plures dies scribimus ediscendi caussa, cogitatione ipsa contineat. [3] *Artem* autem *memoriæ* primus ostendisse dicitur *Simonides*: cujus vulgata fabula est: [4] *Cum pugili coronato carmen quale componi victoribus solet mercede pacta scripsisset, abnegata ei pecuniæ pars est, quod more poëtis frequentissimo digressus, in laudes Castoris & Pollucis exierat: quapropter partem ab iis petere, quorum facta celebrasset, jubebatur. & persolverunt, ut traditum est. Nam cum esset grande convivium in honorem ejusdem victoriæ, atque adhibitus ei cœnæ Simonides, nuntio est excitus, quod eum duo juvenes equis advecti desiderare majorem in modum dicebantur. Et illos quidem non invenit, fuisse tamen gratos erga se exitu comperit. Nam vix eo limen egresso, triclinium*

1 *Sed aliquando etiam redit.*] Hæc pars est quæ ab Arist. *reminiscentia* appellatur, estque in solis hominibus, non in brutis, quando scilicet *memoriam* abolitam atque deperditam ex tenui vestigio instauramus. *Idem.*

2 *Quamquam invenio, &c.*] Cæsar lib. VI. belli Gall. Eos qui discunt literis confisos minus memoriæ studere: quod fere plerisque accidit, ut præsidio litterarum diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant. *Pith.*

3 *Artem autem memoriæ.*] *Artem memoriæ* primus *reperit* Simonides, *consummavit* & *absolvit* Metrodorus Scepsius. *Turneb.*

4 *Cum pugili coronato, &c.*] Consuetudo erat ut in ludis *Olympicis*, *Pythiis*, & cæteris certaminibus sacris, victores laudarentur à *poëtis lyricis*, quos mercede conducebant. id intellectu facile est ex *Pindaro*. Idem.

clinium illud supra convivas corruit, atque ita contudit, ut non ora modo oppressorum, sed membra etiam omnia requirentes ad sepulturam propinqui, nulla nota possent discernere. Tum Simonides dicitur, memor ordinis quo quisque discubuerat, corpora suis reddidisse. Est autem magna inter auctores dissensio, *Glaucone Carystio*, an *Leocrati*, an *Agatharcho*, an *Scopæ* scriptum sit id carmen: & Pharsali fuerit hæc domus, ut ipse quodam loco significare Simonides videtur, atque Apollodorus, & Eratosthenes & Euphorion & Larisseus Eurypilus tradiderunt: [1] an *Granone* ut Apollas Callimachus, quem secutus Cicero hanc famam latius fudit. *Scopam nobilem Thessalum periisse in eo convivio constat, adjicitur sororis filius:* putant & ortos plerosque ab illo Scopa, qui major ætate fuerit: quanquam mihi totum de Tyndaridis fabulosum videtur: neque omnino hujus rei meminit usquam poëta ipse, profecto non taciturus de tanta sua gloria. [2] Ex hoc Simonidis facto notatum videtur, juvari memoriam signatis animo sedibus, idque credere suo quisque experimento. Nam cum in loca aliqua post tempus reversi sumus, non ipsa agnoscimus tantum, sed etiam quæ in his fecerimus reminiscimur, personæque subeunt, nonnunquam tacitæ quoque cogitationes in mentem revertuntur. Nata est igitur, ut in plerisque, ars ab experimento. Loca discunt quam maxime spatiosa, multa varietate signata, domum forte magnam, & in multos diductam recessus. In ea quicquid notabile est, animo diligenter affigitur, ut sine cunctatione ac mora parteis ejus omnes cogitatio possit percurrere. Et primus hic labor est, non hærere in occursu. Plus enim quam firma debet esse memoria, quæ aliam memoriam adjuvet. Tum quæ scripserunt, vel cogitatione complectuntur,

1 *An Granone.*] Puto scribendum, *Cranone*: sic enim appellat Plinius oppidum quoddam Thessaliæ, Pharsalo proximum. *Idem.*

2 *Ex hoc Simonidis facto.*] Memoria juvatur *locis* & *imaginibus.* sunt autem *loci* spatia quædam in quibus locamus *imagines.* id est, figuras & effigies rerum, quarum volumus memores esse. *Idem.*

1 *Implu-*

ctuntur, & alio signo quo moneantur, notant: quod esse vel ex re tota potest, ut de navigatione, militia: vel ex verbo aliquo. Nam etiam excidentes, unius admonitione verbi in memoriam reponuntur. Sit autem signum navigationis, ut *anchora:* militiæ, *ut aliquid ex armis.* Hæc itaque digerunt, primum sensum vel locum, vestibulo quasi assignant, secundum *atrio*, tum [1] *impluvia* circumeunt, nec cubiculis modo aut [2] exedris, sed stratis etiam similibusque per ordinem committunt. Hoc facto, cum est repetenda memoria, incipiunt ab initio loca hæc recensere, & quod cuique crediderunt, reposcunt, & eorum imagine admonentur: ut quamlibet multa sint quorum meminisse oporteat, sint singula connexa quodam choro, ne errent conjungentes prioribus sequentia solo ediscendi labore. Quod de domo dixi, & in operibus publicis, & in itinere longo, ut urbium ambitu, & picturis fieri potest. Etiam fingere sibi has imagines licet. Opus est ergo locis, quæ vel finguntur, vel sumuntur imaginibus, vel simulacris, quæ utique fingenda sunt. [3] Imagines notæ sunt, quibus ea quæ ediscenda sunt, notamus: ut quomodo Cicero dicit, *locis* pro cera, *simulacris* pro literis utamur. Illud quoque ad verbum ponere, optimum fuerit: Locis est utendum multis, illustribus, explicatis, modicis intervallis: Imaginibus aliquid agentibus, acribus, insignitis, quæ occurrere, celeriterque percutere animum possint. [4] Quo magis miror quomodo Metrodorus in XII. signis per quæ Sol meat trecenos & sexagenos invenerit locos. Vanitas nimirum fuit atque jactatio circa

1 *Impluvia.*] *Impluvium* pars est in ædibus sub dio ad lumen admittendum, quo pluvia ex tectis decidit. *Idem.*

2 *Exedris.*] *Exedra* aula est magna, à frequentia sedium appellata, cujusmodi sunt Parisiis *scholæ theologicæ* & *scholæ dialecticæ.* Idem.

3 *Imagines notæ sunt, &c.*] *Imagines* collocantur in locis, ac sunt veluti literæ & scripturæ: *loca* autem veluti pugillares in quibus scribimus. *Idem.*

4 *Quo magis miror.*] Metrodorus Scepsius duodecim signis Zodiaci utebatur ad *memoriam*, ac singula dividebat in triginta loca. hoc autem modo peccabat, quia sub sensum non cadebant, ut facile occurrerent & intelligerentur, nec explicata erant modicis intervallis. *Idem.*

circa memoriam ſuam potius arte quam natura gloriantis. [1] Equidem hæc ad quædam prodeſſe non negaverim, ut ſi rerum nomina multa per ordinem audita, reddenda ſint. Nanque in iis quæ didicerunt locis reponunt res illas, *menſam*, ut hoc utar, *in veſtibulo*, *in atrio pulvinum*, & ſic cætera: deinde relegentes, inveniunt ubi poſuerint. [2] Et forſitan in hoc ſunt adjuti, qui actione dimiſſa quid cuique vendidiſſent, teſtibus argentariorum tabulis reddiderunt: [3] Quod præſtitiſſe Hortenſium dicunt. Minus idem proderit in ediſcendis quæ orationis perpetuæ erunt. [4] Nam & ſenſus non eandem imaginem quam res habent, cum alterum fingendum ſit, & horum tamen utrunque commonet. Sed ſermonis alicujus habiti verborum contextus eadem arte quomodo comprehendetur? Mitto quod quædam nullis ſimulacris ſignificari poſſunt, ut certæ conjunctiones. [5] Habeamus enim ſane, ut qui notis ſcribunt, certas imagines omnium, & loca ſcilicet infinita, per quæ verba quæ ſunt in quinque *contra Verrem ſecundæ actionis libris*, explicentur, ut meminerimus etiam omnium quaſi depoſitorum: nonne impediri quidem eorum quæ dicit, decurſum neceſſe eſt duplici memoriæ cura? Nam quomodo poterunt copulata fluere, ſi propter ſingula verba ad ſingulas formas reſpiciendum erit? Quare & *Carneades*, & *Scepſius* (de quo modo dixi)

1 *Equidem hæc.*] Videtur Fab. damnare illam *memoriam* quæ conſtat locis & imaginibus, ut *memoriam artificialem* putet tantum *ſtudio* & *exercitatione* conſtare. *Idem.*

2 *Et forſitan.*] Hortenſius à Siſenna provocatus, totum diem in auctione ſedit, ac dimiſſa auctione, res venditas, emptorum nomina, rerum precia eodem ordine reddidit. Quod autem de *argentariis* addit, ita intelligendum eſt, *eos interfuiſſe emptionibus*, *tabulas confeciſſe*, *pecunias quibuſdam mutuaſſe*. Idem.

3 *Quod præſtitiſſe Hortenſ. dic.*] Seneca Procem. Declamat. Aut quod fecit Hortenſius, quia à Siſenna provocatus, in auctione perſedit totum diem, & omnes res & pretia & emptores ordine ſuo argentariis recognoſcentibus, ita ut in nullo falleretur, recenſuit. *Pith.*

4 *Nam & ſenſus.*] Ut memores ſimus *periodorum*, præſtare non poterit *locus* aut *imago*, quanquam *locus* & *imago* memoriam ſoleant monere, ſed tamen *verborum contextus* his non adjuvatur. *Turneb.*

5 *Habeamus enim ſane.*] *Exceptores ad compendia ſcripturæ* infinitas prope notas habebant quibus ſignificabantur vocabula: & hac de cauſa dicebantur *notarii*. Idem.

1 *Dandi*

dixi) *Metrodorus*, quos Cicero dicit usos hac exercitatione, sibi habeant sua: nos simpliciora tradamus. Si longior complectenda memoria fuerit oratio, proderit per partes edisce-re (laborat enim maxime onere) & hæ partes non sint perexiguæ: alioqui nimis multæ erunt, & eam distinguent atque concident. Nec utique certum imperaverim modum, sed maxime ut quisque finietur locus: nisi forte tam sit numerosus, ut ipse quoque dividi debeat. [1] Dandi sunt certi quidam termini, ut contextum verborum (qui est difficillimus) continuet crebra meditatio, partes deinceps ipsas repetitus ordo conjungat. Non est inutile, quo facilius hæreant, aliquas apponere notas, quarum recordatio commoneat & quasi excitet memoriam. [2] Nemo enim fere tam infœlix, ut quod cuique loco signum destinaverit, nesciat: ut si erit tardus ad hoc, eo quoque adhuc remedio utatur, ut ipsæ excitent notæ. Hinc est ex illa arte non inutile, attendere signa ad eos qui exciderunt sensus: *anchoram* (ut supra posui) si de nave dicendum esset: *spiculum*, si de prælio. Multum enim signa faciunt, & ex alia memoria venit alia, ut cum *translatus annulus* vel *alligatus* commoneat nos cur id fecerimus. Hæc magis adhuc adstringunt, quæ memoriam ab aliquo simili transferunt ad id quod continendum est: ut in nominibus, si *Fabius* forte sit tenendus, referamus ad illum *cunctatorem*, qui excidere non potest: aut ad aliquem amicum, qui idem vocetur. quod est facilius in *Apris*, & *Ursis*, & *Nasone*, aut *Crispo*, ut id memoriæ affigatur, unde sunt nomina. [3] Origo quoque aliquando declinatorum, tenendi magis causa est, ut in Cicerone, *Verrio*, *Aurelio*, si debent inseri.

1 *Dandi sunt.*] Cum edisc imus, terminos præfigere debemus ad quos una *memoria* perveniamus. sic enim fiet ut in continuatione verborum reddenda nunquam hæsitemus. *Idem.*

2 *Nemo enim.*] Aut *signum* & *notam* pro eodem accipit, aut (quod verius videtur) *notam* appellat quoddam compendium scribendi, quod apponendum erit initiis partium ad *memoriam* excitandam. *Idem.*

3 *Origo quoque.*] *Derivatio* quoque & *origo* firmant *memoriam*. itaque *cicer*, *ver*, *aur*, revocabunt in memoriam *Ciceronem*, *Verrem*, *Aurelium*. Idem.

1 *Edisc ere*

inferi. Illud neminem non juvabit, iisdem quibus scripserit ceris, ediscere. Sequitur enim vestigiis quibusdam memoriam, & velut oculis intuetur non paginas modo, sed versus prope ipsos, qui tum dicit similis legenti. Jam vero si litura aut adjectio aliqua aut mutatio interveniat, signa sunt quædam quæ intuentes errare non possumus. Est ratio, ut illi de qua primum locutus sum, arti non dissimilis, ita (si quid me experimenta docuerunt) & expeditior & potentior, [1] ediscere tacite. Nam id quoque est, quod tum erat, optimum, si non subirent velut ociosum animum plerunque aliæ cogitationes, propter quas excitandus est voce, ut duplici motu juvetur memoria, dicendi, & audiendi. Sed hæc vox sit modica, & magis murmur. Qui autem legente alio ediscit, in parte tardatur, quod acrior est oculorum quam aurium sensus. in parte juvari potest quod cum semel aut bis audierit, continuo illi memoriam suam experiri licet, & cum legente contendere. Nam & alioqui id maxime faciendum est, ut nos subinde tentemus: quia continua lectio, & quæ magis, & quæ minus hærent, æqualiter transit. In experiendo teneasne, & major intentio est & nihil supervacui temporis perit, quo etiam quæ tenemus, repeti solent: ita sola quæ exciderunt, retractantur, ut crebra iteratione firmentur: quanquam solent hoc ipso maxime hærere, quod exciderunt. Illud ediscendo scribendoque commune est utrique plurimum conferre bonam valetudinem, [2] digestum cibum, animum cogitationibus aliis liberum. Verum & in his quæ scripsimus, complectendis, multum valent, & in iis quæ cogitamus, continendis prope solæ (excepta, quæ potentissima est, exercitatione) *divisio* & *compositio*. Nam qui recte diviserit, nunquam poterit in rerum

1 *Ediscere tacite.*] Nam qui *memoria artificiali* utitur, tacite ediscit, cum ea quæ audit, in *imaginibus* & *locis* collocat. ideo dixit hanc rationem illi similem esse. *Idem.*

2 *Digestum cibum.*] Quia interim dum *cibus* concoquitur, vapores ad cerebrum elevantur, qui officiunt *ingenio* & *memoriæ*. at concocto cibo cessant vapores, ac purum est cerebrum. hac de causa celebratur maxime *memoria matutina*, ut abierit in proverbium. *Idem.*

1 *An*

rerum ordine errare. Certa sunt enim non solum in digerendis quæstionibus, sed etiam in exequendis, si modo recte dicimus, prima ac secunda, & deinceps: cohæretque omnis rerum copulatio, ut ei nihil neque subtrahi sine manifesto intellectu, neque inseri possit. [1] An vero Scævola in lusu duodecim scriptorum, cum prior calculum promovisset, essetque victus, dum rus tendit, repetito totius certaminis ordine, quo dato errasset, recordatus rediit ad eum, quicum luserat, isque ita factum esse confessus est: minus idem ordo valebit in oratione, præsertim totus nostro arbitrio constitutus, cum tantum ille valeat alternus? Etiam quæ bene composita erunt, memoriam serie sua ducent. Nam sicut facilius versus ediscimus, quam prosam orationem: ita prosæ vincta, quam dissoluta. Sic contingit, ut etiam quæ ex tempore videbantur effusa, ad verbum repetita reddantur: quod meæ quoque memoriæ mediocritatem sequebatur, [2] si quando interventus aliquorum, qui hunc honorem mererentur, iterare declamationis partem coëgisset: nec est mendacio locus, salvis qui interfuerunt. Si quis tamen unam maximamque à me artem memoriæ quærat, *exercitatio* est, & *labor*, multa ediscere, multa cogitare, & (si fieri potest) quotidie, potentissimum est. Nihil æque vel augetur cura, vel negligentia intercidit. Quare & pueri statim, ut præcepi quam plurima ediscant & quæcunque ætas operam juvandæ studio memoriæ dabit, devoret initio tædium illud & scripta & lecta sæpius revolvendi, & quasi eundem cibum remandendi. Quod ipsum hoc fieri potest lenius, si pauca primum & quæ [3] tædium non afferant, cœperimus ediscere: tum quotidie adjicere singulos versus, quorum

1 *An vero.*] *Scrupos* appellat eos calculos & tesseras, quibus lusitamus in alveolo. Hæc dictio reperitur etiam apud *Cic. in Orat. ad Q. fratrem.* videtur tamen hic lusus nonnihil evariasse à nostro. *Idem.*

2 *Si quando interventus aliquorum.*] Solebant proceres Romani per otium frequentare *scholas*, & audire illustres declamatores. sic Antoninus philosophus in *schola* audivit declamantem Hermogenem. *Idem.*

3 *Tædium.*] Alii, *Odium.*

quorum acceſſio labori ſenſum incrementi non afferat, in ſummam ad infinitum uſque perveniat: & poëtica prius, tum oratorum, noviſſime etiam ſolutiora numeris, & magis ab uſu dicendi remota, [1] qualia ſunt juriſconſultorum. Difficiliora enim debent eſſe quæ exercent, quo ſit levius ipſum illud in quod exercent: [2] ut athletæ ponderibus plumbeis aſſuefaciunt manus, quibus vacuis & nudis in certamine utendum eſt. Non omittam etiam quod quotidianis experimentis deprehenditur, minime fidelem eſſe paulo tardioribus ingeniis recentem memoriam. Mirum dictu eſt, nec in promptu ratio, quantum nox interpoſita afferat firmitatis ſive quieſcit labor ille cujus ſibi ipſa fatigatio obſtabat, ſive maturatur, atque concoquitur, [3] ſeu firmiſſima ejus pars eſt recordatio: quæ ſtatim referri non poterant, contexuntur poſtera die: confirmatque memoriam idem illud tempus quod eſſe in cauſſa ſolet oblivionis. [4] Etiam illa prævelox fere cito effluit, & velut præſenti officio functa, nihil in poſterum debeat, tanquam dimiſſa diſcedit. Nec eſt mirum magis hærere animo, quæ diutius affixa ſint. Ex hac ingeniorum diverſitate nata dubitatio eſt, *an ad verbum ſit ediſcendum dicturis, an vim modo rerum atque ordinem complecti ſatis ſit:* de quo ſine dubio non poteſt in univerſum pronuntiari. Nam ſi memoria ſuffragatur, tempus non deſit, nulla me velim ſyllaba effugiat: alioqui etiam ſcribere ſit ſupervacuum. Idque præcipue à pueris obtinendum, atque in hanc conſuetudinem memoria exercitatione redigenda, ne nobis

1 *Qualia ſunt juriſconſultorum.*] Scripta *juriſconſultorum* admodum Latina ſunt, ſed nullo modo numeroſa. ſatis enim habent ſequi proprietatem in docendo. *Turneb.*

2 *Ut athletæ ponderibus.*] *Athletæ* ad firmanda brachia geſtare ſolent maſſas plumbeas, quas vocant *halteres*. his etiam in ſaltando ſolent corpus librare. *Idem.*

3 *Seu firmißima ejus pars eſt recordatio.*] *Recordationem* appellat Fabius, quam vulgo, non ſatis apte forte, vocant *reminiſcentiam.* ea eſt *recollectio memoriæ.* Idem.

4 *Etiam illa prævelox.*] *Cerebrum molle & humidum* facile admitttit impreſſionem ſimulachrorum, ſed eandem facile perdit. At *cerebrum* aliquanto *durius* vix admittit ſimulachrorum impreſſionem, ſed eam diu continet. ita qui facile percipiunt, *memoriam* diu non continent: qui autem difficulter, diu. *Idem.*

1 *Ideo-*

nobis discamus ignoscere. [1] Ideoque & admoneri, & ad libellum respicere vitiosum, quod libertatem negligentiæ facit, nec quisquam se parum tenere judicat, quod ne sibi excidat, non timet. Inde interruptus actionis impetus, & resistens ac salebrosa oratio, & qui dicit ediscenti similis, etiam omnem bene scriptorum gratiam perdit vel hoc ipso, quod scripsisse se confitetur. Memoria autem facit etiam prompti ingenii famam, ut illa quæ dicimus, non domo attulisse, sed ibi protinus sumpsisse videamur: quod & oratori & ipsi caussæ plurimum confert. Nam & magis miratur, & minus timet judex quæ non putat adversus se præparata. [2] Idque in actionibus inter præcipua servandum est, ut quædam etiam quæ optime vinximus; velut soluta enuntiemus: & cogitantibus nonnunquam & dubitantibus similes quærere videamur quæ attulimus. Ergo quid sit optimum, neminem fugit. Si vero aut memoria natura durior erit, aut non suffragabitur tempus, etiam inutile erit ad omnia se verba alligare, cum oblivio unius eorum cujuslibet, aut deformem hæsitationem, aut etiam silentium inducat. Tutiusque multo, comprehensis animo rebus ipsis, libertatem sibi eloquendi relinquere. Nam & invitus perdit quisque id quod elegerat verbum: nec facile reponit aliud, dum id quod scripserat, quærit. Sed ne hoc quidem infirmæ memoriæ remedium est, nisi in iis qui sibi facultatem aliquam dicendi ex tempore paraverunt. Quod si cui utrunque defuerit, huic omittere omnino totum actionum laborem, ac si quid in literis valet, ad scribendum potius suadebo convertere. Sed hæc rara infœlicitas erit. [3] Cæterum *quantum*

natura

1 *Ideoque & admoneri.*] Notat Asconius oratores malos olim habuisse *monitores*. id est, *posticos suggestores*. quæ res turpissima est: præstat enim ediscere orationem. *Idem.*

2 *Idque in actionibus.*] Etiam bene composita, pronunciatione dissimulanda sunt, ut soluta videantur. sic enim videbitur extemporalis oratio. *Idem.*

3 *Cæterum quantum.*] *Themistocles* actus in exilium, se recepit ad *Xerxem* Persarum regem, quem vicerat: à quo exceptus est magnifice, & præfectura donatus. Illic intra annum didicit linguam Persicam. Jam cum quidam profiteretur artem *memoriæ*, dixit se malle artem *oblivionis*: quo significabat nimiam esse *memoriæ* suæ fœcunditatem. *Idem.*

More

natura ſtudioque valeat memoria, vel *Themiſtocles teſtis*, quem unum intra annum optime locutum eſſe Perſice conſtat: vel *Mithridates*, cui duas & viginti linguas, quot nationibus imperabat, traditur notas fuiſſe: vel *Craſſus* ille dives, qui cum Aſiæ præeſſet, quinque Græci ſermonis differentias ſic tenuit, ut qua quiſque apud eum lingua poſtulaſſet, eadem ſibi jus redditum ferret: vel *Cyrus*, quem omnium militum tenuiſſe creditum eſt nomina. Quin ſemel auditos quamlibet multos verſus protinus dicitur reddidiſſe *Theodectes*. Dicebantur etiam nunc eſſe qui facerent, ſed mihi nunquam ut ipſe intereſſem contigit: habenda tamen eſt fides vel in hoc, ut qui crediderit, & ſperet.

Cap. III.

De pronuntiatione.

3 *Pronuntiatio* à pleriſque *actio* dicitur, ſed prius nomen à voce, ſequens à geſtu videtur accipere. Nanque *actionem* Cicero aliâs quaſi *ſermonem*, aliâs *eloquentiam* quandam corporis dicit. Idem tamen duas ejus partes facit, quæ ſunt eædem pronuntiationis, *vocem* atque *motum*. Quapropter utraque appellatione indifferenter uti licet. Habet autem res ipſa miram quandam in orationibus vim ac poteſtatem. Neque enim tam refert qualia ſint quæ intra noſmetipſos compoſuimus, quam quo modo efferantur, nam ita quiſque ut audit, movetur. Quare neque probatio ulla, [1] quæ modo venit ab oratore, tam firma eſt, ut non perdat vires ſuas niſi adjuvetur aſſeveratione dicentis. Affectus omnes langueſcant neceſſe eſt, niſi *voce*, *vultu*, totius prope *habitu corporis* inardeſcant. [2] Nam cum hæc omnia fecerimus,

More ſuo initio laudat *pronunciationem*, eam partitur in *vocem* & *geſtum*: de *vocis qualitate* & *cura* agit, deinde de *motu* & *cultu corporis*, demum *vocem* & *geſtum* accommodat cauſis & cauſarum partibus. *Turneb.*

1 *Quæ modo venit ab oratore.*] Nam *probationes inartificiales* ſuo pondere ſatis valent citra aſſeverationem dicentis, ſuntque firmiores *artificialibus*, ut dictum eſt lib. 5. *Idem.*

2 *Nam cum hæc omnia.*] Significat *proba-*

mus, felices, si tamen nostrum illum ignem judex conceperit: ne dum eum supini securique moveamus, non & ipse nostra oscitatione solvatur. Documento sunt vel scenici actores, qui & optimis poëtarum tantum adjiciunt gratiæ, ut nos infinite magis eadem illa audita quam lecta delectent, & vilissimis etiam quibusdam impetrent aures, ut quibus nullus est in bibliothecis locus, sit etiam frequens in theatris. Quod si in rebus quas fictas esse scimus & inanes, tantum pronuntiatio potest, ut iram, lacrymas, solicitudinem afferat, quanto plus valeat necesse est, ubi & credimus? Equidem vel mediocrem orationem commendatam viribus actionis, affirmaverim plus habituram esse momenti, quam optimam eadem illa destitutam. [1] Siquidem & Demosthenes *quid esset in toto dicendi opere primum*, interrogatus, *pronuntiationi palmam dedit*, eidemque secundum ac tertium locum, donec ab eo quæri desineret: ut eam videri posset non præcipuam, sed solam judicasse. Ideoque ipse tam diligenter [2] apud Andronicum Hypocritem studuit, ut [3] admirantibus ejus orationem Rhodiis, non immerito Æschines dixisse videatur, quid si ipsum audissetis? Et M. Cicero *unam in dicendo actionem dominari putat*. Hac Cn. Lentulum plus opinionis consecutum, quam eloquentia tradit. Eadem C. Gracchum in deflenda fratris nece, totius populi Romani lacrymas concitasse: Antonium & Crassum multum valuisse, plurimum vero [4] Q. Hortensium.

cujus

probationes & *affectus* jacere sine pronunciatione. si enim videaris *lentus* & *supinus*, non movebitur auditor *probationibus* aut *affectibus*. Idem.

1 *Siquidem & Demosth.*] Videtur ita sensisse *Demosthenes*, propterea quod maxime in hac parte laboravit. nam vasto erat corporis motu initio, & lingua parum explanata. *Idem.*

2 *Apud Andronicum.*] Plutarchus ait *gestum* Demosthenis & *pronunciationem* formatam fuisse a Satyro histrione, neque meminit, quod sciam, *Andronici*. Idem.

3 *Admirantibus Rhodiis.*] Æschines exul *Rhodum* secessit, ubi & rhetoricam professus est. rogatu *Rhodiorum* recitavit orationem suam contra Ctesiphontem, deinde orationem Demosthenis pro Ctesiphonte. cumque videret *Rhodios* summopere motos, addidit, *Quid si audissetis dicentem Demosthenem?* vel, ut vult Hieronymus, *quid si audissetis belluam illam?* Idem.

4 *Q. Hortensium.*] Gellius quoque lib. primo ait *tam affectato usum fuisse gestu Hortensium, ut à Torquato homine*

cujus rei fides est, quod ejus scripta tantum intra famam sunt, qui diu princeps oratorum, aliquando æmulus Ciceronis existimatus est noviſſime quoad vixit, secundus: ut appareat placuisse aliquid eo dicente, quod legentes non invenimus. Et hercle cum valeant multum verba per se & vox propriam vim adjiciat rebus, & gestus motusque significet aliquid, profecto perfectum quiddam fieri, cum omnia coierint, necesse est. [1] Sunt tamen qui rudem illam, & qualem impetus cujusque animi tulit, actionem judicent fortiorem, & solam viris dignam: sed non alii fere, quam qui etiam in dicendo curam, & artem, & nitorem, & quicquid studio paratur, ut affectata & parum naturalia solent improbare, vel qui verborum atque ipsius etiam soni rusticitate, ut L. Cottam dicit Cicero feciſſe, imitationem antiquitatis affectant. Verum illi persuasione sua fruantur, qui hominibus, ut sint oratores, satis putant nasci: nostro labori dent veniam, qui *nihil* credimus esse *perfectum, nisi ubi natura cura juvetur.* In hoc igitur non contumaciter consentio, primas partes esse naturæ. Nam certe bene pronuntiare non poterit, cui aut in scriptis memoria, aut in iis quæ subito dicenda erunt, facilitas prompta defuerit: nec si inemendabilia oris incommoda obstabunt. Corporis etiam potest esse aliqua tanta deformitas, ut nulla arte vincatur. [2] Sed ne vox quidem nisi liberalis, actionem habere optimam potest. Bona enim firmaque ut volumus uti licet: mala vel imbecilla & inhibet multa, ut *insurgere*, *exclamare*: & aliqua cogit, ut *summittere*, *deflectere*, & raucas fauces ac latus fatigatum deformi cantico reficere. Sed nos de eo nunc loquimur, cui non frustra præcipitur. Cum sit autem omnis actio, ut dixi, in duas divisa partes, *vocem*, *gestumque*, quorum alter *oculos*, altera

severo vocatus sit Dionysia gesticularia & saltatricula. Idem.

1 *Sunt tamen qui, &c.*] Quidam oratores antiquos sequebantur, eorumque rigorem & asperitatem *pronunciatione* & *compositione* imitabantur. de his dictum est initio cap. de *compositione*. Idem.

2 *Sed ne vox quidem.*] Videtur appellare *vocem liberalem*, quam appellavit lib. primo ὀρθοέπειαν. id est, *emendatam cum suavitate vocum explanationem*, ut præterea adsit firmitas. *Idem.*

1 *Nam*

altera *aures* movet, per quos duos sensus omnis ad animum penetrat affectus, prius est *de voce* dicere, cui etiam *gestus* accommodatur. In ea prima observatio est, *qualem* habeas: secunda, *quomodo* utaris. Natura vocis spectatur *quantitate & qualitate. Quantitas simplicior est.* In summa enim grandis aut exigua est: sed inter has extremitates mediæ sunt species, & ab ima ad summam, ac retro, multi sunt gradus. *Qualitas magis varia est,* [1] nam est & candida & fusca, & plena & exilis, & lenis & aspera, & contracta & fusa, & dura & flexibilis, & clara & obtusa: *Spiritus* etiam *longior, breviorque.* Nec causas cur quicque eorum accidat, persequi, proposito operi necessarium est: eorumne sit differentia in quibus aura illa concipitur, an eorum per quæ velut organa meat, an ipsi propria natura, an prout movetur lateris pectorisve firmitas, an capitis etiam plus adjuvet. Nam opus est omnibus, sicut non oris modo suavitate, sed narium quoque, per quas quod supereſt vocis, egeritur. [2] Dulcis tamen esse debet, non exprobrans sonus. Utendi voce multiplex ratio. Nam præter illam differentiam, quæ est tripartita, *acutæ, gravis, flexæ:* tum intentis, tum remissis, tum elatis, tum inferioribus modis opus est, spatiis quoque lentioribus aut citatioribus. Sed iis ipsis media interjacent multa: & ut facies quanquam ex pauciſſimis constat, infinitam habet differentiam: ita *vox,* etsi paucas quæ nominari possint, continet species, *propria* cuique est: & non hæc minus auribus, quam oculis illa dignoscitur. [3] Augentur autem sicut omnium, ita vocis quoque bona, cura, & negligentia minuuntur. Sed cura non eadem oratoribus, quæ *phonascis,* conve-

1 *Nam est & candida.*] Translatio est à *coloribus* ad *vocem.* est autem *vox candida,* quæ *pura* est & *explanata: fusca* autem *quadantenus obscura,* neque *satis pura.* Sic Tranquillus scribit fuisse *vocem* Neronis *fuscam.* Idem.

2 *Dulcis tamen.*] Cum exprobramus, *amara* & *aspera voce* utimur: itaque per metaphoram *exprobrantem sonum* vocavit *asperum.* Idem.

3 *Augentur autem, sicut omnium.*] *Phonasci* dicuntur præceptores exercendæ *vocis.* illi *vocem* efficiunt *mollem* & *teneram,* cum orator desideret *fortem* & *durabilem.* est igitur opus diversa cura. *Idem.*

convenit: tamen multa sunt utrisque communia, *firmitas corporis*, ne ad [1] spadonum & mulierum & ægrorum exilitatem vox nostra tenuetur: quod ambulatio, unctio, veneris abstinentia, facilis ciborum digestio, id est frugalitas, præstat. Præterea ut sint *fauces integræ*, id est molles ac leves, quarum vitio & frangitur, & obscuratur, & exasperatur, & scinditur vox. [2] Nam ut tibiæ eodem spiritu accepto, alium clausis, alium apertis foraminibus, alium non satis purgatæ, alium quassæ sonum reddunt: ita [3] fauces tumentes strangulant vocem, obtusæ obscurant, rasæ exasperant, convulsæ fractis sunt organis similes. Finditur etiam spiritus objectu aliquo, sicut lapillo tenues aquæ, quarum fluxus etiam si ultra paulum coit, aliquid tamen cavi relinquit post idipsum quod offenderat. [4] Humor quoque vocem ut nimius impedit, ita consumptus destituit. Nam & fatigatio corpora non ad præsens modo tempus, sed etiam in futurum afficit. [5] Sed ut communiter & phonascis & oratoribus necessaria est exercitatio, qua omnia convalescunt, ita curæ non idem genus est. Nam neque certa tempora ad spatiandum dari possunt tot civilibus officiis occupato. nec, præparare ab imis sonis vocem ad summos, nec semper à contentione [6] concedere licet, cum pluribus judiciis sæpe dicendum sit. Ne ciborum quidem est eadem observatio. Non enim tam molli teneraque voce, quam forti ac durabili opus est: cum illi omnes etiam altissimos sonos leniant cantu oris, nobis

1 *Spadonum & mulierum.*] *Spadones* & *mulieres* vocem non mutant, sed semper habent *exilem*, quia propter defectum caloris, eorum arteriæ sunt angustæ. sunt & rationes aliæ apud *Arist. in problematibus*. Idem.

2 *Nam ut tibiæ, &c.*] Turneb. l. 4. cap. 10. Advers.

3 *Fauces tumentes strangulant vocem.*] *Vox* strangulari dicitur, quum è loco clauso redditur absque quodam velut exitu. Sic Plin. dixit *strangulari sonitum in tonitruo*. Turneb.

4 *Humor quoque.*] *Nimius humor* efficit *vocem obtusam* & *obscuram*. majorem enim sonitum reddunt quæ sunt duriora: *humor* autem *mollis* est. etiam siccæ fauces efficiunt clangorem gruis aut raucedinem. *Idem.*

5 *Sed ut comm. & phonascis.*] Lud. Crescollius Vacat. Autumnal. l. 3. c. 12. sect. 2. pag. 526. & seqq. Joh. à Wouweren Tractat. de Polymathia cap. 5. pag. 36. 37.

6 *Concedere.*] *Conquiescere.*

1 *Vigi-*

nobis pleraque aſpere ſint concitateque dicenda, & [1] vigilandæ noctes, & fuligo lucubrationum bibenda, & [2] in ſudata veſte durandum. Quare vocem delitiis non molliamus, nec imbuatur ea conſuetudine, quæ duratura non ſit: ſed exercitatio ejus talis ſit, qualis uſus: nec ſilentio ſubſidat, ſed firmetur conſuetudine, qua difficultas omnis levatur. Ediſcere autem quo exerceāris, erit optimum (nam ex tempore dicenti, avocatur cura vocis, ille qui ex rebus ipſis concipitur affectus) & ediſcere quam maxime varia, quæ & clamorem, & diſputationem, & ſermonem, & flexus habeant, ut ſimul in omnia paremur. Hoc ſatis eſt, alioqui nitida illa & curata vox inſolitum laborem recuſabit, ut aſſueta gymnaſiis & oleo corpora, quamlibet ſint in ſuis certaminibus ſpecioſa atque robuſta, [3] ſi militare iter, faſceſque & vigilias imperes, deficiant, & quærant unctores ſuos, nudumque ſudorem. Illa quidem in hoc opere præcipi quis ferat, vitandos ſoles atque ventos, & nubila etiam ac ſiccitates? Ita ſi dicendum in ſole, aut ventoſo, humido, calidove die fuerit, reos deſeremus? Nam crudum quidem, aut ſaturum, aut ebrium, aut ejecto modo vomitu, quæ cavenda quidam monent, declamare neminem, qui ſit mentis compos, puto. [4] Illud non ſine cauſſa eſt ab omnibus præceptum, ut parcatur maxime voci in illo à pueritia in adoleſcentiam tranſitu, quia naturaliter impeditur, non, ut arbitror, propter calorem, quod quidam putaverunt, (nam eſt major aliis) ſed propter humorem potius. Nam hoc ætas illa turgeſcit.

1 *Vigilandæ noctes.*] Docet Ariſt. in problematibus, *vigilias nimias voci obeſſe*, quoniam colligunt cruditatem & malos humores. itaque præcipiebant phonaſci, ut *vigiliæ* vitarentur. *Turnebus.*

2 *In ſudata veſte.*] Hæc autem phonaſci dicunt eſſe vitanda, ac præcipiunt ut poſt *ſudorem* ungamur. phonaſcorum tamen legibus non ſe aſtringit orator. *Idem.*

3 *Si militare iter.*] Solent imperatores milites ſuos longis *itineribus* & *angariis* exercere: eratque conſuetudo militiæ Romanæ, ut miles ferret arma ſua, omneſque ſarcinas. quod ita exegiſſe dicitur à militibus ſuis Marius, ut proverbio dicatur, *muli Mariani.* Idem.

4 *Illud non ſine cauſſa.*] Quartodecimo fere anno in pueris *vox* mutatur, ac dicuntur tunc *gallulaſcere*, quia ſono gallinaceo vocem reddunt ſimilem: quod putant fieri propter inſignem mutationem, quæ tum fit in corpore. *Idem.*

gescit. Itaque nares etiam, ac pectus, eo tempore tument, atque omnia velut germinant, tenera, & injuriæ obnoxia. Sed ut ad propositum redeam, jam *confirmatæ constitutæque vocis genus exercitationis optimum duco*, quod est operi simillimum, dicere quotidie sicut agimus. Nanque hoc modo non vox tantum confirmatur & latus, sed etiam corporis decens & accommodatus orationi motus componitur. Non alia est autem ratio pronuntiationis, quam ipsius orationis. Nam ut illa emendata, dilucida, ornata, apta esse debet: ita hæc quoque emendata erit, id est vitio carebit, si fuerit os facile, explanatum, jucundum, urbanum, id est, in quo nulla neque rusticitas neque peregrinitas resonet. [1] Non enim sine caussa dicitur *barbarum, Græcumve.* Nam sonis homines, ut æra tinnitu, dignoscimus. Ita fiet illud quod Ennius probat, cum dicit *suaviloquenti ore Cethegum fuisse*: non quod Cicero in iis reprehendit, quos ait *latrare, non agere.* Sunt enim multa vitia, de quibus dixi, cum in quadam primi libri parte puerorum ora formarem, opportunius ratus in ea ætate facere illorum mentionem, in qua emendari possunt. Itaque sit ipsa vox primum (ut sic dicam) sana, id est, nullum eorum de quibus nunc dixi, patiatur incommodum: deinde non subsurda, rudis, immanis, dura, rigida, [2] vana, præpinguis, aut tenuis, inanis, acerba, pusilla, mollis, effœminata: spiritus, nec brevis, nec parum durabilis, nec in receptu difficilis. Dilucida vero erit pronuntiatio, primum, si verba tota exegerit, quorum pars devorari, pars destitui solet, [3] plerisque extremas syllabas non proferentibus, dum priorum sono indulgent. Ut est autem necessaria verborum explanatio, ita omnes computare & velut annumerare literas, molestum, & odiosum. Nam & vocales frequentissime

1 *Non enim sine causa.*] Aut hoc significat, quosdam non *sincere* pronuntiare linguam Latinam, sed *barbare* vel *græcanice*: aut certe significat nativam pronunciationem linguæ Græcæ maxime intelligi sono, quo distinguimus *Barbarum* à *Græco.* Idem.

2 *Vana.*] Alii, *Varia.*

3 *Plerisque extremas syllabas, &c.*] Illi sunt qui κολοβοῦντες. id est, *mutilatores* dicuntur. particulas enim dictionum detruncant. *Turneb.*

1 Ὑπο-

sime coëunt, & consonantium quædam insequente vocali dissimulantur. utriusque exemplum posuimus, *Multum ille & terris.*-- Vitatur etiam duriorum inter se congressus, unde *pellexit, & collegit*, & quæ alio loco dicta sunt. Ideoque laudatur in Catulo suavis appellatio literarum. Secundum est, ut *sit oratio distincta*, id est, ut qui dicit, & incipiat ubi oportet, & desinat. Observandum etiam quo loco sustinendus & quasi suspendendus sermo sit (quam Græci [1] ὑποδιαστολὴν vel ὑποσιγμὴν vocant) quo deponendus. Suspenditur, *Arma virumque cano*, quia illud *virum*, ad sequentia pertinet: ut sit, *virum Trojæ qui primus ab oris*. & hîc iterum. [2] nam etiam si aliud est unde venit, quam quo venit, non distinguendum tamen, quia utrunque eodem verbo continetur, *venit*. Tertio *Italiam*, quia interjectio est, *fato profugus*, & continuum sermonem qui faciebat, *Italiam*, *Lavinaque*, dividit. Ob eandemque causam, quarto *profugus*, deinde, *Lavinaque venit Littora:* ubi jam erit distinctio, quia inde alius incipit sensus. Sed in ipsis etiam distinctionibus tempus aliâs brevius, aliâs longius dabimus. Interest enim, sermonem finiat, an sensum. Itaque illam distinctionem *Littora*, protinus altero spiritus initio insequar, cum illuc venero, *Atque altæ mœnia Romæ*, deponam, & morabor, & novum rursus exordium faciam. [3] Sunt aliquando & sine respiratione quædam moræ etiam in periodis: ut in illa, *In cœtu vero populi Romani, negotium publicum gerens, magister equitum, &c.* Multa membra habent, *Sensus enim sunt alii atque alii, & sicut una circunductio est, ita paulum morandum in his intervallis, non interrumpendus est contextus: & è contrario spiritum interim recipere sine intellectu moræ necesse est: quo loco quasi surripiendus est:*

1 Ὑποδιαστολὴν.] Alii, Ὑποσυστολὴν.

2 *Nam etiam si aliud, &c.*] Differentiam facit Fab. inter *distinguere* & *suspendere*. nam *suspenditur* quod leve habet discrimen: *distinguitur*, quod majus, ut quadantenus videatur sermo perfectus esse. *Turneb.*

3 *Sunt aliquando.*] Finita periodo spiritus est recipiendus. aliis in locis, ut in *membris* & *incisis*, debet esse mora sine respiratione: aut si sit *respiratio*, non percipiatur. *Idem.*

est: alioqui si inscite recipiatur, non minus afferat obscuritatis, quam vitiosa distinctio. [1] Virtus autem distinguendi fortasse sit parva, sine qua tamen esse nulla alia in agendo potest. Ornata est pronuntiatio, cui suffragatur vox facilis, magna, beata, flexibilis, firma, dulcis, durabilis, clara, pura, secans aëra, auribus sedens. Est enim quædam ad auditum accommodata, non magnitudine, sed proprietate, ad hoc velut tractabilis, utique habens omnes in se qui desiderantur sonos, intentionesque, & toto ([2] ut ajunt) organo instructa: cui aderit lateris firmitas, spiritus cum spatio pertinax, tum labori non facile cessurus. [3] Neque gravissimus, ut in musica, sonus, nec acutissimus orationibus convenit. Nam & hic parum clarus, nimiumque plenus, nullum afferre animis motum potest: & ille prætenuis, & immodicæ claritatis, cum est ultra verum, tum neque pronuntiatione flecti, neque diutius ferre intentionem potest. Nam *vox*, ut nervi, quo remissior, hoc & gravior & plenior: quo tensior, hoc tenuis & acuta magis est. Sic *ima* vim non habet, *summa* rumpi periclitatur. Mediis igitur utendum sonis: hicque, cum augenda intentio est, excitandi: cum summittenda, sunt temperandi. Nam *prima est observatio recte pronuntiandi æqualitas*, ne sermo subsultet imparibus spatiis ac sonis, miscens longa brevibus, gravia acutis, elata summissis: & inæqualitate horum omnium, sicut pedum, claudicet. Secunda varietas est, quod solum est *pronuntiatio*: [4] ne quis pugnare inter se putet æqualitatem & varietatem, cum illi virtuti contrarium sit vitium inæqualitas, huic, qui

1 *Virtus autem.*] Nam mala distinctio efficit *obscuritatem.* ita cum sit oratio *obscura*, quia non intelligitur, perdit reliquas virtutes. *Idem.*

2 *Toto (ut ajunt) organo.*] Metaphora est ducta ab *organis musicis*, quæ cum sunt omnibus chordis intensa aut omnibus fistulis instructa, ut nihil desit, suavem efficiunt concentum. *Idem.*

3 *Neque gravissimus.*] Medium sonum postulat oratio, sed qui interdum *augeatur*, interdum *temperetur*: non autem debet intendi ad acumen *netes*, aut ad gravitatem *hypates.* Idem.

4 *Ne quis pugnare, &c.*] *Æqualitas* est in spatiis, & sonis ipsius periodi: *varietas*, ut pro rerum varietate diversus quoque sit pronunciationis habitus, ut tamen in periodis æqualitas servetur. *Idem.*

1 *Ut*

qui dicitur μονοειδὴς, quasi quidam unus aspectus. Ars porro variandi cum gratiam præbet, ac renovat aures, tum dicentem ipsa laboris mutatione reficit: ut *stando*, *ambulandi*, *sedendi*, *jacendi* vices sunt, nihilque eorum pati unum diu possumus. Illud vero maximum (sed id paulo post tractabimus) quod secundum rationem rerum de quibus dicimus, animorumque habitus, conformanda vox est, ne ab oratione discordet. Vitemus igitur illam quæ Græce μονόχρωμα vocatur, una quædam spiritus ac soni intentio: non solum ne dicamus omnia clamose, quod insanum est: aut intra loquendi modum, quod motu caret: aut summisso murmure, quo etiam debilitatur omnis intentio, sed ut in iisdem partibus, iisdemque affectibus sint tamen quædam non ita magnæ vocis declinationes, prout aut verborum dignitas, aut sententiarum natura, aut depositio, aut inceptio, aut transitus postulabit: [1] ut qui singulis pinxerunt coloribus, alia tamen eminentiora, alia reductiora fecerunt, sine quo ne membris quidem suas lineas dedissent. Proponamus enim nobis illud Ciceronis in oratione nobilissima pro Milone principium, nonne ad singulas pene distinctiones, quamvis in eadem facie, tamen quasi vultus mutandus est? *Etsi vereor, judices, ne turpe sit pro fortissimo viro dicere incipientem timere.* Etiam si est toto proposito contractum atque summissum, quia & exordium est, & soliciti exordium: tamen fuerit necesse esse aliquid plenius & erectius, dum dicit, *Pro fortissimo viro*, quam cum, *Etsi vereor*: &, *Turpe sit*: &, *Timere.* Jam secunda respiratio increscat oportet, & naturali quodam conatu, quo minus pavide dicimus quæ sequuntur, & quo magnitudo animi Milonis ostenditur, *Minimeque deceat, cum T. Annius ipse magis de reipublicæ salute, quam de sua perturbetur.* Deinde quasi objurgatio sui est, *Me ad ejus caussam parem animi magnitudinem afferre non posse.* Tum invidiosiora, *Tamen*

1 *Ut qui singulis pinxerunt.*] Hæc quæ pinguntur singulis coloribus, à Plinio appellantur *monochromata*, hisque sæpenumero olim utebantur ante varietatem colorum in pictura inventam. *Idem.*

men hæc novi judicii nova forma terret oculos. Illa vero jam pene [1] apertis (ut ajunt) tibiis, *Qui quocunque inciderunt, veterem consuetudinem fori, & pristinum morem judiciorum requirunt.* Nam sequens latum etiam atque fusum est. *Non enim corona consessus vester cinctus est, ut solebat.* Quod notavi, ut appareret non solum in membris caussæ, sed etiam in articulis esse aliquam pronuntiandi varietatem, sine qua nihil neque majus neque minus est. Vox autem ultra vires urgenda non est. Nam & suffocata sæpe, & majore nisu minus clara est, & interim elisa, in illum sonum erumpit, [2] cui Græci κλοσμὸν nomen à gallorum immaturo cantu dederunt. Nec volubilitate nimia confundenda quæ dicimus: qua & distinctio perit, & affectus; & nonnunquam etiam verba aliqua sui parte fraudantur. Cui contrarium est vitium nimiæ tarditatis. Nam & difficultatem inveniendi fatetur, & segnitia solvit animos, & in quo est aliquid, temporibus præfinitis [3] *aquam perdit.* Promptum sit os, non præceps: moderatum, non lentum. Spiritus quoque nec crebro receptus concîdat sententiam: nec eousque trahatur, donec deficiat. Nam & deformis est consumpti illius sonus, & respiratio sub aqua diu pressi similis, & receptus longior, & non opportunus, ut qui fiat non ubi volumus, sed ubi necesse est. Quare longiorem dicturis periodum, colligendus est spiritus: ita tamen, ut id neque diu, neque cum sono faciamus, neque omnino ut manifestum sit, reliquis partibus optime inter juncturas sermonis revocabitur. Exercendus autem est, ut

1 *Apertis (ut ajunt) tibiis.*] Ita dixit per metaphoram, pro *clara* & *aperta voce. tibiæ* enim foraminibus *clausis* reddunt sonum gravem, *apertis* foraminibus clarum. Vide & Fabium lib. primo cum κατάπεπλασμένον *sonum* appellat. *Idem.*

2 *Cui Græci* κλοσμὸν.] *Politianus* aliquando de hoc loco consultus, respondit legendum esse ἄποδον. sic enim vocant Græci quemcunque *ineptum* & *dissonum.* alii κλοσμὸν substituunt, ea vox est gallinaceorum, Latini appellant *glocitatiotem.* alii etiam negant à Fabio scriptam Gr. vocem, ajuntque significari à Fabio *alectryphoniam.* id est, *gallicinium:* sed ita duntaxat significatur pars noctis. *Idem.*

3 *Aquam perdit.*] Alludit ad *clepsydras,* quæ dabantur oratoribus. nam aquæ effusione intervalla temporis notabantur. hinc illud est, *dicere ad clepsydram.* Idem.

1 Id

ut sit quam longissimus: quod Demosthenes ut efficeret, scandens in adversum continuabat quam posset plurimos versus. Idem quo facilius verba ore libero exprimeret, calculos lingua volvens dicere domi solebat. Est interim & longus, & plenus, & clarus satis spiritus, non tamen firmæ intentionis, ideoque tremulus: ut corpora quæ aspectu integra, nervis parum sustinentur. [1] Id βράγχον Græci vocant. Sunt qui spiritum cum stridore per raritatem dentium non recipiunt, sed resorbent. Sunt qui crebro anhelitu, & introrsum etiam clare sonante, imitentur jumenta onere & jugo laborantia. Quod affectant quoque, tanquam inventionis copia urgeantur, majorque vis eloquentiæ ingruat, quam quæ emitti faucibus possit. Est aliis concursus oris, & cum verbis suis colluctatio. [2] Jam *tussire*, & *expuere crebro*, & ab imo pulmone *pituitam* [3] *trochleis adducere*, & oris humore proximos spargere, & [4] majorem partem spiritus in eloquendo per nares effundere, etiamsi non utique vocis sunt vitia: quia tamen propter vocem accidunt, potissimum huic loco subjiciantur. [5] Sed quodcunque ex his vitium magis tulerim, quam quo nunc maxime laboratur in caussis omnibus scholisque, cantandi: quod inutilius sit an fœdius, nescio. Quid enim minus oratori convenit, quam modulatio scenica, & nonnunquam ebriorum aut comessantium licentiæ similis? Quid vero movendis affectibus contrarium magis,

1 *Id Græci βράγχον.*] Βράγχον Græci appellant *raucedinem contractam ex pituita quæ est in arteria & larynge.* at Fabius videtur appellasse *raucedinem quandam tremulam ex debilitate spiritus.* Idem.

2 *Jam tussire, &c. & majorem partem spiritum per nares effundere, &c. quia tamen propter vocem accidunt, huic loco subjiciantur.* Sic Salmasius legit ex veteri libro. *Tussire & exspuere crebro.*] Lud. Cresoll. Vacat Autumnal. lib. 2. cap. 7. sect. 14. pag. 245.

3 *Trochleis.*] *Trochlea*, machinatio est habens rotulam & axiculum, cum armilla, qualis videtur in *tollenonibus puteorum.* Turneb. *Pituitam trochleis add.*] An potius *trachels.* A Gell. lib. 25. per alteram fistulam quæ Græce nominatur τραχεῖα spiritus à summo ore in pulmonem, atque inde rursus in os & nares commeat. *Macrob.*

4 *Majorem partem spiritus.*] Salmasius ad Tertullian. de Pallio. p. 115.

5 *Sed quodcunque.*] *Pronunciationis* lascivia tempore Fabii deflectebat in *canticum*, quæ res obest affectibus movendis. (quanquam Cic. in epilogis *cantum* quendam desiderat.) est ista quoque res turpis & scenica. *Turneb.*

1 *Ludo-*

gis, quam cum *dolendum*, *iraſcendum*, *indignandum*, *commiſerandum ſit*, non ſolum ab iis affectibus, in quos inducendus eſt judex, recedere, ſed ipſam fori ſanctitatem, [1] ludorum talarium licentia ſolvere? Nam Cicero illos ex Lycia & Caria rhetores pene cantare in epilogis dixit. Nos etiam cantandi ſeveriorem paúlo modum exceſſimus. Quiſquamne, non dico de homicidio, ſacrilegio, parricidio, ſed de calculis certe atque rationibus, quiſquam denique (ut ſemel finiam) in lite cantat? Quod ſi omnino recipiendum eſt, nihil cauſſæ eſt cur non illam vocis modulationem fidibus ac tibiis, imo mehercule, quod eſt huic deformitati propius, [2] cymbalis adjuvemus. Facimus tamen hoc libenter: Nam nec cuiquam ſunt injucunda quæ cantat ipſe, & laboris in hoc, quam in agendo, minus eſt. Et ſunt quidam qui ſecundum alia vitæ vitia, etiam hac ubique audiendi quod aures mulceat, voluptate ducantur. Quid ergo? non & Cicero dicit eſſe aliquem in oratione cantum obſcuriorem? Et hoc quodam naturali vitio venit. Oſtendam non multo poſt, ubi & quatenus recipiendus ſit hic flexus, & cantus quidem, ſed (quod plerique intelligere nolunt) obſcurior. Jam enim tempus eſt dicendi quæ ſit *apta pronuntiatio*: Quæ certe ea eſt, quæ iis de quibus dicimus, accommodatur: quod quidem maxima ex parte præſtant ipſi motus animorum, [3] ſonatque vox ut feritur. [4] Sed cum ſint alii veri affectus, alii ficti & imitati: veri naturaliter erumpunt, ut *dolentium*, *iraſcentium*, *indignantium*: ſed carent arte, ideoque ſunt diſciplinæ traditione formandi. Contra qui effin-

1 *Ludorum talarium.*] Idcirco id ait, quia poſt epulas frequenter luſitatur *aſtragalis*, quo in luſu cantillatur. *Idem.* *Ludorum talarium.*] Dan. Lyciorum & Carum. *Pith.*

2 *Cymbalis.*] *Cymbala* enim reddunt ſonum *effœminatum*, & nonnunquam *ſtreperum*. itaque *evirati Cybeles ſacerdotes* his utebantur in ſacrificiis. *Turneb*

3 *Sonatque vox ut feritur.*] Inſtrumenta *vocis* ſubſerviunt *voluntati*: igitur pro *voluntatis* motu nunc *vehementior*, nunc *remiſſior* editur *vox*, pro motu inſtrumentorum. *Idem.*

4 *Sed cum ſint.*] Affectus eſt duplex: quidam *verus*, ex juſta cauſa generatus: alter *fictus*, quem phantaſiæ libertas comminiſcitur: itaque lib. 6. volebat oratorem eſſe *euphantaſiôtum*, ut optime conciperet *phantaſias* & *viſa*. Idem.

effinguntur imitatione, artem habent: sed hi carent natura: ideoque in his primum est bene affici, & concipere imagines rerum, & tanquam veris moveri, sic velut media vox, quem habitum à nostr s acceperit, hunc judicum animis dabit. Est enim mentis index tot velut exemplar, ac totidem, quot illa, mutationes habet. Itaque lætis in rebus plena, simplex, & ipsa quodam modo hilaris fluit: at in certamine erecta totis viribus, & velut omnibus nervis intenditur. Atrox in ira, & aspera ac densa, & respiratione crebra. Neque enim potest esse longus spiritus, cum immoderate effunditur. Paululum in invidia facienda [1]lentior, quia non fere ad hanc nisi inferiores confugiunt: at in *blandiendo*, *fatendo*, *satisfaciendo*, *rogando*, lenis & summissa. Suadentium, & monentium, & pollicentium, & consolantium gravis. In metu & verecundia contracta, adhortationibus fortis, disputationibus teres, miseratione flexa & flebilis, & consulto quasi obscurior: at in egressionibus fusa, & securæ claritatis, in expositione ac sermonibus recta, & inter acutum sonum & gravem media. Attollitur autem concitatis affectibus, compositis descendit, pro utriusque rei modo altius vel inferius. Quid autem quisque in dicendo postulet locus, paulum differam, ut de gestu prius dicam: qui & ipse voci consentit, & animo cum ea simul paret. Is quantum habeat in oratore momenti, satis vel ex eo patet, quod pleraque etiam citra verba significat. Quippe non manus solum, sed nutus etiam declarant nostram voluntatem; & in mutis pro sermone sunt, & salutatio frequenter sine voce intelligitur atque afficit, & ex ingressu vultuque perspicitur habitus animorum: & animalium quoque sermone carentium, *ira*, *lætitia*, *adulatio*, & oculis, & quibusdam aliis corporis signis deprehenditur. Nec mirum si ista, quæ tamen in aliquo sunt posita motu, tantum in animis valent, quum pictura tacens opus, & habitus semper ejusdem [2]sic in intimos penetret affectus

1 *Lentior.*] Alii, *Lenior.*

2 *Sic in intimos, &c.*] Hac causa olim nonnulli oratores rem *truculentam*, de qua dicturi erant, in tabella pictam judicibus

affectus ut ipsam vim dicendi nonnunquam superare videatur. Contra si gestus ac vultus ab oratione dissentiant, tristia dicamus hilares, affirmemus aliqua renuentes: [1] non auctoritas modo verbis, sed etiam fides desit. Decor quoque à gestu atque motu venit. Ideoque Demosthenes grande quoddam intuens speculum, componere actionem solebat. [2] Adeo quanvis fulgor ille siniſtras imagines reddat, suis demum oculis credidit quod efficeret. Præcipuum vero in actione, sicut in corpore ipso, caput est, cum ad illum de quo dixi decorem, tum etiam ad significationem decoris. Illa sunt, ut sit primo rectum, & secundum naturam. Nam & dejecto humilitas, & supino arrogantia, & in latus inclinato languor, [3] & præduro ac rigente barbaria quædam mentis ostenditur. Tum accipiat aptos ex ipsa actione motus, ut cum gestu concordet, & manibus ac lateribus obsequatur. Aspectus enim semper eodem vertitur quo gestus, [4] exceptis quæ aut damnare, aut non concedere, aut à nobis removere oportebit: ut idem illud vultu videamur aversari, manu repellere:

-- *Dii talem terris avertite pestem.* &,

-- *Haud equidem tali me dignor honore.*

Significat vero plurimis modis. Nam præter annuendi, renuendi, confirmandique motus, sunt & verecundiæ, & dubitationis, & admirationis, & indignationis noti & communes omnibus. Solo tamen eo facere gestum scenici quoque doctores vitiosum putaverunt. Etiam frequens ejus nutus

dicibus repræsentabant, ut eos moverent: id tamen non probavit Fab. lib. 6. *Idem.*

1 *Non auctoritas modo.*] Sic *Polemon Sophista*, cum histrio gestum orationi non accommodasset, dixit *solœcismum* manu esse factum, ac histrionem ejecit theatro. *Idem.*

2 *Adeo quanvis.*] *Speculum*, ut docent Optici, ex reflexione radiorum mutat situm partium, ut *dextræ* partes in nobis, illic fiant *siniſtræ*. jam cum mutetur in diversum tota imago, merito *siniſtra* dicitur respectu nostræ. *Idem.*

3 *Et præduro ac rigente.*] Signa sunt ista quæ dicuntur ab Arist. *physiognomonica*. Itaque nonnulli erant olim *physiognomones*, qui ex corporis habitu conjicerent qualis esset cujusque animus. *Idem.*

4 *Exceptis quæ aut damnare.*] Cum aliquid damnamus, vultum avertimus & manum in aliam partem, quasi repellere velimus manu. *Idem.*

1 *Sed*

nutus non caret vitio: adeo jactare id, & comas excutientem rotare, phanaticum est. Dominatur autem maxime *vultus*. Hoc supplices, hoc minaces, hoc blandi, hoc tristes, hoc hilares, hoc erecti, hoc summissi sumus. hoc pendent homines, hunc intuentur, hunc spectant etiam antequam dicamus. hoc quosdam amamus, hoc odimus, hoc plurima intelligimus. hic est sæpe pro omnibus verbis. Itaque in iis quæ ad scenam componuntur fabulis, artifices pronuntiandi à personis quoque affectus mutuantur: ut sit *Niobe* in tragœdia *tristis*, *atrox Medea*, *attonitus Ajax*, *truculentus Hercules*. In comœdiis vero præter aliam observationem, qua servi, lenones, parasiti, rustici, milites, vetulæ, meretriculæ, ancillæ, senes austeri ac mites, juvenes severi ac luxuriosi, matronæ, puellæ, inter se discernuntur: pater ille cujus præcipuæ partes sunt, quia interim concitatus, interim lenis est, altero erecto, altero composito est supercilio. atque id ostendere maxime Latinis actoribus moris est, quod cum iis quas agunt partibus, congruat. [1] Sed in ipso vultu plurimum valent oculi, per quos maxime animus emanat, ut citra motum quoque & hilaritate enitescant, & tristitia quoddam nubilum ducant. Quinetiam lacrymas his natura mentis indices dedit: quæ aut [2] erumpunt dolore, aut lætitia manant. Motu vero intenti, remissi, superbi, torvi, mites, asperi fiunt: quæ ut actus poposcerit, fingentur. Rigidi vero & extenti, aut languidi & torpentes, aut stupentes, aut [3] lascivi & mobiles, aut natantes, & quadam voluptate suffusi, aut limi, & (ut sic dicam) [4] venerei, aut poscentes aliquid, pollicentesve nonnunquam esse debebunt.

Nam

1 *Sed in ipso vultu.*] Plinius quoque ait, *in oculis animum habitare*. itaque cum eos osculamur, videmur *animum dissuaviari*. Idem.

2 *Erumpunt dolore.*] *Erumpunt dolore*, quia tum constringuntur pori & extrudunt humorem: in *lætitia manant*, quia tum nimis laxantur pori, neque humorem continere possunt. *Idem.*

3 *Lascivi & mobiles, aut natantes, &c.*] Hujusmodi oculi Persio, *patrantes*: Horatio, *putres*: Juvenali, *trementes*: Anacreon, ὑγρὸς vocat. Vide Lud. Cresollium Vacat. Autumnal. lib. II. cap. 4. sect. 3. p. 168. &c.

4 *Venerei.*] *Venereus* aspectus dicitur *limus* & *pactus*. id est, *obliquus*, qui aptissimus est nutibus amatorum. *Turneb.*

1 *Et*

Nam opertos compressosve eos in dicendo, quis nisi plane rudis aut stultus habeat? [1] Et ad hæc omnia exprimenda in palpebris etiam & in genis est quoddam deserviens his ministerium. Multum & superciliis agitur. Nam & oculos formant aliquatenus, & fronti imperant. His contrahitur, attollitur, demittitur: ut una res in ea plus valeat, sanguis ille qui mentis habitu movetur, & cum infirmam verecundia cutem accipit, effunditur in ruborem: cum metu refugit, abit omnis, & [2] pallore frigescit: temperatus medium quoddam serenum efficit. Vitium in superciliis, si aut immota sunt omnino, aut nimium mobilia, aut inæqualitate (ut modo de persona comica dixeram) dissident, aut contra id quod dicimus, finguntur. *Ira* enim contractis, *tristitia* deductis, *hilaritas* remissis ostenditur. Annuendi quoque & renuendi ratione demittuntur, aut allevantur. Naribus labrisque non fere quicquam decenter ostendimus, tametsi derisus, contemptus, fastidium significari solet. Nam & *corrugare nares* (ut Horatius ait) & inflare, & movere, & digito inquietare, & impulsu subito spiritum excutere, & diducere sæpius, & plana manu resupinare, indecorum est: cum emunctio etiam frequentior non sine caussa reprehendatur. Labra & porriguntur male, & scinduntur, & adstringuntur, & diducuntur, & dentes nudant, & in latus ac pene ad aurem trahuntur, & velut quodam fastidio replicantur, & pendent, & vocem tantum altera parte dimittunt. Lambere quoque ea & mordere, deforme est: cum etiam in [3] efficiendis verbis modicus eorum esse debeat motus. Ore enim magis quam labris loquendum est. [4] Cervicem rectam oportet esse, non rigidam aut supinam. Collum diversa quidem

1 *Et ad hæc.*] More Plinii, *genas* appellat *oculorum involucra*: *palpebras* autem, *vallum pilorum*. Idem.

2 *Pallore frigescit.*] *Natura* in turpitudine sanguinem effundit ad exteriores partes, ut hoc tanquam velamento tegat turpitudinem. sic enim Macrobius scribit. in metu vero sanguis petit interiores & nobiliores partes, utitutetur *naturam*. Idem.

3 *Efficiendis.*] Alii, *Efferendis*.

4 *Cervicem.*] *Cervicem* appellat *colli* partem: *collum* autem accipit pro *jugulo*, id est anteriore colli parte. *Turneb.*

1 *Tenna-*

dem, sed pari deformitate & contrahitur, & tenditur: sed tenso subest & labor, [1] tenuaturque vox ac fatigatur. Affixum pectori mentum, minus claram, [2] & quasi latiorem presso gutture facit. Humerorum raro decens allevatio atque contractio est. Breviatur enim cervix, & gestum quendam humilem atque servilem & quasi fraudulentum facit, cum se in habitum adulationis, admirationis, metus fingunt. [3] Brachii moderata projectio remissis humeris, atque explicantibus se in proferenda manu digitis, continuos & decurrentes locos maxime decet. At cum speciosius quid uberiusque dicendum est, ut illud, *Saxa atque solitudines voci respondent*, exspatiatur in latus, & ipsa quodammodo se cum gestu fundit oratio. Manus vero, sine quibus trunca esset actio ac debilis, vix dici potest quot motus habeant, cum pene ipsam verborum copiam persequantur. Nam cæteræ partes loquentem adjuvant, hæ (prope est ut dicam) ipsæ loquuntur. An non his poscimus? pollicemur? vocamus? dimittimus? minamur? supplicamus? abominamur? timemus? interrogamus? negamus? gaudium, tristitiam, dubitationem, confessionem, pœnitentiam, modum, copiam, [4] numerum, tempus, ostendimus? Non eædem concitant? supplicant? inhibent? probant? admirantur? verecundantur? Non in demonstrandis locis atque personis, adverbiorum atque pronominum obtinent vicem? ut in tanta per omnes gentes nationesque linguæ diversitate, hic mihi omnium hominum communis sermo videatur. Et ii quidem de quibus sum locutus, cum ipsis vocibus naturaliter exeunt gestus: alii sunt qui res imitatione significant:

1 *Tenuaturque vox.*] *Tenuatur* merito, quia distenso collo tenditur arteria atque tenuatur: itaque vox est exilior. *Idem*

2 *Et quasi latiorem.*] Nam tum detrahitur de longitudine arteriæ, sed tamen fit *latior*, itaque erumpit *gravior vox*. Idem.

3 *Brachii moderata projectio.*] Senec. lib. 5. Controv. VI. Apud patres nostros qui forensia stipendia auspicabantur, nefas putabatur brachium extra togam exerere. quam longe ab his moribus aberant qui tam verecunde etiam virtute utebantur. *Pith.*

4 *Numerum.*] Solebant antiqui certis flexionibus digitorum *numeros* computare: qua de re extat lib. *Venerabilis Bedæ*. Turneb.

cant: ut si ægrum [1] tentantis venas medici similitudine, aut citharœdum formatis ad modum percutientis nervos manibus ostendas, quod est genus quam longissime in actione fugiendum. Abesse enim plurimum à saltatore debet orator, ut sit gestus ad sensus magis quam ad verba accommodatus: quod etiam histrionibus paulo gravioribus facere moris fuit. Ergo ut ad se manum referre, cum de se ipso loquatur, & in eum quem demonstret, intendere, & aliqua his similia permiserim: ita non effingere status quosdam, & quicquid dicet, ostendere. Neque id in manibus solum, sed in omni gestu ac voce servandum est. Non enim aut in illa periodo, *Stetit soleatus Prætor populi Romani*, inclinatio incumbentis in mulierculam Verris effingenda est: aut in illa, *Cædebatur in medio foro Messanæ*, motus laterum, qualis esse ad verbera solet, torquendus: aut vox qualis dolore exprimitur, eruenda. Cum mihi comœdi quoque pessime facere videantur, qui etiam si juvenem agant, cum tamen in expositione aut senis sermo, [2] ut in *Hydriæ prologo*: aut mulieris, ut *in Georgo*, incidit, tremula vel effœminata voce pronuntiant. Adeo in illis quoque est aliqua vitiosa imitatio, quorum ars omnis constat imitatione. Est autem gestus ille maxime communis, quo medius digitus in pollicem contrahitur explicitis tribus, & principiis utilis cum leni in utranque partem motu modice prolatus, simul capite atque humeris sensim ad id quo manus feratur, obsecundantibus: & in narrando certus, sed tum paulo productior: & in exprobrando & arguendo acer atque instans. Longius enim partibus his & liberius exeritur. Vitiose vero idem siniſtrum quasi humerum petens in latus agi solet: quanquam adhuc pejus aliqui transversum brachium proferunt, & cubito pronuntiant. Duo quoque

1 *Tentantis venas.*] Latini nomine *venarum* etiam *complectuntur arterias*, quo modo loquitur Hippocrates quoque; attamen *venæ* non pulsant, & sanguinem habent: *arteriæ* vero continent spiritum, ideoque pulsant. *Idem.*

2 *Ut in Hydriæ prologo.*] *Hydria* & *Georgus* tituli sunt comœdiarum. quanquam autem appellationes sunt Græcæ, suspicor tamen comœdias fuisse latinas. est autem *hydria* urna aquaria: *Georgus agricola.* Idem.

quoque medii sub pollicem veniunt: & est hic adhuc priore gestus instantior, principio & narrationi non accommodatus. At cum tres contracti pollice premuntur, tum digitus ille, quo usum optime Crassum Cicero dicit, explicari solet. Is in exprobrando & indicando (unde ei nomen est) valet: & allevata ac spectante humerum manu paulum inclinatus affirmat: versus in terram & quasi pronus urget, [1] aliquando pro numero est. Item summo articulo utrinque leviter apprehenso, duobus modice curvatis, minus tamen minimo, aptus ad disputandum est. Acrius tamen argumentari videntur, qui medium articulum potius tenent: tanto contractioribus ultimis digitis, quanto priores descenderunt. Est & ille verecundæ orationi aptissimus, quo quatuor primis leviter in summum coëuntibus digitis, non procul ab ore aut pectore fertur ad nos manus, & deinde prona ac paululum prolata laxatur. Hoc modo cœpisse Demosthenem credo in illo pro Ctesiphonte timido summissoque principio: sic formatam Ciceronis manum cum diceret, *Si quid est in me ingenii, judices, quod sentio quam sit exiguum.* [2] Eadem aliquatenus liberius deorsum spectantibus digitis colligitur in os, & fusius paulo in diversum resolvitur, ut quodammodo sermonem ipsum proferre videatur. Binos interim digitos distinguimus, sed non inserto pollice, paulum tamen inferioribus intra spectantibus, sed ne illis quidem tensis qui supra sunt. Duo interim extremi palmam circa ima pollicis premunt, ipse prioribus ad medios articulos jungitur: interim quartus oblique reponitur: interim quatuor remissis magis quam tensis, pollice intus inclinato, habilem in latus demonstrando, aut distinguendo quæ dicimus, manum facimus, cum [3] supina in sinistrum latus, prona in

1 *Aliquando pro numero.*] *Index* enim in manu sinistra significat *triginta*: in manu dextra *tercentum*, si cum *pollice* jungatur. *Idem.*

2 *Eadem aliquatenus.*] *Collectio manus* veluti significat vocabulorum comprehensionem: *ejusdem explicatio* verba comprehensa ad auditorem mittit. *Idem.*

3 *Supina.*] Merito est *supina* manus in sinistro latere, quia inde incipimus percussionem, *prona* autem est in dextro, quia illic fit depositio. *Idem.*

in alterum fertur. Sunt & illi breves geſtus, cum manus leviter pandata, qualis [1] voventium eſt, parvis intervallis, & ſubaſſentientibus humeris movetur: maxime apta parce & quaſi timide loquentibus. Eſt admirationi conveniens ille geſtus, quo manus modice ſupinata, ac per ſingulos à minimo collecta digitos, redeunte flexu ſimul explicatur atque convertitur. Nec uno modo interrogantes geſtum componimus: plerunque tamen vertentes manum utcunque compoſita eſt. [2] Pollici proximus digitus, mediumque qua dexter eſt, unguem pollici ſummo ſuo jungens, remiſſis cæteris, eſt & approbantibus, & narrantibus & diſtinguentibus decorus. Cui non diſſimilis, ſed compreſſis tribus digitis, quo nunc Græci plurimum utuntur etiam utraque manu, quoties enthymemata ſua geſtu [3] velut cornu tundunt cæſim. Manus lenior promittit & aſſentatur, citatior hortatur, interim laudat. Eſt & ille urgentis orationem geſtus vulgaris magis quam ex arte, qui contrahit alterno celerique motu & explicat manum. Eſt & illa cava, & rara, & ſupra humeri altitudinem elata cum quodam motu velut hortatrix manus, à peregrinis ſcholis jam prope recepta. Tremula, ſcenica eſt. Digitos, cum ſummi coierunt, ad os referre, cur quibuſdam diſplicuerit, neſcio. Nam id & leviter admirantes, & interim ſubita indignatione velut paveſcentes, & deprecantes, facimus. Quin compreſſam etiam manum in pœnitentia vel ira pectori admovemus, ubi vox vel inter dentes expreſſa non dedecet, *Quid nunc agam? Quid faciam?* Averſo pollice demonſtrare aliquid, receptum magis puto, quam oratori decorum. [4] Sed cum omnis

1 *Voventium.*] Alii, *Foventium.*

2 *Pollici proximus digitus.*] Arbitror ab hoc geſtu inoleviſſe proverbium antiquum, *premere pollicem*, pro *approbare* atque *favere*. contrarium autem eſt, *pollicem invertere*, id eſt *improbare*. Turnebus.

3 *Velut cornu.*] Quoniam digiti videntur repræſentare *cornua*, digitos autem Græci non tam movebant in *acutum*. id eſt, *punctim*, quam in *latus*. id eſt, *cæſim*. poteſt eſſe alluſio ad cornua aciei. *Idem.*

4 *Sed cum omnis motus.*] Motus *localis* ſeptem ſunt ſpecies, *ante*, *poſt*, *dextrum*, *lævum*, *ſurſum*, *deorſum*. additur his motus *circularis*, quem prorſus Fabius vituperat in oratore. *Idem.*

1 *Quod*

nis motus sex partes habeat, septimusque sit ille qui in se redit orbis, vitiosa est una circunversio: reliqui, ante nos, & dextra lævaque, & sursum & deorsum aliquid ostendunt: in posteriora gestus non dirigitur. Interim tamen velut rejici solet. Optime autem manus à siniſtra parte incipit, in dextra deponitur: sed ut deponi, non ut ferire videatur: quanquam & in fine interim cadit, ut cito tamen redeat: & nonnunquam resilit vel negantibus nobis, vel admirantibus. Hic veteres artifices illud recte adjecerunt, *ut manus cum sensu & inciperet, & deponeretur.* Alioqui enim aut ante vocem erit gestus, aut post vocem: quod est utrunque deforme. In illo lapsi nimia subtilitate sunt, [1] quod intervallum motus tria verba esse voluerunt: quod nec observatur, nec fieri potest, sed illi quasi mensuram tarditatis celeritatisque aliquam esse voluerunt, nec immerito, ne aut diu ociosa esset manus, aut (quod multi faciunt) actionem continuo motu concideren. Aliud est quod & fit frequentius & magis fallit. Sunt quædam latentes sermonis percussiones, & quasi aliqui pedes, ad quos plurimorum gestus cadit, ut sit unus motus, *Novum crimen:* alter, *C. Cæsar.* tertius, *Et ante hanc diem:* quartus, *Inauditum:* deinde, *Propinquus meus:* &, *Ad te Quintus Tubero detulit.* Unde id quoque fluit vitium, ut juvenes cum scribunt, gestu prædulati cogitationem sic componant, quomodo casura manus est. [2] Inde & illud vitium, ut gestus qui in fine dexter esse debet, in siniſtrum frequenter desinat. [3] Melius illud, cum sint in sermone omni brevia quædam membra, ad quæ, si necesse sit, recipere spiritum liceat, ad hæc gestum disponere: ut puta, *Novum crimen C. Cæsar,* habet per se finem quendam suum, quia sequi-

1 *Quod intervallum.*] Potest ita accipi sensus, vel quod trinis quibusque verbis sit finiendus *unus motus*, vel quod inter *duos motus* quies esse debet in pronunciatione trium vocabulorum. *Idem.*

2 *Inde & illud.*] Hujus rei est ratio, quia cum tot percussionibus distinguitur motus manus, nonnunquam finimus periodum in siniſtra parte. *Idem.*

3 *Melius illud.*] Fabius existimat motum unum terminandum esse vel *commate* vel *colo*, non in singulis percussionibus. *Idem.*

sequitur conjunctio: deinde, *Et ante hanc diem inauditum*, satis circunscriptum est. Ad hæc commodanda manus est, idque dum erit prima & composita actio. At ubi jam calor eam concitaverit etiam gestus cum ipsa orationis celeritate crebrescet. Aliis locis citata, aliis pressa conveniet pronuntiatio. Illa transcurrimus, congerimus, abundamus, festinamus: hac instamus, inculcamus, infigimus. Plus autem affectus habent lentiora: ideoque *Roscius* citatior, *Æsopus* gravior fuit, quod ille comœdias, hic tragœdias egit. Eadem motus quoque observatio est. Itaque in fabulis, juvenum, senum, militum, matronarum gravior ingressus est: servi, ancillæ, parasiti, piscatores citatius moventur. Tolli autem manum artifices supra oculos, demitti infra pectus vetant: adeo à capite [1] eam petere, aut ad imum ventrem deducere vitiosum habetur. [2] Ad siniſtram intra humerum promovetur, ultra non decet. Sed cum aversantes in lævam partem velut propellemus manum, siniſter humerus proferendus, ut cum capite ad dextram ferente consentiat. Manus siniſtra nunquam sola gestum recte facit: dextræ se frequenter accommodat, [3] sive in digitos argumenta digerimus, sive aversis in siniſtrum palmis abominamur, sive objicimus adversas, sive in latus utranque distendimus, sive satisfacientes, aut [4] supplicantes. Diversi autem sunt hi gestus, sive summittimus, sive adorantes attollimus, sive aliqua demonstrationi aut invocationi protendimus, *Vos Albani tumuli atque luci.* Aut Gracchanum illud, [5] *Quo me miser conferam? quo vertam? in Capitoliumne? at fratris sanguine redundat. an domum? matremne ut miseram lamentantemque videam & abjectam?* Plus enim affectus in his junctæ exhibent

1 *Eam petere, &c.*] Dan. *Eum gestum repetere.*

2 *Ad siniſtram.*] Videtur significare, *manum dextram*, si versus *siniſtram* moveatur, ultra humerum siniſtrum non esse promovendam. *Turneb.*

3 *Sive in digitos.*] Hoc autem gestu sæpenumero utebatur Hortensius, ut cavillatur Cic. in Verrem. Huc pertinet *parenchiresis*, de qua dixit Fab. lib. 2. *Idem.*

4 *Supplicantes.*] Dan. *supplic. jungimus.*

5 *Quo me miser conferam.*] Janus Douza filius, Not. in Catull. cap. 6. pag. 38.

1 *Aut*

bent manus. In rebus parvis, triſtibus, mitibus, breves; magnis, lætis, atrocibus, extenſiores ſunt. Vitia quoque earum ſubjicienda ſunt, quæ quidem accidere etiam exercitatis actoribus ſolent. Nam geſtum poculum poſcentis, aut verbera minantis, [1] aut numerum quingentorum flexo pollice efficientis, quæ ſunt à quibuſdam ſcriptoribus notata, ne in ruſticis quidem vidi. At ut brachio exerto introſpiciatur latus, ut manum alius ultra ſinum proferre non audeat, alius in quantum patet longitudo, protendat, aut ad tectum erigat, aut repetito ultra lævum humerum geſtu ita in tergum flagellet, ut conſiſtere poſt eum parum tutum ſit, aut ſiniſtrum ducat orbem, aut temere ſparſa manu in proximos offendat, aut cubitum utrunque in diverſum latus ventilet, ſæpe ſcio evenire. Solet eſſe & pigra, & trepida, & ſecanti ſimilis: interim etiam uncis digitis, aut à capite dejiciatur, aut eadem manus ſupinata in ſuperiora jactetur. [2] Fit & ille habitus, qui eſſe in ſtatuis pacificator ſolet, qui inclinato, in humerum dextrum capite, brachio ab aure protenſo, manum infeſto pollice extendit: qui quidem maxime placet iis, qui ſe dicere ſublata manu jactant. Adjicias licet eos qui ſententias vibratis digitis jaculantur, aut manu ſublata denuntiant, aut (quod per ſe interim recipiendum eſt) quoties aliquid ipſis placuit, in ungues eriguntur: ſed vitioſum id faciunt aut digito quanto plurimum poſſunt erecto, aut etiam duobus, aut utraque manu admodum aliquid portantium compoſita. His accedunt vitia non naturæ, ſed trepidationis, cum ore concurrente rixari, ſi memoria fefellerit, aut cogitatio non ſuffragetur, quaſi faucibus aliquid obſtiterit inſonare, in adverſum tergere nares, obambulare ſermone imperfecto, reſiſtere

1 *Aut numerum quingentorum.*] Beda de numeris antiquorum, ait *pollicem dextræ manus inflexum inſtar gammæ literæ, efficere numerum quingentorum*, ut in *ſiniſtra manu efficere ait quinquaginta.* Turn

2 *Fit & ille habitus.*] Statuæ nonnullæ componebantur habitus *pacificatoris*, quæ pacem quandam præ ſe ferre videbantur. de his intellexit Statius in Sylvis, cum ſcripſit, *Juvat ora tueri Mixta notis belli, placidamque gerentia pacem.* Cæterum Fabius eos qui *levata manu* dicunt, reprehendit. lib. 2. cap. 13. *Idem.*

resistere subito, & laudem silentio poscere: quæ omnia persequi prope infinitum est. Sua enim cuique sunt vitia. Pectus ac venter ne projiciantur, observandum. Pandant enim posteriora, & est odiosa omnis supinitas. Latera cum gestu consentiant. Facit enim aliquid & totius corporis motus: adeo ut Cicero plus illo agi, quam manibus ipsis putet. Ita enim dicit in Oratore, *Nullæ argutiæ digitorum,* [1] *non ad numerum articulus cadens, trunco magis toto se ipse moderans, & virili laterum flexione.* Femur ferire, quod Athenis primus fecisse creditur [2] Cleon, & usitatum est, & indignatos decet, & excitat auditorem. Idque in Callidio Cicero desiderat. *Non frons,* inquit, *percussa, non femur: pedum (quod minimum est) nulla supplosio.* Quanquam (si licet) de fronte dissentio. Nam & complodere manus scenicum est, & pectus cædere. Illud quoque raro decebit, cava manu summis digitis pectus appetere, si quando nosmetipsos alloquemur, cohortantes, objurgantes, miserantes: quod siquando fiet, togam quoque inde removeri non decebit. In pedibus observantur status & incessus. Prolato dextro stare, & eandem manum ac pedem proferre, deforme est. In dextrum incumbere interim datur, sed æquo pectore: qui tamen comicus magis quam oratorius gestus est. Male etiam in sinistrum pedem insistentium dexter aut attollitur, aut summis digitis suspenditur. Varicare supra modum, & in stando deforme est, & accedente motu prope obscœnum. Procursio opportuna, brevis, moderata, rara. Conveniens etiam ambulatio quædam, propter immodicas laudationum moras: quanquam Cicero rarum incessum, neque ita longum probat. Discursare vero, &, quod Domitius Afer de Sura [3] Manilio dixit, *satagere*, ineptissimum: urbaneque Flavius

1 *Non ad numerum.*] Cadit articulus ad *numerum*, cum argutus digitus numeroſe movetur, atque adeo ad *numerum* ipsius periodi nimis affectate cadit. *Idem.*

2 *Cleon.*] *Cleon* filius fuit coriarii, dux tamen ab Athenienſibus missus est in Thraciam. in politia semper fuit turbidus: qua de causa passim reprehenditur ab Aristophane. *Idem.*

3 *Manilio.*] An, *Manlio*? alibi.

1 *Antiso-*

Flavius Virginius interrogavit de quodam suo [1] antisophiste, quot millia passuum declamasset. Præcipi & illud scio, ne ambulantes avertamur à judicibus, sed sint obliqui pedes ad concilium nobis respicientibus. Id fieri judiciis privatis non potest. Verum & breviora sunt spatia, nec aversi diu sumus. Interim tamen recedere sensim datur. Quidam & resiliunt, quod est plane ridiculum. Pedis supplosio ut loco est opportuna, ut ait Cicero, in contentionibus aut incipiendis, aut finiendis: ita crebra & inepti est hominis, & desinit judicem in se convertere. Est & illa indecora in dextrum ac lævum latus vacillatio, alternis pedibus insistentium. Longissime fugienda mollis actio, [2] qualem in Tityo Cicero dicit fuisse, unde etiam saltationis quoddam genus *Tityus* sit appellatum. Reprehendenda est & illa frequens & concitata in utranque partem nutatio, quam in Curione patre irrisit & Junius, quærens *quis* [3] *in lintre loqueretur.* & C. Sicinius: nam cum assidente collega, qui erat propter valetudinem & deligatus, & plurimis medicamentis propter dolorem artuum delibutus, multum se Curio ex more jactasset, *Nunquam*, inquit, *Octavi, collegæ tuo gratiam referes:* [4] *qui nisi fuisset, hodie te istic muscæ comedissent.* Jactantur & humeri: quod vitium Demosthenes ita dicitur emendasse, ut cum in angusto quodam pulpito stans diceret: hasta humero dependens immineret: ut si calore dicendi vitare id excidisset, offensatione illa commoneretur. Ambulantem loqui ita demum oportet in causis publicis,

1 *Antisophistæ.*] *Antisophistam* appellat *sophistam* qui inimicus erat Virginio rhetori. id est, sophistæ. Nam *sophistæ* à Græcis dicuntur professores rhetorices, atque declamatores, ut apud Philostratum. Cæterum Virginius hoc dicto notavit *nimiam discursationem*, quasi ille non *declamasset*, sed *deambulasset*. Turneb.

2 *Qualem in Tityo.*] *Tityus* orator fuit loquax, ut ait Cicero in Bruto: idem molliter ita movebatur, ut videretur gesticulari. unde mollis quædam saltatio vocata est *Tityus* ab ejus nomine. *Idem.*

3 *In lintre.*] Qui sunt in navicula, propter naviculæ vacillationem nunc in hanc nunc in illam partem nutant. eam nutationem repræsentabat *Curio.* Idem.

4 *Qui nisi fuisset.*] Nam *Curio* motu suo tanquam *muscario* effecerat ne *muscæ* confluerent ad medicamenta Octavii. *Idem.*

cis, in quibus multi sunt judices, si quod dicimus, quasi singulis inculcare peculiariter velimus. [1] Illud vero non ferendum, quod quidam rejecta in humerum toga, [2] cum dextra sinum usque ad lumbos reduxerunt, siniſtra gestum facientes spatiantur, & fabulantur: cum etiam lævam restringere prolata longius dextra sit odiosum. Unde moneor ut ne id quidem transeam ineptissime fieri, cum inter moras laudationum aut in aurem alicujus loquuntur, aut cum sodalibus jocantur, aut nonnunquam ad librarios suos ita respiciunt, [3] ut sportulam dictare videantur. Inclinari ad judicem cum doceas, utique si id de quo loquaris, sit obscurius, decet. Incumbere advocato adversis subselliis sedenti, contumeliosum est. Reclinari etiam ad suos, & manibus sustineri, nisi plane justa fatigatio est, delicatum, sicut palam moneri, excidentis, aut legere. Namque in his omnibus & vis illa dicendi solvitur, & frigescit affectus, & judex parum sibi præstari reverentiæ credit. Transire in diversa subsellia, parum verecundum est. Nam & Cassius Severus urbane adversus hoc facientes [4] lineam popoſcit. Et si aliquando concitate itur, nunquam non frigide reditur. Multa ex iis quæ præcipimus, mutari necesse est ab iis, qui dicunt apud [5] tribunalia. Nam & vultus erectior, ut eum, apud quem dicitur, spectet: & gestus, ut ad eundem tendens elatior sit necesse est, & alia quæ occurrere etiam me tacente

1 *Illud vero non ferendum, &c.*] Vide Turneb. Adverſ. lib. 2 cap. 26.

2 *Cum dextra sinum.*] *Sinus* erat in vestibus Romanorum laxitas quædam eo in loco ubi sunt brachia. etenim Romanorum vestes carebant *manicis*, *sinus* autem videtur habuisse nonnullam similitudinem cum *manicis fupparorum*. Turn.

3 *Ut sportulam.*] *Sportula* erogatio erat decem *sestertiorum*. id est, decem *caroleorum* & *unius semissis*. dabatur à patronis clientibus, & (ut scribit Plinius) dabatur ab *oratoribus*, *redemptis auditoribus* & *laudatoribus*. Idem.

4 *Lineam popoſcit.*] *Lineam* poscere dixit per metaphoram Severus, quemadmodum longurii atque vacerræ in equili ponuntur inter equos ne pugnent. est & apud Ovidium *linea* in subselliis theatri ad dividendum: eo etiam referri poterit. *Idem. Lineam propoſcit.*] Lud. Cresoll. Vacat. Autumnal. lib. 11. cap. 12. sect. 3. pag. 383. 384. Cæl. Rhodigin. lib. 5. cap. 14. pag. 222.

5 *Tribunalia.*] *Tribunalia* sunt majorum magistratuum, ut inquit Asconius: *subsellia* minorum. itaque tribunalia sunt longe altiora. *Turneb.*

1 *Itaque*

tacente omnibus possunt. Itemque ab iis qui sedentes agunt. Nam & fere fit hoc in rebus minoribus : & iidem impetus actionis esse non possunt, & quædam vitia fiunt necessaria. Nam & dexter pes à læva judicis sedenti proferendus est, & ex altera parte multi gestus necesse est in sinistrum eant, ut ad judicem spectent. Equidem plerosque & ad singulas sententiarum clausulas video assurgentes sibi, & nonnullos subinde aliquid etiam spatiantes : quod an deceat, ipsi viderint, cum id faciunt, non sedentes agunt. *Bibere*, aut etiam *esse* inter agendum, quod multis moris fuit, & est quibusdam, ab oratore meo procul absit. Nam si quis aliter dicendi onera perferre non possit, non ita miserum est non agere, potiusque multo, quam & operis & hominum contemptum fateri. *Cultus* non est proprius oratoris aliquis, sed magis more conspicitur. Quare sit, ut in omnibus honestis debet esse, splendidus & virilis. Nam & toga, & calceus, & capillus, tam nimia cura quam negligentia sunt reprehendenda. Est aliquid in amictu, quod ipsum aliquatenus temporum conditione mutatum est. Nam veteribus nulli sinus: perquam breves post illos fuerunt. [1] Itaque etiam gestu necesse est usos esse in principiis eos alio, quorum brachium, sicut Græcorum, veste continebatur. Sed nos de præsentibus loquimur. [2] Cui laticlavi jus non erit, ita cingatur, ut tunicæ prioribus oris infra genua paulum posterioribus ad medios poplites usque perveniant. [3] Nam infra mulierum est, supra centurionum. Ut purpuræ recte descendant, levis cura est. Notatur interim negligentia. Latum habentium clavum modus est, ut sit paulum cinctis summissior. Ipsam togam

1 *Itaque etiam gestu.*] Opprobrium erat habere *manicam* :, unde dixit Virgil. *Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.* Itaque antiqui qui neque *sinum* neque *manicas* habebant, initio orationum ante impetum dicendi brachia intra vestem continebant. *Idem.*

2 *Cui laticlavi.*] *Latusclavus* tunica erat multis clavis confixa, eadem *palmata* vocata. erat autem insigne senatorii ordinis. *Idem.*

3 *Nam infra mulierum est.*] *Tunica prolixior* decet *mulierem* propter verecundiam sexus : *brevior* decet *virum militarem*, ut sit expeditior. *Idem.*

1 *Sinus*

togam rotundam esse, & apte cæsam velim. Aliter enim multis modis fiet enormis. Pars ejus prior mediis cruribus optime terminatur, posterior eadem portione altius quam cinctura: [1] Sinus decentissimus, si aliquanto supra imam togam fuerit, nunquam certe sit inferior. [2] Ille qui sub humero dextro ad siniſtrum oblique ducitur velut balteus, nec strangulet, nec fluat. Pars togæ quæ postea imponitur, sit inferior: nam ita & sedet melius, & continetur. Subducenda etiam pars aliqua tunicæ, ne ad lacertum in actu redeat: tum sinus injiciendus humero, cujus extremam oram rejeciſſe non dedecet. Operiri autem humerum cum toto jugulo non oportet, alioqui amictus fiet anguſtus: & dignitatem, quæ est in latitudine pectoris, perdet. Siniſtrum brachium eousque allevandum est, ut quasi [3] normalem illum angulum faciat. Super quod ora ex toga duplex æqualiter sedeat. [4] Manus non impleatur annulis, præcipue medios articulos non transeuntibus: cujus erit habitus optimus, allevato pollice, & digitis leviter inflexis, nisi si libellum tenebit: quod non utique captandum est. Videtur enim fateri memoriæ diffidentiam, & ad multos gestus est impedimento. [5] Togam veteres ad calceos usque demittebant, ut Græci pallium. Idque ut fiat, qui *de gestu* scripserunt circa tempora illa, *Plotius Nigidiusque* præcipiunt. Quo magis

1 *Sinus decentiſſimus.*] Quid *sinus* sit, vide Turneb. lib. 1. Adversar. c. 26. pag. 66. Salmas. ad Tertull. de Pallio. pag. 210. 341. & seqq. Rubenium Elector. lib. 1. cap. 17. p. 20. 21. Rosini Antiquit. Rom. lib. 5. cap. 32. pag. 298. 299.

2 *Ille qui sub.*] Intelligit *torulum* quendam, qui fertur ab humero ad humerum more cinguli. *Turneb.*

3 *Normalem illum angul.*] *Normalis angulus* dicitur rectus & perpendicularis: sic videlicet appellatus à *norma*. Idem. *Quasi normalem illum, &c.*] Macrob. lib. 3. Hortensius vir ex professo mollis, & in præcinctu ponens omnem decorem. Fuit enim vestitu ad mundiciem curioso: & ut bene amictus iret, faciem in speculo ponebat: ubi se intuens togam componi sic adplicabat, ut rugas non forte, sed industria locatas artifex nodus constringeret, & sinus ex composito fluens, nodum lateris ambiret. *Pith.*

4 *Manus non, &c.*] Annuli (ut docet Plin.) magis gestabantur *siniſtra* quam *dextra*. porro tot gestabant interdum, ut manus oneraretur. quod vitiosum putat Fabius. *Turneb.*

1 *Pallio.*

magis miror Plinii Secundi docti hominis, & in hoc utique libro pene etiam nimium curiosi, persuasionem, qui solitum id facere Ciceronem velandarum varicum gratia tradit: cum hoc amictus genus in statuis eorum quoque qui post Ciceronem fuerunt, appareat. [1] Palliolum sicut fascias quibus crura vestiuntur, [2] & focalia, & aurium ligamenta, sola excusare potest valetudo. Sed hæc amictus observatio, dum incipimus: procedente vero actu, jam pene ab initio narrationis sinus ab humero recte velut sponte delabitur: & cum ad argumenta ac locos ventum est, rejicere à siniſtro togam, dejicere etiam si hæreat, sinum, conveniet. [3] Lænam à faucibus ac summo pectore abducere licet. Ardent enim jam omnia. Et ut vox vehementior ac magis varia est, sic amictus quoque habet actum quendam velut prælientem. Itaque ut lænam involvere toga, & incingi, pene furiosum est: sinum vero in dextrum humerum ab imo rejicere, solutum ac delicatum, fiuntque adhuc pejus aliqua: ita cur laxiorem sinum siniſtro brachio non subjiciamus? Habet enim acre quiddam atque expeditum, & colori concitationique non inhabile. Cum vero magna pars est exhausta orationis utique afflante fortuna pene omnia decent, sudor ipse & fatigatio, & negligentior amictus, & soluta ac velut labens undique toga. Quo magis miror hanc quoque succurriſſe Plinio curam, ut ita sudario frontem siccari juberet, ne comæ turbarentur, quas componi post paulum, sicuti dignum erat, graviter & severe vetuit. Mihi vero illæ quoque

1 *Palliolum, sicut fascias.*] Apparet *palliolum* vestimentum fuisse calidum, quod vice tunicæ subjiceretur togæ. Sic Tranquillus ait *Clodium cum morbo laboraret, palliolatum ludos spectasse.* Turneb. *Palliolum, &c.*] Salmas. ad Tertullian. de Palliop. 269. Turneb. lib. 7. cap. 10. p. 215.

2 *Focalia.*] *Focale* (ut ait Acron) ornamentum est faucium. Apparet tamen ex Porphyrionis sententia, *focalia* fuisse fascias & quædam medicamenta, quibus fauces in valetudine foverentur: de quibus egisse videtur Martialis,

Declamaturus circundas vellera collo:
Conveniunt nostris auribus illa magis.

Turneb.

3 *Lænam.*] *Læna* vestis est militaris & magistratuum atque oratorum. dicitur à Græcis χλαῖνα. *Idem.* Alii hic, ut & paulo infra, legunt *lævam.*

1 *Postea*

que turbatæ præ se ferre aliquid affectus, & ipsa oblivione curæ hujus commendari videntur. At si incipientibus aut paulum progressis decidat toga, non reponere eam, prorsus negligentis aut pigri aut quomodo debeat amiciri, nescientis est. Hæc sunt vel illustramenta pronuntiationis, vel vitia: quibus propositis, multa cogitare debet orator. Primum, *quid*, *apud quos*, *quibus præsentibus* sit acturus. Nam ut dicere alia aliis, & apud alios magis convenit: sic etiam facere. Neque eadem in voce gestu, incessu, apud principem, senatum, populum, magistratum, privato, publico judicio, [1]postulatione, actione similiter decent. Quam differentiam subjicere sibi quisque, qui animum intenderit potest, tum qua de re dicat, & efficere quid velit. Rei quadruplex observatio est. Una in tota caussa. Sunt enim tristes, hilares, solicitæ, securæ, grandes, pusillæ: ut vix unquam ita solicitari partibus earum debeamus, ut non summæ meminerimus. Altera, quæ est in differentia partium, ut in procœmio, narratione, argumentatione, epilogo. Tertia in sententiis ipsis, in quibus secundum res & affectus variantur omnia. [2] Quarta in verbis, quorum ut est vitiosa, si efficere omnia velimus, imitatio: ita quibusdam nisi sua natura redditur, vis omnis aufertur. Igitur in laudationibus (nisi si funebres erunt) gratiarum actione, exhortatione, similibus, læta & magnifica & sublimis est actio. [3] Funebres conciones, consolationes, plerunque caussæ reorum, tristes atque summissæ. In senatu conservanda auctoritas, apud populum dignitas, in privatis, modus. De partibus

1 *Postulatione.*] *Postulatio* est, ut inquit Ulpianus, *cum apud eum qui jurisdictioni præest, vel nostrum vel alicujus desiderium exponimus, vel etiam alterius desiderio refragamur.* Idem.

2 *Quarta, in verbis.*] *Verba* enim cum imitatione pronuncianda sunt. sic latronem pronunciamus vehementi & forti voce. neque tamen omnia debet efficere imitatio. de his quatuor partibus sigillatim à Fabio mox explicabitur. *Idem.*

3 *Funebres.*] Idcirco appellavit *funebres* conciones, propterea quod Romæ in Rostris *claræ personæ* laudabantur apud populum. *orationes* autem quæ ad populum habentur *conciones* dicuntur. *Idem.*

tibus causſæ, & ſententiis verbiſque, quæ ſunt multiplicia, pluribus dicendum. Tria autem præſtare debet pronuntiatio: conciliet, perſuadeat, moveat: quibus natura cohæret, ut etiam delectet. Conciliatio fere aut commendatione morum (qui neſcio quomodo ex voce etiam atque actione pellucent) aut orationis ſuavitate conſtat: perſuadendi vis aſſeveratione, quæ interim plus ipſis probationibus valet. [1] *An iſta* (inquit Callidio Cicero) *ſi vera eſſent, ſic à te dicerentur? &, Tantum abeſt, ut inflammares noſtros animos, ſomnum iſto loco vix tenebamus.* Fiducia igitur appareat, & conſtantia utique ſi auctoritas ſubeſt. Movendi autem ratio aut in repræſentandis eſt, aut imitandis affectibus. [2] Ergo cum judex in privatis, aut præco in publicis dicere de cauſſa jusſerit, leniter conſurgendum: tum in componenda toga, vel (ſi neceſſe erit) etiam ex integro injicienda, duntaxat in judiciis (apud principem enim & magiſtratus ac tribunalia non licebit) paulum eſt commorandum, ut & amictus ſit decentior, & protinus aliquid ſpatii ad cogitandum. Etiam cum ad judicem nos converterimus, & conſultus prætor permiſerit dicere, non protinus eſt erumpendum, ſed danda brevis cogitationi mora. Mire enim auditurum dicturi cura delectat, & judex ſe ipſe componit. [3] Hoc præcipit Homerus *Ulyſſis exemplo, quem ſtetiſſe oculis in terram defixis, immotoque ſceptro priuſquam illam eloquentiæ procellam effunderet, dicit.* In hac cunctatione ſunt quædam non indecentes, ut appellant ſcenici, moræ, caput mulcere, manum intueri, infringere articulos, ſimulare conatum, ſuſpiratione

1 *An iſta.*] Hoc exemplo docet Fabius multum poſſe ad perſuadendum *aſſeverationem.* Etenim Callidius orator cum graviſſimum crimen objiceret ſine *aſſeveratione* & *contentione* orationis, idcirco facile refutatus eſt à Cicerone. *Idem.*

2 *Ergo cum judex in privatis, &c.*] Turneb. Adverſar. lib. xi. cap. 6.

3 *Hoc præcipit Homerus.*] Locus eſt ex *tertio Iliados.* Nam miſſus Ulyſſes cum Menelao legatus, antequam verba faceret defixit in terram oculos, eſtque cunctatus. quem locum Ovidius in contentione Ulyſſis & Ajacis eſt imitatus. *Turneb. Hoc præcipit Homerus.*] Ovid. 13. Metam.

ratione ſolicitudinem fateri, aut quod quenque magis decet: eaque diutius, ſi judex nondum intendet animum. Status ſit rectus, æqui & deducti paulum pedes, vel procedens minimo momento ſiniſter: genua recta, ſic tamen, ut non extendantur. Humeri remiſſi, vultus ſeverus, non mœſtus, nec ſtupens, nec languidus, brachia à latere modice remota: manus ſiniſtra, qualem ſupra demonſtravi: dextra cum jam incipiendum erit, paulum prolata ultra ſignum geſtu quam modeſtiſſimo, velut expectans quando incipiendum ſit. [1] Vitioſa enim ſunt illa, intueri lacunaria, perfricare faciem, & quaſi improbam facere: tendere confidentia vultum, aut quo ſit magis torvus, ſuperciliis adſtringere: capillos [2] à fronte contra naturam retroagere, ut ſit horror ille terribilis: tum, id quod Græci frequentiſſime faciunt, crebro digitorum labiorumque motu commentari, clare excreare, pedem alterum longe proferre, partem togæ ſiniſtra tenere, ſtare diductum vel rigidum, vel ſupinum, vel incurvum, vel humeris, ut luctaturi ſolent, ad occipitium ductis. [3] Procœmio frequentiſſime lenis convenit *pronuntiatio*. Nihil eſt enim ad conciliandum gratius verecundia: non tamen ſemper. Nec enim uno modo dicuntur exordia, ut docui. Plerunque tamen & vox temperata ac geſtus modeſtus, & [4] ſedens humero toga, & laterum lenis in utranque partem motus, eodem ſpectantibus oculis, decebit. Narratio magis prolatam manum, amictum recidentem, geſtum diſtinctum, vocem ſermoni proximam, ac tantum [5] apertiorem, ſonum ſimplicem frequentiſſime poſtulabit in his duntaxat, *Quintus igitur Ligarius cum eſſet adhuc*

1 *Vitioſa enim ſunt illa, &c.*] Juvenal. *Doctus ſpectare lacunar.* Caper in arte: *laquearia* non *lacunaria* dici notat. *Paſſer.*

2 *A fronte.*] Sueton. in Vitell. Per totum viæ ſacræ ſpatium reducta coma à capite ceu noxii ſolent. *Idem.*

3 *Procœmio frequentiſſ.*] Hoc utique verum eſt, ſi ſpectes *exordii* officium, quia tamen nonnunquam in *exordio* moventur affectus graviores, ut in oratione pro *Roſcio Amerino*, paulo concitatiori geſtu erit utendum. *Turneb.*

4 *Sedens humero toga.*] Id autem ait, quia in locis vehementibus ſæpenumero ſolemus dejicere ex *humero togam.* Idem.

5 *Apertiorem.*] Alii, *Acriorem.*

1 *Diver-*

adhuc nulla belli suspicio, &, *A. Cluentius Habitus pater hujusce.* Aliud in eadem poscunt affectus vel concitati, *Nubit genero socrus.* vel flebiles, *Constituitur in foro Laodiceæ spectaculum acerbum & miserum toti Asiæ provinciæ.* Maxime varia & multiplex actio est probationum. Nam & proponere, partiri, interrogare, sermoni sunt proxima, & contradictionem sumere. Nam ea quoque diversa propositio est. Sed hæc tamen aliquando irridentes, aliquando imitantes pronuntiamus. Argumentatio plerunque agilior, & acrior, & instantior, consentientem orationi postulat etiam gestum, id est fortem celeritatem. Instandum quibusdam in partibus & densanda oratio. Egressiones fere lenes, & dulces, & remissæ, ut *raptus Proserpinæ*, *Siciliæ descriptio*, *Cn. Pompeii laus.* Neque est mirum minus habere contentionis ea quæ sunt extra quæstionem. Mollior nonnunquam cum reprehensione [1] diversæ partis imitatio, [2] *Videbar videre alios intrantes, alios autem exeuntes, quosdam ex vino vacillantes.* Ubi non dissidens à voce permittitur gestus, quo fit in utranque partem tenera quædam, sed intra manus tamen, & sine motu laterum translatio. Accendendi judices plures sunt gradus. [3] Summus ille, & quo nullus est in oratore acutior: *Suscepto bello, Cæsar gesto jam etiam ex parte magna.* Prædixit enim, *Quantum potero voce contendam, ut populus hæc Romanus exaudiat.* Paulum inferior, & habens aliquid etiam jucunditatis, *Quid enim tuus ille Tubero in acie Pharsalica gladius agebat?* Plenius adhuc & lentius ideoque dulcius, *In cœtu vero populi Romani negotium publicum gerens.* Producenda omnia trahendæque tum vocales, aperiendæque sunt fauces. [4] Pleniore tamen

1 *Diversæ partis.*] De *contradictionibus* multa locutus est Fabius lib. 5. Hæ autem sunt propositiones quibus adversarius suam causam fulcit, & nostram subvertit. itaque quia nobis obsunt, sumendæ sunt ut refellantur. *Idem.*

2 *Videor videre.*] Exemplum est ex oratione pro Gallio, citaturque à Fabio in cap. de ornatu. est enim *diatyposis* sive *energia.* Idem.

3 *Summus ille.*] Locus hic sic intelligendus est, ut de *voce* accipiatur, in loci hujus pronunciatione, ut *maxima* sit *vox* & *acutissima*, supra quam nullus sit alius major tonus. *Idem.*

4 *Pleniore tamen.*] Metaphora est ducta à

men hæc canali fluunt, *Vos Albani tumuli atque luci.* Nam cantici quiddam habent, sensimque resupina sunt: *Saxa atque solitudines voci respondent.* Tales sunt illæ inclinationes vocis, quas invicem Demosthenes atque Æschines exprobrant, non ideo improbandæ: cum enim uterque alteri objiciat, palam est utrunque feciſſe. Nam neque ille per Marathonis & Platearum & Salaminis propugnatores [1] recto sono juravit, nec hic Thebas sermone deflevit. [2] Est his diversa vox, & pene extra organum, cui Græci nomen *amaritudinis* dederunt: supra modum ac pene naturam vocis humanæ acerba: *Quin compescitis vocem istam indicem stultitiæ, testem paucitatis?* Sed id quod excedere modum dixi, in illa parte prima est, *Quin compescitis.* Epilogus si enumerationem rerum habet, desiderat quandam conciſorum continuationem: si ad concitandos judices est accommodatus, aliquid ex iis quæ supra dixi: si placandos, inclinatam quandam lenitatem: si misericordia commovendos, flexum vocis, & flebilem suavitatem, qua præcipue franguntur animi, quæque est maxime naturalis. Nam etiam orbos viduasque videas in ipsis funeribus canoro quodam modo proclamantes. Hîc etiam fusca illa vox, qualem Cicero fuisse in Antonio dicit, mire facit. habet enim in se quod imitemur. Duplex est tamen miseratio: altera cum invidia, qualis modo dicta de damnatione Philodami: altera cum deprecatione demissior. Quare etiam si est in illis quoque cantus obscurior, *In cœtu vero populi Romani.* non enim hæc rixantis modo dixit. &, *Vos Albani tumuli.* neque enim quasi inclamaret aut testare-

cta à *tubis* & *canalibus aquæductuum.* ita enim transtulit ad *arteriam tracheam*, quæ *canalis* est vocis. *Idem.*

1 *Recto sono juravit.*] In Marathone campo Atticæ regionis Miltiades superavit copias Darii Persarum regis. Themistocles autem in Salaminio freto naumachia Xerxem vicit. at Pausanias Mardonium Xerxis ducem ad Platæas urbem Bœotiæ superavit. per hos autem juravit Demosthenes, ut ignominiam cladis ad Cheroneam acceptæ levaret. *Idem.*

2 *Est his diversa.*] Significat eam vocem quam appellant παρεφωνίαν Græci, id est *acerbam vocem.* eam dixit esse extra *organum* Fab. quia est extra *legitimum tonum* ex nimia contentione reprehensionis. *Idem.*

1 *Un*

testaretur locutus est: tamen infinito magis illa flexa & circuducta sunt, *Me miserum, me infœlicem*, &, *Quid respondebo liberis meis?* &, *Revocare tu me in patriam potuisti Milo per hos, ego te in eadem patria per eosdem retinere non potero?* Et cum bona C. Rabirii [1]uno sestertio addicit, *O meum miserum acerbumque præconium.* Illa quoque mire facit in peroratione velut deficientis dolore & fatigatione confessio: ut pro eodem Milone, *Sed finis sit: neque enim præ lacrymis jam loqui possum.* Quæ similem verbis habere debent etiam pronuntiationem. Possunt videri alia quoque hujus partis atque officii, *reos excitare, pueros attollere, propinquos producere, vestes laniare:* sed suo loco dicta sunt. Et quia in partibus caussæ etiam aliis est varietas, satis apparet accommodandam sententiis ipsis pronuntiationem, sicut ostendimus. Sed verbis quoque, quod novissime dixeram, non semper, sed aliquando. An non hæc, *Misellus & pauperculus*, summissa atque contracta: *Fortis, & vehemens, & latro*, erecta & concitata voce dicenda sunt? Accedit enim vis & proprietas rebus tali adstipulatione: quæ nisi adsit, aliud vox, aliud animus ostendat. Quid, quod eadem verba mutata pronuntiatione indicant, affirmant, exprobrant, negant, mirantur, indignantur, interrogant, irrident, elevant? Aliter enim dicitur,

Tu mihi quodcunque hoc regni. &,
Cantando tu illum? --- &,
Tune ille Æneas? &,
--- *Meque timoris*
Argue tu Drance.

Et ne morer, intra se quisque vel hoc, vel aliud quod volet, per omnes affectus versetur: verum esse quod dicimus, sciet. [2]Unum jam his adjiciendum est, cum præcipue in actione spec-

1 *Uno sestertio.*] Apud Cic. legitur, *nummo sestertio*, id est vilissimo pretio. *nummus* enim & *sestertius* idem significant: hæc tamen duo sæpe conjunguntur, potissimum in obliquis, ne existimemus esse sestertium neutri generis. *Idem.*

2 *Unum jam.*] Quæ sunt firmissima, & tamen arte tradi non possunt, ultimo loco adjicit. præcepta enim *decori* quanquam quædam posita sunt hoc capite, si nimirum ea serventur quæ dixit Fabius, attamen *decorum* quoddam pe-

ſpectetur decorum, ſæpe aliud alios decere. Eſt enim latens quædam in hoc ratio, & inenarrabilis: & ut vere hoc dictum eſt, caput eſſe artis, decere quod *facias*: ita id neque ſine arte eſſe, neque totum arte tradi poteſt. In quibuſdam virtutes non habent gratiam, in quibuſdam vitia ipſa delectant. Maximos actores comœdiarum Demetrium & Stratoclem placere diverſis virtutibus vidimus. Sed illud minus mirum, quod alter deos, & juvenes, & bonos patres, ſervoſque, & matronas, & graves anus optime: alter acres ſenes, callidos ſervos, paraſitos, lenones, & omnia [1] agitatiora melius. Fuit enim natura diverſa. Nam vox quoque Demetrii jucundior, illius acrior erat. Annotandæ magis proprietates, quæ transferri non poterant, manus jactare, & dulces exclamationes theatri cauſſa producere, & ingrediendo ventum concipere veſte, & nonnunquam dextro latere facere geſtus: quod neminem alium præter Demetrium decuit: nanque in hæc omnia, ſtatura & mira ſpecie adjuvabatur. Illum curſus, & agilitas, & vel parum conveniens perſonæ riſus, (quem non ignarus rationis populo dabat) & contracta etiam cervicula. Quicquid horum alter feciſſet, fœdiſſimum videretur. Quare norit ſe quiſque, nec tantum ex communibus præceptis, ſed etiam ex natura ſua capiat conſilium formandæ actionis. Neque illud tamen eſt nefas, ut aliquem vel omnia vel plura deceant. Hujus quoque loci clauſula ſit eadem neceſſe eſt, quæ cæterorum eſt, regnare maxime modum. Non enim comœdum eſſe, ſed oratorem volo. Quare neque in geſtu perſequemur omnes argutias, nec in loquendo diſtinctionibus, temporibus, affectionibus moleſte utemur: ut ſit in ſcena dicendum,

Quid igitur faciam? non eam, ne nunc quidem
Cum arceſſor ultro? an potius ita me comparem,

Non

titur à propria cujuſque natura, uſque-adeo ut quod in alio *virtus* eſt, in alio ſit *vitium*. Idem.

1 *Agitatiora.*] Hac de cauſa propter argumenti varietatem & perſonarum motum, dicuntur quædam comœdiæ *ſtatariæ*, quædam *motoriæ*: de quibus vide *Donatum* in *Terentium*. Idem.

1 Pro

Non perpeti meretricum contumelias?

Hîc enim dubitationis moras, vocis flexus, varias manus, diverſos nutus actor adhibebit. Aliud oratio ſapit, nec vult nimium eſſe condita. Actione enim conſtat, non imitatione. Quare non immerito reprehenditur [1] pronuntiatio vultuoſa, & geſticulationibus moleſta, & vocis mutationibus reſultans. Nec inutiliter ex Græcis veteres tranſtulerunt, quod ab his ſumptum Lenas Popilius poſuit, eſſe *hanc* [2] *inocioſam actionem.* Optime igitur idem, qui omnia, Cicero præceperat, quæ ſupra ex oratore poſui: quibus ſimilia in Bruto de Marco Antonio dicit. Sed jam recepta eſt actio paulo agitatior, & exigitur, & quibuſdam partibus convenit: ita tamen temperanda, ne dum actoris captamus elegantiam, perdamus viri boni & gravis auctoritatem.

1 *Pronunciatio vultuoſa.*] Vulgo ſolent *vultuoſum* accipere pro *triſti* & *ſevero*: attamen apud Ciceronem & Fabium ſignificat *crebras vultus mutationes*, quales fiunt ab hiſtrionibus. *Idem.*

2 *Inotioſam actionem.*] Videtur Popilius vertiſſe ἀσχολον ὑπόκρισιν, id eſt *inotioſam actionem*, quæ multis negotiis geſticulandi vultumque fingendi occupatur. *Idem.*

M. Fab. Quintiliani De Institutione Oratoria Liber Duodecimus.

Prooemium.

Ventum est ad partem operis destinati longe gravissimam. Cujus equidem onus si tantum opinione prima concipere potuissem, quanto me premi ferens sentio, maturius consuluissem vires meas. [1] Sed initio pudor omittendi quæ promiseram tenuit: mox quanquam per singulas prope partes labor crescceret, ne perderem quæ jam effecta erant, per omnes difficultates animo me sustentavi. Quare nunc quoque, licet major quam unquam moles premat, tamen prospicienti finem mihi constitutum est vel deficere potius, quam desperare. [2] Fefellit autem, quod initium à parvis ceperamus: mox velut aura solicitante provecti longius, dum tantum nota illa, & plerisque artium scriptoribus tractata præcipimus, nec adhuc à littore procul videbamur, & multos circa velut iisdem se ventis credere ausos habebamus. [3] Jam cum *eloquendi rationem* noviſſime repertam, pauciſſimisque

Oratorem finiit Cato, *virum bonum dicendi peritum*. Superioribus igitur libris Fabius oratori tribuit dicendi peritiam, hoc libro oratoris mores format: officiaque præscribit: quo nomine est summopere commendandus, quia partem ab omnibus prætermissam tractavit. *Turneb.*

1 *Sed initio.*] Cum proposuit *magnitudinem* & *difficultatem*, attentionem conciliavit: nunc vero causas affert quamobrem institutum opus non omiserit. erat enim pollicitus institutionem oratoriam suis familiaribus, ut scribit in præfatione. & alioqui turpe erat desistere, cum propinquus esset finis. *Idem.*

2 *Fefellit autem.*] Aperit causas erroris: ac reliqua quæ dixit, à *metaphora nautica* sunt desumpta, est tamen quibusdam in partibus *allegoria*. Idem.

3 *Jam cum eloq.*] Ait rationem *eloquendi* noviſſime repertam, quia antiqui oratores utebantur oratione horrida, nec in usu erat compositio numerosa, quæ primum est reperta à *Thrasymacho* & *Georgia*, deinde emendata ab *Isocrate*. Idem.

1 *Post-*

misque tentatam ingressi sumus, rarus qui jam procul à portu recessisset, reperiebatur. [1] Postquam vero nobis ille, quem instituebamus, orator, à dicendi magistris dimissus, aut suo jam impetu fertur, aut majora sibi auxilia ex ipsis sapientiæ penetralibus petit: quam in altum simus ablati, sentire cœpimus. [2] Nunc cœlum undique & undique pontus. Unum modo in illa immensa vastitate cernere videmur M. Tullium, qui tamen ipse, quanvis tanta atque ita instructa nave hoc mare ingressus, contrahit vela, [3] inhibetque remos, & de ipso demum genere dicendi quo sit usurus perfectus orator, satis habet dicere. At nostra temeritas etiam mores ei conabitur dare, & assignabit officia. Ita nec antecedentem consequi possumus, & longius eundum est, ut res feret. Probabilis tamen cupiditas honestorum, & vel tutioris [4] audaciæ est tentare quibus paratior venia est.

1 *Postquam vero.*] Superioribus libris ea tractavit *Fabius*, quæ doceri solent à rhetoribus. hoc libro quæ etiam studia ejus esse debeant, explicat: docet jus civile discendum, philosophiamque. *Idem.*

2 *Nunc cœlum undique.*] Hemistichium est ex quinto Æneidos, quo significat Virg. *navem esse in medio mari.* Idem.

3 *Inhibetque remos.*] *Inhibentur remi & naves*, quum non solum remi sustinentur, sed potius navis in contrarium agitur, id est in puppim navigatur. Præterea se comparat cum Cicerone, partemque ab eo & ab aliis prætermissam se tractaturum pollicetur. *Idem.*

4 *Audaciæ.*] Alii, *Audentiæ.*

CAP. I.

Non posse oratorem esse nisi virum bonum.

SIt ergo nobis *orator* quem instituimus, is qui à M. Ca- 1
tone finitur, *vir bonus dicendi peritus.* Verum id quod ille posuit prius, etiam ipsa natura potius ac majus est, utique *vir bonus*, non eo tantum, quod si vis illa dicendi malitiam instruxerit, nihil sit publicis privatisque rebus perniciosius eloquentia, sed nos quoque ipsi, qui pro virili parte conferre ali-

CÆteri rhetores hanc partem omiserunt, quia temporibus Socratis à philosophia separata fuit eloquentia. Fabius autem philosophiam moralem conatur oratori asserere, quem negat esse posse sine morum probitate. *Turneb.*

re aliquid ad facultatem dicendi conati sumus, pessime mereamur de rebus humanis, si latroni comparemus hæc arma non militi. Quid de nobis loquor? Rerum ipsa natura in eo quod præcipue indulsisse homini videtur, [1] quoque nos à cæteris animalibus separasse, non parens, sed noverca fuerit, *si facultatem dicendi, sociam scelerum, adversam innocentiæ, hostem veritatis invenit.* Mutos enim nasci, & egere omni ratione satius fuisset, quam providentiæ munera in mutuam perniciem convertere. Longius tendit hoc judicium meum. [2] Neque enim tantum id dico, eum qui sit orator, *virum bonum esse oportere:* sed ne futurum quidem oratorem, nisi virum bonum. [3] Nam certe neque intelligentiam concesseris iis qui proposita honestorum ac turpium via, pejorem sequi malint: neque prudentiam iis qui in gravissimas frequenter legum, semper vero malæ conscientiæ pœnas à semetipsis improviso rerum exitu inducantur. Quod si *neminem malum* esse, *nisi stultum* eundem, non modo à sapientibus dicitur, sed vulgo quoque semper est creditum: *certe non fiet unquam stultus orator.* Adde quod ne studio quidem operis pulcherrimi vacare mens, nisi omnibus vitiis libera, potest: [4] primum quod in eodem pectore nullum est honestorum turpiumque consortium: & cogitare optima simul ac deterrima, non magis est unius animi, quam ejusdem hominis *bonum esse ac malum.* Tum illa quoque ex causa, quod mentem tantæ rei intentam, vacare omnibus aliis etiam culpa carentibus curis oportet. Ita demum enim libera,

1 *Quoque nos à cæteris.*] Hic locus tractatus est *à Fabio lib.* 2. *cap.* 17. ubi docet cætera animalia appellari muta: unde & Græci vocant ἄλογα. quanquam hoc alii referunt ad rationis defectum. *Idem.*

2 *Neque enim.*] Sententiæ hujus est sensus, *nihil esse posse utilius & honestius, quam si orator aliquis sit vir bonus.* imo vero nisi vir bonus fuerit, orator esse non poterit. *Idem.*

3 *Nam certe.*] Ratiocinatione utitur, cujus major est à *repugnantibus*, minor à *consequentibus*, & à testimonio *sapientum.* Idem.

4 *Primum, quod in &c.*] Argumentum est à *contrariis.* etenim contraria in eodem esse non possunt. Cæterum Chrysippus existimavit *animum esse in pectore*, ideoque sic locutus est Fabius. *Idem.*

1 *Huic*

libera, ac tota, nulla distringente atque alio ducente caussa» spectabit id solum ad quod accingitur. Quod si agrorum nimia cura, & solicitior rei familiaris diligentia, & venandi voluptas, & dati spectaculis dies, multum studiis auferunt ([1] huic enim rei perit tempus quodcunque alteri datur) quid putamus facturas, *cupiditatem, avaritiam, invidiam?* quarum impotentissimæ cogitationes, somnos etiam ipsos, & illa [2] per quietem visa perturbant. Nihil est enim tam occupatum, tam multiforme, tot ac tam variis affectibus concisum atque laceratum, quam *mala mens*. Nam & cum insidiatur, spe, curis, labore distringitur: & jam cum sceleris compos fuerit, solicitudine, pœnitentia, pœnarum omnium expectatione torquetur. Quis inter hæc literis, aut ulli bonæ arti locus? Non hercle magis quam frugibus in terra sentibus ac rubis occupata. Age, non ad perferendos studiorum labores necessaria frugalitas? Quid igitur ex libidine ac luxuria spei? Non præcipue acuit ad cupiditatem literarum amor laudis? Non igitur malis esse laudem curæ putamus. Jam hoc quis non videt, maximam partem orationis in tractatu æqui bonique consistere? Dicetne de his secundum debitam rerum dignitatem malus atque iniquus? Denique ut maximam partem quæstionis eximam, demus id quod nullo modo fieri potest, *idem ingenii, studii, doctrinæ, pessimo atque optimo viro, uter melior dicetur orator?* Nimirum qui homo quoque melior. Non igitur unquam malus idem homo, & perfectus orator. Non enim perfectum est quicquam, quo melius est aliud. [3] Sed ne more Socraticorum nobismetipsis responsum finxisse videamur, sit aliquis adeo contra

1 *Huic enim rei, &c.*] Allusio est ad apophthegma Plinii: dicebat etiam *omne tempus perire, quod studiis non impenderetur.* est autem locus comparationis à minori. *Idem.*

2 *Per quietem visa.*] Hoc dictum est juxta physicos, qui *talia ajunt esse somnia, quales fuerint diurnæ cogitationes*, phantasia scilicet species reservante. *Idem.*

3 *Sed ne more Socrat.*] Socratici philosophi, ut *Plato* & *Xenophon*, dialogos scribere solent, & eas personas quibuscum loquuntur, inducunt ea dicentes nonnunquam, quæ non sit difficile refutare, ac sæpenumero inductionibus eum quem alloquuntur solent decipere. *Idem.*

contra veritatem obstinatus, ut audeat dicere, eodem ingenio, studio, doctrina præditum, nihilo deteriorem futurum oratorem malum virum quam bonum. Convincamus hujus quoque amentiam. Nam hoc certe nemo dubitabit, omnem oratorem id agere, ut judici quæ proposita fuerint, vera & honesta videantur. Utrum igitur hoc facilius bonus vir persuadebit, an malus? Bonus quidem & dicet sæpius vera atque honesta. [1] Sed etiam siquando aliquo ductus officio (quod accidere, ut mox docebimus, potest) falso hæc affirmare conabitur, [2] majore cum fide necesse est audiatur. At malis hominibus ex contemptu opinionis, & ignorantia recti, nonnunquam excidit ipsa simulatio. Inde immodeste proponunt, sine pudore affirmant. Sequitur in iis quæ certum est effici non posse, deformis pertinacia, & irritus labor. Nam sicut in vita, ita in caussis quoque spes improbas habent. Frequenter autem accidit, ut his etiam vera dicentibus fides desit, [3] videaturque talis advocatus, malæ caussæ argumentum. Nunc de iis dicendum est, quæ mihi quasi conspiratione quadam vulgi reclamari videntur. *Orator ergo Demosthenes non fuit?* atqui malum virum accepimus. *Non Cicero?* atqui hujus quoque mores multi reprehenderunt. Quid agam? magna responsi invidia subeunda est, mitigandæ sunt prius aures. Mihi enim nec *Demosthenes*, tam gravi morum dignus videtur invidia, ut omnia quæ in eum ab inimicis congesta sunt, credam, cum & pulcherrima ejus in republica consilia, [4] & finem vitæ clarum legam. *Nec Marco Tullio* defuisse video in ulla parte civis optimi voluntatem.

1 *Sed etiam si quando.*] *Fabius* hoc lib. docebit nonnunquam ab *oratore*, id est *viro bono*, turpia defendi, sed tum cum magna officii aut Reipub. ratione ducetur. *Idem.*

2 *Majore cum fide.*] Sic Aristot. cum tractat de probationibus ethicis, ait *mores præcipuam facere fidem.* Idem.

3 *Videaturque talis advoc.*] Sic Pollio pro Urbiniæ hæredibus adversarii causam malam esse dixit, quod defenderetur à Labieno. *auctor Fab. lib.* 4. Idem.

4 *Et finem vitæ clarum.*] Post mortem Alexandri cum imperaret Macedoniæ Antipater, ac Demosthenem, qui rebus Macedonum semper adversus fuerat, in quodam templo concluisset, Demosthenis venenum quod sub gemma annuli habebat, hausit, sicque mortuus est. *Idem.*

tatem. Testimonio est actus nobilissime consulatus: integerrime provincia administrata: [1] & repudiatus vigintiviratus: & civilibus bellis, quæ in ætatem ejus gravissima inciderunt, neque spe neque metu declinatus animus, quo minus optimis se partibus, id est reipublicæ jungeret. Parum fortis videtur quibusdam: quibus optime respondit ipse, non se timidum in suscipiendis, sed in providendis periculis: quod probavit morte quoque ipsa, quam præstantissimo suscepit animo. Quod si defuit his viris summa virtus, sic quærentibus an oratores fuerint, respondebo, quomodo Stoici, si interrogentur *an sapiens Zeno*, an *Cleanthes*, an *Chrysippus*, respondeant magnos quidem illos ac venerabiles, non tamen id quod natura hominis summum habet, consecutos. [2] Nam & *Pythagoras*, non *sapientem se*, ut qui ante eum fuerunt, *sed studiosum sapientiæ vocari voluit*. Ego tamen secundum communem loquendi consuetudinem sæpe dixi, dicamque *perfectum oratorem esse Ciceronem*, ut amicos & bonos viros & prudentissimos dicimus vulgo, quorum nihil nisi perfecte sapienti datur. [3] Sed cum proprie, & ad legem ipsam veritatis loquendum erit, eum quæram oratorem, quem & ille quærebat. Quanquam enim stetisse ipsum in fastigio eloquentiæ fateor, [4] ac vix quid adjici potuerit invenio, fortasse inventurus quod adhuc abscissurum putem fuisse, (nam fere sic docti judicaverunt, *plurimum in eo virtutum, nonnihil fuisse vitiorum*: & se ipse multa ex illa juvenili abundantia coërcuisse testatur) tamen quando nec sapientis sibi nomen, minime sui contemptor, asseruit, & melius

1 *Et repudiatus vigintiviratus.*] Mortuo Cæsare quidam dicebant immutandum Reip. statum, faciendamque *Aristocratiam*, ac eligendos *viginti viros* qui Remp. gubernarent. quod Cic. diffuasit, quum alioqui in *viginti* numerarentur. *Idem.*

2 *Nam & Pythag.*] Cum ante *Pythagoram* arroganti nomine plerique σοφοὶ, id est *sapientes* nominarentur, *Pythagoras* Leoni Phlyasianorum tyranno dixit se philosophum. id est, *sapientiæ studiosum* esse. inde invaluit, ut reliqui philosophi appellarentur. *Idem.*

3 *Sed cum proprie.*] Nam in *oratio. ad Brutum* Cicero adhuc quærit oratorem perfectum, nec ullum fuisse putat. *Idem.*

4 *Ac vix quid adjici.*] Sic Fab. 6. ait in Cic. potius reperiri posse quod *detrahatur*, quam quod *adjiciatur*. Idem.

1 *An*

melius dicere certe data longiore vita, & ætate ad componendum securiore potuisset: non maligne crediderim defuisse ei summam illam, ad quam nemo propius accessit: Et licebat, si aliter sentirem, fortius id & liberius defendere. [1] An vero M. Antonius neminem à se visum eloquentem, quod tanto minus erat, professus est: ipse etiam M. Tullius quærit adhuc eum, & tantum imaginatur ac fingit: ego non audeam dicere, aliquid in hac quæ supereſt æternitate inveniri posse, eo quod fuerit, perfectius? Transeo illos qui *Ciceroni* ac *Demosthenis* ne in eloquentia quidem satis tribuunt: quanquam neque ipsi *Ciceroni Demosthenes* videatur satis esse perfectus, quem dormitare interim dicit: [2] nec *Cicero Bruto Calvoque*, qui certe compositionem illius etiam apud ipsum reprehendunt: [3] nec *Asinio* utrique, qui vitia orationis ejus etiam inimice pluribus locis insequuntur. Concedamus sane (quod minime natura patiatur) repertum esse aliquem malum virum summe disertum: nihilo tamen minus oratorem eum negabo. Nam nec omnibus qui fuerint manu prompti, viri fortis nomen concesserim, quia sine virtute intelligi non potest fortitudo. An ei qui ad defendendas causas advocatur, non est opus fide, quam nec cupiditas corrumpat, nec gratia avertat, nec metus frangat, sed proditorem, transfugam, prævaricatorem donabimus oratoris illo sacro nomine? Quod si mediocribus etiam patronis convenit hæc quæ vulgo dicitur *bonitas*, cur non orator ille qui nondum fuit, sed potest esse, tam sit moribus quam dicendi virtute perfectus? [4] Non enim forensem quan-

1 *An vero M. Antonium.*] Nam in libro quodam scripsit *Antonius, multos se vidisse disertos, eloquentem neminem.* posset tamen aliquis *eloquens* esse, qui non esset *perfectus orator.* Idem.

2 *Nec Cicero Bruto.*] Nam Brutus in epistola ad Ciceronem, Ciceronem appellat *fractum* & *elumbem*: Calvus autem *dissolutum* & *enervem.* auctor Tacitus in dialogo. *Idem.*

3 *Nec Asinio utrique.*] *Asinius Pollio* in multis *Cic.* reprehendit. ejus filius librum composuit, quo patrem suum eloquentiorem esse *Cicerone* ostendit. auctor Cæcilius in epistolis. *Idem.*

4 *Non enim forensem.*] Appellat *forensem operam, causidicum vulgarem* & *formularium*, qui sæpenumero versetur in foro. *Idem.*

quandam instituimus operam, nec *mercenariam vocem*, [1] nec (ut asperioribus verbis parcamus) non inutilem sane [2] litium advocatum, quem denique *causidicum* vulgo vocant, sed virum cum ingenii natura præstantem, tum vero tot pulcherrimas artes penitus mente complexum, datum tandem rebus humanis, qualem nulla antea vetustas cognoverit, singularem, perfectumque, undique optima sentientem, optimeque dicentem. [3] In hoc quota pars erit, quod aut innocentes tuebitur, aut improborum scelera compescet, aut in pecuniariis quæstionibus veritati contra calumniam aderit? Summus ille quidem in his quoque operibus fuerit, sed in majoribus clarius elucebit, cum regenda senatus consilia, & popularis error ad meliora ducendus. [4] An non talem quendam videtur finxisse Virgilius, quem in seditione vulgi jam faces & saxa jaculantis, moderatorem dedit?

Tum pietate gravem ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, arrectisque auribus adstant.

Habemus igitur ante omnia *virum bonum*, post hæc adjecit *dicendi peritum*,

Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Quid non in bellis quoque idem ille vir quem instituimus, si sit ad prælium miles cohortandus, ex mediis sapientiæ præceptis orationem trahet? Nam quomodo pugnam ineuntibus, tot simul metus, laboris, doloris, postremo mortis ipsius exciderint, nisi in eorum locum pietas, & fortitudo, & honesti præsens imago successerit? Quæ certe melius

1 *Nec (ut asperioribus, &c.*] *Rabulam* voluit dicere, qua ex causa proverbio circunferebatur, *canina eloquentia*, quia nonnulli in foro rixari solebant, & optimum quenque allatrare. Potest etiam referri ad *calumniatores* & *prævaricatores*. Idem.

2 *Litium advocatum.*] Tacitus in dialogo actores causarum suo tempore appellatos fuisse ait *advocatos* & *causidicos*. ita nomen oratoris duntaxat dabatur eximiis patronis. *Idem.*

3 *In hoc quota pars erit.*] Antea dixit in *mediocribus patronis* desiderari bonitatem, nunc vero docet longe majores esse virtutes *perfecti oratoris*. Idem.

4 *An non talem.*] Hac similitudine Virg. est sequutus Catonis definitionem. nam initio *oratorem virum esse bonum* significavit, deinde adjecit *dicendi peritiam*. Idem.

lius persuadebit aliis, qui prius persuaserit sibi. Prodit enim se, quamlibet custodiatur, *simulatio*: nec unquam tanta fuerit eloquendi facultas, ut non titubet ac hæreat quoties ab animo verba dissentiunt. Vir autem malus aliud dicat necesse est, quam sentit. Bonos nunquam honestus sermo deficiet, nunquam rerum optimarum (nam iidem etiam prudentes erunt) inventio: quæ etiam si lenociniis destituta sit, satis tamen natura sua ornatur: nec quicquam non diserte, quod honeste dicitur. Quare juventus, imo omnis ætas (*neque enim rectæ voluntati serum est tempus ullum*) totis mentibus huc tendamus, in hoc elaboremus: forsan & consummare contingat. Nam si natura non prohibet esse virum bonum, & esse dicendi peritum: cur non aliquis etiam unus utrunque consequi possit? cur autem non se quisque speret fore illum aliquem? Ad quod si vires ingenii non suffecerint, tamen ad quem usque modum processerimus, meliores erimus ex utroque. Hoc certe prorsus eximatur animo, rem pulcherrimam *eloquentiam* cum vitiis mentis posse misceri. [1] Facultas dicendi, si in malos incidit & ipsa judicanda est malum: pejores enim illos facit, quibus contingit. [2] Videor mihi audire quosdam (nec enim deerunt unquam qui diserti esse quam boni malint) illa dicentes: Quid ergo tantum est artis in eloquentia? cur tu de coloribus, & difficilium causarum defensione, nonnihil etiam de confesso loquutus es, nisi aliquando vis & facultas dicendi expugnat ipsam veritatem? Bonus enim vir non agit nisi bonas causas, eas porro etiam sine doctrina satis per se tuetur veritas

1 *Facultas dicendi.*] Fabius lib. 2. multis argumentis probabat *rhetoricam non* esse *cacotechniam*: quod tamen multi asserebant, quia plerosque videbant abutentes eloquentia ad perniciem aliorum. *Idem.*

2 *Videor mihi.*] Gravissima quæstio exoritur, cujus meminit *Fabius in cap. de deliberativo genere*, An orator oppugnare debeat aliquando veritatem. est enim viri boni, veritatem colere, cujus est simplex oratio. Præterea *Fabius* præcepit de *coloribus in cap. de narratione.* sunt autem verisimiles alicujus rei turpis aut inhonestæ causæ. præcipit de *causis difficilibus*, quæ omnino nobis contrariæ sunt, ut adversarius melius habere jus videatur. hæc pertinent ad oppugnationem veritatis, suntque contra justitiam. *Idem.*

1 *Per-*

veritas ipsa. Quibus ego, cum de meo primum opere respondero, etiam pro boni viri officio, siquando eum ad defensionem nocentium ratio duxerit, satisfaciam. [1] Pertractare enim quo modo aut pro falsis, aut etiam pro injustis aliquando dicatur, non est inutile, vel propter hoc solum ut ea facilius & deprehendamus, & refellamus, quemadmodum remedia melius adhibebit, cui nota quæ nocent, fuerint. [2] Neque enim *Academici* cum in utranque differunt partem, non secundum alteram vivunt. [3] Neque *Carneades* ille, qui Romæ audiente *Censorio Catone* non minoribus viribus contra justitiam dicitur disseruisse, quam pridie pro justitia dixerat, injustus ipse vir fuit. [4] Verum & *virtus* quid sit, adversa ei malitia detegit: & *æquitas* fit ex iniqui contemplatione manifestior, & plurima contrariis probantur. Debent ergo oratori sic esse adversariorum nota consilia, ut hostium imperatori. Verum & illud quod prima propositione durum videtur, potest afferre ratio, ut *vir bonus* in defensione causæ velit afferre aliquando judici veritatem. [5] Quod si quis à me proponi mirabitur (quanquam non est hæc mea proprie sententia, sed eorum quos gravissimos sapientiæ magistros ætas vetus credidit) sic judicet, pleraque esse quæ non tam factis, quam causis eorum, vel honesta fiant,

1 *Pertractare enim.*] *Contrarium* perfecte cognosci non potest sine suo *contrario*, ut *virtus* sine *vitio*. igitur in præceptis de his coloribus, agendum fuit quoque de *oppugnatione veritatis*, *cognitionis causa*, *non usu*. Idem.

2 *Neque enim Academici.*] *Academicorum* est, de proposito dogmate in utranque partem differere. itaque cum disputant pro *virtute* & contra *virtutem*, duntaxat tamen secundum *virtutem* vivunt. *Idem.*

3 *Neque Carneades.*] Athenienses tres philosophos miserunt legatos Romam, *Clitomachum Peripateticum*, *Diogenem Stoicum*, *Carneadem Academicum*, cujus in dicendo copia maxima fuit. *Idem.*

4 *Verum & virtus, &c.*] Cic. IV. Tuscul. Hujus virtutis contraria est vitiositas. (sic enim malo quam maliciam appellare, eam quam Græci κακίαν appellant. Nam malicia certi cujusdam vitii nomen est, vitiositas omnium) usi tamen sunt, Salust. Liv. Plaut. Seneca. Cicero ipse I. de legib. *Passerat.* Pithœus.

5 *Quod si quis à me.*] Quemadmodum docet *Cicero in Paradoxis*, cum probat æqualia esse peccata, non tam facta expendenda esse, quam factorum causas: (nam causæ bonum aut malum facinus efficiunt:) idem hîc quoque Fabius tradit, non expendendum esse an dicat contra veritatem orator, sed qua de causa contra veritatem dicat. *Turneb.*

fiant, vel turpia. Nam si *hominem occidere*, sæpe virtus, *liberos necare*, nonnunquam pulcherrimum est, asperiora quædam adhuc dictu, si communis utilitas exegerit, facere conceditur. Ne hoc quidem nudum est intuendum, qualem caussam vir bonus, sed etiam quare, & qua mente defendat. [1] Ac primum concedant mihi omnes oportet, quod Stoïcorum quoque asperrimi confitentur, facturum aliquando bonum virum, ut mendacium dicat, & quidem nonnunquam levioribus caussis: ut in pueris ægrotantibus, utilitatis eorum gratia multa fingimus, multa non facturi promittimus: nedum si ab homine occidendo grassator avertendus sit, aut hostis pro salute patriæ fallendus: ut hoc quod alias in servis quoque reprehendendum est, sit alias in ipso sapiente laudandum. Id si constiterit, multa jam video posse evenire, propter quæ orator bene suscipiat tale caussæ genus, quale remota ratione honesta non suscepisset. [2] Nec hoc dico, quia severiores sequi placet leges pro patre, fratre, amico periclitantibus: tametsi non mediocris hæsitatio est, hinc *justitiæ* proposita imagine, inde *pietatis*, nihil dubii relinquamus. Sit aliquis insidiatus tyranno, atque ob id reus: utrumne salvum eum nollet is qui à nobis finitur orator? an si tuendum susceperit, non tam falsis defendet, quam qui apud judices malam caussam tuetur? Quid si quædam benefacta damnaturus est judex, nisi ea non esse facta convicerimus: non vel hoc modo servabit orator non innocentem modo, sed etiam laudabilem civem? [3] Quid si quædam justa na-

1 *Ac primum.*] Cum justæ sunt causæ, interdum est *mentiendum:* in qua opinione *Plato* est in Lysia. Hoc tamen inter theologos est controversum. *mentiendum* enim negat *Augustinus. Ambrosius* & *Chrysostomus* videntur innuere, quoddam mendacium non esse in vitio. Hujus loci meminit *Fabius lib.* 2. *cap.* 18. Idem.

2 *Nec hoc dico.*] Latius spargit suum præceptum *Fab.* nec existimat solum suscipiendas malas causas propter eas personas quas defendere cogimur, vel ob propinquitatem vel ob necessitudinem, sed rem accipit in omnibus personis, dummodo subsit honesta ratio. hoc igitur per *prolepsin* occupatur à Fabio. *Idem.*

3 *Quod si.*] Antiqui multa tribuere soliti sunt utilitati civitatis, ut ob utilitatem ejus honestatem nonnunquam immutari putarent. exemplum esse poterit, quod suasit Themistocles *ut incenderetur classis Lacedæmoniorum*: quod tamen

ſta natura, ſed conditione temporum inutilia civitati ſciemus: nonne utemur arte dicendi, bona quidem, ſed malis artibus ſimili? [1] Ad hoc, nemo dubitabit, quin ſi nocentes mutari in bonam mentem aliquo modo poſſint, ſicut poſſe interdum conceditur, ſalvos eſſe eos magis è republica ſit, quam puniri. Si liqueat igitur oratori, futurum bonum virum, cui vera objicientur, non id aget, ut ſalvus ſit? Da nunc ut crimine manifeſto prematur dux bonus, & ſine quo vincere honeſte civitas non poſſit: nonne ei communis utilitas oratorem advocabit? [2] Certe Fabricius *Cornelium Rufinum*, alioqui & malum civem, & ſibi inimicum, tamen quia utilem ſciebat ducem, imminente bello palam conſulem ſuffragio ſuo fecit: atque id mirantibus quibuſdam reſpondit, *A cive ſe ſpoliari malle, quam ab hoſte venire.* Ita hic ſi fuiſſet orator, non defendiſſet eundem *Rufinum* vel manifeſti peculatus reum? Multa dici poſſunt ſimilia, ſed vel unum ex his quodlibet ſufficit. Non enim hoc agimus, ut iſtud illi quem formamus viro ſæpe ſit faciendum: ſed ut ſi talis coëgerit ratio, ſi tamen vera finitio, oratorem eſſe virum bonum dicendi peritum. [3] Præcipere vero ac diſcere quomodo etiam probatione difficilia tractentur, neceſſarium eſt. Nam frequenter etiam optimæ cauſſæ ſimiles ſunt malis, & innocens reus multis veriſimilibus premitur: quo fit, ut eadem actionis ratione ſit defendendus, quaſi nocens eſſet. [4] Jam innumerabilia ſunt bonis cauſſis maliſque communia, *teſtes, literæ, ſuſpiciones, opiniones.* Non aliter autem veriſimilia quam vera & confirmantur, & refelluntur. Quapro-

tamen non obtinuit propter Ariſtidem. *Idem.*

1 *Ad hoc, nemo, &c.*] Attingit locum *deprecationis*, in quo ſolent oratores polliceri in poſterum emendationem vitæ. *Idem.*

2 *Certe Fabricius, &c.*] Hic *Rufinus* vir erat furaciſſimus, accuſatuſque fuerat peculatus à Fabricio. Hiſtoria eſt apud *Gellium lib.4. cap.8.* Idem.

3 *Præcipere vero.*] De ſecunda parte objectionis loquitur. id eſt, de *cauſarum difficilium defenſione*, cum exiſtimant auditores jus noſtrum eſſe deterrimum, quia premimur multis argumentis. *Idem*

4 *Jam innumerabilia.*] Hoc referri poteſt ad *confeſſum*, de quo locutus eſt tertia parte objectionis. *Idem.*

propter ut res feret, flectetur oratio, manente honesta voluntate.

Cap. II.

Cognoscenda esse oratori quibus mores formentur.

[1] Quando igitur orator est *vir bonus*, is autem citra virtutem intelligi non potest, virtus etiam si quosdam impetus ex natura sumit, tamen perficienda doctrina est: *mores* ante omnia oratori studiis erunt excolendi, atque omnis honesti justique disciplina pertractanda: sine qua nemo nec vir bonus esse, nec dicendi peritus potest. [2] Nisi forte accedamus iis, qui natura constare mores & nihil adjuvari disciplina putant: scilicet, ut ea quidem quæ manu fiunt, atque eorum etiam contemptissima, confiteantur egere doctoribus: virtutem vero, qua nihil homini quo ad deos immortales propius accederet, datum est, obviam & illaboratam, tantum quia nati simus, habeamus. [3] Abstinens erit, qui idipsum quid sit abstinentia ignorarit? Et fortis, qui metus doloris, mortis, superstitionis, nulla ratione purgaverit? Et justus, qui æqui bonique tractatum, qui leges, quæ natura sunt omnibus datæ, quæque propriæ populis & gentibus constitutæ, non eruditiore aliquo sermone tractaverit? *O quam istud parum putant, quibus tam facile videtur.* Sed hoc transeo, de quo neminem qui literas vel *primis*, ut ajunt, *labris degustarit*, dubitaturum puto. ad illud sequens revertar,

Tres philosophiæ partes oratori necessarias docet, maximeque *moralem*, dicit autem more Platonis, semina virtutum nobis esse innata, sed illa tamen esse amplificanda *studio* & *doctrina*. Turnebus.

1 *Quando igitur oratori, &c.*] Cic. apud Lactant. lib. 4. cap. 14. Philosophiæ quidem præcepta noscenda: vivendum autem civiliter. Empor. Rethor. Nobis omisso illo rigore philosophiæ, in consiliis dandis civiliter disputandum est. *Pith.*

2 *Nisi forte.*] Arist. primo cap. secundi libri Ethicorum, probat *virtutem natura non constare, sed exercitatione & habitu*, quanquam nonnulli philosophi virtutem in natura posuerunt. *Turn.*

3 *Abstinens erit.*] Addit confirmationem per inductionem. cæterum cum vulgo *abstinens* accipiatur pro eo qui rebus alienis abstinet, suisque contentus est, hic tamen significare videtur *temperantem*, qui scilicet animi perturbationem sedat. *Idem.*

1 Ideo-

tar, ne dicendi quidem satis peritum fore, qui non & naturæ vim omnem penitus perspexerit, & mores præceptis ac ratione formarit. Neque enim frustra in tertio de Orat. libro L. Crassus cuncta quæ *de æquo, justo, vero, bono*, deque iis quæ sunt contra posita dicuntur, propria esse oratoris affirmat: ac philosophos cum ea dicendi viribus tuentur, uti rhetorum armis, non suis. Idem tamen confitetur ea jam esse à philosophia petenda, videlicet quia magis hæc illi videtur in possessione earum rerum fuisse: Hinc etiam illud est quod Cicero pluribus libris & epistolis testatur, dicendi facultatem ex intimis sapientiæ fontibus fluere: [1] ideoque aliquandiu præceptores eosdem fuisse morum atque dicendi. [2] Quapropter hæc exhortatio mea non eo pertinet, ut esse oratorem philosophum velim, quando non alia vitæ secta longius à civilibus officiis, atque ab omni munere oratoris recessit. [3] Nam quis philosophorum aut in judiciis frequens, aut clarus in concionibus fuit? [4] Quis denique in ipsa, quam maxime plerique præcipiunt, reipublicæ administratione versatus est? Atque eo illum quem instituo, Romanum quendam velim esse sapientem, qui non secretis disputationibus, sed rerum experimentis atque operibus vere civilem virum exhibeat. Sed quia deserta ab iis qui se ad eloquentiam contulerunt, studia sapientiæ, non jam in actu suo atque in hac fori luce versantur, [5] sed in porticus & gymna-

1 *Ideoque aliquandiu.*] Sic *Phœnix* apud Homerum ait se datum esse pædagogum Achilli, rerum actorem & verborum oratorem. *Idem.*

2 *Quapropter hæc.*] Vult oratorem peritum esse philosophiæ, non tamen vivere more philosophico, quia philosophi (ut Plato) jubent *abstinendum esse rep.* Et Pythagoras, qui potius philosophi nomen usurpavit, dixit, *à fabis abstineto*, id est, *à magistratibus & officiis civilibus.* orator autem in politicis officiis agit. *Idem.*

3 *Nam quis philosophorum.*] Macrob. in Somn. Scip. Soli sapientiæ deditos ut abunde Græcia tulit, ita Roma nescivit. *Pith.*

4 *Quis denique.*] Epicurus enim dicebat, *latita dum vivis*: atque ita significabat sibi soli vivendum esse, neque accedendum ad reip. administrationem. *Turneb.*

5 *Sed in porticus.*] *Porticum* ait propter Zenonem, qui docuit in *porticu.* addit gymnasia propter Platonem, qui docuit in *Academia*, & Arist. qui docuit in *Lycio*, & Antisthenem, qui occupavit *gymnasium Cynosarges.* mox etiam conditæ scholæ, ad quas commeabant discipuli. *Idem.*

gymnasia primum, mox in conventus scholarum recesserunt, id quod est oratori necessarium, nec à dicendi præceptoribus traditur, ab iis petere nimirum necesse est, apud quos remansit. Evolvendi penitus auctores qui de *virtute* præcipiunt, ut oratoris vita cum scientia divinarum rerum sit humanarumque conjuncta. Quæ ipsæ quanto majores ac pulchriores viderentur, si illas ii docerent, qui etiam eloqui præstantissime possunt? Utinamque sit tempus unquam, quo perfectus aliquis (qualem optamus) orator hanc partem superbo nomine, & vitiis quorundam bona ejus corrumpentium invisam, vindicet sibi [1] ac velut rebus repetitis in corpus eloquentiæ adducat. Quæ quidem cum sit in tres divisa partes, *naturalem*, *moralem*, *rationalem*: quæ tandem non est cum oratoris opere conjuncta? Nam ut ordinem retroagamus, de ultima illa, quæ tota versatur in verbis, nemo dubitaverit, si & proprietas vocis cujusque nosse, & ambigua aperire, [2] & perplexa discernere, [3] & de falsis judicare, & colligere ac resolvere quæ velis, oratoris est, quanquam ea non tam est minute atque concise in actionibus utendum, quam in disputationibus: quia non docere modo, sed movere etiam ac delectare audientes debet orator: ad quod impetu quoque & viribus ac decore est opus: ut vis amnium major est altis ripis, multoque gurgitis tractu fluentium, quam tenuis aquæ, & objectu lapillorum resultantis. [4] Et ut palæstrici doctores illos quos *numeros* vocant, non idcirco discen-

1 *Ac veluti rebus repet.*] Allusio est ad consuetudinem Romanam. antequam enim bellum indiceretur, mittebatur fœcialis cum verbenario ad res repetendas quæ ablatæ fuerant, eaque dicebatur *clarigatio*. id est, *clara voce facta rerum repetitio*. Idem.

2 *Et de falsis judicare.*] Hoc nomine mihi videtur complecti *captiones sophisticas*, adversus quas *elenchorum* libros scripsit Aristoteles. huc pertinet quod Fabius scribit *de ceratinis & crocodilinis* lib. primo. *Idem.*

3 *Et perplexa.*] Alludit ad libros *analyticos* Arist. in quibus docet *resolutionem syllogismorum in partes*. addidit autem *colligere*, quia docet Arist. illic quo pacto *conclusionem* possimus elicere secundum *formam syllogisticam*. Idem.

4 *Et ut palæstrici.*] *Numeros* hoc loco appellat optimam *motus* & *gestus* conformationem, quæ ad decorum facit, ut testatur lib. 9. cum inquit, *Metrum in verbis modo, rhythmus etiam in corporis motu est*. Idem.

discentibus tradunt, ut his omnibus ii qui didicerint, in ipso luctandi certamine utantur (plus enim pondere & firmitate & spiritu agitur) sed ut subsit copia illa, ex qua unum aut alterum, cujus se occasio dederit, efficiant: ita hæc pars dialectica, sive illam dicere malimus *disputatricem*, ut est utilis sæpe & finitionibus & comprehensionibus, & separandis quæ sunt differentia, & resolvenda ambiguitate, & distinguendo, dividendo, illiciendo, implicando: ita si totum sibi vindicaverit in foro certamen, obstabit melioribus, & sectas ad tenuitatem suam vires, ipsa subtilitate consumet. Itaque reperias quosdam in disputando mire callidos, cum ab illa cavillatione discesserint, non magis sufficere in aliquo graviore actu, quam parva quædam animalia, quæ in anguſtiis mobilia, campo deprehenduntur. Jam quidem pars illa moralis quæ dicitur *Ethice*, certe tota oratori est accommodata. Nam in tanta causarum (ut superioribus libris diximus) varietate, cum alia conjectura quærantur, alia finitionibus concludantur, alia jure summoveantur, vel transferantur, alia colligantur, vel ipsa inter se concurrant, vel in diversum ambiguitate ducantur, nulla fere dici potest, cujus non parte in aliqua tractatus æqui ac boni reperiatur. Pleraque vero esse quis nescit, quæ totæ in sola qualitate consistant? [1] In consiliis vero quæ ratio suadendi est ab honesti quæstione sepositа? Quid illa etiam pars tertia, quæ *laudandi* ac *vituperandi* officiis continetur? Nempe in tractatu recti pravique versatur. [2] An de *justitia*, *fortitudine*, *abstinentia*, *temperantia*, *pietate*, non plurima dicet orator? sed ille vir bonus, qui hæc non vocibus tantum sibi nota atque nominibus, aurium tenus in usum linguæ perceperit, sed qui virtutes ipsas mente complexus,

1 *In consiliis vero.*] Locus est hic finalis *generis deliberativi*, ut ostendamus rem esse *honestam*. addunt rhetores *utilitatem*. *honestum* quoque finis est *demonstrativi generis* Idem.

2 *An de justitia.*] De iis virtutibus sæpe est oratori tractandum, vel cum ita postulat causæ ratio, vel cum excurrit in locos communes, qui sunt de *virtutibus* & *vitiis*. Idem.

plexus, ita sentiet, nec in cogitando ita laborabit, sed quod sciet, vere dicet. [1] Cum sit autem omnis generalis quæstio speciali potentior, quia universo pars continetur, non utique accedit parti quod universum est: profecto nemo dubitabit generales quæstiones in illo maxime studiorum more versatas. Jam vero cum sint multa propriis brevibusque comprehensionibus finienda, unde etiam status caussarum dicitur *finitivus*: nonne ad id quoque instrui ab iis qui plus in hoc studii dederunt, oportet? Quid? non quæstio juris omnis, aut verborum proprietate, aut æqui disputatione, aut voluntatis conjectura continetur? quorum pars ad rationalem, pars ad moralem tractatum redundat. Ergo natura permista est omnibus istis *oratio*, quæ quidem oratio est vere. Nam ignara quidem hujusce doctrinæ loquacitas, erret necesse est, ut quæ vel nullos vel falsos duces habeat. [2] Pars vero naturalis, cum est ad exercitationem dicendi tanto cæteris uberior, quanto majore spiritu de divinis rebus quam humanis loquendum est, tum illam etiam moralem, sine qua nulla esse (ut docuimus) oratio potest, totam complectitur. [3] Nam si regitur *providentia* mundus, administranda certe bonis viris erit respublica. Si divina nostris animis origo, *tendendum ad virtutem*: nec voluptatibus terreni corporis serviendum. An hæc non frequenter tractabit orator? Jam *de auguriis*, *responsis*, *religione*, denique omnibus de quibus maxima sæpe in senatu consilia versata sunt, non erit ei differendum, si quidem (ut nobis placet) futurus est vir civilis idem? Quæ denique intelligi saltem potest eloquentia hominis optima nescientis? Hæc si ratione manifesta non essent,

1 *Cum sit autem.*] Orator tractat *hypothesin*, eamque ad *thesin* revocat, sed *thesis* quæstio est philosophica, atque adeo *thesis* quæ ab oratore tractatur, magna ex parte à *philosophia morali* ducitur. *Idem.*

2 *Pars vero naturalis.*] *Partem naturalem* latius accipit quam Arist. nam Aristoteli scientia posita est vel in illis rebus *quæ sunt intra cœlum, vel in cœlo.* secundum Fabium etiam complectitur *metaphysicam* & *theologiam.* Idem.

3 *Nam si regitur.*] Hæc propositio tractatur in *physica*, ac dicunt *Stoici* & *Academici mundum providentiq* regi, negant autem *Epicurei.* si tamen propositio sit confessa, ex dei imitatione vir bonus Remp. administrabit. *Idem.*

essent, exemplis tamen crederemus. [1] Siquidem & Periclem, cujus eloquentiæ, etiam si nulla ad nos monumenta venerunt, vim tamen quandam incredibilem cum historici, tum etiam liberrimum genus hominum comici veteres tradunt. Anaxagoræ physici constat auditorem fuisse, & *Demosthenem* principem omnium Græciæ oratorum dedisse operam Platoni. Nam *M. Tullius* non tantum se debere scholis rhetorum, quantum *Academiæ* spatiis frequenter ipse testatus est. Neque tanta in eo unquam fuisset ubertas, si ingenium suum consepto fori, non ipsius rerum naturæ finibus terminasset. [2] Verum ex hoc alia mihi quæstio exoritur, quæ secta conferre plurimum eloquentiæ possit: quanquam ea non inter multas potest esse contentio. [3] Nam in primis nos *Epicurus* à se ipse dimittit, qui fugere omnem disciplinam navigatione quam velocissima jubet. Neque vero *Aristippus* summum in voluptate corporis bonum ponens, ad hunc nos laborem adhortetur. [4] Pyrrho quidem quas in hoc opere partes habere potest, cui judices esse apud quos verba faciant, & reum pro quo loquatur, & senatum in quo sit dicenda sententia, non liquebit? *Academiam* quidam utilissimam credunt, quod mos in utranque partem disserendi, ad exercitationem forensium caussarum proxime accedat. Adjiciunt loco probationis, quod ea præstantissimos in eloquentia viros ediderit. *Peripatetici* studio quoque se quodam oratorio jactant. [5] Nam theses dicere exercitationis gratia fere

1 *Si quidem & Periclem.*] Cic. in Bruto ait quasdam suo tempore extitisse *Periclis* orationes: Attamen Fab. lib. 3. *Periclis* eas esse negat. Eupolis etiam dicebat *Periclem fulgurare, tonare, & Græciam permiscere*, dicebat item in *Periclis labris sibitare Pytho*, quæ est dea eloquentiæ. *Idem.*

2 *Verum ex hoc.*] Cic. lib. 3. de Oratore, rejectis aliis sectis oratori idoneam fore putat *Peripateticam* & *Academicam:* Fab. autem oratori maxime utiles putat has duas sectas. ait tamen oratorem esse liberum debere, ut ex omnibus quod utile videatur excerpat. *Idem.*

3 *Nam, &c. Epicurus.*] Cic. lib. primo de *Finibus* ait ab *Epicuro* spretam esse *eloquentiam*, spretam *dialecticam*, reliquasque disciplinas, præter *physicam* & *moralem.* Idem.

4 *Pyrrho quidem.*] *Pyrrho* omnia revocavit ad dubitationem, ita ut ne sensibus quidem crederet. ab hoc sunt appellati *Sceptici*, hoc est *consideratores. Idem.*

5 *Nam theses.*] Cic. in Orat. ad Brutum

fere est ab his institutum. *Stoici* sicut copiam nitoremque eloquentiæ fere præceptoribus suis defuisse concedant necesse est, ita nullos aut probare acrius, aut concludere subtilius contendunt. [1]Sed hæc inter ipsos, qui velut sacramento rogati, vel etiam superstitione constricti, nefas ducunt à suscepta semel persuasione discedere. Oratori vero nihil est necesse in cujusquam jurare leges. Majus enim est opus atque præstantius ad quod ipse tendit, & cujus est velut candidatus, si quidem est futurus cum vitæ, tum etiam eloquentiæ laude perfectus. Quare in exemplum bene dicendi facundissimum quenque proponet sibi ad imitandum: moribus vero formandis quam honestissima præcepta, rectissimamque ad virtutem viam deliget. Exercitatione quidem utetur omni, sed tamen erit plurimus in maximis quibusque ac natura pulcherrimis. Nam quæ potest materia reperiri ad graviter copioseque dicendum magis abundans, quam *de virtute*, *de republica*, *de providentia*, *de origine animorum*, *de amicitia?* Hæc sunt quibus mens pariter atque oratio insurgant, vere bona, quæ mitigent metus, coërceant cupiditates, eximant nos opinionibus vulgi, [2]animumque cœlestem pariant. [3]Neque ea solum quæ talibus disciplinis continentur, sed magis etiam quæ sunt tradita antiquitus, *dicta, & acta præclare*, & noss[e], & animo semper agitare conveniet. Quæ profecto nusquam plura majoraque, quam in nostræ civitatis monumentis reperientur. *An fortitudinem, justitiam, fidem, continentiam, frugalitatem, contemptum doloris ac mortis*, melius alii docebunt, quam *Fabritii*, *Curii*, *Reguli*, *Decii*,

tum ait Arist. ita discipulos exercuisse, ut eos dicere cogeret de *thesi* proposita in utranque partem. itaque locos topicorum refert ad *problema*. id est ad *thesin*. postea rhetores *thesin* habuerunt inter progymnasmata. Vide Fab. l. 2. *Idem.*

1 *Sed hæc.*] Rogantur sacramento milites, quando adiguntur ad jusjurandum, pollicenturque se legitime militaturos. itaque sacramentum frangere non solent. & alioqui *emansores* & *desertores* puniuntur legibus. *Idem.*

2 *Animumque.*] *Quæ probent.* Vide *Passerat.*

3 *Neque ea solum.*] Hactenus probavit utilem esse philosophiam, nunc exemplorum *cognitionem* ab historiis ductam esse necessariam docet: sed hic exemplorum usus ad philosophiam moralem referre videtur. *Turneb.*

1 *Quam-*

cii, Mutii, aliique innumerabiles? [1] Quantum enim Græci præceptis valent, tantum Romani (quod est majus) exemplis. [2] Tantumque non cognatis id è rebus admoneri sciet, qui non modo proximum tempus, lucemque præsentem intueri satis credat, sed omnem posteritatis memoriam, spatium vitæ honestæ, & curriculum laudis existimet. Hinc mihi ille justitiæ haustus bibat, hinc sumptam libertatem in caussis atque consiliis præstet. *Neque erit perfectus orator, nisi qui honeste dicere & sciet, & audebit.*

1 *Quantum enim.*] Cic. 3. de Oratore: Nam ut virtutis à nostris, sic doctrinæ sunt à Græcis exempla repetenda. *Passerat. Pith.*

2 *Tantumque non.*] Significare videtur *historiam Romanorum*, cujus cognitio est oratori perneccessaria, pulcherrimam esse: ex qua colligere possit aliquis, non habendam esse duntaxat rationem *præsentis vitæ*, sed multo magis *immortalitatis*, quanquam id referri posset etiam ad totam philosophiam, & ea quæ dicta sunt. *Turneb.*

CAP. III.

Necessariam juris civilis oratori esse scientiam.

[1] JUris quoque *civilis* necessaria huic viro *scientia* est, & mo- 3
rum ac religionum ejus reipublicæ quam capesset. Nam qualis esse suasor in consiliis publicis privatisve poterit, tot rerum quibus præcipue civitas continetur, ignarus? [2] Quo autem modo patronum se caussarum non falso dixerit, qui quod est in caussis potentissimum, sit ab altero petiturus? pene non dissimilis iis, qui poëtarum scripta pronuntiant. Nam quodammodo mandata perferet, & ea quæ sibi à judice

JUs *civile* pars est philosophiæ moralis: continetur enim sub parte politica. est autem jus civile positum aut in *magistratibus* & *rebus humanis*, aut in *sacerdotibus* & *rebus divinis*. sic enim partitur *Cic. in lib. de Legibus*, & *jurisconsultus titulo primo pandectarum*. Turneb.

1 *Juris quoque civilis necessaria, &c.*] Jul. Severianus libello de arte dicendi: *Oratori Juris Civilis neque omittendum studium est, nec penitus appetendum. Nam nec rudis esse debet Juris Orator: & si se multum juris scientiæ dederit, plurimum de cultu Oratoris atque impetu remittit.* Quod fortassis ex antiquo scriptore mutuatum à Jul Severiano Fabius hic quasi ex professo reprehendere videtur. *Passerat. Pith.*

2 *Quo autem modo.*] Nonnulli enim oratores *juris* ignari solebant *jurisconsultos* consulere, quum *jure* videbatur causa egere. *Turneb.*

dice credi postulaturus est, aliena fide dicet: & ipse litigantium auxiliator egebit auxilio. Quod ut fieri nonnunquam minore incommodo possit, cum domi præcepta & composita, sicut & cætera quæ in caussa sunt, in discendo cognita ad judicem perferet: quid fiet in iis quæstionibus quæ subito inter ipsas actiones nasci solent? non deformiter respectet? & inter subsellia [1] minores advocatos interroget? Potest autem satis diligenter accipere quæ tum audiet, cum ei dicenda sunt? aut fortiter affirmare, aut ingenue pro suis dicere? possit in actionibus: [2] quid fiet in altercatione, ubi occurrendum continuo, nec libera ad discendum mora est. Quid si forte peritus juris ille non aderit? Quid si quis non satis in ea re doctus, falsum aliquid subjecerit? Hoc enim est maximum ignorantiæ malum, quod credit eum scire, qui moneat. [3] Neque ego sum nostri moris ignarus, oblitusve eorum qui velut ad arculas sedent, & tela agentibus submistrant: neque idem Græcos quoque nescio factitasse, unde nomen his *pragmaticorum* datum est. Sed loquor de oratore, qui non clamorem modo suum caussis, sed omnia quæ profutura sunt, debet. [4] Itaque, cum nec inutilem si ad horam forte constiterit, [5] neque in testationibus faciendis esse imperitum velim. Quis enim potius præparabit ea, quæ cum aget, esse in caussa velit? Nisi forte imperatorem quis idoneum credit in præliis quidem strenuum & fortem, & omnium quæ pugna poscit, artificem: sed neque delectus

1 *Minores advocatos.*] *Advocatum* hic appellat eum qui jus suggerit, ut ait Asconius. aut certe allusit ad consuetudinem antiquam: multi enim erant unius causæ defensores. sit igitur *major advocatus* ille qui orationem habet: cæteri *minores*, qui opera & consilio adjuvant. *Idem.*

2 *Quid fiet in altercatione.*] *Altercationem* Fab. appellat contentiosam disputationem per alternam interrogationem & responsionem, quæ fieri solebat post orationem perpetuam. *Vide Fab. lib. 6. cap. 5.* Idem.

3 *Neque ego sum.*] Apud Romanos, ut docet Asconius, quidam erant *advocati*, quidam *cognitores* & *subscriptores*, qui oratorem adjuvabant, jusque suggerebant. sic apud Græcos erant *pragmatici*, veluti quidam *formularii* & *leguleii*, qui oratorem instruebant, jusque ministrabant. *Idem.*

4 *Itaque cum nec inutilem si ad horam, &c.*] Vide Turneb. Adversarior. lib. 2. cap. 27.

5 *Neque in testationibus faciendis.*] Turneb. Advers. lib. 1. cap. 27. p. 67.

4 Nanque

ctus agere, nec copias contrahere atque instruere, nec prospicere commeatus, nec locum capere castris scientem: prius est enim certe parare bella, quam gerere. Atqui simillimus huic sit advocatus, si plura quæ ad vincendum valent, aliis reliquerit: cum præsertim hoc, quod est maxime necessarium, non tam sit arduum, quam procul intuentibus fortasse videatur. [1] Namque omne jus quod est certum, aut *scripto aut moribus constat*: dubium æquitatis regula examinandum est. Quæ scripta sunt, aut posita in more civitatis, nullam habent difficultatem, cognitionis sunt enim, non inventionis. at quæ consultorum responsis explicantur, aut in verborum interpretatione sunt posita, aut in recti pravique discrimine. Vim cujusque vocis intelligere, aut commune prudentium est, aut proprium oratoris: *æquitas optimo cuique notissima.* Nos porro & bonum virum, & prudentem in primis oratorem putamus: qui cum se ad id quod est optimum natura, direxerit, non magnopere commovebitur, si quis ab eo consultus dissentiet, cum ipsis illis diversas inter se opiniones tueri concessum sit. Sed etiam si nosse quid quisque senserit, volet, lectionis opus est, qua nihil est in studiis minus laboriosum. [2] Quod si plerique desperata facultate agendi, ad discendum jus declinaverunt, quam id scire facile est oratori, quod discunt qui sua quoque confessione oratores esse non possunt? Verum & M. Cato cum in dicendo præstantissimus, tum juris idem fuit peritissimus: & Scævolæ Servioque Sulpitio concessa est etiam facundiæ virtus. [3] Et M. Tullius non modo inter agendum

1 *Namque omne jus.*] Jus appellat certum, *quando causa ad certam legem aut ad certam consuetudinem refertur*: jus dubium: *quando causa certam non habet legem.* neque enim leges scribi possunt de omnibus rebus. Jus igitur illud petendum est aut ab æquitate, aut ab aliqua legis similitudine, aut ab opinione alicujus jurisconsulti. *Turneb.*

2 *Quod si plerique.*] Cic. in oratione pro Muræna ait, quemadmodum apud Græcos qui *citharœdi* esse non possunt, *aulœdi* fiunt: ita apud Romanos qui *oratores* esse non possunt, fiunt *jurisconsulti.* Idem.

3 *Et Marcus Tullius.*] *Cic. lib. primo de Orat.* sub persona *Crassi* pollicetur se jus civile redacturum in artem. jam in *lib. de rep.* & *in lib. de legibus* multa scripsit ad jus Romanum pertinentia. *Idem.*

1 *Quorum*

dum nunquam est destitutus scientia juris, sed etiam componere aliqua de eo cœperat: ut appareat posse oratorem non discendo tantum juri vacare, sed etiam docendo. Verum ea quæ de moribus excolendis studioque juris præcipimus, ne quis eo credat reprehendenda, quod multos cognovimus, qui tædio laboris, quem ferre tendentibus ad eloquentiam necesse est, confugerint ad hæc diverticula desidiæ: [1] quorum alii se ad album ac rubricas transtulerunt, & formularii, vel, ut Cicero ait, *leguleii* quidam esse maluerunt: tanquam utiliora eligentes ea, quorum solam facilitatem sequebantur, [2] alii pigritiæ arrogantioris, [3] qui subito fronte conficta, immissâque barba, veluti despexissent oratoria præcepta, paulum aliquid sederunt in scholis philosophorum, ut deinde in publico tristes, domi dissoluti; captarent auctoritatem contemptu cæterorum. *Philosophia enim simulari potest, eloquentia non potest.*

1 *Quorum alii se ad album.*] *Album* appellat, aut in quo proponebantur prætoris edicta, aut in quo scribebantur judicum nomina. appellat *rubricas*, juris titulos, quia *rubrica* & minio tingebantur. *formularios* dixit, formularum & actorum peritos, quique tenent (ut vulgo dicimus) curiæ stylum, qui iidem *leguleii* appellantur. hi adesse solebant patronis, illisque leges & formulas suggerere. *Idem.*

2 *Alii pigritiæ, &c.*] Sic legend. *Alii pigritiæ arrogantioris, qui subito fronte, constructa immissaque barba, veluti depexuissent oratoria præcepta, paulum aliquid sederunt in scholis philosophorum, &c.* Ita hunc locum emendavit Jan. Gebhardus.

3 *Qui subito fronte conficta, &c.*] Jan. Gebhard. Crepund. lib. 11. cap. 9. p. 80. Lud. Cresoll. Vacat. Autumnal. lib. 2. cap. 3. sect. 2. p. 153.

Cap. IV.

Necessariam oratori cognitionem historiarum.

4 IN primis vero abundare debet orator *exemplorum copia*, cum veterum, tum etiam novorum: adeo ut non ea modo quæ conscripta sunt historiis, aut sermonibus velut per manus

Docuit lib. primo oratorem tenere debere *encyclopædiam*, nunc tamen ea scribit tantum quæ sunt magis oratori necessaria, ut *philosophia*, *jus civile*, & *historia*. *historia* conducit ad exempla: quanquam exempla quoque petuntur à poëtis & rebus fabulosis, ut docuit Fab. lib. 5. *Turneb.*

1 *Quod*

nus tradita, quæque quotidie aguntur, debeat nosse: verum ne ea quidem quæ sunt à clarioribus poëtis ficta, negligere. Nam illa quidem priora, aut *testimoniorum, aut* etiam *judicatorum obtinent locum.* Sed hæc quoque aut vetustatis fide tuta sunt, aut ab hominibus magnis præceptorum loco ficta creduntur. Sciat ergo quam plurima: unde etiam senibus auctoritas major est, quod plura nosse & vidisse creduntur: [1] quod Homerus frequentissime testatur. Sed non est expectanda ultima ætas, cum studia præsteut, ut quantum ad cognitionem pertinet rerum, etiam præteritis seculis vixisse videamur.

1 *Quod Homerus.*] *Homerus* libro secundo *Odysseæ* inducit *Ægyptium* virum ita senem loquentem in concione, quem *senectute curvum* dicit, & *rerum infinitarum peritum.* ita tribuit auctoritatem personæ. *Idem.*

CAP. V.

Quæ sint oratori instrumenta.

HÆc sunt quæ me redditurum promiseram *instrumenta*, non artis, ut quidam putaverunt, sed ipsius *oratoris.* Hæc arma habere ad manum, horum scientia debet esse succinctus, accedente verborum figurarumque facili copia, & inventionis ratione, & disponendi usu, & memoriæ firmitate, & actionis gratia. Sed plurimum ex his valet *animi præstantia*, quam nec metus frangat, [1] nec acclamatio terreat, nec audientium auctoritas ultra debitam reverentiam tardet. Nam ut abominanda sunt contraria his vitia, confidentiæ, temeritatis, improbitatis, arrogantiæ, ita citra constantiam, fiduciam, fortitudinem, nihil ars, nihil studium, nihil profectus ipse profuerit: ut si des arma timidis

FAb. cap. 20. lib. 2. de *instrumento* egit, instrumentumque vocavit, *sine quo formari materia, & in id quod velimus opus effici non possit.* igitur scientias illas quas supra enumeravit, *instrumenta* putat oratoris, & alia quædam præterea quæ hoc capite enumerantur. *Turnebus.*

1 *Nec acclamatio terreat.*] Sic Demosth. in horrisono littore declamabat, *ut non moveretur acclamationibus & murmurationibus plebis.* Idem.

1 *Invitis*

timidis & imbellibus. [1] Invitus mehercle dico, quoniam & aliter accipi potest, ipsam verecundiam, vitium quidem, sed amabile, & quæ virtutes facillime generet: esse interim adversam, multisque in caussa fuisse, ut bona ingenii studiique in lucem non prolata, situ quodam secreti consumerentur. [2] Sciat autem si quis hæc forte minus adhuc peritus distinguendi vim cujusque verbi leget, non probitatem à me reprehendi, sed verecundiam, quæ est timor quidam reducens animum ab iis quæ facienda sunt, unde confusio, & cœpti pœnitentia, & subitum silentium. Quis porro dubitet vitiis adscribere affectum propter quem facere honeste pudet? [3] Neque ego rursus nolo eum qui sit dicturus, & solicitum surgere, & colore mutari, & periculum intelligere: quæ si non accident, etiam simulanda erunt: sed intellectus hic sit operis, non metus: moveamurque, non concidamus. Optima est autem emendatio verecundiæ, *fiducia:* & quamlibet imbecilla frons, magna *conscientia* sustinetur. Sunt & naturalia, ut supra dixi, quæ tamen & cura juvantur, instrumenta, *vox*, *latus*, *decor:* quæ quidem tantum valent, [4] ut frequenter famam ingenii faciant. Habuit oratores ætas nostra copiosiores: sed cum diceret, [5] eminere inter æquales *Trachallus* videbatur: ea corporis sublimitas erat, is ardor oculorum, frontis auctoritas, gestus præstantia, vox quidem, non ut Cicero desiderat, pene tragœdorum, sed super omnes, quos ego quidem audierim, tragœdos.

Certe

1 *Invitus mehercle dico.*] Non vituperat hoc loco verecundiam Fabius, sed & *nimiam* & *non opportunam* damnat. itaque pulcherrimus extat Plutarchi libellus de *vitiosa verecundia.* Idem.

2 *Sciat autem.*] Duplex est *verecundia:* altera enim efficitur propter *turpitudinis metum*, quæ quidem laudatur: altera etiam à *rebus honestis* retrahit, quæ vituperatur. *Idem.*

3 *Neque ego.*] Cic. in lib. de Orat. ad Q. fratrem, actorem illum damnat *qui orare incipit absque metu.* ac certe fatetur Cic. semper agendi initio se commotum fuisse. *Idem.*

4 *Ut frequenter famam ingenii fac.*] Sic Hortensius propter elegantiam pronunciationis par esse Ciceroni videbatur: qui alioqui, si cætera comparasses, longe inferior fuisset. *Idem.*

5 *Eminere inter æquales Trach.*] Usque adeo probatur actio & pronunciatio *Trachalli*, ut proverbium fit, *Trachallo vocalior.* Idem.

1 *Certe*

[1] Certe cum in *basilica Julia* diceret primo tribunali, quatuor autem judicia, ut moris est, cogerentur, atque omnia clamoribus fremerent, & auditum eum, & intellectum, & quod agentibus cæteris contumeliosum fuit, laudatum quoque ex quatuor tribunalibus memini. Sed hoc votum est, & rara felicitas: quæ si non adsit, sane sufficiat, ab iis quibus quis dicit, audiri. Talis esse debet orator, & hæc scire.

1 *Certe cum in basil.*] Initio judicia centumviralia dividebantur in *duas hastas*, deinde divisa sunt in *quatuor partes*, quæ tamen cogebantur in *unam basilicam*. est autem *basilica* amplissima aula, qualis in hac urbe est palatina. *Idem.* *Certe cum in basilica Julia, &c.*] Vide Turneb. Adversar. lib. 4. cap. 4.

CAP. VI.

Quod sit incipiendi caussas agere tempus.

AGendi autem initium sine dubio secundum vires cujusque sumendum est: neque ego annos definiam, cum *Demosthenem* puerum admodum actiones pupillares habuisse manifestum sit: *Calvus*, *Cæsar*, *Pollio*, multum ante quæstoriam omnes ætatem gravissima judicia susceperint: prætextatos egisse quosdam sit traditum: [1] *Cæsar Augustus* duodecim natus annos, aviam pro Rostris laudaverit. Modus mihi videtur quidam tenendus, [2] ut neque præpropere distringatur immatura frons, & quicquid est illud adhuc acerbum, proferatur. Nam inde & contemptus operis innascitur, & fundamenta jaciuntur impudentiæ, & (quod est ubique perniciosissimum) prævenit vires fiducia. [3] Nec rursus 6

DEmosthenes compilatus à suis tutoribus, pene puer contra eos actionem instituit, ajunt nonnulli eum natum fuisse 13. annos. atque hodie extant orationes contra *Aphobum* tutorem. *Turneb.*

1 *Cæsar Augustus.*] Suetonius quoque tradit, à Tiberio novem annos nato laudatum esse patrem defunctum. *Idem.*

2 *Ut neque præpropere, &c.*] Metaphora ducta videtur à *frondibus*, *quas* (ait Columella) *decerpere solent rustici ad jumentorum pabulum.* Idem.

3 *Nec rursus diff. est tyrocinium.*] *Tyrocinium* appellat illum diem, quo juvenes solenniter deducebantur in forum, ut initiarentur caussis agendis. fiebat autem magna ex parte quo die sumebatur virilis toga. Auctor Budæus in posterioribus annotationibus. *Idem.*

1 *Ut*

rursus differendum est tyrocinium in senectutem. *Nam quotidie metus crescit, majusque fit semper quod ausuri sumus: & dum deliberamus quando incipiendum sit, incipere jam serum est* Quare fructum studiorum viridem & adhuc dulcem promi decet, dum & venia & spes est, & paratus favor, & audere non dedecet: & si quid desit operi, supplet ætas: & siqua sunt dicta juveniliter, pro indole accipiuntur: [1] ut totus ille Ciceronis pro Sexto Roscio locus, *Quid enim tam commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus ejectis?* [2] Quæ cum sex & viginti natus annos, summis audientium clamoribus dixerit, deferbuisse tempore, & annis liquata jam senior idem fatetur. Et hercle quantumlibet secreta studia contulerint, est tamen proprius quidam fori profectus: alia lux, alia veri discriminis facies: *plusque*, si separes, *usus sine doctrina, quam citra usum doctrina, valeat.* [3] Ideoque nonnulli senes in schola facti stupent novitate, cum in judicia venerunt, & omnia suis exercitationibus similia desiderant. At illic & judex tacet, & adversarius obstrepit, & nihil temere dictum perit: & siquid tibi ipse sumas, probandum est: & laboratam congestamque dierum ac noctium studio actionem, [4] aqua deficit: & omisso magna semper flandi tumore, in quibusdam caussis loquendum est, quod illi diserti minime sciunt. Itaque nonnullos reperias, qui sibi eloquentiores videantur, quam ut causas agant.

1 *Ut totus ille Cic.*] Sic locutus est *Cic.* cum ageret de pœna parricidarum, ac significare vellet eos elementis omnibus esse privatos. Idem tamen in Orat. ad Brutum ait *ista esse redundantiora, neque dum satis matura.* quum tamen ista diceret, sequuti sunt maximi clamores, ut ille testatur. *Idem.*

2 *Quæ cum sex, &c.*] Aulus Gell. errasse hac in re scribit Cornelium Nepotem & Fenestellam. Fenestella autem scripsit à Cic. habitam esse hanc orationem 26. ætatis anno, ipse ex temporis supputatione habitam esse probat 27. ætatis anno. Jam illud *deferbuisse* metaphoricum est, estque à vino ductum; vina enim defervescunt, ac redduntur maturiora & mitiora. *Idem.*

3 *Ideoque nonnulli.*] Antea id scripsit de *Portio Latrone*, qui peritus alioqui declamator, cum in forum venisset, pene obstupuit. *Idem.*

4 *Aqua deficit.*] Oratores dicebant ad *clepsydram*, & ex *aquæ fluxu* spatium illis dabatur ad agendum. igitur declamatores scribere nonnunquam solent prolixam orationem, quum judex brevissimum tempus ad agendum sit daturus. *Idem.*

1 *Cæterum*

agant. [1] Cæterum illum quem juvenem, teneriſque adhuc viribus nitentem in forum deduximus, & incipere à quam maxime facili ac favorabili cauſſa velim, ut catuli feratum molliore præda ſaginantur: & non utique ab hoc initio continuare operam, & ingenio adhuc alendo callum inducere, ſed jam ſcientem quid ſit pugna, & in quam rem ſtudendum ſit, refici atque renovari. Sic & tyrocinii metum, dum facilius eſt audere, tranſierit, nec audendi facilitatem uſque ad contemptum operis adduxerit. [2] Uſus eſt & hac ratione M. Tullius: & cum jam clarum meruiſſet inter patronos, qui tum erant, nomen, in Aſiam navigavit, ſeque & aliis ſine dubio eloquentiæ ac ſapientiæ magiſtris, ſed præcipue tamen *Apollonio Moloni*, quem Romæ quoque audierat, Rhodi rurſus formandum ac velut recoquendum dedit. Tum dignum operæ pretium venit, cum inter ſe congruunt præcepta & experimenta.

1 *Cæterum illum quem.*] Non præfinivit certum tempus cauſarum agendarum, nec tamen à quibus ſit incipiendum cauſis docet. addit, ſi orator juvenis tyrocinium inceperit, non debere illum operam continuare, ſed ſæpenumero intermiſſis cauſis eum ad diſciplinas redire oportet. *Idem.*

2 *Uſus eſt & hac ratione M. Tullius.*] Id fecit, quoniam in oratione pro Roſcio videbatur offendiſſe Syllam dictatorem. igitur relicta Roma navigavit in Aſiam, ubi dedit operam *Menippo Cenocli* & *Dionyſio* rhetoribus. Jam Athenis dedit operam *Antiocho Academico*, Rhodi *Apollonio Moloni*. Idem.

CAP. VII.

Quæ in ſuſcipiendis cauſsis oratori obſervanda ſint.

CUm ſatis in omne certamen virium fecerit, prima ei 7
cura in ſuſcipiendis cauſſis erit: in quibus defendere quidem reos profecto quam facere vir bonus mallet: non tamen ita nomen ipſum accuſatoris horrebit, ut nullo neque publico neque privato duci poſſit officio, ut aliquem ad reddendam

CIc. lib. 2. Officior. ait ſatius eſſe *defendere* quam *accuſare*, ita tamen ut propter juſtas rationes ad accuſationem deſcendere debeamus: nec tamen eſt committendum ut accuſationum frequentia accuſatoris nomen mereamur. quod accidit Marco Bruto, ut teſtatur in Officiis. *Turneb.*

dendam rationem vitæ vocet. Nam & *leges ipsæ nihil valeant, nisi actoris idonea voce munitæ:* & si pœnas scelerum expetere fas non est, prope est ut scelera ipsa permissa sint: & licentiam malis dari, certe contra bonos est. Quare neque sociorum querelas, nec amici vel propinqui necem, nec erupturas in rempublicam conspirationes inultas patietur orator: non pœnæ nocentium cupidus, sed emendandi vitia, corrigendique mores. Nam qui ratione traduci ad meliora non possunt, solo metu continentur. [1] Itaque ut accusatoriam vitam vivere [2] & ad deferendos reos præmio duci, proximum latrocinio est: ita pestem intestinam propulsare, cum propugnatoribus patriæ comparandum. Ideoque principes in republica viri non detrectaverunt hanc officii partem: creditique sunt etiam clari juvenes obsidem reipublicæ dare malorum civium accusationem, quia nec odisse improbos, nec simultates provocare, nisi ex fiducia bonæ mentis videbantur. Idque cum ab Hortensio, Lucullis, Sulpitio, Cicerone, Cæsare, pluribus aliis, tum ab utroque Catone factum est: quorum alter appellatus est *sapiens*, alter nisi creditur fuisse, vix scio cui reliquerit hujus nominis locum. [3] Nanque defendet omnis orator, idemque portum illum eloquentiæ suæ salutarem, non etiam piratis patefaciet, duceturque in advocationem maxime caussa. Quoniam tamen omnes qui non improbe litigabunt, quorum certe bona pars est, sustinere non potest unus, [4] aliquid & commendantium personis dabit, & ipsorum qui judicio decernent,

1 *Itaque ut accus.*] Id ait contra eos qui faciebant *quadruplaturas* in foro Romano: ideo *quadruplatores* vocabantur. illi autem erant *delatores*, qui consequebantur ex damnatione alicujus quartam partem bonorum. *Idem.*

2 *Et ad defendendos reos.*] Lex Cincia vetabat, *ne patronus ob alicujus defensionem pecuniam vel præmium aliquod caperet.* Idem.

3 *Nanque defendet.*] Quanquam optimum est *defendere*, ad idque propensissimi esse debemus, non tamen prædones atque piratas tuebimur. in primis enim consideranda est causæ æquitas. In alio codice legitur, *neque*, ac sensus tum etiam optimus est. *Idem.*

4 *Aliquid & commend.*] Orator in suscipiendis causis moveri debet *commendantium personis*, & *decernentium judicio*, ut causas eas potius suscipiat quam alias. *Idem.*

1 *Summo-*

cernent, ut optimi cujusque voluntate moveatur, nanque hos & amicissimos vir bonus habebit. [1] Summovendum vero est utrunque ambitus genus, vel potentibus contra humiles venditandi operam suam: vel illud etiam jactantius, minores utique contra dignitatem attollendi. Non enim fortuna causas vel justas vel improbas facit. Neque vero pudor obstet, quo minus susceptam, cum melior videretur, litem, cognita inter dicendum iniquitate dimittat, cum prius litigatori dixerit verum. Nam & in hoc maximum, si æqui judices sumus, beneficium est, ut non fallamus vana spe litigantem. Neque est dignus opera patroni, qui non utitur consilio. Et certe non convenit ei quem oratorem esse volumus, injusta tueri scientem. [2] Nam si ex illis quas supra diximus caussis falsum tuebitur, erit tamen honestum quod ipse faciet. [3] Gratisne ei semper agendum sit, tractari potest. Quod ex prima statim fronte dijudicare, imprudentium est. Nam quis ignorat, quin id longe sit honestissimum, ac liberalibus disciplinis, & illo quem exigimus animo dignissimum, non vendere operam, nec elevare tanti beneficii auctoritatem? cum pleraque hoc ipso possint videri vilia, quod pretium habent. Cæcis hoc, ut ajunt, satis clarum est: nec quisquam qui sufficientia sibi (modica autem hæc sunt) possidebit, hunc quæstum sine crimine sordium fecerit. At si res familiaris amplius aliquid ad usus necessarios exiget, secundum omnes sapientium leges patietur sibi gratiam referri: [4] cum & *Socrati collatum sit ad*

1 *Summovendum vero est.*] Quidam absque judicio semper *potentes* defendunt, non habita ratione causæ: alii semper *humiles* tuentur adversus potentes, sine respectu causæ. utrique sunt in vitio. *Idem.*

2 *Nam si ex illis.*] Supra *Fab.* dixit, ab oratore posse defendi ea quæ injusta videntur, dummodo subsit honesta causa. at si sciens rem iniquam defenderet absque prætextu honestæ causæ, id turpissimum videretur. Recurre ad finem primi capitis. *Idem.*

3 *Gratisne ei semper.*] Idcirco id quærit *Fabius*, quia (quemadmodum est apud Tacitum) ante Fabii ætatem magna contentione advocatorum sublata fuit lex Cincia. *Idem.*

4 *Cum & Socrati.*] Horum exemplo significat non esse interponendam pecuniæ stipulationem atque pactionem in causarum actione. nam hoc nomine Socrates apud Xenophontem in commentariis reprehendit *sophistas*, quia

ad victum: & Zeno, Cleanthes, Chrysippus mercedes à discipulis acceptaverint. Neque enim video quæ justior acquirendi ratio, quam ex honestissimo labore, & ab iis de quibus optime meruerint, quique si nihil invicem præstent, indigni fuerint defensione. Quod quidem non justum modo, sed necessarium etiam est, cum hæc ipsa opera, tempusque omne alienis negotiis datum, facultatem aliter acquirendi recidant. [1] Sed tum quoque tenendus est modus: ac plurimum refert, & *à quo* accipiat, & *quantum*, & *quousque*. [2] Paciscendi quidem ille piraticus mos, & imponentium periculis pretia, procul abominanda negotiatio, etiam à mediocriter improbis aberit: cum præsertim bonos homines bonasque causas tuenti non sit metuendus ingratus, qui si futurus, malo tamen ille peccet. Nihil ergo acquirere volet orator ultra quam satis erit: ac ne pauper quidem tanquam mercedem accipiet, sed mutua benevolentia utetur, cum sciat se tanto plus præstitisse: quia *nec venire hoc beneficium oportet, nec perire*. Denique ut gratus sit, ad eum magis pertinet, qui debet.

mercedem exigebant. si quid tamen conferatur quo egeat, acceptare debebit orator. *Idem.*

1 *Sed tunc quoque.*] Similis est locus apud jurisconsultos in titulo de *proconsulis officio*. jubet enim Ulpianus, *ut proconsul nec omnia accipiat, nec passim, nec ab omnibus.* Idem.

2 *Paciscendi quidem.*] Vetat ne fiant *cauponationes* & *dinundinationes causarum*, interposita pecuniæ pactione, si cujus causam susceperis agendam. nam alioqui gravissimum erat olim opprobrium, habere *linguam venalem.* Idem.

Cap. VIII.

Quæ in discendis causis oratori observanda sint.

8 Proxima *discendæ causæ ratio*, quod est orationis fundamentum. Neque enim quisquam tam ingenio tenui reperitur, qui cum omnia quæ sunt in causa, diligenter cognoverit,

Antea præceptum est à *Fabio*, & à *Cic.* traditum lib. 2. de Oratore, *ab oratore causam familiariter cognosci debere, ut & adjumentis uti possit optimis, & contradictionibus recurrere*, discit autem orator causam, quum à litigatore accipit ejus explicationem. *Turneb.*

1 *Litium*

gnoverit, ad docendum certe judicem non sufficiat. Sed ejus rei pauciſſimis cura eſt. Nam ut taceam de negligentibus, quorum nihil refert ubi [1] litium cardo vertatur, dum ſint quæ vel extra cauſſam ex perſonis aut communi tractatu locorum occaſionem clamandi largiantur: aliquos & ambitio pervertit, qui partim tanquam occupati, ſemperque aliud habentes quod ante agendum ſit, pridie ad ſe venire litigatorem, aut eodem matutino jubent. nonnunquam etiam inter ipſa ſubſellia didiciſſe ſe gloriantur. partim jactantia ingenii, ut res cito accepiſſe videantur, tenere ſe & intelligere prius pene quam audiant mentiti, cum multa & diſerte, ſummiſque clamoribus, quæ neque ad judicem, neque ad litigatorem pertineant, decantaverunt, bene ſudantes beneque comitati per forum reducuntur. [2] Ne illas quidem tulerim delitias eorum qui doceri amicos ſuos jubent: quanquam minus mali eſt, ſi illi ſaltem recte diſcant, rectequе doceant. Sed quis diſcet tam bene, quam patronus? Quomodo autem ſequeſter ille & media litium manus, & quidam interpres, impendet æquo animo laborem in alienas actiones, cum dicturus ipſe non ſit. Peſſimæ vero conſuetudinis, [3] libellis eſſe contentum, quos componit aut litigator, qui confugit ad patronum, quia liti ipſe non ſufficit: aut aliquis ex eo genere advocatorum, qui ſe non poſſe agere confitentur, deinde faciunt id quod eſt in agendo difficillimum. Nam qui judicare quid *dicendum*, quid *diſſimulandum*, quid *declinandum*, *mutandum*, *fugiendum* etiam ſit, poteſt, cur non ſit orator, quando quod difficilius eſt facit? Hi porro non tantum nocerent, ſi omnia ſcriberent uti geſta ſunt.

1 *Litium cardo.*] *Cardinem litium* appellat locum illum in quo eſt tota controverſia, & cauſæ ſtatus. ſic antea dixit, *cardinem cauſæ ponere.* appellare vulgo ſolemus præcipuum & verum litis punctum. *Idem.*

2 *Ne illas quidem.*] Alii gravantur à *litigatore* cauſam audire: itaque jubent ut cuidam ex eorum amicis à litigatore cauſa exponatur, à quo poſtea cauſam diſcant. *Idem.*

3 *Libellis eſſe contentum.*] *Libellos* appellat Fab. *brevia quibus applicatur cauſa.* fiebant autem *libelli* vel à *litigatoribus* vel ab *advocatis minoribus*, ut hodie à *procuratoribus* nonnunquam. *Idem.*

ſta ſunt. Nunc conſilium [1] & colores adjiciunt, & aliqua pejora veris, quæ plerique cum acceperunt, immutare nefas habent, & velut themata in ſcholis poſita cuſtodiunt. Deinde deprehenduntur, & cauſſam quam diſcere ex ſuis litigatoribus noluerunt, ex adverſariis diſcunt. Liberum igitur demus ante omnia iis quorum negotium erit, *tempus* ac *locum*: exhortemurque ultro, ut omnia quamlibet verboſe, & unde volent repetito tempore exponam. Non enim tam obeſt audire ſupervacua, quam ignorare neceſſaria. Frequenter autem & *vulnus* & *remedium* in iis orator inveniet, quæ litigatori in neutram partem habere momentum videbantur. Nec tanta ſit acturo memoriæ fiducia, ut ſubſcribere audita pigeat. Nec ſemel audiſſe ſit ſatis, cogendus eadem iterum ac ſæpius dicere litigator, non ſolum quia effugere aliqua prima expoſitione potuerunt, præſertim hominem (quod ſæpe evenit) imperitum: ſed etiam ut ſciamus an eadem dicat. Plurimi enim mentiuntur, & tanquam non doceant cauſſam, ſed agant, non ut cum patrono, ſed ut cum judice loquuntur. [2] Quapropter nunquam ſatis credendum eſt, ſed agitandus omnibus modis, & turbandus, & evocandus. Nam ut medicis non apparentia modo vitia curanda ſunt, ſed etiam invenienda quæ latent, ſæpe ipſis ea qui ſanandi ſunt occulentibus: ita advocatus plura quam oſtenduntur, aſpiciat. [3] Nam cum ſatis in audiendo patientiæ impenderit, in aliam rurſus ei perſonam tranſeundum eſt, agenduſque adverſarius, proponendum quicquid omnino excogitari contra poteſt, quicquid recipit in ejuſmodi diſ-

1 *Et colores adjiciunt.*] *Colores* prætextus ſunt & velamenta rerum turpium, atque etiam cauſæ, quæ rem falſam efficiunt probabilem. *Idem.*

2 *Quapropter nunquam.*] Idem præcepit lib. 5. cum ageret de teſtibus. Cæterum quod *evocare* dixit, ſignificat interrogationibus paulatim elicere litigatorem, ut aliquid loquatur ſibi ipſi contrarium. *Idem.*

3 *Nam cum ſatis.*] Fab. cap. 1. lib. 7. præcipit, *non minus cogitandum pro adverſa parte quam pro ſua*, ea res enim conducit ad conſtitutionem cauſæ & ſolutionem contradictionum. alium hic adhibet uſum, ut cognoſcatur cauſæ veritas, quod fiet, ſi argumentetur patronus contra litigatorem quaſi adverſarius. *Idem.*

1 Pro-

disceptatione natura. Interrogandus quam infestissime, ac premendus. Nam dum omnia quærimus, aliquando ad verum, ubi minime expectavimus, pervenimus. In summa, *optimus est in dicendo patronus incredulus.* [1] Promittit enim litigator omnia, testem, populum, paratissimas consignationes, ipsum denique adversarium quædam non negaturum. [2] Ideoque opus est intueri omne litis instrumentum: quod videre non est satis, perlegendum erit. Nam frequentissime aut non sunt omnino quæ promittebantur, aut minus continent, aut cum alio aliquo nocituro permista sunt, aut nimia sunt, & fidem hoc ipso detractura, quod non habent modum. [3] Denique *linum ruptum*, aut *turbata* [4] *cera*, aut sine agnitione signa frequenter invenies: quæ nisi domi excusseris, in foro inopinata decipient: plusque nocebunt destituta, quam non promissa nocuissent. Multa etiam quæ litigator nihil ad caussam pertinere crediderit, patronus eruet: modo per omnes quos tradidimus argumentorum locos eat: quos ut circunspectare in agendo, & attentare singulos minime convenit, [5] propter quas diximus caussas: ita in discendo rimari necessarium est, *quæ personæ*, quæ *tempora*, quæ *loca instituta*, *instrumenta* cætera: ex quibus non tantum illud quod est *artificiale* probationis genus colligi possit, sed qui metuendi testes, quomodo sint refellendi. Nam plurimum refert, *invidia reus*, *an odio*, *an contemptu laboret*: quorum fere pars prima superiores, proxima pares, tertia humiliores premit. Si caussam perscrutatus, propositis ante

ocu-

1 *Promittit litigator omnia, testem, &c.*] Turneb. Adversar. lib. 2. cap. 27.

2 *Ideoque opus est.*] Paulus jurisconsultus id omne *instrumentum* appellat, quo lis instruitur, vulgo appellare solemus omnia scripta quibus lis instruitur. *Turneb.*

3 *Denique linum ruptum.*] Consuetudo erat, ut ait Paulus, *ut instrumenta triplicato lino trajicerentur, cui signaculum ex cera imponebatur.* eo alludit Fabius. *Idem. Denique linum ruptum, aut turbatam ceram, aut sine agnitore signa frequenter invenies, quæ nisi, &c.*] *Sine agnitore signa* vocat, cum nemo ex testibus signum suum agnoscit. Ita legendus ille locus. *Salmas.* de modo usurar. p. 451.

4 *Cera.*] Alii, *Cætera.*

5 *Propter quas diximus caussas.*] *Fabius in fine cap.* 10. *lib.* 5. docet, quum proposita fuerit materia, non scrutanda esse singula argumenta, & velut ostiatim pulsanda, sed diuturna exercitatione veluti in promptu habenda. *Turneb.*

oculos omnibus quæ prosint noceantve, tertiam deinceps personam induat judicis, fingatque apud se agi causam, & quod ipsum movisset de eadem re pronuntiaturum, id potentissimum apud quencunque agetur, existimet: & sic eum raro falet eventus, aut culpa judicis erit.

Cap. IX.

Quæ servanda in agendis causis oratori sint.

[9] *Quæ sint in agendo servanda*, toto fere opere executi sumus: pauca tamen propria hujus loci, quæ non tam dicendi arte, quam officiis agendi continentur, attingam. Ante omnia, ne, quod plerisque accidit, ab utilitate eum causæ, præsentis cupido laudis abducat. Nam ut gerentibus bella, non semper exercitus per plana & amœna ducendus est, sed adeundi plerunque asperi colles, expugnandæ civitates quamlibet præcisis impositæ rupibus, aut operum mole difficiles: ita oratio gaudebit quidem occasione latius decurrendi, & æquo congressa campo, totas vires populariter explicabit: at si juris anfractus, aut eruendæ veritatis latebras adire cogetur, non obequitabit, nec illis vibrantibus concitatisque sententiis velut missilibus utetur: sed operibus, & cuniculis, & insidiis & occultis artibus rem geret. Quæ omnia non dum fiunt, laudantur, sed cum facta sunt: unde etiam cupidis minus opinionis, plus fructus venit. Nam cum illa dicendi vitiosa jactatio inter plausores suos detonuit, resurgit veræ virtutis fortior fama: nec judices à quo sint moti dissimulant & doctis creditur: *nec est orationis vera laus, nisi cum finita est.* [1] Veteribus quidem etiam dissimulare eloquentiam fuit moris: idque M. Antonius præcipit

Reprehendit lib. 2. eos qui plausibiles locos captabant ad ostentandam eloquentiam: in eosdem hoc loco invehitur, ac totum locum transigit; similitudine ducta à *re militari*. Turnebus.

1 *Veteribus quidem.*] M. Antonius orator in lib. quem de *eloquentia* imperfectum reliquit, hoc memoriæ mandavit. Idem præcipit Ant. lib. 2. de Orat. Fabii tamen tempore non ita dissimulari poterat *eloquentia*. Idem.

1 *Lu-*

pit, quo plus dicentibus fidei, minusque suspectæ advocatorum insidiæ forent. Sed illa dissimulari quæ tum erat, potuit: nondum enim tantum dicendi [1] lumen accesserat, ut etiam per obstantia erumperet. Quare artes quidem & consilia lateant, & quicquid si deprehenditur, perit. Hactenus eloquentia secretum habet. *Verborum* quidem *delectus*, *gravitas sententiarum*, *figurarum elegantia*, aut non sunt, aut apparent: sed vel propter hoc ipsum ostentanda non sunt, quod apparent: aut si unum è duobus eligendum, *caussa potius* laudetur *quam patronus*. Finem tamen hunc præstabit orator, ut videatur optimam caussam optime egisse. Illud certum erit, neminem pejus agere, quam qui displicente caussa placet, necesse est enim extra caussam sit, quod placet. [2] Nec illo fastidio laborabit orator, non agendi caussas minores, tanquam infra eum sint, aut detractura sit opinioni minus liberalis materia. Nam & suscipiendi ratio justissima est, officium, & optandum etiam ut amici quam minimas lites habeant: & *abunde dixit bene, qui rei satisfecit.* [3] At quidam etiamsi forte susceperunt negotia paulo ad dicendum tenuiora, extrinsecus adductis ea rebus circunliniunt: ac si defecerint alia, conviciis implent vacua caussarum: si contingit, veris: si minus, fictis, modo sit materia ingenii mereaturque clamorem dum dicitur. Quod ego adeo longe puto ab oratore perfecto, ut eum ne vera quidem objecturum, nisi id caussa exigit, credam. [4] Ea est enim prorsus

1 *Lumen.*] An *Fulmen*? Passerat.

2 *Nec illo fastidio.*] Etiam summus orator *minimas causas & tenuissimas tractabit*: quæ quanquam non sunt capaces summæ facundiæ, attamen ornate agi possunt & apte. ille enim apte dicit, qui orationem accommodat caussæ. *Turneb.*

3 *At quidam etiam.*] Quidam *famæ captatores* in causis exiguis uti solent *digressionibus* ad ornamentum: aut si locus non est *digrediendi*, utuntur *convitiis* vel in litigatorem adversarium, vel in ejus patronum. *Idem.*

4 *Ea est enim.*] Nonius Marcellus in dictione Rabula, citat ex Sallustio hunc locum: *Canina*, ut ait Appius, *facundia exercebatur.* hoc autem usurpatur in *maledicos* & *conviciatores*, qui ea de causa paulo post etiam à Fabio *latratores* appellantur. Eadem ratione Columella in procœmio appellavit *caninum studium*, & Ovidius *canina verba.* Tractatum est vel à *canum latratu*, vel à *philosophis Cynicis*, qui mordaces erant. *Idem.*

sus *canina*, ut ait Appius, *eloquentia*, *censuram maledicendi subire*: quod facientibus, etiam male audiendi præsumenda patientia est. Nam & in ipsos fit impetus frequenter qui egerunt, & certe patroni petulantiam litigator luit. Sed hæc minora sunt ipso illo vitio animi, quo maledicus à malefico non distat, nisi occasione. Turpis voluptas, & inhumana, & nulli audientium bono grata: à litigatoribus quidem frequenter exigitur, qui ultionem malunt, quam defensionem. Sed neque alia multa ad arbitrium eorum facienda sunt. Hoc quidem quis hominum liberi modo sanguinis sustineat, petulans esse ad alterius arbitrium? Atqui etiam in advocatos partis adversæ libenter nonnulli invehuntur: quod nisi si forte meruerunt, & inhumanum est respectu communium officiorum, & cum ipsi qui dicit, inutile ([1] nam idem juris responsuris datur) tum caussæ contrarium, quia plane & adversarii fiunt, & inimici: & quantuluncunque his virium est, contumelia augetur. Super omnia perit illa quæ plurimum oratori & auctoritatis & fidei affert, modestia, si à viro bono [2] in rabulam latratoremque convertitur, compositus non ad animum judicis, sed ad stomachum litigatoris. [3] Frequenter etiam species libertatis deducere ad temeritatem solet, non caussis modo, sed ipsis quoque qui dixerunt, periculosam. *Nec immerito Pericles solebat optare, ne quod sibi verbum in mentem veniret, quo populus offenderetur.* Sed quod ille de populo, id ego de omnibus sentio qui tantundem possunt nocere. Nam quæ *fortia*, dum dicuntur, videbantur, *stulta* cum læserunt, vocantur.

1 *Nam idem juris responsuris detur.*] Sueton. de Vespasiano: *Ita pronuntiavit non oportere maledici senatoribus: vemaledici jus fasque esse.* Pith.

2 *In rabulam.*] *Rabula* clamator est improbus, nimiusque vociferator. sic appellantur oratores qui maximo clamore maximisque convitiis in causa agenda utuntur. huc pertinet quod dictum est de *canina facundia.* Turnebus. *Rabulam, &c.*] Festus: Rabula à rabie dictus, quem nunc advocatum vel causarium patronum dicimus. Prudent. *Atqui canina foro intrat facundia toto.* Pith.

3 *Frequenter etiam species libertatis.*] Ea est quæ dicitur à Græcis παῤῥησία, nimia in loquendo *audacia* atque *licentia*, quæ sæpenumero solet obesse. *Turnebus.*

1 *Nunc*

cantur. [1] Nunc quia varium fere propositum agentium fuit, & quorundam cura tarditatis, quorundam facilitas temeritatis crimine laboravit: quem credam fore in hoc oratoris modum, tradere non alienum videtur. Afferet ad dicendum curæ semper quantum plurimum poterit. Neque enim solum negligentis, sed & mali, & in suscepta causa perfidi ac proditoris est, pejus agere quam possit. Ideoque ne suscipiendæ quidem sunt causæ plures, quam quibus suffecturum se sciat. Dicet scripta quam res patietur plurima: [2] & ut Demosthenes ait, si continget, & sculpta. [3] Sed hoc aut primæ actiones, aut quæ in judiciis publicis post interjectos dies dantur, permiserint: at cum protinus respondendum est, omnia parari non possunt, adeo ut paulo minus promptis etiam noceat scripsisse, si alia ex diverso quam opinati fuerant, occurrent. Inviti enim recedunt à præparatis, & tota actione respiciunt, requiruntque num aliquid ex illis intervallis, atque ex tempore dicendis inseri possit: quod si fiat, non cohæret, nec commissuris modo ut in opere male juncto hiantibus, sed ipsa coloris inæqualitate detegitur. Ita nec liber est impetus, nec cura contexta, & utrunque alteri obstat. *Illa* enim *quæ scripta sunt, retinent animum, non sequuntur.* Itaque in his actionibus [4] omni, ut agricolæ dicunt, *pede standum est.* Nam cum in propositione ac refutatione causa consistat, quæ nostræ partis sunt, scripta esse possunt:

1 *Nunc quia.*] Ait in oratore optimam esse dicendi facilitatem, ut possit *ex tempore* etiam agere, si cogatur: attamen cum occasio erit, optimum ait esse uti *oratione aut præmeditata, aut scripta.* Idem.

2 *Et ut Demosthenes.*] Hic quoque *Demosthenes* cum rogaretur à populo Athenienſi, ut de quapiam re orationem haberet, recusavit, quod diceret se imparatum. at ejus tempore *Demades* fere ex tempore loquebatur. *Idem.*

3 *Sed hoc aut primæ actiones.*] *Prima actio est primum judicium, quo causa agitur.* Quod subnectit continuo Fabius, pertinet ad *ampliationem* & *comperendinationem*, quum scilicet causa differtur, ut post aliquot dies denuo agatur. *Idem.*

4 *Omni (ut agricolæ dicuntur) pede.*] Proverbium est ab *agricolis* ductum, qui cum maxime laborant, utrisque maxime pedibus se sustinent, alioqui vehemens esse labor non posset. potest etiam duci à *militibus* qui locum non deserunt in acie. *Idem. Omni pede standum est.*] Pro omni contentione totisque viribus. Vide *Turneb.* Adverſ. lib. 7. cap. 19.

Diversa

possunt: quæ etiam respondurum adversarium certum est, (est enim aliquando certum) pari cura refelluntur. Ad alia unum paratum afferre possumus, ut causam bene noverimus, alterum ibi sumere, ut dicentem adversarium diligenter audiamus. Licet tamen præcogitare plura, & animum ad omnes casus componere: idque est tutius *stylo*, quo facilius & omittitur *cogitatio*, & transfertur. Sed sive in respondendo fuerit subito dicendum, sive quæ alia ita exegerit ratio, nunquam oppressum se ac deprehensum credet orator, cui disciplina & studium & exercitatio dederit vires etiam facilitatis: quenque armatum semper, ac velut in procinctu stantem, non magis unquam in caussis oratio, quam in rebus quotidianis ac domesticis sermo deficiet, nec se unquam propter hoc oneri subtrahet, modo sit caussæ dicendæ tempus, nam cætera semper sciet.

Cap. X.

De genere dicendi.

10 Superest ut dicam *de genere orationis*. Hic erat propositus à nobis in divisione prima locus tertius: nam ita promiseram, me *de arte*, de *artifice*, de *opere* dicturum. Cum sit autem [1] rhetoris atque oratoris opus *oratio*, pluresque ejus formæ, sicut ostendam, in omnibus his & *ars* est & *artifex*: plurimum tamen invicem differunt, nec solum specie, ut *signum signo*, & *tabula tabula*, & *actio actione*, sed genere ipso, [2] ut à *Græcis Tuscanicæ statuæ*, & *Asianus eloquens Attico*. Suos autem hæc operum genera quæ dico, ut auctores, sic etiam amatores habent: [3] atque ideo nondum est perfectus orator, ac nescio an ars ulla, non solum quia aliud in alio magis

Diversa dicendi genera esse docet hoc cap. utiturque ad hujus rei probationem *artificum* similitudine. sed enim optima est dicendi ratio, quæ *tenuia* subtiliter, *mediocria* temperate, *grandia* magnifice eloquitur. *Turneb.*

1 *Rhetoris.*] Alii, *Rhetorices.*

2 *Ut à Græcis Tuscanicæ, &c.*] *Plinius in Naturali historia* ait claros in Hetruria fuisse statuarios: sed tamen illi statuarii multum deferebant Græcis. *Turnebus.*

3 *Atque ideo nondum est perfectus orator.*] Quia *perfectus orator* esse non potest,

magis eminet, sed quod non una omnibus forma placuit, partim conditione vel temporum vel locorum, partim judicio cujusque atque proposito. Primi, quorum quidem opera non vetustatis modo gratia visenda sint, clari pictores fuisse dicuntur *Polygnotus* atque *Aglaophon*, [1] quorum simplex color tam sui studiosos adhuc habet, ut illa prope rudia, ac velut futuræ mox artis primordia, maximis qui post eos extiterunt, auctoribus præferantur, proprio quodam [2] intelligendi (ut mea fert opinio) ambitu. [3] Post *Zeuxis* atque *Parrhasius* non multum ætate distantes (circa Peloponnesia ambo tempora. nam cum Parrhasio sermo Socratis apud Xenophontem invenitur) plurimum arti addiderunt. [4] Quorum prior luminum umbrarumque invenisse rationem, secundus examinasse subtilius lineas traditur. Nam Zeuxis plus membris corporis dedit, id amplius atque augustius ratus, atque (ut existimant) *Homerum* secutus, cui validissima quæque forma etiam in fœminis placet. Ille vero ita circunscripsit omnia, [5] ut eum *legumlatorem* vocent, quia deorum atque heroum effigies quales ab eo sunt traditæ, cæteri tanquam ita necesse sit, sequuntur. Floruit autem circa *Phi-*

test, nisi excellat in omnibus dicendi generibus. itaque quum quidam sequantur hoc vel illud dicendi genus, inde factum est ut *orator perfectus* non fuerit. *Idem.*

1 *Quorum simplex color.*] Intelligit *monochromata*, id est quæ *uno colore sunt depicta*. vel certe ita accipere debemus *simplicem pingendi rationem*. Polygnotus Thasius fuit, porticum Athenis depinxit: cujus tempore fuit Aglaophon, ut ait Plinius. Cujus liber trigesimus quintus est legendus ad hujus loci intellectum. *Idem.*

2 *Intelligendi, &c.*] Intelligendi, id est judicandi, quasi artem intelligant, id est, quomodo tumens vel cavum in plano exprimatur.

3 *Post Zeuxis.*] *Plinius* libro 35. describit certamen horum duorum pictorum, qui floruerunt eo tempore quo Lacedæmonii, qui Peloponnesum incolunt, bellum inierunt contra Athenienses. *Turneb.*

4 *Quorum prior luminum, &c.*] *Umbræ* & *lumina* efficiunt ut alia & alia videatur pictura: itaque cum *luminibus* admiscetur *umbra*, videtur in pictura aliquid eminens esse, & aliquid positum in recessu. Parrhasius autem, ut ait Plinius, *ita extremas lineas depinxit, ut reliquos superet.* Idem.

5 *Ut eum legumlatorem vocent.*] Vocabant eum, ut opinor, νομοθέτην, id est *legumlatorem*, quia, ut ait Plinius, *reliquit multas tabulas graphidis, quas posteriores pictores imitabantur.* eidem tribuit inventionem symmetriæ Plinius. *Idem.*

Philippum, & usque *ad successores Alexandri*, pictura præcipue, sed diversis virtutibus. [1] Nam cura *Protogenes*, [2] ratione *Pamphilus* ac *Melanthius*, facilitate *Antiphilus*, concipiendis visionibus (quas φαντασίας vocant) *Theon Samius*, [3] ingenio & gratia quam in se ipse maxime jactat, *Apelles* est præstantissimus. *Euphranorem* admirandum facit, quod & cæteris optimis studiis inter præcipuos, & pingendi fingendique idem mirus artifex fuit. Similis in statuis differentia. Nam duriora, [4] & Thuscanicis proxima *Calon* atque *Egesias*, jam minus rigida *Calamis*, molliora adhuc supra dictis [5] *Myron* fecit. [6] Diligentia ac decor in *Polycleto* supra cæteros, cui quanquam à plerisque tribuitur palma, tamen ne nihil detrahatur, deesse pondus putant. Nam ut humanæ formæ decorem addiderit supra verum, ita non expleviſse deorum auctoritatem videtur. Quin ætatem quoque graviorem dicitur refugisse, nihil ausus ultra leves genas. [7] At quæ *Polycleto* defuerunt, *Phidiæ* atque *Alcameni* dantur. *Phidias* tamen diis quam hominibus efficiendis melior artifex traditur, in ebore vero longe citra æmulum, vel si nihil nisi *Minervam Athenis*, aut *Olympium in Elide Jovem* feciſſet: cujus pulchritudo adjeciſſe aliquid etiam receptæ religioni videtur, adeo majestas operis deum æquavit. Ad [8] veritatem *Lysip-*

1 *Nam cura Protogenes.*] Unde *Apelles* eum vituperabat, quod non posset tollere manum de tabula. sic significabat nimiam esse ejus diligentiam. *Idem.*

2 *Ratione Pamphilus.*] *Pamphilus* peritissimus fuit *arithmetices* & *geometriæ*, ac sine his artibus negat pictorem aliquem optimum esse posse. præceptor fuit *Melanthii* & *Apellis*. Idem.

3 *Ingenio & gratia, &c.*] Plinius ait ita judicasse de cæteris Apellem, ut diceret illis deesse *venerem*, quæ à Græcis χάρις dicitur: vertit Fabius *gratiam*. Idem.

4 *Et Thuscanicis.*] *Calon*, ut scribit Plinius, floruit 87. *Olympiade*. suspicor tamen errorem esse in Plinio: legitur enim illico *Eglias* pro *Egesias*. Idem.

5 *Myron.*] Hujus *bucula* maxime laudatur: de qua multa sunt scripta in epigrammatibus Græcis. *Idem.*

6 *Diligentia ac decor, &c.*] Plinius certe, ait, à *Polycleto* consummatam fuisse artem, ab eoque eruditam fuisse *toreuticen*. idem reliquit *canona* ex quo reliqui statuarii lineamenta fingendi petebant. *Idem.*

7 *At quæ Polycleto.*] Parum convenit *Plinio* & *Fabio* in horum artificum ætate: si quidem, ut Plinius scribit, *Phidias vixit ante Polycletum*. Idem.

8 *Ad veritatem.*] Id est, verarum rerum formas expressisse.

1 *Hinc*

Lysippum & *Praxitelem* acceſſiſſe optime affirmant. Nam *Demetrius* tanquam nimius in ea reprehenditur, & fuit ſimilitudinis quam pulchritudinis amantior. In oratione vero ſi ſpecies intueri velis, totidem pene reperias ingeniorum, quot corporum formas. Sed fuere quædam genera dicendi conditione temporum horridiora, alioqui magnam jam ingenii vim præ ſe ferentia. [1] Hinc ſunt *Lælii*, *Africani*, *Catones*, *Gracchique*, quos tu licet *Polygnotos* vel *Calones* appelles. Mediam illam formam teneant *L. Craſſus*, *Q. Hortenſius*. Tum deinde effloreſcat non multum inter ſe diſtantium temporum oratorum ingens proventus. Hinc *vim* Cæſaris, *indolem* Cœlii, *ſubtilitatem* Callidii, *gravitatem* Bruti, *acumen* Sulpitii, *acerbitatem* Caſſii, *diligentiam* Pollionis, *dignitatem* Meſſalæ, *ſanctitatem* Calvi reperiemus. In his etiam quos ipſi videmus *copiam* Senecæ, *vires* Africani, *maturitatem* Afri, *jucunditatem* Criſpi, *ſonum* Trachalli, *elegantiam* Secundi. At *M. Tullium*, non illum habemus *Euphranorem* circa plurium artium ſpecies præſtantem, ſed in omnibus quæ in quoque laudantur, eminentiſſimum. Quem tamen & ſuorum homines temporum inceſſere audebant ut tumidiorem, & *Aſianum*, & redundantem, & in repetitionibus nimium, & in ſalibus aliquando frigidum, & in compoſitione fractum, exultantem, ac pene (quod procul abſit) viro molliorem. Poſtea vero quam triumvirali proſcriptione conſumptus eſt, paſſim qui oderant, qui invidebant, qui æmulabantur, [2] adulatores etiam præſentis potentiæ, non reſponſurum invaſerunt. Ille tamen qui jejunus à quibuſdam & aridus habetur, non aliter ab ipſis inimicis male audire, quam nimiis floribus & ingenii affluentia potuit. Falſum utrunque, ſed tamen illa mentiendi propior occaſio. [3] Præcipue vero preſſerunt eum, qui videri Attico-

1 *Hinc ſunt Lælii, &c.*] De his oratoribus vide *Fab. lib.* 10. *cap. primo circa finem.* Turneb.

2 *Adulatores etiam præſentis potentiæ.*] Itaque *Pollio* filius Aſinii Pollionis libros in *Ciceronem* ſcripſit, ac ſuum patrem probavit *Cicerone* eloquentiorem, quemadmodum teſtatur Cæcilius Plinius in epiſtolis. *Idem.*

3 *Præcipue vero preſſerunt enm.*] Tempore

Atticorum imitatores concupierant. Hæc manus quasi quibusdam sacris initiata, ut alienigenam, & virum superstitiosum, devinctumque illis legibus insequebatur. Unde nunc quoque aridi, & exucci, & exangues (hi sunt enim qui suæ imbecillitati, sanitatis appellationem, quæ est maxime contraria, obtendant) quia clariorem vim eloquentiæ velut solem ferre non possunt, umbra magni nominis delitescunt: quibus quia multa, & pluribus locis Cicero ipse respondit, tutior mihi de hoc differendi brevitas erit. Et antiqua quidem illa divisio inter *Asianos* atque *Atticos* fuit, cum *hi* pressi & integri, contra inflati *illi* & inanes haberentur: & *in his* nihil superflueret, *illis* judicium maxime ac modus deesset. [1] Quod quidam, quorum & *Santra* est, hoc putant accidisse, quod paulatim sermone Græco in proximas Asiæ civitates influente, nondum satis periti loquendi, facundiam concupierint: ideoque ea quæ proprie signari poterant, circuitu cœperint enuntiare, ac deinde in eo perseverarint. Mihi autem orationis differentiam feciſſe & dicentium & audientium naturæ videntur, quod *Attici* limati quidem & emuncti nihil inane aut redundans ferebant. *Asiana* gens tumidior alioqui & jactantior, vaniore etiam dicendi gloria inflata est. Tertium mox, qui hæc dividebant, adjecerunt *genus Rhodium*: quod velut medium esse atque ex utroque mistum volunt. Neque enim *Attice* pressi, neque *Asiane* sunt abundantes, ut aliquid habere videantur gentis, aliquid auctoris. [2] *Æschines* enim, qui hunc exilio delegerat locum, intulit eo studia Athenarum, quæ velut fata

pore Cic. quidam oratores *tenues* atque *aridi* extiterunt, qui se *Atticos*, *Atticorumque imitatores dicebant*. illi Lysiam imitabantur, qui inter Atticos oratores *tenuis* est & *exilis*: & Ciceronem reprehendebant, quia copiosior erat. *Idem.*

1 *Quod quidam.*] Ideo *copiosi* erant & *redundantes Asiani*, quia cum sermo græcus esset demum per Asiam dispersus, Asiani non satis tenebant linguæ proprietatem: itaque circunlocutionibus sæpenumero utebantur, quibus demum assueverunt. hanc tamen rationem non probat Fabius. *Idem.*

2 *Æschines enim.*] *Æschines* in judicio de *corona* superatus à Demosthene, Rhodum abiit exulatum, illicque profiteri cœpit *rhetoricam*, ut docet Philostratus in vita sophistarum. ab hoc exortum est genus Rhodium. *Idem.*

1 *Qua-*

fata quædam cœlo terraque degenerant, saporem illum Atticum peregrino miscuerunt. Lenti ergo quidem ac remissi, non sine pondere tamen: neque fontibus puris, neque torrentibus turbidis, sed lenibus stagnis similes habentur. Nemo igitur dubitaverit longe esse optimum *genus Atticorum*. In quo ut est aliquid inter ipsos commune, id est, judicium acre, tersumque: ita ingeniorum plurimæ formæ. [1] Quapropter mihi falli multum videntur, qui solos esse *Atticos* credunt tenues, & lucidos, & significantes, sed quadam eloquentiæ frugalitate contentos, ac semper [2] manum intra pallium continentes. Nam quis erit hic *Atticus*? Sit *Lysias*, hunc enim amplectuntur amatores istius nominis modum. Non igitur jam usque ad [3] *Coccum* & *Andocidem* remittemur? Interrogare tamen velim an Isocrates *attice* dixerit. [4] Nihil enim tam est *Lysiæ* diversum. Negabunt? At ejus schola principes oratorum dedit. Quæratur similius aliquid. *Hyperides Atticus?* Certe. At plus indulsit voluptati. Transeo plurimos, *Lycurgum*, *Aristogitona*, & his priores, *Isæum*, *Antiphontem*: quos ut homines, inter se genere similes, differentes dixeris specie. Quid ille, cujus modo fecimus mentionem, *Æschines*, nonne his latior & audentior, & excelsior? Quid denique *Demosthenes?* non cunctos illos tenues & circunspectos, vi, sublimitate, impetu, cultu, compositione superavit? non insurgit locis? non figuris gaudet?

non

1 *Quapropter mihi.*] *Attica eloquentia*, quæ est omnium optima, tria dicendi genera complectitur, *tenue*, *mediocre*, & *grandiloquum*. his enim omnibus dicendi generibus usus est Demosthenes. itaque falluntur, qui *Atticos oratores tenues semper & limatos putant*. Idem.

2 *Manum intra pallium continentes.*] Sic proverbialiter est locutus de illis qui *lenti sunt* & *remissi*, ac sedata utuntur oratione. nam oratores qui utuntur *contentione*, brachium solent exerere atque vibrare. *Idem*.

3 *Coccum & Andocidem.*] *Andocides* numeratur à Plutarcho inter decem oratores Athenienses. de *Cocco* nihil ille scribit, tantum Suidas ait hunc fuisse Isocratis discipulum, & oratorem Athenienscm, qui quasdam orationes reliquerit. Videtur autem significare, *Andocidem* & *Coccum* tenuiores fuisse Lysia. *Idem*.

4 *Nihil enim tam est, &c.*] Isocrates enim maxime comparatus est ad *delectandum*, Lysias ad *docendum*. itaque alter est *temperatus*, alter *tenuis*: alterius oratio *diligens*, alterius *negligenti* similis. *Idem*.

non translationibus nitet? non oratione ficta dat carentibus vocem? [1] non illud jusjurandum per cæsos in *Marathone* ac *Salamine* propugnatores reipublicæ, satis manifesto docet præceptorem ejus *Platonem* fuisse? Quem ipsum num *Asianum* appellabimus, plerunque instinctis divino spiritu vatibus comparandum? Quid *Periclea?* similemne credimus *Lysiacæ* gracilitati, [2] quem fulminibus & cœlesti fragori comparant Comici, dum illi conviciantur? Quid est igitur cur in iis demum qui tenui venula per calculos fluunt, *Atticum* saporem putent? [3] ibi demum *thymum redolere dicant?* [4] Quos ego existimo, si quod in his finibus uberius invenerint solum, fertilioremve segetem, negaturos *Atticum* esse, quod plus quam acceperit seminis reddat, quia hanc ejus terræ fidem *Menander* eludit. Itaque si quis nunc ad eas *Demosthenis* virtutes, quas ille summus orator habuit, tamen quæ defuisse ei, sive ipsius natura, sive lege civitatis videntur, adjecerit, ut affectus concitatius moveat, audiam dicentem, non fecit hoc Demosthenes? & si quid exierit numeris aptius, fortasse non possit? sed tamen si quid exierit, non erit *Atticum?* Melius de hoc nomine sentiant credantque [5] *Attice dicere esse optime dicere.* [6] Atque in hac tamen opinione

1 *Non illud jusjurandum.*] Demosthenes in oratione de *corona*, ut avertat invidiam cladis apud Chœroneam acceptæ, jurat per eos, qui ceciderunt in *Marathoniis campis* adversus copias Darii, & eos qui ceciderunt in *Salaminio freto* adversus Persen. atque illic de gloria disputat, cui posthabenda mors est & clades: atque ita locum philosophicum tractat. Porro Demosthenes in epistolis scribit se auditorem Platonis fuisse. *Idem.*

2 *Quem fulminibus &c.*] Aristophanes sic de Pericle scripsit, *Fulgebat, tonabat, permiscebat Græciam.* Idem.

3 *Ibi demum thymum redolere.*] Hoc dictum est hac de causa, quia in Hymetto monte Atticæ, copia est *præstantissimi thymi:* atque hac de causa probatur mel *Atticum* à Dioscoride & Plinio. *Idem.*

4 *Quos ego existimo.*] Thucydides lib. primo de bello Peloponnesiaco ait in Attica solum esse *tenue*, nec satis *fertile.* Itaque à solo ad ingenia & oratores metaphoram transtulit: ut quemadmodum *solum* illic est *tenue*, sic duntaxat sunt *oratores tenues.* Idem.

5 *Attice dicere, &c.*] Leges civitatis, qua orator vetabatur epilogo uti, ne affectus moveret.

6 *Atque in hac tamen.*] *Attica eloquentia* maxime spectatur in *elocutione*, quam *Græci* imitari possunt, *Latini* non possunt. ergo *Græci* qui *tenuiter dicere* putant esse Atticum, magis excusari possunt quam *Latini*, quia *Latini illi Attici* non possunt imitari *elocutionem græcam*,

opinione perseverantes Græcos magis tulerim. *Latina* mihi *facundia*, ut inventione, dispositione, consilio, cæteris hujus generis artibus similis Græcæ ac prorsus discipula ejus videtur: ita circa rationem eloquendi vix habere imitationis locum. Nanque est ipsis statim sonus durior, quando & jucundissimas ex Græcis literas non habemus, vocalem alteram, alteram consonantem, quibus nullæ apud eos dulcius spirant: quas mutuari solemus, quoties illorum nominibus utimur. [1] Quod cum contingit, nescio quomodo velut hilarior protinus renidet oratio, ut in *Zephyris* & *Zopyris*, quæ si nostris literis scribantur, surdum [2] quiddam & barbarum efficient, & velut in locum earum succedent tristes & horridæ, quibus Græcia caret. Nam illa quæ sexta est nostrarum, pene non humana voce, vel omnino non voce potius, inter discrimina dentium efflanda est: quæ etiam cum vocalem proximam accipit, quassa quodam modo, utique [3] quoties aliquam consonantium frangit, ut in hoc ipso frangit, multo sit horridior. [4] *Æolicæ* quoque literæ, qua *servum cervumque* dicimus, etiam si forma à nobis repudiata est, vis tamen nos ipsa persequitur. Duras & illa syllabas facit, quæ ad conjungendas demum subjectas sibi vocales est utilis, alias supervacua, ut *equos* ac *equum* scribimus, cum ipsæ etiam hæ vocales duæ efficiant sonum, [5] qualis apud Græcos nullus est, ideoque scribi illorum literis non potest. [6] Quid quod pleraque nos illa quasi mugiente litera cludi-

cam, de cujus elegantia est dicturus Fabius. *Turneb.*

1 *Quod cum contingit.*] Eras. in lib. de recta pronunciatione ait *upsilon* sonare ut *u* gallicum, medio nimirum sono inter *i* & *u*, vulgo autem perperam pronunciatur. *Idem.*

2 *Quiddam.*] Dan. *Quendam.*

3 *Quoties aliquam cons. frangit.*] Fab. cap. 6. lib. primi ait *vocales* sæpenumero coire, *consonantes* nunquam, nisi altera alteram frangat. quo videtur nunc alludere. *Idem.*

4 *Æolicæ quoque literæ.*] Claudius Cæsar imperator adjecerat *digamma Æolicum*, quod tamen postea (ut meminit Priscianus) est repudiatum. *Idem.*

5 *Qualis apud Græcos.*] Nam *Græci*, hunc sonum solent mutare in *ou*: quæ de re pulcherrime differit Plutarchus in libello de *recta pronunciatione*. nonnunquam quoque in *upsilon*. Idem.

6 *Quid, quod.*] Apud *Græcos* nullum verbum terminatur in *m*, apud *Latinos* plurima: contra apud *Græcos* multæ dictiones terminantur in *n*, apud *Latinos*

cludimus *M*, qua nullum Græcæ verbum cadit? At illi jucundam, & in fine præcipue quasi tinnientem, illius loco ponunt, quæ est apud nos rarissima in clausulis. Quid quod syllabæ nostræ in *B* literam, & *D* innituntur? adeo aspere, ut plerique non antiquissimorum quidem, sed tamen veterum, mollire tentaverint, non solum *aversa* pro *abversis* dicendo, sed & in præpositione *B* literæ absonam & ipsam *S* subjiciendo. Sed accentus quoque cum rigore quodam, tum similitudine ipsa minus suaves habemus, quia [1] ultima syllaba nec acuta unquam excitatur, nec flexa circunducitur, sed in gravem, vel duas graves cadit semper. Itaque tanto est sermo Græcus Latino jucundior, ut nostri poëtæ quoties dulce carmen esse voluerunt, illorum id nominibus exornent. His illa potentiora, quod res plurimæ carent appellationibus, ut eas necesse sit transferre, aut circumire: etiam in iis quæ denominata sunt, summa paupertas in eadem nos frequentissime revolvit: at illis non verborum modo, sed linguarum etiam inter se differentium copia est. Quare qui à Latinis exiget illam gratiam sermonis *Attici*, det mihi in eloquendo eandem jucunditatem, & parem copiam. [2] Quod si negatum est, sententias aptabimus iis vocibus quas habemus, nec rerum nimiam tenuitatem, ut non dicam pinguioribus, fortioribus certe verbis miscebimus, ne virtus utraque pereat ipsa confusione. Nam quo minus adjuvat sermo, rerum inventione pugnandum est. *Sensus sublimes variique eruantur. Permovendi omnes affectus erunt, oratio translationum nitore illuminanda.* [3] Non possumus esse tam graciles? *simus fortiores.* Subtilitate vincimur? *valeamus pondere.*

Pro-

paucæ, quum illa litera sit dura, hæc suavissima. *Idem.*

1 *Ultima, &c.*] Dan. *nobis nulla dictio.*

2 *Quod si negatum est.*] Quoniam à Græcis vincimur *elocutione*, recurrendum est ad *inventionem*, qua poterimus eos aut superare aut certe *æquare*. quanquam si versabimur in tenui genere, inventio illa nec sublimior esse debebit, nec verba pinguiora, sed aliquanto fortiora quam dictiones Atticorum. nam *Atticorum gracilitatem* non possumus imitari. *Idem.*

3 *Non possumus esse, &c.*] Superant nos Græci *tenui stylo*: superare illos poterimus in *grandiloquo*, quoniam *affectibus* non perinde utuntur, nec *translationibus*, propter copiam linguæ. *Idem.*

1 *Ingenia*

Proprietas penes illos est certior? *copia vincamus.* [1] Ingenia Græcorum etiam minora suos portus habent, nos plerunque majoribus velis movemur: validior spiritus nostros sinus tendat. Non tamen alto semper feremur: nam & littora interim sequenda sunt. Illi facilis per quælibet vada accessus, ego aliquid non multo tamen altius, in quo mea cymba non concidat, inveniam. Neque enim si tenuiora hæc ac pressiora Græci melius, in eoque vincimur solo, [2] & ideo in comœdiis non contendimus, prorsus tamen [3] omittenda pars hæc orationis, sed exigenda ut optime possumus: possumus autem rerum & modo & judicio esse similes: verborum gratia, quam in ipsis non habemus, extrinsecus condienda est. An non in privatis & acutus, & non asper & non indistinctus & non supra modum elatus M. Tullius? non in M. Callidio insignis hæc virtus? non Scipio, Lælius, Cato in eloquendo velut Attici Romanorum fuerunt? *Cui porro non satis est, quo nihil esse melius potest?* [4] Adhoc quidam nullam esse naturalem putant eloquentiam, nisi quæ sit quotidiano sermoni simillima, quo cum amicis, conjugibus, liberis, servis loquamur, contenti promere animi voluntatem, nihilque accersiti & elaborati requirentes: quicquid huc sit adjectum id esse affectationis, & ambitiosæ in loquendo jactantiæ, remotum à veritate, fictumque ipsorum gratia verborum, quibus solum à natura sit officium attributum, servire sensibus: sicut athletarum corpora etiamsi validiora fiant exercitatione, [5] & lege quadam ciborum, non

1 *Ingenia Græcorum etiam, &c.*] Significat nos non posse descendere in tantam *subtilitatem*, sed id tamen esse compensandum aliqua *amplitudine*, ita tamen ut videamur esse *tenues*, quanquam non ita ut *Græci*. Idem.

2 *Et ideo in comœdiis.*] Fabius docet lib. 10. *Latinos in comœdia maxime claudicare, quia non possunt imitari gratiam sermonis Attici.* Idem.

3 *Tamen, &c.*] Dan. *nobis.*

4 *Ad hoc quidam.*] Alios *Fabius* reprehendit, qui optimam putant eloquentiam esse, in qua *pure* ponimus animi nostri sensa, ut nihil interim addamus quod vel delectet vel moveat, nullam denique adhibeamus gratiam orationis præter communem loquendi formulam. *Turneb.*

5 *Et lege quadam ciborum.*] Nam *athletæ* vescuntur *pane coliphio dicto*: præterea vescuntur (ut inquit Galenus) *carne* porcina, quæ multum alimenti præstat. *Idem.*

non tamen esse naturalia, atque ab illa specie quæ sit concessa hominibus abhorrere. Quid enim, inquiunt, attinet circuitu res ostendere, & translationibus, id est, aut pluribus aut alienis verbis, cum sua cuique sint assignata nomina? Denique antiquissimum quenque maxime secundum naturam dixisse contendunt, mox poëtis similiores extitisse, etiam si parcius, simili tamen ratione falsa & impropria virtutes ducentes. Qua in disputatione nonnihil veri est, ideoque non tam procul, quam fit à quibusdam, recedendum à propriis atque communibus. Si quis tamen (ut in illo loco dixi compositionis) ad necessaria, quibus nihil minus est, aliquid melius adjecerit, non erit hac calumnia reprehendendus. Nam mihi aliam quandam videtur habere naturam sermo vulgaris, aliam viri eloquentis oratio: cui si res indicare modo satis esset, nihil ultra verborum proprietatem elaboraret, sed cum debeat delectare, movere, in plurimas animum audientis species impellere, utetur iis quoque adjutoriis, quæ ab eadem sunt nobis concessa natura. [1] Nam & lacertos exercitatione constringere, & augere vires, & colorem trahere, naturale est: ideoque in omnibus gentibus alius alio facundior habetur, & eloquendo dulcis magis. Quod si non eveniret, omnes pares essent, & idem omnes deceret. At loquuntur, & servant *personarum* discrimen: ita quo quisque plus efficit dicendo, hoc magis secundum naturæ eloquentiam dicit. Quapropter ne illis quidem nimium repugno, qui dandum putant nonnihil esse temporibus atque auribus nitidius aliquid atque affectatius postulantibus. Itaque non solum ad priores Catonem Gracchosque, sed ne ad hos quidem oratorem alligandum puto. Atque id feciisse M. Tullium video, ut cum omnia utilitati tum partem quandam delectationi daret, cum & ipsam

1 *Nam & lacertos.*] Quemadmodum *athletica exercitatio* improbatur, sed non tamen improbatur *palæstra*, si ea utaris ad robur: ita in elocutione si semper recedas à *propriis* & *communibus*, pecces, non tamen si quid præter sermonem vulgarem elaboraveris. *Idem.*

1 *Ad*

ipsam se rem agere diceret (agebat autem maxime) litigatoris. Nam hoc ipso proderat, quod placebat. [1] Ad cujus voluptates nihil equidem quod addi possit invenio, nisi ut sensus non quidem dicamus plures. Neque enim fieri potest salva tractatione caussæ & dicendi auctoritate, si crebra hæc lumina & continua fuerint, ut non invicem offecerint. [2] Sed me hactenus cedentem nemo insequatur ultra, do tempori, ne crassa toga sit, non serica: ne intonsum caput, non in gradus atque annulos totum comptum: cum in eo qui se non ad luxuriam ac libidinem referat, eadem *speciosiora* quoque sint, *quæ honestiora*. [3] Cæterum hoc quod vulgo *sententias* vocamus (veteribus præcipueque Græcis in usu non fuit, apud Ciceronem invenio) dum rem contineant & copia non redundent, & ad victoriam spectent, quis utile neget? Feriunt animum, & uno ictu frequenter impellunt, & ipsa brevitate magis hærent, & dictione persuadent. Ac sunt qui hæc excitatiora lumina etiamsi dicere permittant, à componendis tamen orationibus excludenda arbitrentur. [4] Quocirca mihi ne hic quidem locus intactus est omittendus, quod plures eruditorum aliam esse dicendi rationem, aliam scribendi putaverunt: ideoque in agendo clarissimos quosdam, nihil posteritati mansurisque mox literis reliquisse, ut *Periclem* & *Demadem*: rursus alios ad componendum optimos, actionibus idoneos non fuisse, ut *Isocratem*: præ-

1 *Ad cujus voluptates.*] Nullus potest magis delectare, quam Cic. quanquam hoc tempore, inquit Fabius, *pluribus utuntur sententiarum ornamentis.* quod non fit commode, quia invicem obstant illustres istæ sententiæ crebræ & verborum ornamenta. *Idem.*

2 *Sed me hactenus.*] Fabius significat propter sui temporis conditionem majoribus utendum esse ornamentis, quam tempore Ciceronis, ita tamen ut ornamenta illa nullo modo *lasciva* & *effœminata* videantur. *Idem.*

3 *Cæterum* hoc.] *Sententias hoc* loco Fab. appellat *splendidiora orationis lumina*, præcipue in clausulis posita, quemadmodum ipse testatur lib. 8. Erat autem tempore Fabii nimius earum usus. *Idem.*

4 *Quocirca mihi.*] Fabius eos redarguit, qui dicunt aliter esse *scribendum* quam *dicendum*, quia cum dicimus, sequimur auditorum judicium: auditores autem sæpenumero sunt imperiti. quum autem scribimus, dictionem comparamus ad judicium doctorum. Fabius vero eodem modo & *scribendum* & *dicendum* putat. *Idem.*

præterea in agendo plus impetus posse plerunque, & petitas vel paulo licentius voluptates. Commovendos enim esse, docendosque animos imperitorum. At quod libris dedicatur, & in exemplum editur, tersum ac limatum, & ad legem ac regulam compositum esse oportere: quia veniat in manus doctorum, & judices artis habeat artifices. [1] Quin illi subtiles, ut similes ac multi persuaserunt magistri, παραδείγμα dicendo, ἐνθύμημα scribendo esse [2] altius tradiderunt. Mihi unum atque idem videtur *bene dicere*, ac *bene scribere*: neque aliud esse oratio scripta, quam monumentum actionis habitæ. [3] Itaque nullas non (ut opinor) debet habere virtutes dico, non vitia. Nam imperitis placere aliquando quæ vitiosa sunt scio. Quo different igitur? Quod si mihi des consilium judicum sapientum, perquam multa recîdam ex orationibus non Ciceronis modo, sed etiam ejus qui est strictior multo, Demosthenis. Neque enim affectus omnino movendi serunt, nec aures delectatione mulcendæ, cum etiam procœmia supervacua esse apud tales, Aristoteles existimet. non enim trahentur his illi sapientes. proprie & significanter rem indicare, probatione colligere, satis est. [4] Cum vero judex detur aut populus, aut ex populo, laturique sententiam indocti sæpius, atque interim rustici: omnia quæ ad obtinendum quod intendimus, prodesse credemus, adhibenda sunt, eaque etiam cum dicemus, pro-

1 *Quin illi subtiles, &c.*] Παραδείγμα, cum sit singulare, maxime solet movere animos imperitorum. itaque quidam *subtiles* ajunt esse utilissimum cum oratio habetur. At vero ἐνθύμημα argutam habet conclusionem à *repugnantibus* vel à *consequentibus*, nec satis intelligitur ab *imperitis*, sed à *peritis* deprehenditur. itaque ajunt aptius esse *scribendo* quam *dicendo*. Idem.

2 *Altius.*] Dan. *Aptius.*

3 *Itaque nullas.*] In oratione scripta debent esse virtutes omnes, quinetiam vitia nonnulla, quia quum haberetur oratio, sese accommodavit ad captum judicum orator, ut eorum animos tractaret: itaque quædam dixit, quæ non dixisset apud doctos. *Turneb.*

4 *Cum vero judex.*] Significat differentiam petendam esse ab *auditore*, quia aliter est dicendum apud *doctum*, aliter apud *indoctum*. Erant autem apud Romanos *tribus urbanæ* & *tribus rusticæ*: itaque ex *tribubus rusticis* nonnunquam legebantur judices, & mittebantur in *decurias*, ut meminit Fabius alio in loco. *Idem.*

1 *Quod*

promenda, & cum scribemus ut doceamus quomodo dici oporteat. An *Demosthenem* mallem sic egisse ut scripsit, aut *Ciceronem?* aut eos præstantissimos oratores alio quam scriptis cognoscimus? Melius egerunt igitur, an pejus? nam si pejus, sic potius oportuit dici ut scripserunt: si melius, sic oportuit scribi ut dixerunt. Quid ergo? *Semper sic aget orator ut scribit? Si licebit, semper:* [1] quod si impediant brevitate tempora à judice data, multum ex eo quod potuit dici, recidetur: editio habebit omnia. [2] Quæ autem secundum naturam judicantium dicta sunt, non ita posteris tradentur, ne videantur propositi fuisse, non temporis. Nam id quoque plurimum refert, quo modo judex audire velit: atque ei vultus sæpe ipse rectus est dicentis, ut Cicero præcipit. Ideoque instandum iis quæ placere intellexeris, resiliendum ab iis quæ non recipientur. Sermo ipse qui facile judicem doceat, optandus. Nec id mirum sit, cum etiam testium personis aliqua mutentur. Prudenter enim, qui *cum interrogasset rusticum testem an Amphiona nosset? negante eo detraxit aspirationem, breviavitque secundam ejus nominis syllabam, & ille eum sic optime norat.* Hujusmodi casus efficiunt ut aliquando dicatur aliter quam scribitur, cum dicere quomodo scribendum est, non licet. [3] Altera est divisio, quæ in tres partes & ipsa discedit, qua discerni posse etiam recte dicendi genera inter se videntur. Nanque unum *subtile*, quod ἰσχνὸν vocant. Alterum *grande* atque *robustum*, quod constituunt ἀδρόν. Tertium alii *medium* ex duobus: alii *floridum*, nanque id ἀνθηρὸν appellant, addiderunt, quorum tamen ea fere ratio est, ut primum docendi, secun-

1 *Quod, &c.*] A judice dabatur oratoribus certum spatium agendæ causæ. itaque interdum *una*, interdum duæ, interdum *plures clepsydræ* dabantur. Ergo si propter angustias temporis copiose causam tractare non potuerit orator, quum orationem tamen scribet, *copiosus* erit, ac nihil omittet. *Idem.*

2 *Quæ autem secundum nat.*] Interdum judices ita sunt imperiti, ut sæpenumero sit inepte loquendum, quo res ab illis intelligatur. illa tamen vitia non erunt in oratione ponenda, quum scribetur. *Idem.*

3 *Altera est divisio.*] Superior divisio petita est à *nationibus*, quæ certum habebant dicendi characterem: hæc à *qualitatibus orationis:* ac certe magis Ciceroni probatur quam superior. Macrobius tamen quatuor dicendi genera constituit, *copiosum*, *breve*, *siccum*, *floridum*. Idem.

secundum movendi, tertium illud utrocunque nomine, delectandi, sive aliud interconciliandi præstare videtur officium. In docendo autem *acumen*, in interconciliando *lenitas*, in movendo *gravitas* videatur. [1] Itaque illo subtili præcipue ratio narrandi probandique consistit: sed quod etiam detractis cæteris virtutibus, suo genere plenum sit. Medius hic modus, & translationibus crebrior, & figuris erit jucundior, egressionibus amœnus, compositione aptus, sententiis dulcis, lenior tamen, ut amnis lucidus quidam, & virentibus utrinque sylvis inumbratus. At ille qui saxa devolvat, & pontem indignetur, & ripas sibi faciat, multus & torrens judicem vel nitentem contra, feret cogetque ire qua rapit. Hic orator & defunctos excitabit, ut *Appium Cæcum*: apud hunc & patria ipsa exclamabit, aliquemque (ut apud *Ciceronem* in oratione *contra Catilinam* in senatu) alloquetur. Hic & amplificationibus extollet orationem, & vi superlationum quoque eriget: *Quæ Charybdis tam vorax?* &, *Oceanus medius fidius ipse.* Nota sunt enim jam studiosis hæc lumina. Hic deos ipsos in congressum prope suum sermonemque deducet, *Vos enim Albani tumuli atque luci: vos, inquam, Albanorum obrutæ aræ, sacrorum populi Romani sociæ & æquales.* Hic iram, hic misericordiam inspirabit, hic dicet, *Te vidit, & flevit, & appellavit*, & per omnes affectus tractatur. Hinc itaque illuc sequetur, *nec doceri desiderabit.* Quare si ex tribus his generibus necessario sit eligendum unum, quis dubitet hoc præferre omnibus, & validissimum alioqui, & maximis quibusque caussis accommodatissimum? [2] Nam & Homerus *brevem* quidem cum animi jucunditate, & *propriam*, (id enim est non errare verbis) & carentem

1 *Itaque illo.*] Superior divisio duntaxat complectitur *simplicia dicendi genera.* nam interdum miscentur, ac in quibusdam orationibus omnia ista dicendi genera deprehendas, ut forte in exordio sit *mediocre genus*, in narratione *tenue*, in conclusione & amplificationibus *grandiloquum.* Deinceps autem Fabius describit dicendi genera. *Idem.*

2 *Nam & Homerus.*] *Homerus in Iliade* ista tria dicendi genera posuit. nam Menelao, qui Lacedæmonius erat, tribuit *subtile genus*: Nestori *mediocre*, Ulyssi *ampliſsimum*, cui plus tribuit quam cæteris. *Idem.*

1 *Sed*

rentem ſupervacuis *eloquentiam* Menelao dedit, quæ ſunt virtutes generis illius primi. *Et ex ore Neſtoris dixit dulciorem melle profluere ſermonem:* qua certe delectatione nihil fingi majus poteſt. Sed ſummam aggreſſus, ut in Ulyſſe, facundiam, magnitudinem illi junxit: *cui orationem nivibus hybernis copia verborum atque impetu parem tribuit.* Cum hoc igitur nemo mortalium contendet: hunc ut deum homines intuebuntur. Hanc vim & celeritatem *in Pericle* miratur *Eupolis*, hanc fulminibus *Ariſtophanes* comparat: hæc eſt vera dicendi facultas. [1] Sed neque his tribus quaſi formis incluſa eloquentia eſt. Nam ut inter gracile validumque tertium aliquid conſtitutum eſt: ita horum intervalla ſunt. Atque inter hæc ipſa miſtum quiddam ex duobus medium eſt eorum. [2] Nam & ſubtili plenius aliquid atque ſubtilius, & vehementi remiſſius atque vehementius invenitur: ut illud lene aut aſcendit ad fortiora: aut ad tenuiora ſummittitur: ac ſic prope innumerabiles ſpecies reperiuntur, quæ utique aliquo momento inter ſe differant, ſicut quatuor generaliter ventos à totidem mundi cardinibus accepimus flare, cum interim plurimi medii eorum, varietate regionum ac fluminum proprie deprehendantur. Eademque muſicis ratio eſt, qui cum in cithara quinque conſtituerunt ſonos, plurima deinde varietate complent ſpatia illa nervorum, atque iis quos interpoſuerunt, inſerunt alios, ut pauci illi tranſitus multos gradus habeant. [3] Plures igitur etiam eloquentiæ facies, ſed ſtultiſſimum quærere ad quam re-

cturus

1 *Sed neque his tribus.*] Fabius ait non ſolum tres eſſe dicendi *characteres*, verum etiam in ſingulis illis *characteribus* eſſe varietatem. itaque quidam *character graviſſimus* eſt, quidam *gravis*, quidam *minus gravis*: & tamen hæ tres differentiæ continentur ſolo charactere *gravitatis*, ſignificat igitur in ſingulis generibus alias differentias eſſe ſecundum *magis & minus*. Idem.

2 *Nam & ſubtili.*] Ex orationibus *ſubtilibus* quædam ſunt *ſimpliciter ſubtiles*, quædam *illis ſubtiliores*, quædam *paulo pleniores*. Idem.

3 *Plures igitur.*] Orator uno certo dicendi genere contentus eſſe non debet, ſed profecto omnibus utetur prout flagitabit cauſa, atque interdum erit *tenuis*, interdum *temperatus*, interdum *ſublimis*, neque id ſequetur ſolum in cauſarum diverſitate, ſed etiam in varietate partium. itaque interdum alio utetur ſtylo in *exordio*, alio in *narratione*, alio in *confirmatione*, & ſic de aliis. *Idem.*

1 *Fallun-*

cturus se sit orator: cum omnis species, quæ modo recta est, habeat usum, atque id ipsum omne sit oratoris, quod vulgo *genus dicendi* vocant. Utetur enim, ut res exiget, omnibus, nec pro caussa modo, sed & pro partibus caussæ. Nam ut non eodem modo pro reo capitis, & in certamine hæreditatis, & de interdictis ac sponsionibus, & de certa re credita dicet, sententiarum in senatu, & concionum, & privatorum consiliorum servabit discrimina, vitam ex differentia *personarum*, *locorum*, *temporumque* mutabit: ita in eadem oratione aliter conciliabit, non ex eisdem partibus iram & misericordiam petet: alias ad docendum, alias ad movendum adhibebit artes. Non unus color *proœmii*, *narrationis*, *argumentorum*, *egressionis*, *perorationis*, servabitur. Dicet idem graviter, severe, acriter, vehementer, concitate, copiose, amare, comiter, remisse, subtiliter, blande, leniter, dulciter, breviter, urbane, non ubique simul, sed ubicunque par sit: sic fiet tum id propter quod maxime repertus est usus orationis, ut dicat & utiliter, & ad efficiendum quod intendit, potenter: tum laudem quoque nec doctorum modo, sed etiam vulgi consequetur. [1] Falluntur enim plurimum, qui vitiosum & corruptum dicendi genus, quod aut verborum licentia resultat aut puerilibus sententiolis lascivit, aut immodico tumore turgescit, aut inanibus locis bacchatur, aut casuris, si leviter excutiantur, flosculis nitet, aut præcipitia pro sublimibus habet, aut specie libertatis insanit: magis existimant populare atque plausibile. Quod quidem placere multis nec inficior, nec miror. Est enim jucundioris ac favorabilis qualiscunque eloquentiæ, & ducit animos naturali voluptate vox omnis, neque aliunde illi per fora atque aggerem circuli: quo minus mirum

1 *Falluntur enim.*] Supra de optimo *charactere* egit, nunc *corruptum dicendi genus* damnat & quemadmodum tres sunt præcipui characteres, ita tria sunt dicendi genera vitiosa, *tumidum* pro sublimi, *lascivum* pro mediocri, *nimis humile* pro tenui. Fabius tamen duorum meminit potissimum, quia ejus seculo erant frequentissima. *Idem.*

1 *Ut*

mirum est quod nulli non agentium parata vulgi corona est. Ubi vero quid exquisitius dictum accidit auribus imperitorum, qualecunque id, quod modo se ipsi posse desperent, habet admirationem, neque immerito: nam ne illud quidem facile est. Sed evanescunt hæc atque emoriuntur comparatione meliorum: [1] *ut lana tincta fuco citra purpuram placet*: at si conferas etiam lacernæ, conspectu melioris obruatur, ut Ovidius ait. Si vero judicium his corruptis acrius adhibeas, ut buccinis purpuram: jam illud quod fefellerat, exuat mentitum colorem, & quadam vix enarrabili fœditate palleſcat. Luceat igitur hæc citra solem, ut quædam [2] exigua animalia igniculi videntur in tenebris. Denique mala multi probant, nemo improbat bona. Neque vero omnia ista de quibus locuti sumus, orator optime tantum, sed etiam facillime faciet. Neque enim vis summa dicendi est admiratione digna, si infelix usque ad ultimum solicitudo persequitur, ac oratorem macerat & coquit, ægre verba vertentem, & perpendendis coagmentandisque eis intabescentem. Nitidus ille, & sublimis, & locuples, circunfluentibus undique eloquentiæ copiis imperat. Desinit enim in adversa niti, qui pervenit in summum. Scandenti circa ima labor est: cæterum quantum processeris, mollietur dives & lætius solum: Et si hæc quoque jam lævius suprema perseverantibus studiis evaserit, inde fructus illaborati offerunt sese, & omnia sponte proveniunt: quæ tamen quotidie nisi decerpantur, arescunt. [3] Sed & copia habet modum, sine quo nihil nec laudabile, nec salutare est: & nitor ille cultum virilem, & inventio judicium. Sic erunt *magna*, non nimia:

1 *Ut lana tincta fuco.*] *Fucus* (ut ait Servius) *herba est ex qua vestes tinguntur.* Est & herba quæ appellatur *fucus marinus* apud Dioscoridem. *Buccinum* vocat quoddam genus conchæ, ex quo tingitur color similis purpuræ, sed dilutior & pallidior. *Idem.*

2 *Exigua animalia.*] Illi sunt *vermiculi* qui *lampyrides* dicuntur & *nitedulæ*, atque adeo *pyrolampides*, qui in tenebris reddunt ignis colorem. *Idem.*

3 *Sed & copia.*] Orator habere debet paratam *copiam*, ut quandocunque opus fuerit, his omnibus dicendi generibus commode possit uti, ita ut nec adhæreſcat, nec laboret. *Idem.*

nimia: [1] *sublimia*, non abrupta: *fortia*, non temeraria: *severa*, non tristia: *gravia*, non tarda: *læta*, non luxuriosa: *jucunda*, non dissoluta: *plena*, non tumida. Similis in cæteris ratio est. Tutissima fere per medium via, quia utriusque ultimum vitium est.

1 *Sublimia, non abrupta.*] Metaphora est ducta ab iis qui conscendunt montem aliquem. nam in *arduum* & *adversum* nitantur. *Idem.*

Cap. XI.

Quæ post finem studia.

11 His dicendi virtutibus usus orator in judiciis, consiliis, concionibus, senatu, in omni denique officio boni civis, finem quoque dignum & optimo viro, & opere sanctissimo faciet: non quia prodesse unquam satis sit, & illa mente atque illa facultate prædito non conveniat operis pulcherrimi quam longissimum tempus, sed quia decet hoc quoque prospicere, ne quid pejus quam fecerit, faciat. Neque enim scientia modo constat orator, quæ augetur annis, sed voce, laterum firmitate: quibus fractis aut imminutis ætate seu valetudine, cavendum est ne quid in oratore summo desideretur, ne intersistat fatigatus, ne quæ dicet, parum audiri sentiat, ne se queratur [1] priorem. Vidi ego longe omnium quos mihi cognoscere contigit, summum oratorem, *Domitium Afrum* [2] valde senem, quotidie aliquid ex ea quam meruerat auctoritate perdentem, cum agente illo, quem principem fuisse quondam fori non erat dubium, alii (quod indignum videbatur) riderent, alii erubescerent: quæ occasio illis fuit dicendi, malle eum deficere quam desinere. Neque erant illa qualiacunque mala, sed minora. Quare ante-

Orator optimus antequam perveniat ad extremam senectutem, cessare debet à causis agendis: neque tamen tum erit otiosus, sed vel docebit *rhetoricam*, vel *jus civile*, vel *historiam* scribet. *Turneb.*

1 *Priorem.*] Leg. *pejorem.* Vide quæ præcedunt. *Passerat.* Dan. *querantur perire.*

2 *Valde senem, quotidie, &c.*] Horatii præceptum: *Solve senescentem mature sanus equum ne peccet ad extremum ridendus & ilia ducat.*

1 *Aut*

antequam in has ætatis veniat insidias, *receptui canet, & in portum integra nave perveniet.* Neque enim minores eum, cum id fecerit, studiorum fructus sequentur. [1] Aut ille monumenta rerum posteris, aut, ut L. Crassus in libris Ciceronis destinabat, quærentibus tradet, aut eloquentiæ componet artem, aut pulcherrimis vitæ præceptis dignum os dabit. Frequentabunt vero ejus domum optimi juvenes [2] more veterum, & veram dicendi viam velut ex oraculo petent. Hos ille formabit quasi eloquentiæ parens, & ut vetus gubernator, littora & portus, & quæ tempestatum signa, quid secundis flatibus, quid adversis, ratis poscat, docebit: non humanitatis solum communi ductus officio, sed amore quodam operis. Nemo enim minui velit id, in quo maximus fuit. *Quid porro est honestius, quam docere quod optime scias?* Sic ad se Cælium deductum à patre Cicero profitetur. [3] Sic Pansam, Hircium, Dolabellam in morem præceptoris exercuit, quotidie dicens, audiensque. Ac nescio an eum tunc beatissimum credi oporteat fore, cum jam secretus & consecratus, liber invidia, procul à contentionibus, famam in tuto collocarit, & sentiat vivus eam quæ post fata præstari magis solet, venerationem, & quid apud posteros futurus sit, videbit. Conscius sum mihi, quantum mediocritate valui, quæque antea scierim, quæque operis hujusce gratia potuerim inquirere, candide me atque simpliciter in notitiam eorum, si qui forte cognoscere voluissent, protulisse. Atque *id viro bono satis est docuisse quod scierit.* Vereor tamen, ne aut magna nimium videar exigere, qui eundem virum bonum esse, & dicendi peritum velim: aut multa, qui tot artibus in pueritia discendis, morum quoque præcepta, &

1 *Aut ille monumenta, &c.*] Sic Cicero libro primo de Legibus pollicetur se scripturum *historiam*: Crassus libro primo de Oratore se responsurum ait de *jure civili.* Turneb.

2 *More veterum.*] *Cicero in libris Officiorum* ait moris fuisse apud antiquos Romanos, ut juvenes aliquem civem sibi proponerent imitandum veluti præceptorem, cum quo assidui erant. *Idem.*

3 *Sic Pansam.*] Post mortem Cæsaris quotidie exercebat declamationibus *Pansam* & *Hircium* Cicero, eosque ideo appellabat *grandes prætextatos*, quia jam majoris erant ætatis. *Idem.*

& scientiam juris civilis, præter ea quæ de eloquentia tradebantur, adjecerim: quique hæc operi nostro necessaria esse crediderim, velut pondus rei perhorrescant, ac desperent ante experimentum. [1] Sed hi primum renuntient sibi, quanta sit humani ingenii vis, quam potens efficiendi quæ velit, cum maria transire, syderum cursus numerosque cognoscere, mundum ipsum pene dimetiri, minores sed difficiliores artes potuerint. Tum cogitent, quantam rem petant, quamque nullus sit hoc proposito præmio labor recusandus. Quod si mente conceperint, huic quoque parti facilius accedent, ut ipsum iter neque impervium, neque saltem durum putent. Nam id quod prius quodque majus est, ut boni viri simus, voluntate maxime constat: quam qui vera fide induerit, facile easdem quæ virtutem docent artes accipiet. Neque enim aut tam perplexa, aut tam numerosa sunt quæ premunt, ut non paucorum admodum annorum intentione discantur. *Longam enim facit operam, quod repugnamus. Brevis est institutio vitæ honestæ beatæque*, si credas. Natura enim nos ad mentem optimam genuit: adeoque discere meliora volentibus promptum est, ut vere intuenti mirum sit illud magis, malos esse tam multos. Nam ut aqua piscibus, ut sicca terrenis, circunfusus nobis spiritus volucribus convenit: ita certe facilius esse oportebat, secundum naturam, quam contra eam vivere. Cætera vero, etiam si ætatem nostram non spatio senectutis, sed tempore adolescentiæ metiamur, abunde multos ad discendum annos habent. Omnia enim breviora reddet *ordo*, & *ratio*, & *modus*, sed culpa est in præceptoribus prima, libenter detinentibus puerum, partim cupiditate diutius exigendi mercedulas, partim ambitione, quo difficilius sit quod pollicentur, partim etiam inscitia tradendi, vel negligentia. Proxima in nobis, qui morari in eo quod novimus, quam discere quæ nondum scimus, melius putamus. Nam ut de nostris potis-

simum

1 *Sed hi primum.*] Docet hoc possibile esse quod exigit, cum tam capax sit humani ingenii natura. addit argumentum à *comparatione*. Idem.

1 *Alias*

simum studiis dicam, quid attinet tam multis annis, quam in more est plurimorum, (ut de his à quibus magna in hoc pars ætatis absumitur, taceam) declamitare in schola, & tantum laboris in rebus falsis consumere, cum satis sit modico tempore imaginem veri discriminis, & dicendi leges comperisse? Quod non dico quia sit unquam omittenda dicendi exercitatio, sed quia non sit in una ejus specie consenescendum. Cognoscere enim, & præcepta vivendi perdiscere, & in foro nos experiri potuimus, dum scholastici sumus. Dicendi ratio talis, ut non multos annos poscat. Quælibet enim ex iis artibus quarum prius habui mentionem, in paucos libros contrahi solet. adeo infinito spatio ac traditione opus non est. Reliqua est, quæ vires cito facit, *consuetudo*. Rerum cognitio quotidie crescit, & tamen multorum ad eas librorum necessaria lectio est, quibus aut rerum exempla ab historicis, aut dicendi ab Oratoribus petuntur. Philosophorum quoque consultorumque opiniones, sicuti alia, velimus legere necessarium est. Quæ quidem possumus omnia: sed breve nobis tempus nos facimus. *Quantulum enim studiis impartimur?* [1] Alias horas vanus salutandi labor, alias datum fabulis otium, alias spectacula, alias convivia trahunt, adjice tot genera ludendi, & insanam corporis curam. Trahat inde peregrinatio, rura, calculorum anxiæ solicitudines, multæ causæ libidinum, & vinum, & flagitiosus omni genere voluptatum animus. Ne ea quidem tempora idonea, quæ supersunt. Quæ si omnia studiis impenderentur, jam nobis longa ætas, & abunde satis ad discendum spatia viderentur: & diurna tantum computantibus tempora: & noctes, quarum bona pars omni somno longior est, adjuvarent. [2] Nunc computamus annos, non quibus *studuimus* sed quibus *vixim*us. Nec vero si Geo-

1 *Alias horas, &c.*] Dictum est ex consuetudine Romanorum. quidam enim solebant circumire domos divitum, diviteſque salutare, ut *sportulam* adipiscerentur. *Idem.*

2 *Nunc computamus.*] *Computamus annos* quibus literis vacavimus, cum tamen multis diebus illorum annorum nihil literis impenderimus. esset igitur satius *dies* numerare, quam *annos*. Idem.

Geometræ, & *Grammatici*, cæterarumque artium professores omnem suam vitam, quamlibet longa fuerit, in singulis artibus consumpserunt, sequitur ut plures quasdam vitas ad plura discenda desideremus. Neque illi didicerunt hæc usque in senectutem, sed ea sola didicisse contenti fuerunt, ac tot annos in utendo, non in percipiendo exhauserunt. [1] Cæterum ut de Homero taceam, in quo nullius non artis aut perfecta aut certe non dubia vestigia reperiuntur: [2] ut *Eleum Hippiam* transeam, qui non liberalium modo disciplinarum præ se scientiam tulit, sed vestem & annulum, crepidasque, quæ omnia manu sua fecerat, in usu habuit, atque ita se præparavit, ne cujus alterius ope egeret, neve ullius rei. [3] *Gorgias* quoque summæ senectutis, id quærere auditores, de quo quisque vellet, jubebat. Quæ tandem ars digna literis *Platoni* defuit? [4] Quot seculis *Aristoteles* didicit, ut non solum quæ ad philosophos atque Oratores pertinent, scientia complecteretur, sed animalium satorumque naturas omnes perquireret? Illis enim hæc invenienda fuerunt, nobis cognoscenda sunt. Tot nos præceptoribus, tot exemplis instruxit antiquitas: ut possit videri nulla sorte nascendi ætas felicior, quam nostra, cui docendæ priores elaboraverunt. *Marcus Censorius Cato*, idem orator, idem historiæ conditor, idem juris, idem rerum rusticarum peritissimus, inter tot operas

1 *Cæterum ut de Homero.*] Plutarchus in Homeri vita ostendit *Homerum omnium disciplinarum fuisse peritum, ac reliquos ab eo hausisse disciplinas.* itaque appellatur *fons ingeniorum.* Idem.

2 *Ut Eleum Hippiam.*] *Hippias Eleus* sophista fuit, cujus & meminit Philostratus: hic peritus fuit omnium disciplinarum, atque (ut scribit Appuleius lib. 2. Floridorum) *ludis olympicis venit Pysam miro cultu visendus, ac omnia corporis indumenta quæ gestabat, ipse sibi fecerat.* Idem.

3 *Gorgias quoque.*] Oratio extemporalis ab hoc *Gorgia* fluxit. nam ab auditoribus petebat de *quo* vellent audire, & *ex tempore* declamabat. quo nomine aliquoties apud Platonem à Socrate irridetur. Hæc igitur professio indicabat illum esse omnium rerum peritum. Hic vixit centum annos. *Idem.*

4 *Quot seculis.*] *Arist.* viginti annis *Platonem* audivit: idem ab Alexandro habuit viginti hominum millia ad investiganda animalia, ut historiam *animalium* & causas scriberet. Author Plinius. Ergo Fabius docet, *facilius esse nobis artes discere, quam antiquis.* illi enim invenerunt, nos inventis utimur. *Idem.*

1 *Tantas*

operas militiæ, [1] tantas domi contentiones, rudi seculo literas Græcas ætate jam declinata didicit, ut esset hominibus documento, ea quoque percipi posse, quæ senes concupissent. Quam multa, imo pene omnia tradidit *Varro?* Quod instrumentum dicendi *M. Tullio* defuit? Quod plura? [2] cum etiam *Cornelius Celsus* mediocri vir ingenio, non solum de his omnibus conscripserit artibus, sed amplius rei militaris, & rusticæ etiam, & medicinæ præcepta reliquerit? dignus vel ipso proposito, ut eum sciisse omnia illa credamus. [3] At perficere tantum opus, arduum est, & nemo perfecit. Ante omnia sufficit ad exhortationem studiorum, *non capere id rerum naturam, ut quicquid non est factum, ne fieri quidem possit: cum omnia quæ magna sunt atque admirabilia, tempus aliquod quo primum efficerentur, habuerint.* Quantum enim Poësis ab Homero & Virgilio, tantum fastigium accepit eloquentia à Demosthene atque Cicerone. Denique *quidquid est optimum, ante non fuerat.* Verum etiam siquis summa desperet (quod cur faciat, cui ingenium, valetudo, facultas, præceptor, non deerunt?) tamen est (ut Cicero ait) *pulchrum in secundis tertiisque consistere.* Neque enim siquis Achillis gloriam in bellicis consequi non potest, Ajacis aut Diomedis laudem aspernabitur, [4] neque qui Homeri, non Tyrtæi. Quinimo si hanc cogitationem homines habuissent, ut nemo se meliorem fore eo qui optimus fuisset, arbitraretur: ii ipsi qui sunt optimi non fuissent: neque post Lucretium ac Macrum

1 *Tantas domi content.*] Nam (ut testatur Plinius lib. 7.) *quater & quadragies causam dixit, semperque est absolutus.* Idem.

2 *Cum etiam Cornelius Celsus.*] *Cornelius Celsus* in re rustica sæpenumero citatur à Columella. scripserat quoque Celsus libros de *arte dicendi*, quos citat Fabius lib. 3. Hodie extant ejus libri de *medicina.* Idem. *Corn. Celsus.*] Minoris auctoritatis Celsum insimulat Nonnius Marcellus in verb. Cyma. *Passerat.*

3 *At perficere tantum opus.*] Docet oratorem perfectum posse esse aliquem, quanquam nondum sit inventus: ac si quis summam eloquentiam non possit adipisci, attamen pulchrum esse obtinere *secundum* aut *tertium locum.* qui *locus* etiam tractatur à Cicerone in oratore perfecto ad Brutum. *Turneb.*

4 *Neque qui Homeri, &c.*] *Tyrtæus* dux fuit Lacedæmoniis in bello contra *Messenios*, *Lacedæmoniosque* incitabat ad virtutem bellicam suis carminibus. huic Fabius secundum locum tribuit, secutus Horatii consilium in arte. *Idem.*

Macrum Virgilius, neque post Crassum & Hortensium Cicero, sed nec alii postea vicerint. *Verum ut transeundi spes non sit, magna tamen est dignitas subsequendi.* An Pollio & Messala, qui jam Cicerone arcem tenente eloquentiæ, agere cœperunt, parum in vita dignitatis habuerunt, parum ad posteros gloriæ tradiderunt? Alioqui pessime de rebus humanis perductæ in summum artes mererentur, si quod optimum fuisset, defuisset. Adde quod magnos modica quoque eloquentia parit fructus: ac siquis hæc studia utilitate sola metiatur, pene illi perfectæ par est. Neque erat difficile, vel veteribus vel novis exemplis palam facere, non aliunde majores honores, opes, amicitias, laudem præsentem futuram hominibus contigisse, si tamen dignum literis esset, ab opere pulcherrimo, cujus tractatus atque ipsa possessio plenissimam studiis gratiam refert, hanc minorem exigere mercedem, [1] more eorum qui à se non virtutes, sed voluptatem quæ fit ex virtutibus, peti dicunt: *ipsam* igitur *orandi majestatem*, qua nihil dii immortales melius homini dederunt, & qua remota muta sunt omnia, & luce præsenti & memoria posteritatis carent, *toto animo petamus, nitamurque semper ad optima:* quod facientes, aut evademus in summum, aut certe multos infra nos videbimus.

Habes *Marcelle Victori*, quibus præcepta dicendi pro virili parte adjuvari posse per nos videbantur: quorum cognitio studiosis juvenibus si non magnam utilitatem afferet, at certe, quod magis petimus, bonam voluntatem.

1 *More eorum, &c.*] Loquitur de *Epicureis*, qui *virtutem per se expetendam esse negant, sed duntaxat* (ut ait Cicero.) *quia sit efficiens voluptatis.* Idem.

M. Fab. Quintil. de institutione oratoria ad Marcellum Victorium libri duodecimi & ultimi finis.

INDEX

INDEX
RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM,
Quæ in libris Institutionum M. FAB. QUINTILIANI occurrunt.

Literæ, a, *primam*; b, *posteriorem columnam declarant: ubi vero hæ desunt, textus designatur.*

A.

*A*B, *præpositio, in compositione frequenter corrumpitur.* 55
Abdera, Thraciæ urbs. 183.a
Abdicationum formæ duæ. 543
Aberratio, ἀποπλάνησις. 165.a,b
Absinthium, herba qualis? 181,a
Abusio, sive κατάχρησις, *interdum necessaria.* 574
Academici de proposito dogmate in utramque partem disserebant. 863
Accius Navius ferro cotem incidit. 480
Accius, poëta tragicus. 749. *interrogatus, cur causas non ageret, quid responderit.* 420
Accusare facilius, quam defendere. 408
Accusativi geminatione facta amphibolia. 558
Accusatio mutua, quæ & ἀντεγκατηγορία. 261
Accusator in subselliis sinistris, reus in dextris erat. 450.a
Accusatoris est avertere judicem à miseratione. 445
Accusatoriam & delatoriam vitam agere, latrocinio proximum est. 882
Acetabulum proprie quid? 623.a
Ἄχρωμον, *colore carens.* 312
Acies quomodo instruenda. 143.b
Actio depositi. 527.a. *dementiæ.* 529.a. *malæ tractationis.* 529.b. 544
Actio dissimulata quæ? 282.a
Actio veteribus Prætoribus quid? 228.a
Actionis genera duo. 200.b
Actionis quæstio. 548
Actus, πρᾶξις. 213
Ad, cum præpositio, d lit: cum conjunctio, t, accipit. 68
Addictus an servus sit. 535
Ἀδιανόητα. 578
Adjutores, ὑποδιδάσκαλοι. 123.a
Admirabile caussæ genus quod? 277
Ἄδοξον *caussæ genus.* 276
Ἀδρὸν, *grande, robustum dicendi genus.* 905
Adversariorum dicta quomodo refellenda. 277, 278
Adversum à contrario separat Cicero. 412 a
Adulatio Platoni quid? 154.a
Adulterium quid? 531
Advocatus quis? 278.a. *pro rei salute brevem negligentiæ reprehensionem pertimescere non debet.* 410
Advocato cur facilius agere quam litigatori. 278
Advocatio, pro cœtu advocatorum. 382.a
Ægyptii omnes, præsertim Alexandrini, deliciis fuerunt deditissimi. 19.b
Æmulatio firmiores in literis alit profectus. 23
Ænigma quid? 627
Ærarium duplex Romæ. 762.b
Ærarium publicum Romæ in æde Saturni. 288.b.
Æris confessi & judicati à Prætore, creditoribus addicebantur in nexum. 231.a
Æris nomine servum quoque comprehenditur. 177.b
Æschines Orator. 744
Æschines primum hypocrita, postea scriba, postremo rhetor fuit. 163.b
Æschrologia. 589.b
Æschylus tragœdias primus in lucem protulit. 741
Æsopi fabulæ pueris primum tradendæ. 79.

earum primus auctor videtur Hesiodus. 395
Ætas non annis semper æstimatur, sed indole. 364
Ab Ætate ut ducantur argumenta. ibid.
Affectus, animi morbi Stoicis. 334.b
Affectus duplices, majores & minores. 124.a
Affectus movere Athenis prohibitum. 441
Affectus quomodo concitandi. 442.444. 448
Affectus quomodo moveantur. 462
Affectus etiam in narratione movendi. 314
Affectuum divisio. 454. *species duæ.* 456
Afranius poëta. 750
Africani in dicendo vires. 895
Ἀ'σχινοια, *solertia.* 25.b
Ager compascuus. 380. b. *scripturarius.* ibid.
Ager sic dictus, quod in eo aliquid agatur. 64
Aglaophon pictor. 893
Agnon Rhetorices accusationem professus est. 164
Agonismata gymnica. 132.a
Ai, diphthongi & æ ratio. 70
Aijo, *geminato* ii *scribi placuit Ciceroni.* 32
Αἰσωποποιὸς *quid?* 395
Αἰπογραφία. 287.a
Αἰπολογία. 690
Αἴπον & αἰτία *differunt.* 262
Ἄ'κυρον, *improprium.* 574
Alba, oppid. in Latio, hinc Albani. 59.a *aliud ejusdem nominis juxta lacum Fucinum, hinc Albenses.* ibid.
Albutius rhetor. 190
Alcæus poëta. 740
Alcamenes statuarius. 894
Alcidamas Eleates rhetor. 183
Alexander Aristotelem ut parentem suspiciebat. 134. *unde Mammea dictus.* 365.b
Alexandrinæ deliciæ. 19.b
Aliqua nescire, inter virtutes Grammatici habetur. 78
Ἀ'λληγορία, *quæ Inversio.* 625.634. *parvis quoque ingeniis & quotidiano sermoni servit.* 626
Ἀ'λληγορίαν *facit continua* μεταφορά. 655
Ἀ'λοίωσις. 690
Ἄ'λογον *significat irrationale & mutum.* 160.a
Ἀ'λογος τριβή. 786
Altercatio Fabio quid? 119.a. *ejus consideratio.* 491. & seqq.
Altercator bonus vitio iracundiæ careat. 444
An, aut, *conjunctiones, quomodo usurpentur.* 50
Ambigui, seu Amphiboliæ consideratio. 556
Ambiguitas inprimis vitanda. 577
Ambitio, licet ipsa vitium, frequenter tamen causa virtutum est. 22
Ambitiosus in malis quis dicatur. 437.a
Ambitus, pro aucupatione famæ. 272.b
Amicitiæ, religiosa quadam necessitudine imbutæ, ad senectutem usque firmissime durant. 22
Amictum à matre traditum sollicite custodire, adag. Græcorum. 433
Amor cur cæcus fingatur. 456.a
Ἀ'μικτος *quis?* 86.a
Ἀ'μφιβολία. 219.232.474. *vitiosa locatione verborum fit.* 699
Amphiboliæ species innumerabiles. 556. *solutiones.* 557.558
Amphibrachys. 711
Amphictyones, judices totius Græciæ. 387.a
Ἀ'μφίδοξον, *caussæ genus.* 276
Amphimacrus. 711
Amplificatio, αὔξησις. 124.b
Amplificationis consideratio. 600. *constat maxime incremento, comparatione, ratiocinatione, congerie.* 601. & seqq.
Anacreontius versus. 710.b
Ἀ'ναγκαῖον. 669
Ἀ'ναικεφαλαίωσις, *enumeratio.* 440
Ἀ'ναπόλιθον. 50.a
Ἀ'ναλαμβάνεσθαι εἰς τὸ πρῶτον. 543.b
Analogia, similis similium declinatio. 41.b
Analogia, Latinis proportio. 56. *ejus vis.* ib.
Analogia præcipue rationem præstat. 56
Ἀ'νάμνησις. 669
Ἀ'ναπόδοτον. 599.a
Anapæstus pes. 703.711
Ἀ'ναστροφή, *Reversio.* 48.630. *differt ab Hyperbato.* ibid.a

Anaxi-

Anaximenes rhetor. 195. *oratoris officium in duas partes secuit, judicialem & concionalem.* ibid.b
Andabatarum more pugnare. 386.b
Andocides orator. 897
Ἀνεπίφαλ& actio. 282
Animalium nomina olim erant omnia epicœna, & ad sexus discretionem addebatur mas aut fœmina. 58.b
Animam in pectore posuit Chrysippus. 781.b
Animorum pene non pauciores, quam corporum formæ. 131
ab Animi natura ut ducantur argumenta. 364
Animus pueri discentis quomodo tractandus. 24.26
Annales Pontificum. 757
Annibal inclusus à Fabio, quo stratagemate evaserit. 165
Annulos interdum tot gestabant Romani, ut manus oneraretur. 844.b
Ἀνοιηνόμηζον. 593
Anomalia quid? 56.a. *si consuetudine nitatur, multis in locis sequenda.* 58.a
Ἀνταναίκλασις. 685
Ἀνταπόδοσις. 597
Ἀντέγκλημα. 539
Ἀνθηρὸν, *floridum dicendi genus.* 905
Anthypophora. 81.a. *quid?* 669.689
Antigerio, pro valde. 65.b.585
Ἀντίληψις, *absoluta qualitas.* 538
Ἀντικατηγορία, *mutua accusatio.* 520. 227.b. 261.517
Antimachus poëta. 738
Ἀντιπαβολή. 688
Ἀντινομία. 219
Antinomiæ consideratio. 552
Antipater Sidonius ex tempore cujuscunque generis carmina fundebat. 782
Antiphilus pictor. 894
Antiphon, orator. 897. *primus orationem scripsit.* 183
Ἀντίφρασις. 628
Antiqui pene omnia verba secundæ conjugationis per tertiam extulerunt. 57.a
Ἀντίῤῥησις. 669
Ἀντίστασις. 540
Ἀντίθεζον. 669.688
M. Antonius orator. 186
Ἀντωνομασία. 621.634
Ἀπαγόρευσις. 670
Apalæstri qui? 96.a
Apelles pictor. 145.892. *imaginem Antigoni latere tantum altero ostendit, ut amissi oculi deformitas lateret.* ibid.
Aper, sic dictus, quod loca aspera incolat. 58
Apes monarchiam habere dicuntur. 397.a
Ἀφέλεια. 599
Ἄφοδ&, *regressio.* 640.689
Ἀφορμαὶ ἔργων. 214
Apicem syllabis longis apponere, quando necessarium. 67
Ἀπόδειξις, *syllogismus certissimus.* 359.a. *unde petatur.* ibid. *hoc crebro utuntur Geometræ.* ibid. *ut differat ab Epicheremate.* ibid.
Ἀποδείξεις γραφικαὶ. 90.a
Ἀποπλάνησις, *aberratio.* 165.a,b. 328.b
Ἄπορον. 216
Ἀποσιώπησις. 599. 657. 683
Ἀποστροφή. 282. 653. 675. 676
Ἀπόφασις. 655
Ἀποφθεσμαλικὸν. 490
Apte dicendi consideratio. 786,787
Aptota. 61.a
Ἀποκαρτέρησις *quid?* 612.b
Apollodorei. 186
Apollodori definitio Rhetorices. 151
Apollodorus Pergamenus, præceptor Augusti. 185
Apollonius Molon, rhetor. 185
Apollonius poëta. 738
Appellatores qui? 312.a
Appius Cæcus dicendi viribus Pyrrhi pacem diremit. 158
Appositæ, vel Comparativæ quæ? 381
Appositio, figura. 50.a
Appositum, ἐπίθεζον. 625. 633
Appositus juri quis dicatur. 322. b. *æquo quis.* 323.a
M. Aquilius repetundarum accusatus, ab Antonio defensus. 150
Aratus poëta. 739
Archilochus poëta. ibid.
Archimedis industria in obsidione Syracusarum. 93.

Architas. 85
Architectonice. 177
Arcus tensus rumpitur. Proverb. 26.b.
Areopagitæ in tenebris judicabant, ne misericordia moverentur. 441.a
Areopagitarum judicium de puero coturnicum oculos confodiente. 356
Areus Rhetor. 156. 185
Argentarii sive trapezitæ qui? 385.a
Argumenta unde petantur. 361.363
Argumentari in rebus apertis, stultum. 403
Argumentorum consideratio. 357. & seq. *usus.* 401. *ordo & dispositio.* 405
Argumentum dubium quod? 416.b. *controversum.* ibid. *confessum.* 417.a
Argumenti variæ significationes. 360
Aristarchus & Aristophanes poëtarum judices. 739
Arionis fabula. 473
Aristippus summum in voluptate corporis bonum punit. 871
Aristocratia 374.b
Ariston rhetor, Critolai discipulus. 152. *ejus Rhetorices definitio.* ibid.
Aristogiton Orator. 897
Aristophanes Byzantius Grammaticus negavit hypothecas ab Hesiodo scriptas. 12
Aristophanes, poëta comicus. 741
Aristoteles Alexandri M. Pædagogus. 14. 745.a. ἀνεῤῥαμμένῳ *mane,* ἐξωτερικῷ *pomeridiano tempore docebat.* 184.b. *primus auctor divisionis causarum in tria genera.* 193.a. *viginti annis Platonem audivit.* 914. *ab Alexandro viginti hominum millia habuit ad investiganda animalia.* ibid.
Aristotelis Rhetoricorum libri tres. 164. *definitio Rhetorices.* 150.151
Aristoxenus, optimus Musicus. 85.a.86
Arma sua templi postibus affigebant milites emeriti. 367.a
Ars in actu posita, quæ? 166.a. *in effectu quæ?* ibid.
Artem ludicram exercentes ex edicto Prætoris infames. 210.b
Artes interdum dicuntur libri, in quibus breviter citra omnem rationis ornatum, præcepta alicujus disciplinæ trad. 7.a,b
Artes omnes acquiruntur ratione & experientia. 125.b
Artium generalis divisio. 170
Artificialium probationum consideratio. 351
Ἀ'χημόσυνος *oratio.* 636
Ἀ'χήμαθον. 593
Ἀ'χολος ὑπόκρισις. 853.b
Asianum dicendi genus. 896
Asinius Pollio Orator. 271.752
Aspasia, Sophistria. 397
Assectatores qui? 40.b. 312.a
Assem Juti solent appellare totam hæreditatem. 506.a
Assentio & Assentior, idem. 41.671
Assertio quid? 337. b. *appellatur etiam caussa liberalis.* ibid.
Assiduus, sic dictus, ab ære dando. 372
Assumptiva caussa. 539
Ἀ'στεισμός. 628
Astragalorum lusus. 828
Astrologia duplex. 92.a
Astrologia, ars θεωρητική. 170
Ἀ'στώθεν. 681
Atalantæ fabula. 356.a
Ἀ'τεχνία. 172
Atellanæ fabulæ. 474.b
Athenæus Philosophus Peripateticus. 153. *Hermagoræ æmulus.* 185
Athenienses studio literarum dediti. 240.b
Athenis actor movere affectus vetabatur. 158
Athenis consuetudo fuit, ut quotannis oratio funebris in laudem mortuorum diceretur. 194
Athenodorus Rhodius Philosophus. 164
Athletarum victus. 96.b
Atrocitas unde ducatur ac augeatur. 444
Atticorum præcipua vis, nihil supervacaneum dicere. 744.a
Atticum dicendi genus. 896. *longe optimum.* 897.898.
Atticus Rhetor, Apollodori discipulus. 186
Avaro tam deest, quod habet, quam quod non habet. 608
Auctores qui maxime legendi. 735
Auctoritas ab historicis vel oratoribus peti solet. 56
Audaciter, an *audacter* scribendum? 59
Auditorum tria genera. 194.195
Ausidius Bassus, historicus. 750
Augusti facetè dicta. 477.479.482.483
Αὐλητὴς. 557
Avocare arma quis dicatur. 637.b
Αὔξησις, *amplificatio.* 124.b

Autumo,

Autumo, vocabulum tolerabile. 585
Ἀξία. 221

B.

B *Litera in locum aliarum data.* 33
B, & D, literæ asperæ in fine Syllabarum. 900
Bacchius, pes. 711
Bacelus, semivir, stultus. 407.a
Bagoas, lingua Persica, Eunuchus. 406.b
Balæna, pro *Phalæna.* 33
Balare, verbum fictum. 55
Barbara lexis quid? 40.a
Barbarismus in quibus committatur, ejusque diversæ species. 39.& seqq.
Barbarismus & Solœcismus non imputantur poëtis. 77.a
Beatitas. 587
Beneventum, opp. ante Maleventum *dictum.* 63.a
Benevolentia unde ducatur. 269.270
Berenice, uxor Ptolemæi regis Ægypti. 272
Bibaculus Poëta. 748
Bibere aut esse, inter agendum indecorum. 843
Biclinium quid? 54.b
Bipennis quid & unde? 32
Brachia Oratoris in actione qualia sint. 833
Βραχίων. 827
Βραχυλογία. 598.681
Brevis syllaba est unius temporis. 703
Brutus, Philosophus. 754.
Bruti in dicendo gravitas. 895
Buccinum, conchæ genus. 909.a
Burrhus, antiquis Latinis homo rufus. 33.a

C.

C *Gammæ vice functa prius.* 41.a
C, Cajus, *notat,* Ↄ, *inversa,* Caja. 72.
C, litera scripta nonnunquam G *pronuntiabatur.* ibid.
Cacozelia, quid? 111.a. 592.b
Cadere formula, & Cadere causa quid? 225.b
Cæcilius rhetor. 185
Cæcilius, poëta comicus. 749
Cælatura. 177
Cælius, orator. 753. *ejus in dicendo indoles.* 895
C. Cæsar, quantus orator. 752
C. Cæsaris adhuc prætextati dictum, Si cantas, male cantas: si legis, cantas. 74. *uxorem Pompejam repudiantis apophthegma.* 108.b. *in dicendo vis.* 195
Cæsius Bassus poëta. 749
Cajas *veteres appellabant mulieres, quæ in mariti manum convenerant.* 73.a
Calamis statuarius. 894
Calidum, an caldum scribendum? 60
Callidii in dicendo subtilitas. 895
Callimachus poëta. 739
Calon statuarius. 894
Calvus, orator. 753. *ejus in dicendo sanctitas.* 895
Candidati Cæsaris. 478.b
Canina eloquentia. 861.a. *facundia.* 889.b
Canopos ostium Nili & oppidum Ægypti. 41.a. *à quo sic denominatum.* ibid.
Canopitæ, pro *Canobitæ.* 41.a
Canthus quid? 40
Cantor, pro *philosopho.* 83.a
Capedo & Capeduncula, vasculi seu poculi genus. 612.a
Capitis gestus in Oratore. 839
Capsis, unde compositum. 54
C. Carbo etiam in tabernaculo dicendo exercebatur. 784
Casnar. 40
Cassander Thebas, quas Alexander everterat, restituit. 387.a
Cassius Severus, orator. 753
Cassii in dicendo acerbitas. 895
à Casu quomodo ducantur argumenta. 370
Catius, philosophus. 754
M. Cato Censorius. 186
Cato, eloquens senator. 794
Catullus poëta. 748
Catus, prudens, astutus. 559.a. *hinc dicti* Catones. ibid.b
Cavillationes, argumenta sophistica. 162.b
Caussa quid? 204
Caussa simplex quæ? 207.b. 259. *conjuncta.* ibid.
Caussæ, κατάστασις. 201
Caussæ ambitus & repetundarum conjunctæ & multiplices. 290.b
Caussarum tria genera. 193. *genera quinque.* 276
Caussas agendi tempus quando incipiat. 879
à Caussis argumentatio. 379

à Cauſsis factorum vel futurorum ut ducantur argumenta. 366
Celeuſma remigibus canebatur. 85
Celſus orator. 187
Centumvirales cauſſæ in duas haſtas diviſæ. 338
Centumviri apud Romanos de cauſis minoribus judiciiſque privatis cognoſcebant. 260.b. 281.a
Cerarum uſus in ſcribendo. 769
Ceratina, captio qualis? 82.a
Cernere, verbum ambiguum. 557
Certamina ſacra Græciæ quatuor. 132.a
Cervicis in actione geſtus. 832
Χαληποὶ, verſus affectatæ difficultatis, pueris pronunciandi. 17
Χαλκοδίκη. 177
Chaos, quid? 237
Χαραχθησμὸς. 691
Chiron Centaurus Achillis nutritius. 88.a. eum cum cæteras artes, tum præcipue Muſicam docuit. ibid.
Chironomia quid? 96.b. unde nomen ſortiatur. ibid.
Chleuaſmos. 656.a
Choa quid? 627.b
Choreus, ſeu trochæus. 711
Choronæ, chenturiones, &c. 43
Χρειῶδες. 80
Chriarum diviſio in verbales & activas. 79.b
Χρῶ. 213
Χρῶ μαλάξει. 447.b
Chryſippus pueros cædi non improbat. 27
Cicero ac Demoſthenes lecti plus proderunt quàm præceptor declamans. 125,126
Cicero præcipuum lumen eloquentiæ dedit. 186. carmine tres libros de temporibus ſuis ſcripſit. 791.b. è Græco in Latinum quæ tranſtulerit. 771.a. ex motu, mentis divinitatem probavit. 8.b
Ciceroni modus riſûs, Demoſtheni facultas defuit. 465
Ciceronis jocus in Iſauricum. 475
Ciceronis & Demoſthenis comparatio. 751
Cinnæ Smyrna novem annis ſcripta. 770
Circuli ſeptem planetarum ſymphoniam quandam efficiunt. 84.a
Circulus pullatus quid? 142.a
Circumlocutio, περίφρασις. 629.643.a
à Circumſtantia quomodo argumenta ducantur. 385
Citharœdi & Citharistæ differentia. 98.b. 390.a
Civilis ſcientia, idem quod ſapientia. 156
Clarigatio quid? 532. 868.a
Claſſem ducere, quid? 23.a
Claſsis à calando dicta. 64
Claudius Cæſar, pædagogum ſuum ſuperjumentarium & barbarum appellare ſolebat. 10.b. trium literarum figuras excogitavit. 72.a
Clavi in veſtimentis. 613.b
Clauſis theſauris incubare, proverb. 727.b
Clauſula quid ſit? 610. bifariam accipitur. ibid.a
Clauſula abrupta quæ? 707.a. clauda atque pendens. 708
Clauſula, pro ſententia arguta. 108.b
Cleanthis definitio Rhetorices. 169
Cleon orator primus Athenis in actione femur percuſsit. 840
Clypeus Achillis. 163
Cneus ſcriptum, non ita pronuntiatur. 72
Coccus quid? 19.b
Coccus orator. 897
Codicilli, pro libellis amatoriis. 528.a
Cœlibes unde dicti. 64
Cœlo venire, & demitti dicebantur perfecta quæque. 59. a. ut & ii qui inopinato videbantur. ibid.
Cogitationis conſideratio. 777
Cognitionis quæſtiones tripertitæ. 200.b
Colaphum ducere. 484
Coliphium quid? 389.b
Collectio, συλλογισμὸς. 669
Colli in actione geſtus. 832,833
Colligere quid? 4.b. Græcis συλλογίζειν. ibid.
Colloçatione facta amphibolia. 558
Colobotæ qui? 95.a
Color Rhetoribus quid? 233. a. 886. a. unde dicatur. 310
Colore eodem an utraque pars utatur. 312
Columa, antique pro columna. 72
Comam in gradus frangere. 66
Comas rotare, in Oratore phanaticum eſt. 831
Comici Latini. 749. Græcis longe inferiores. ibid.b

Comœdi qui? 93.a. peritißimi erant pronuntiationis geſtus. ibid.
Comœdia quando pueris legenda. 75
Comœdia duplex apud Græcos, antiqua & nova. 740
Comœdiæ togatæ quæ? 750.a. palliatæ. ibid.
Comœdiarum antiquarum elegantia. 76
Commentarii, libelli ſummas rerum complectentes. 784
Committere quid? 273.b
Committere pœnam quid? 542
Commotio quid? 365
Communia quomodo refutanda. 415
Communicatio, ἀνακοίνωσις. 649
Comparatio & Similitudo ut differant. 377.a
Comparatio in nominibus, aut genus deprehendit, aut declinationem. 57
Comparatio in amplificatione. 602
Comparatio cauſſarum quibus viis ducatur. 520. 522
Comparationis figuræ duæ, σύγκρισις & ἀντίθεσις. 668.b. utilitas. 117, 118
Comparativorum uſus pro abſolutis. 674
Comparativum cauſſæ genus. 260
Compaſcuus ager. 380. b
Compendium quid? 146.b
Complexio, συμπλοκή. 42
Compoſitio Ciceroni maxime elaborata. 693
Compoſitio qualis debeat eſſe. 726
Compoſitio numeroſa à quibus primum inventa. 696
Compoſitio quadrata quæ? 124.b
in Compoſitione omni tria neceſſaria. 697
Compoſitiones nominum. 54
Compoſitionis ordo. 697. junctura. 700 numerus. 703
Conceßio. 657
Conchylium quid? 19.b
Concluſionis, ſeu Perorationis conſideratio. 440. & ſeq.
à Conditione ut ducantur argumenta. 364
Confeßio ipſa nonnunquam lacrymas movet. 306
Confirmatio quid? 189.a
Congiarium quid? 476
Conjectores qui? 215
Conjectura quid, & unde dicta. ibid.
Conjecturæ conſideratio. 515. ejus diviſio. ibid. confirmatur ex majore, minore, & pari. 381
Coniſcare. 584
à Conjugatis argumenta. 380
Conſcientia mille teſtes. 400
Conſenſio. 657
Conſequens, ἐπακόλουθησις. 669
Conſequentia, ἀκόλουθα. 378. quomodo ab iis argumenta ducantur. ibid.
Conſilii & Judicii differentia. 497
Conſilium in Oratore res præcipua. 143
Conſtitutio in quo ſit. 538
Conſuetudo certißima loquendi magiſtra. 56. accipienda eſt pro conſenſu eruditorum, non pro locutione vulgi, quæ plerunque vitioſa. ibid.a
Conſuetudo recepta legis vim habet. 361.a
Conſul, unde dictus. 63
Conſulere veteribus quid? ibid.
Conſummatio, ἀνακεφαλαίωσις. 669
Contentio, forma orationis qualis. 640.b
Contradictiones adverſariorum quomodo refellendæ. 417. quomodo ponendæ. 421
Contraria quæ dicantur. 377.b
à Contrariis argumenta. 377
Contrarium ab adverſo ſeparat Cicero. 412.a
Contumeliam facere, à Cicerone reprehenſum. 673
Converſio, ἀντιμεταβολή. 642.a
Convitiari aliquando patrocinii fides cogit. 419
Copiæ rerum & verborum conſideratio. 728. ea cum judicio paranda. 729
Corax & Tiſias, Rhetorices ſcriptores antiquißimi. 182
Cordax, laſciva & comica ſaltatio. 712.b
Corneliæ, Gracchorum matris, eloquentia. 9
Cornelius Celſus, philoſophus. 754. quem finem Rhetorices ſtatuerit. 153
Cornelius Severus poëta. 746
Cornicum oculos configere, proverb. 584.b
Cornificius orator. 187
Correctio duplex, διόρθωσις & ἐπιδιόρθωσις. 640.b
Cothurnos aptare infantibus. 450
Crates, philoſophus Thebanus. 79. puerum videns indoctum, pædagogum ejus percuſſit. 80
Cratinus poëta comicus. 741
Credibilium genera tria. 361

Crediti & Depositi quæstiones duæ. 527
Creditum publicum quid? 388.a
Cretenses tibia usi in committendis prœliis. 84.b
Creticus, pes. 711. *initiis optimus.* 717
Crimen falsi quid? 528.a
Crimen imperfectum, sive pendens. 543.b
Critice, pars Dialectices. 432
Critici olim appellabantur poëmatum censores. 29.a. *duabus notis utebantur, asteriſco, cum aliquid deesse, obeliſco, cum aliquid adjectum significabant.* ibid.
Crocodilina, captio qualis? 82.a
Cultus Oratoris sit splendidus & virilis. 843
Cum, *si tempus significet, per* q; *si comitem, per* c; *si vero causam, per* q, & uu *scribendum.* 68
Cuneus quid? 143.b
Curiosus differt à diligenti. 592
Cyri memoria. 816

D.

D *literæ asperitas.* 900
D, *Latinis veteribus multis in verbis ultima.* 69
Dactylus pes. 703.711
Dare actionem quid? 228.b
Declamandi ratio & utilitas. 134
Declamatio quid? 294. *quando inventa.* 135.a. *duplex.* 137.a. *sit verisimilis.* ibid.
Declamationes quomodo tractandæ, earumque utilitas. 774
Declamatorium præceptum. 419
Decoctores publice catamidiari jussit Adrianus Imperator. 474.b
Decoquere, pro *minuere, detrahere.* 114.a
Decorum quid? 77.b. 250.a. ibid.
Decorum poëticum. ibid.
Decretoria sidera. 493.a
Defendere difficilius quam accusare. 408
Defensio ex causis facti. 538
Defensionis permutatio reprehenditur. 419
Definitio per differentiam quæ? 531.a. *per syllepsin.* ibid. b
Deformati fructus qui? 437
Δείνωσις *quid?* 124.a. 460. 600. 669
Deliberativarum, seu suasoriarum consideratio. 242. *officiis duobus constant suadendi & dissuadendi.* 243
Demades an orator fuerit. 163. *nihil unquam scripsit.* ibid.
Demetrius, Comœdiarum actor. 852
Demetrius Phalereus orator. 744. *primus eloquentiam inclinasse dicitur.* ibid.
Demetrius statuarius. 895
Democratia, reip. species. 374.b
Demonstratio, apodixis. 359.a
Demonstrativum genus constat laude & vituperatione. 235
Demosthenes ac Cicero lecti plus proderunt, quam præceptor declamans. 125, 126
Demosthenes Oratorum princeps. 744. 897. *urbanus fuit.* 469. *intuens speculum actionem componere solebat.* 830. *compilatus à tutoribus, pene puer contra eos actionem instituit.* 879. *literæ ρ pronunciatione laboravit.* 94. *ad clamosissimi littoris fremitus quare meditaretur.* 768. *quomodo humerorum jactationem in actione emendaverit.* 841. *interrogatus, quid esset in toto dicendi genere primum, palmam pronuntiationi dedit.* 817. *dormitare interim Ciceroni videtur.* 732. 860. *ab Antipatro in templo conclusus, venenum, quod sub gemma annuli habebat, hausit.* 858.b
Demosthenis actio contra Midiam. 444. *severa compositio.* 707
Demostheni risus facultas defuit, Ciceroni modus. 465
Denarius quantum valeat. 183.a
Denuntiare testimonium quid? 344.b
Depontani senes qui? 665.b
Deportatio & Relegatio ut differant. 337.b
Deprecationis consideratio. 541
Deprecatio duplex. 409.b. *rara in judiciis, & quomodo tractanda.* 409
Depulsio quid? 207.b
Desertor quis? 553.b
Deserere miles quando dicatur. 228.b
Desperatur turpiter, quicquid fieri potest. 83
Deus quid sit secundum Pythagoram. 530. *secundum Epicurum.* ibid.
Δευτερολογίαι, *secundæ actiones.* 269.b
Διαίρεσις. 42
Dialectice & Rhetorice specie magis quam genere differunt. 169. 170. 196.b
Dialectices materia. 177. *oratio concisa* ibid.

Διάλεκτοι Græcorum. 45.a
Διαλλαγὴ. 669.680
Διάνοια. 223
Διασειρμός. 656.b
Διασκευὴ. 670
Diastasis. 69.a
Dicacitas ut differat ab Urbanitate. 467.a. 468
Dicem & faciem, pro *dicam & faciam.* 71
Dicendi genus triplex. 905
Dicendi initium dedit natura; artis, observatio. 188
Dicendi primordia quæ? 78
Dictorum urbanorum divisio in seria, media & jocosa. 490
Dicturo caussam quæ consideranda. 279
Dichoreus pes. 714. *suavissime periodum terminat.* ibid. b
Didymus illustris Grammaticus. 78. *ter mille & quingentos libros scripsisse traditur.* ibid.a. *ejus oblivio.* ibid.
Διέξοδος. 689
Differens quid? 373
Digamma Æolicum. 31. *hoc interdum pro consonante simplici, interdum pro duplici, interdum pro aspiratione usi Æoles.* ibid. & 33.a
Digamma Æolicum à Claudio Cæsare adjectum. 899
Digestio, μερισμός. 641.a
Digitorum gestus & usus in actione. 834. 835
Δικαιολογικὸς, *status juridicialis.* 215
Diminutio genus detegit. 57
Dinumeratio, συναθροισμός. 642.b
Diogenes Babylonius, philosophus Stoicus. 10.b
Dion Brysieus. 191.a. *à divina eloquentia* Chrysostomus *dictus.* ibid.
Dionysius Corinthi proverb. 627
Dionysius Halicarnasseus. 185
Διορισμός. 644.a
Dipodia, saltatio Laconica. 97.a
Dis, quia minime dives. 64
Disciplina omnis constat memoriâ. 805
Discipulorum instituendorum ratio. 565
Discipulorum officium. 134
Discobolos Myronis. 145
Discursare & satagere, ineptum Oratori. 840
Disjunctio, seu μετωνυμία. 680
Disjunctio & Dissolutio ut differant. 643.a
Disparata quæ? 397.b
Dispondeus in versu notabilem facit rhythmum. 716.a
Dispositio quid? 257.b
Dispositio artificialis. 562. *œconomica.* ibid.
Dispositionis utilitas. 500. *consideratio.* 501. & seqq.
à Dissimilibus argumenta. 377
Dissimulationis & Simulationis discrimen. 484
Dissolutio, Διάλυσις. 681
Divinatio, lis de accusatore constituendo. 260.545
Divisio, partitio materiæ & thematis in sua capita. 128 a
Divisio respiratione & mora constat. 558
Divisionis ad probandum & ad refellendum utilitas. 375. *in scribendo ratio.* 68.69
Dochimus pes. 710. *aptissimus est clausulis.* 715
Docilitas quomodo paretur. 275
Doctrina, an Natura utra plus conferat eloquentiæ. 171
Δογματικοὶ *sermones.* 154
Domitius Afer, Orator. 753
Domitii Afri libri duo de confirmandis & refutandis testibus. 344
Domitiani nepotibus præfectus Quintilianus. 262
Donare, pro ἐπιμετρίσασθαι, *cumuli loco insuper dare.* 101.b
Doryphori qui? 407.a
Drepanus oppidum Siciliæ. 657.a
Ducere classem, quid? 23.a
Ductus, formæ ac figuræ literarum. 14.b
Ductus rei credibilis. 300.b
C. Duellio fortitudinis ergo columna rostrata in foro posita. 69
Dum, dictionis, *varia significatio.* 674
Dum clavum rectum teneam, navimque gubernem; parœmia. 166.a
Δυνατὸν, *possibile.* 247
Duplices, pro *duplo majores.* 109.b
Δυσπαρακολούθητον, *caussæ genus.* 277

E &

E.

E & I sonus confusus. 31
E, loco I fuit. 34
E, plenior litera est. 700
Ecphrasis quid? 79.a
Ediscendi ratio. 129 130
ab Educatione & disciplina ut ducantur argumenta. 364
Egestas statuarius. 894
Ἐγκάινια quæ? 523.b
Ἐγκυκλοπαιδεία. 81
Ἐγκωμιαστικόν. 197
Egressio, quæ & excessus, duplex. 258. ejus consideratio. 321. & seqq. proprius locus. 323
Εἰκότα. 355.361
Εἰκών, Imago. 396
Εἰρωνεία, quæ est schema, ab illa quæ est tropus specie differt. 655.656
Ἔκβασις, exitus. 381
Ἐκπίπτειν ἐκ γένους. 543.b
Ἔκλειψις. 619
Ἔκφρασις. 772.a
Elegia pueris amovenda. 75
Elegiaci poëtæ. 748
Ἐλεγκτικοὶ sermones. 154
Elementa decem constituit Aristoteles, circa quæ versari videatur omnis quæstio. 211. 212.
Elementa, pro elementariis. 23.b
Elementa, στοιχεῖα. 192
Elephas quot annis in utero parentis contineatur. 763.a
Eligere proprie quid? 21.b
Eliminare gradus, an satis Latinum. 586
Elis, Peloponnesi urbs. 183.a
Ἔλλειψις. 48
Elocutio in quibus spectetur. 572
Elocutio vitiosa quæ? 569.a
Eloquens nemo, diserti multi. 568
Eloquentia à Philosophia Socratis tempore primum separata fuit. 4.b
Eloquentia Attica omnium optima. 897. 898
Eloquentia, quæ admirationem non habet, nulla. 580
Eloquentia tantum fastigium accepit à Demosthene & Cicerone, quantum Poësis ab Homero & Virgilio. 915
Eloquentiæ prima virtus, perspicuitas. 111
Eloquentiæ partitio in naturalem, moralem, rationalem. 868
Eloquentiæ maxima pars constat animo. 24
Eloquentiæ principium urbium conditoribus tribuit Cicero. 159.a
Eloqui quid? 568
Emancipatio quid? 799.a
Emanere miles quando dicatur. 228.b
Emansor quis? 553.b
Emblemata, immissuræ. 119.a
Emendationis consideratio. 769
Ἥμερον, mansuetum. 247
Empedocles poëta Agrigentinus. 30.a. res naturales quinque millibus versuum est persecutus. ibid.
Empedocles Rhetoricen inter primos tractavit. 182
Ἔμφασις. 598.660. ad orationis ornatum referenda. 576
Empirici qui? 163.b
Enallage. 671.a
Ἐναντιότης. 669.690
Ἐνάργεια, illustratio & evidentia. 462 593. an narrationi necessaria. 303
Ἔνδοξον, causæ genus. 276
Ἐνέργεια. 600
Ennius poëta. 746
Ens & Essentia. 587
Enthymema quid, & quotuplex. 357. & seq. 424. 431. 609
Enumeranda per capita, quomodo tractanda. 440
Enumeratio, ἀνακεφαλαίωσις. 440
Ἐπαγωγὴ, Inductio. 377
Ἐπαναλήθησις. 669
Ἐπαναδίπλωσις. 676.b. 677.b
Ἐπανάληψις. 591
Ἐπάνοδος. 678
Epaphæresis, tonsuræ genus Martiali. 66.b
Ἐπεξεργασία. 600
Ephorus historicus. 743
Epicænum genus. 35
Epicherema quid? 324.b. 358, 359. ut differat à syllogismo. 429
Epicherematis quot partes. 425
Epicleros, Græcis puella orba parentum hereditatem habens. 742.a
Epicuri opinio de Deo. 530

Epicurus omnem disciplinam navigatione quam velocissima fugere jubet. 871
Ἐπιδεικτικὸν. 137.b.1 7
Ἐπιδιήγησις, *repetita narratio.* 319
Epilogi & Proœmii differentia. 274
Epilogi maxima pars amplificatio. 453
Epilogi proprium est, non tantum commovere, sed etiam discutere affectus. 452
Epilogis pluribus quando utendum. 454
Ἐπίλογοι μερικοὶ. ibid.
Epiphonema quid? 609
Epirrhedium genus vehiculi. 55.a
Ἐπιτάφιοι, *orationes funebres.* 194
Ἐπιθεωρήσεις. 641.b
Ἐπίθετον, *appositum.* 624. *commode usurpatum, non solum ornat orationem, sed etiam auget.* ibid. & 633
Epitogium, genus vestis. 54.b
Epitrochasmos. 297.b
Epodos, particula quæ accinitur integro versui. 748.b
Equites cum senatoribus judicabant, erantque in decurias divisi. 298.b
Eratosthenes. 12
Error honestus est, magnos duces sequi. 56.
Ἐγκωμιαστικὴ *oratio.* 636
Ἔρωτες. 672
Ἠθικὴ, *moralis philosophia.* 456. *tota oratori accommodata.* 569
Ethologia quid? 79
Ἠθοποιΐα. 658
Ἦθος *quid?* 456. *mitigat.* 457
Etymologia quid sit? 63. *ejus ratio & usus.* ibid. a. *nonnunquam rationem præstat.* 56
Euathlus decem millibus denariorum Rhetoricam à Protagora didicit. 183
Εὐχωλή. 196
Eucrates Philosophus. 206
Evidentia, ἐνάργεια, *an narrationi necessaria.* 303
Εὐφωνίσεως *quis?* 462
Εὐφημισμὸς. 666.b
Euphranor pictor. 894
Εὐφωνία, *vocalitas.* 38
Eupolis, poëta comicus. 85.741
Euripides, poëta tragicus. 741. *ejus in scribendo tarditas.* 764.a
Euripus quid? 626.a
Εὐρυθμία, *quid?* 86.a
Ex præpositio, in compositione quomodo scribenda. 68
Exanclare. 65.b
Exanimare. 586
Exclamatio, ἐκφώνησις. 650
Excursio oratoris qualis esse debeat. 94
Excusatio facti, sive Purgatio. 540
Exedra quid? 809.a
Exegetice, pars Grammatices. 29.a
Exemplum quid? 392
Exemplorum consideratio. 390. 391. *usus in genere deliberativo plurimum valet.* 250.a
Ἐξεργασία. 600
Exerere, pro nudare. 280.b
Ἐξεταστικὸν *genus.* 196
Exhortatio, προτρεπτικόν. 669
Eximere numero quid? 29.b
Ἔξις. 427
Exordium, quod & Principium, & Græcis προοίμιον. 268
Exordium commune quod? 284. *separatum.* ibid. *translatum.* ibid. *vulgare.* ibid.
Exordii divisio, in principium & insinuationem. 277
Exordii duo genera. 277.a
Exordii ratio quomodo tractanda. 283. *ejus usus quandoque non necessarius.* 284
Exordii vitia. 283.284
Expectorare. 586
Exponere quid? 275.b
Expositio est probationum præparatio. 259
Expositiones falsæ quo pacto contexendæ. 309.b
Extemporalis dicendi facultas quomodo paretur. 778. *à Gorgia Leontino primum inventa.* ibid.a
Extenuatio, ἐξασθενισμὸς. 640
Extenuatio, μείωσις. 124.b

F.

Fabius qua ex caussa opus suum condiderit. 1.2. *cur id Marcello Victorio dicaverit.* 3. *id in* XII. *libros partitur.* 7. *Romæ literas docuit.* 1.a. *Etymologiam reprehendit, quæ fit per antiphrasin, nisi fiat per* εὐφημισμόν. 64. *vide* Quintilianus.

Fabulis quando utendum in oratione. 395.a
Fabulæ Æsopicæ primum ab Hesiodo sunt inventæ. 79.a
Face, dice, duce, &c. *antiqui dicebant, pro fac, dic, duc.* 60
Facetum quid? 468
Facies adversa quæ? 144.b
Facultas, pro extemporali dicendi facilitate. 116.a
à Facultate quomodo ducantur argumenta. 371
Fallere, pro λανθάνειν. 39.b
Famæ ac rumoris consideratio. 339
Fasces submittere quid? 239 b
Fateri, pro *indicare.* 57.b
Fauces Oratori sint integræ. 820
Favor Ciceroni *novum vocabulum.* 587
Favorem quæ concilient. 275
Femur ferire in actione. 840
Fero, *proprium præt. perfect. non habet.* 61.b
Fibula quid? 477.b
Fictio nominis, ὀνομαθεσία. 622 *vix Latinis concessa.* 55.b
à Fictione quomodo argumenta ducantur. 383
Fideicommissum quid? 226.a
Fidem debere quis dicatur. 377.a
Fiducia, optima emendatio verecundiæ. 878
Figulaturire. 587
Figuræ sententiarum. & seqq. verborum. 670.645
Figura, quid? 634
Figuram admittere aliud, quam figuram esse. 639
Figurarum cum tropis convenientia. 633. 634
Figuratæ controversiæ quæ? 636.b
Fimbriaturire. 587
Fingendi & mentiendi cautelæ. 310.311
Fingere verba, Græcis magis concessum. 586
Fingere formas quid? 653.a
Fingere in hypothesi. 383
Finitio quid? 529. *quibus constet.* ibid. 530 *divisione adjuvatur.* 374. *propriis confirmatur, differentibus solvitur.* 373
Finitio ab etymologia. 372
Finitio certa quæ? 536
Finitio caussæ nostræ sit conveniens. 535
à Finitione vitiosa in foro cavendum. 533 534
à Finitione quomodo ducantur argumenta. 367.371
Finitioni quæ subjecta. 372
Finitionis confirmatio difficilior quam applicatio. 533
Finitionum diversitas. 532
Firmamentum, quod & συνέχον. 261
Flaminius Consul ab Annibale victus. 158.b
Floralia ludi. 50.b
Fluctuatur, fluctuat, idem. 671
Focale quid? 845.a
Fœdus Numantinum. 242
Foris canere quid? 98.b
Formicæ democratiam habere dicuntur. 397.a
Formula cadere quid? 509.a
Formulæ quæ? ibid.
Formularii qui? 260.a
Fornix Fabii. 480
Fortuita interim ad veniam valent, interim ad criminis probationem. 367
à Fortuna ut ducantur argumenta. 364
Frangas citius, quam corrigas, quæ in pravum induruerunt. 27
Frigus pro ineptitudine & minime plausibili specie. 141.a.349.b
Frons cauæ quid? 277
Frugi, non *Frugalis.* 60. *Frugi, proprie quis?* 62
Fucus, herba. 909.a
Fugere, & Effugere tædium, ut differant. 292.a
Fundus unde dictus. 631
Funebres laudationes. 235
Funus fœm. gen. *apud Lucretium.* 57.a

G.

G, *Veteribus Latinis in multis dictionibus ultima.* 69
Gadares, civitas Syriæ. 185.b
Galbæ, unde sic dicti. 36.a
Galli facundos pro *facetis dicunt.* 51.a
Galliambi. 694.a
Gallio orator. 187
Gargarismus. 94.b
à Genere ut ducantur argumenta. 363
Γένεσις. 221

Geometria Oratori necessaria. 89. *divisa in numeros & formas.* ibid. *ejus nomine tres scientias complectitur Fabius.* ibid.b. *Dialecticæ, quam Rhetoricæ similior.* 90
Geometriæ ἀποδείξεις γραφικαί. 90
Γεωδαισία. 90.a
Germanicus Augustus poëta. 747. *Aratum è Græco in Latinum vertit.* ibidem, b
Gestus oratoris. 93. *quantum habeat momenti.* 829
Gestus ac vultus dicentis ab oratione ne dissentiant. 830
Gladium, neut. gen. 42.b.66.a
Gloriari aperte, tolerabilius, quam perverse se jactare. 791
Glossa, quid? 16.b.77.b. *hinc Glossographis, Latinis glossularii, & glossematarii.* ibid.
Glyco Spiridion. 451
Ant. Gnipho, grammaticus. 61
Γνῶμαι. 607
Gorgias Leontinus Empedoclis discipulus. 182. *centum & novem annos vixit.* ibid.
Gorgias Platonicus. 152. *ejus de Rhetorice digesta dissertatio.* 153.154
C. Gracchi fistula concionatoria. 87
Gracchorum eloquentiæ multum contulit Cornelia Mater. 9
Gracchorum leges invisæ. 210
Graculi, unde sic dicti. 64
Gradatio, quæ & κλῖμαξ. 682
Græca in Latinum vertere utilissimum ad bene scribendum. 771
Græca nomina an latine flectere oporteat, quæstio. 52,a
Græca nos mutuamur, cum nostra desunt, & illi quoque nostra. 52
Græcis historiis plerunque Poëticæ similis est licentia. 117
à Græco puero discenti auspicandum. 29
Græcus sermo quanto jucundior Latino. 900
Grammatice loqui aliud, aliud Latine loqui. 63
Grammatice, necessaria pueris, jucunda senibus. 30
Grammatice, literatura. 104
Grammatice citra Musicen non potest esse perfecta. 29. *nec citra scientiam siderum.* ibid. *non etiam citra philosophiam.* 30
Grammatices divisio juxta Fabium. 29. *secundum Diomedem.* ibid.a. *secundum Varronem.* ibid.
Grammatici officium. 78
Grammatici partes quasdam Rhetorum occupavere. 103
Grammatici quando septimum esse casum dicant. 36.b
Grammaticis quando tradendus puer. 28
Grammaticorum veterum auctoritas. 29
Grammatista quis? 28.a
Γραμμικαὶ ἀποδείξεις. 359
Gurdi, Hispanis stulti. 52
Gymnastice. 154.a
Gymnica agonismata. 132.a

H.

H, *Aspirationis usus.* 43
Habere quæstionem quid? 340.b
ab Habitu corporis ut ducantur argumenta. 364
Halonnesus insula. 243.a
Halteres. 814.a
Hecubæ parituræ somnium. 239
Hegesias laudes mortis scripsit. 241.b. *hujus oratione lecta multi sibi mortem consciverunt.* ibid.b
Heliogabalus distortis gaudens corporibus, gibbosis & cæcis sæpe cœnam apponebat. 125.a
Helops, piscis. 363.a
Hendecasyllaba carmina. 75 a
Heraclitus ignem omnium rerum principium statuit. 168.b
Hercules exuvium leonis cum Omphales monilibus muliebrique cultu permutavit. 236
Here, olim pro *heri.* 71
Hermagoræ definitio Rhetoricæ. 151
Hermagoras senior. 185. *junior.* 186
Hermagoras primus translationem tradidit. 223
Herodotus historicus. 743. *compositionis studiosus.* 697
Heros, pes. 712

Hesiodus. 12. *ejus stylus.* 738
Heterosis. 671.a
Hinnire, *verbum fictum.* 55
Hippias Eleus omnes artes complexus est. 914
Hippocentauri. 485.b
Hispani non cubitum vocant, sed Græcorum Ancona. 51.a
Historia apud Rhetorem sit initium. 112
Historia quomodo Oratori legenda. 733
Historiæ compositio propria, fluens & tracta. 696.722
Historiæ primum apud Romanos à Pontificibus scriptæ. 757.a
Historiarum cognitio Oratori necessaria. 876
Historiarum & orationum lectio pueris utilis. 123
Historiarum scriptores Græci. 743. *Latini.* 750
Historice, pars Grammatices. 29.a
Historici & oratores qui legendi statim incipientibus. 126
Homeri laudes. 737
Homerus primo pueris legendus. 75. *omnium disciplinarum peritus fuit.* 914. *dormitare interim videtur Horatio.* 732
Hominis urbani definitio. 489
Homo, quia humo natus. 64
Homo sermone magis, quam ratione à brutis differt. 159.b
Homonyma verba. 576
Horatius poëta. 75. 748. *Lyricorum fere solus legi dignus.* 749
Hostiensis portus à Claudio Cæsare extructus. 178.a
Q. *Hortensii filiæ oratio eloquens.* 10
Q. *Hortensius orator à Cicerone secundus.* 10.a
Hortensii in partiendo diligentia leviter à Cicerone elusa. 332
Humanitas in bonam partem sumpta, quid? 108.a. *in malam quid?* ibid.
Humerorum in actione gestus. 833
Hyperbaton. 577. *ejus species quinque.* ibid. a
Hyperbaton & Anastrophe differunt. 48.a
Hyperbole. 607.630.631.634
Hyperbolus, civis pessimus. 85.b. *Maricas ab Eupolide appellatus.* ibid.
Hyperides orator. 150.744.897. *Phrynem meretricem capitis ream quomodo defenderit.* ibid.
Hypozeugma. 683.b

I.

I, *litera angustior est.* 700
I *litera sibi incidit.* 32
I, *vocalis tam longa, quam brevis apud Latinos.* 70
I, *geminatum est aliquando.* 32
Iactatio sui, vitiosa omnis. 789
Iaculari de quibus rebus dicatur. 574
Iambici poëtæ. 748
Iambus pes. 703.711. *convenit rebus asperis.* 723
Iambum non recipit versus heroicus. 45
Idiotes. 121
Idiotis grati joci. 584
Igitur, *modo præponitur, modo postponitur, apud Ciceronem.* 47.b
Illustratio, & evidentia, ἐνάργεια. 462
Imago, εἰκὼν. 9. *ut differat à metaphora.* ibid.
Imagines in arte memoriali. 809
Imitatio quæ parvulis conveniat. 25
Imitationis consideratio. 757
in Imitando quæ spectanda. 760
Immutatio quid? 48.642.b
Imperatores plerunque in numerum Deorum referebantur. 239.a
Impluvium quid? 809.a
Imponere summam manum quid? 2.b
Improprii vitium. 574
Improprium quid? 49
Incesti damnatæ pœna apud Romanos. 555.a
Incisa, κόμμα. 697
Incisum quid? 720. *ut differat à membro.* ibid.b
Incrementum in amplificatione. 601
ab Incrementis quomodo argumenta ducantur. 377
Incurvicervicum pecus. 55
Index digitus in manu sinistra triginta, in dextra, si cum pollice jungatur, trecentum significat. 835.a
Indignari imperium quis dicatur? 26.a
Indociles & hebetes, non magis secundum naturam

naturam hominis eduntur, quam prodigiosa corpora & monstris insignia. 8.9
Indocti cur vulgo ingeniosiores habeantur. 140.
Inductio, ἐπαγωγή. 377
Inductio erroris, ἀπατηλάνησις. 641
Inductio Socratica. 391
Inductionis species tres. 391.b
Induere sibi persuasionem scientiæ. 10.a,b
Indulgentia parentum, quam perniciosa liberis. 19
Infantes à mutis nutricibus jussu regum educati. 729
Infantia per lusum docenda. 13.a
Inficialis status quis, & unde dictus. 215
Infinitum verbum pro nomine positum. 672
Ingenia præcocia non temere umquam perveniunt ad frugem. 25
Ingenia puerorum qua ratione dignoscantur, & quomodo tractanda. ibid.
Ingenii signum in parvis præcipuum est memoria. ibid.
Ingenii vis est naturalis, judicium studio paratur. 114
Ingeniorum proprietates dispicere præceptori prorsus necessarium. 131
in Ingeniorum puerilium varietate quæ sit habenda ratio. 26
ab Initiis quomodo argumenta ducantur. 376
Injuriarum actio. 545. *in quem competat.* 312.b
In malacofanum. proverb. 576
ex Inopinato sententia. 610
Inornatum est, quod improprium. 582
Insignia orationis. 643
Insignis proprie quis? 9.a
Insinuatio, pars Exordii. 277
Instrumenta oratoris quæ? 179.b
Instrumenta triplicato lino trajiciendi consuetudo. 887
In summam proficere. 12.b
Intentio quid? 207.b
ex Intentione lis. 549
Interdicere pro *interdictum ferre.* 226.b
Interdictum quid? 135.b.226.b
Interrogatio per subjectionem. 648
Interrogationes Socraticæ. 391
Interrogationum figuræ. 646.648
Intestatus & dicitur is qui testamentum non facit & is qui jus faciendi non habet. 233.a.288.a
Intro, intus, *adverbia loci, eorumque usus.* 50
Intus canere quid? 98.b
Inversio, tropus. 625
Invideor. 674.a
Invidere hanc rem. ibid.
Invidia duplex. 459
locus quis dicatur. 468. *duplex.* ibid.b
Iocorum materia ex nomine sæpe depromitur. 366
Ἰσασμός. 46
Iove tonante aut fulgurante omnia dirimebantur. 121.a
Ironia, joci genus. 480
Ironiæ consideratio. 627
Ἰσὸν, *subtile dicendi genus.* 905
Ἰσχνότης. 46.94.a
Isocrates orator. 744. *ejus præstantia & vivacitas.* 184. *de Ephoro & Theopompo discipulis judicium.* 132
Ἰσόκωλον. 687
Iterationes in narratione vitandæ. 298
Iudicia dementiæ quomodo instituantur. 544
Iudicia publica legibus instituebantur, privata actionibus. 260.a
Iudiciale caussarum genus multiplex. 230.a
Iudicialium controversiarum genera. 259
Iudicialium caussarum partes quot? 257
Iudicii & consilii differentia. 497
Iudiciis præparandi partes. 279
Iudicium an inventioni subjiciendum. 497
Iugeri mensura. 91.b
Iugum Caudinum. 242
Iudicium summorum virorum in eloquentia pro ratione est. 56
Iulius Africanus orator. 753
Iulius Florus, Galliarum in eloquentia princeps. 765
Iulius Secundus, orator. 753
Iunctura compositionis. 700
Iunius Bassus asinus albus *dictus.* 477
Iurare conceptis verbis. 394.a
Iuridicialis status quis? 215. *Græce* δικαιολογικὸς. ibid.
Iuris civilis scientia Oratori necessaria. 873
Iurisjurandi consideratio. 341. *religio.* ibid.a. *utilis ad caussas decidendas.* ibid.

Ius aut privatum est, aut publicum. 120.b
Ius obscurum aliud, aliud ambiguum. 560
Iustum omne continetur natura vel constitutione. 538
Iuvenes Tarentini multa securius de Pyrrho rege inter cœnam locuti, risu & oportuno joco elapsi. 466
Iuvenis quidam Taurominitanus concitatus Phrygio cantu, spondeo à Pythagora fuit sedatus. 89.a

K.

K *Literæ ratio.* 31
Kappa in numero tantum manet. ibid.
K, *litera est supervacua.* 69. *antiqui ea scribendi compendio utebantur.* ibid.a
Καθολικά. 609
Καιρός. 213
Κακόζηλον. 592
Κακοσυνθετον. 593
Κακοτεχνία. 173. *sic quibusdam dicta Rhetorice.* 149
Κακόφατον. 589
Καταπεπλασμένον. 94.b
Κατάπληξις. 669
Κατάχρησις, *sive Abusio, interdum necessaria.* 574.623.634
Κατασκευή. 116
Κεφάλαιον γενικώτατον. 205
Κλίμαξ, *gradatio.* 682
Κλοσμός. 826
Κοιλοφωνία. 46.94.b
Κοινισμός. 593
Κολοβάτης. 822.b
Κόμματα, *incisa.* 697
Κερνόμενον. 262
Κρίσεις, *judicationes, aut judicia.* 399. *in exemplorum locum cedunt.* ibid.
Κυρταύχην. 55
Κῶλα, *membra.* 697

L.

L *Abrorum dicentis gestus.* 832
Lacedæmonii bellicosi. 240.b. *tibia usi in committendis prœliis.* 84.b
Lacedæmoniorum civitate expulsa Rhetorice. 158
Lælii filia in loquendo paternam reddidit eloquentiam. 9.19
Læna, quale vestimentum. 845.b
Λαμβδακισμός. 46
Lampyrides, vermiculi. 909.b
Lapidare, de quibus rebus dicatur. 574
Laryngismus. 94.b
Laser quid? 33.a
Latina eloquentia Græcæ discipula. 899
Latina in Græcum vertenda, & contra. 771
Latina nomina in as *terminata, faciunt genitivum in* atis. 53
Latine loqui aliud, aliud Grammatice loqui 63
Latini antiqui, ut Græci, supra vocales aspirationis tantum notam posuere. 31.b. *cum vocalem longam scribere volebant, eam geminabant.* ibid. *sedecim duntaxat habuerunt literas.* 69.a. *pro* y *græco* u, *pro* z *modo* ſ *simplex, modo* ſſ *duplex usurparunt.* 30.b
Latus clavus. 843
Laudes Deorum hymni *dicuntur,* encomia *virorum.* 238.a
Laudis proprium. 236
Laus discipulorum quatenus admittenda. 107
Laus hominum in tria tempora dividitur. 237.b
Laus & vituperatio quomodo puero tractandæ. 117
Laus & vituperatio ad judiciorum momentum pertinent. 235
Lectio puerorum sit virilis, & cum suavitate quadam gravis. 74
Lectionis artes, Accentus, Distinctio, Pronuntiatio, Modulatio. 73
Legale genus. 199
Legalium statuum cognatio & diversitas. 560. *species plures.* 229
Legationis male gestæ actio. 545
Leges & Consulta tertiis nundinis promulgabantur. 120.b
Leges diversæ. 553. *similes.* ibid. *impares.* ibid.
Legis virtus quæ? 121.b
Legum laus & vituperatio. 120
Lenas rhetor. 187
Lenocinium facere quis dicatur. 370.a

Leones caudæ verberatione se ad pugnam excitant. 783.b
Leonides Alexandri Pædagogus. 10
Lentuli unde sic dicti. 489.a
Lepus, epicœnum. 58. *ejus etymon.* 64
Lex legi nunquam contraria jure ipso. 553
Lex Manilia. 122
Lex Plautia. 682.a
Lex Porcia. 315.b
Libelli memoriales. 455.b
Licinius Archias ex tempore cujuscunque generis carmina fundebat. 782
Linus diis genitus. 83
Literæ an aliquæ necessariæ Latinis desint. 30
Litium cardo. 885.a
Littus quod dicatur. 434
Livius Andronicus primus apud Latinos fabulas edidit. 757.a
T. Livius Herodoto æquatus. 750. *à pueris magis legendus quam Sallustius.* 126
Livii lactea ubertas. 734
Loca in arte memoriali. 809
Loci communes à quibus primum tractati. 183
Loci communes, de vitiis virtutibusque tractantes, à Philosophia morali petuntur. 4.a,b.
Loci communes à Cicerone & Hortensio compositi. 105
Loci inartificiales qui? 119.a
à Loco quomodo ducantur argumenta. 367
Locos argumentorum quos vocet Quintilianus. 362
Locuples, à locorum copia. 372
Λογικήν. 199
Λογοδαίδαλοι. 183
Λόγοι μυθικοί. 395
Λόγος & *orationem & verbum significat.* 175.b
Longa syllaba est duorum temporum. 703
Lotophagi-Africæ populi. 351. *apud eos lotus arbor dulcissimum gerens fructum, adeo ut si quis gustarit, illic perpetuo manere velit.* ibid.b
Lovmen, pro *lumen antiqui dixerunt.* 32
Lucanus Poëta. 747
Lucilius Poëta. 748
Lucretius Poëta. 181.746
Lucretius res naturales carmine est persecutus. 30
Lucubratio, optimum secreti genus. 768
Lucus, sic dictus, quia minime luceat. 64
Ludi Floralia. 50.b. *Megalesia.* ibid.
Ludus, quia sit longissime ab lusu. 64
Ludus, pro prostibulo infamium mulierum. 475.b
Lupercalia, unde compositum. 54
Lupus fœmina. 58
Lurchabundus. 66
Lusus in pueris alacritatis signum. 27
Luxuriatur, luxuriat, idem. 675
Lychnium, marmor. 172.a
Lycurgus Orator. 897
Lycurgus legislator. 85. *musices disciplinam probavit.* ibid. *ut publicis gymnasiis Lacedæmoniorum pueri docerentur, instituit.* 17.a
Lyram post cœnam in conviviis circumferebant veteres. 86
Lyricorum Græcorum licentia in carminibus fingendis. 705.a
Lyricorum novem apud Græcos nomina. 740.a
Lysias Orator. 744.897.
Lysias Rhetoricam, observationem esse, non artem statuit. 162
Lysippus statuarius. 895

M.

M *Cum B cognatio.* 32.b
M, *magiens litera.* 899. *ea nullum verbum Græcum terminatur.* ibid.
M, *literæ obscuratio.* 701.702
Macer poëta. 739.746
Magnificentia, μεγαλοπρέπεια. 302
Magnitudo, quantitas continua. 212.b
à Majore argumentum. 381
Μαχαιροποιία. 591
Malacum, molle. 576
Maleficii scripti actio. 545
Mammea Alexander dictus, quod nimium obsecundaret matri. 365.b
Mancipare quid? 474.b
Mandati actio. 545
Mangones qui? 154.b. *pueros exsecare solebant, ut carius venderent.* 406.a
Manlius ob affectati regni suspicionem de saxo Tarpejo præcipitatus. 515.b

Manlii Torquati severitas in filium. 392 b
Manum injicere quid? 554.a
Manum intra pallium continere, proverb. 897
Manus gladiatorum secundæ, tertiæ, quartæ. 422
Manuum gestus in actione. 833. 834. 836
Mappa, Pœnum vocabulum. 51. 52
Marci Manlii prænomen è Manliorum familia exemptum. 240
Marcipores, pueri & servi Marci. 36.b
Massilienses permittebant homini, ut venenum biberet, si justam afferret mortis causam. 797.b
Mastruca. 40
Μαθηματικοτεχνίαι. 173
Materia Rhetorices quæ? 175. *Dialectices.* 177
Materiæ infames & inopinabiles quæ? 118.a
Materiæ pueris dictandæ. 115
Matrimoniorum duæ formæ. 374
Medea Ovidii. 749
Medicinæ origo & initium unde? 163. 188
Megabyzi, seu Megalobyzi, qui? 407.a
Megalesia ludi. 50.b
Μεγαλοπρέπεια, *magnificentia.* 302
Megarei ab Atheniensibus victi Homeri versu. 400
Mehe, pro me. 43
Μείωσις, *extenuatio.* 121.b. 591
Melanthius pictor. 894
Melos quid? 86.a
Membra, κῶλα. 679
Membrum quid in oratione. 720. *ut differat ab inciso.* ibid.
Memoria Oratori maxime necessaria. 17. *ea præcipue firmatur atque alitur exercitatione.* ibid.
Memoria thesaurus eloquentiæ. 805. *duplex, naturalis & artificialis.* ibid. a. & 190.a
Memoria quomodo fiat. 806. a. *quomodo juvetur.* 808
Memoriæ definitio. 25.a
Memoriæ artem primus ostendit Simonides. 807
Memoriæ virtus duplex, facile percipere, & fideliter continere. 25
Menander Poëta comicus. 75. 742. *Comicorum omnium doctissimus.* 239.a. *justiora posterorum quam suæ ætatis judicia fuit consecutus.* ibid.
Mendacem oportet esse memorem. 310
Mendacium dicere nonnunquam bono viro licitum. 166 b 864
Mensæ Sybariticæ. 240.b
Menti gestus in actione. 833
Meridies, an Medidies. 63
Meropes, à Merope gigante orti. 631. *ab Hercule sublati.* ibid.
Merula, quasi mera volans. 64
Mesozeugma. 683.b
Messala Orator. 752. *ejus in dicendo dignitas.* 895
Μεταβολή. 678
Μετάληψις. 219. 623. 634
Μετάνοια. 659.a
Metaphora quid? 615. 616. 634. *dupliciter fit.* 616.a. *brevior est quam similitudo.* ibid. *ut modicus ejus usus orationem illustrat, sic frequens obscurat.* 618
Metaphrasis quid? 79.a. 772 a
Metaplasmus. 77
Μετάστασις *quid?* 221. 228.b. 540. 654
Μετωνυμία. 620. 634. 680
Metra & rhythmi ut differant. 703
Metrici pedes. ibid.
Metrum quid? 29.b 86.a
Metrodorus in signis Zodiaci locos memorandi constituit. 809
Metus duplex. 459
Metus in peroratione quomodo tractetur. 443
Metus nonnunquam judici amovendus, nonnunquam adhibendus. 272
Miliaria olim lapidibus notabantur. 332 a
Milo quem vitulum assueverat ferre, taurum ferebat. 80
Μίμησις. 658
Minæ, quæ & κατάπληξις. 669
à Minore argumentum. 381
Mirmillo, gladiator. 478.a
Miseratio à tribus temporibus ducitur. 446. *non debet esse longa.* 447. *nonnunquam movenda.* 274. 463. *aliquando discutienda.* 452
Mithridatis memoria. 816
Modi verborum, status & qualitates quot? 48

Modus Phrygius ad arma incitat. 695.a. *Doricus aptus est religioni.* ibid.
Modus sermonis Fabio quid? 24.b
Mollis articulus, pro *leni corporis inflexione.* 140.b
Molossus, *pes.* 711
Monarchia, *reip. species.* 374.b
Monitores qui? 493.b
Monochromata. 893.a
Μονοειδὴς *tonus.* 825
Μονόχρωμα *pictura.* 128.b
Monoptota. 61.a
Monosyllaborum continuatio in oratione, *pessima.* 702
Μονῳδίαι *vitanda.* ibid.
Mortis laudes scriptæ ab Hegesia. 241.b
Morum disciplina Oratori cognoscenda. 866
Μυκτηρισμός. 628
Muli Mariani. 821.b
Mulieres duodecimo mense parientes. 410.b
Multitudo, *quantitas discreta.* 212.b
Mundum ex atomorum fortuito concursu conditum esse statuit Democritus. 515.a
Mundum providentia regi negant Epicurei. 341.b
Munerarium Augustus primus dixit. 587
Musices nomine antiqui omnem disciplinam complectebantur. 83.a. 86.a
Musices antiquitas & veneratio. 83
Musice Oratori necessaria. 83.84. *Politico.* 84
Musici, *& vates & sapientes*, *antiquis temporibus judicabantur.* 83
Mutæ res quomodo moveant. 447
Myron statuarius. 894. *ejus Discobolos.* 145
Myrrhæ fabula. 660.a

N.

NAblium, *instrumentum musicum.* 88.b
Næniæ proprie carmen funebre. 575
Narium decorum & indecorum. 832
Narrationis consideratio. 287
Narratio quid? 295. *qualis debeat esse.* 113. *cur semper procœmio subjungatur.* 294. *sit aperta atque dilucida.* 296. *cur ante probationes ponatur.* 309
Narratio fit perspicua verbis, *rebus*, *& ipsa actione.* 296.b. *brevis quomodo fiat.* 297. *credibilis.* 300
Narratio in omnibus causis non necessaria. 287.288
Narratio & Propositio se habent, *ut genus & species.* 258.307
Narratio repetita, ἐπιδιήγησις. 319. *sinuosa.* 113
Narrationum in judiciis duæ species. 289
Narrationum species tres. 112
Natio, *nomen generalius*; *patria*, *specialius.* 363.b
à Natione ut ducantur argumenta. 363
Natura an Doctrina, *utra plus conferat eloquentiæ.* 171
Navarchi qui? 313.b. 314.a
Naucrates, *Socratis discipulus.* 206
Navem perforare quid? 626.a
Ne, *non*, *adverbia*, *quomodo usurpentur.* 50
Necessarium, *alterum simplex*, *alterum ex conditione.* 246.b
Negandi duplex forma. 410
Negotium quid? 204
Negotiorum male gestorum judicium. 545
Nemus Anguitiæ. 677.a
Nervi, pro *argumentis.* 352
Nicander Poëta. 739
Nicostratus, *pancratiastes fortissimus.* 133.a
Nives capitis, dura translatio. 618
Noctis silentium scribentibus commodum. 767
Νόημα *quid?* 138.a. 610
Νόθος *quis dicatur Græcis.* 233
Nola quid? 627.b
Nomen quid? 365
Nominis fictio. 476
Nomina quartæ declin. olim etiam fuerunt secundæ. 70
in Nominibus secundæ declinationis antiqui genitiv. formabant in i, *nom. plur. in* ei. 70
Νομικὸν. 199
Nomothesia. 120.a
Nonius Asprenas, *accusatus veneficii à Cassio Severo*, *quod unius patinæ veneno necasset* CXXX. *convivas*, *causam dixit.* 53.a
Notare quid? 3.b
Novitii servi qui? 100.a

Numa religionis & juris pontificii auctor apud Romanos. 239
Numeri intellectus. 213
Numeros Musice duplices habet, in vocibus & corpore. 86
Numerorum oratoriorum consideratio. 703
Nundinæ cur institutæ. 121.a
Nuptiarum duæ species. 374.a

O.

O *Litera apud Græcos interim longa, interim brevis.* 69
O, & V, *invicem permutatæ.* 33.71
Obscœnitas à verbis & significatione absit Oratori. 470
Obscuritatis species & modi. 576
Obsequium *primum à Terentio dictum.* 587
Oculi limi. 831. *patrantes.* ibid b. *veneri.* ibid.
Oculorum efficacia. 831. *gestus in dicendo.* 832
Oeconomia proprie quid? 76.191.a. *per catachresin in oratione & poëmate quid?* ibid.
Οἶμη, *cantus.* 269
Οἶμος, *via.* ibid.
Oligarchia, reip. species. 374.b
Ὁμιλία. 591
Ὁμιόπτωτον. 687
Ὁμοιοτέλευτον. 687.688
Ὁμοιόνια *in lectione vitanda.* 74.a
Ὁμωνυμία. 557
Ὀνομαστοποιΐα *Latinis vix concessa.* 55. 622.633.634. *Græcis magis concessa.* 586
Opinio quid? 168.b
Ὀψιμαθὴς *qui?* 100.a
Oratio, regina rerum. 102. *flexanimam inter homines habet tyrannidem.* ibid.a
Oratio omnis ex quibus constet. 198
Oratio alia vincta, alia soluta. 697
Oratio deducta quæ? 281.b. *circumlata.* ibid. *perpetua.* 135.a. *probabilis.* 589. *illustris.* ibid a
Oratio morata, ἠθοποιὸς λόγος. 303
Oratio quando dicatur in caput crescere. 282.b
Orationis cultus, pro rei natura, cui accommodatur, sit diversus. 316
Orationis lumina sunt velut oculi eloquentiæ. 614
Orationis virtutes tres. 38. *totidem vitia.* ibid. *summa virtus, perspicuitas.* 65
Orator qualis esse debeat. 2.6. *quomodo afficiatur.* 24.b. *jam à tenero assuescat non reformidare homines.* 22. *res duas in omni actu spectet, quid deceat, quid expediat.* 144. *tria præstare debet, docere, movere, delectare.* 198. *fiduciam præ se ferat.* 422
Orator esse non potest, nisi vir bonus. 855. *tum optime dicit, cum videtur vera dicere.* 297
Oratores decem Athenis simul una ætas tulit. 743.744
Oratoris officium in quibus consistat. 195.b.334.566.728
Oratoris gestus. 93. *pronuntiatio.* 94. *instrumenta.* 877. *cultus sit splendidus & virilis.* 813. *studia post finem quæ sint.* 910. & seqq.
Oratori futuro an necessaria sit plurium artium scientia? 80
Oratori morum disciplina cognoscenda. 866. *juris civilis scientia necessaria.* 873. *ut & historiarum cognitio.* 876
Oratori in suscipiendis causis quæ observanda. 881. *in discendis quæ?* 884. *in agendis quæ?* 888. *satius est, defendere quam accusare.* ibid.
Orchestra quid? 481.a
Ordo compositionis. 700
Ordo duplex, naturalis & artificialis. 292.b
Ornatus orationis in quibus sit positus. 579.a. *qualis esse debeat.* 580. *variandus pro causarum ratione.* 581
Ornatus consideratio. 787
Ornatus translatis verbis maxime eget. 582
Orpheus diis genitus. 83
Ὀρθοέπεια, *rectiloquium.* 46.60.b
Orthographiæ ars in quibus posita. 67
Os profanatum de quibus dicatur. 803.a
Ossa legere, ambiguum. 612.a
Otris, mons Thessaliæ. 689.b
Ovidius poëta. 746.748
Οὐσία, *essentia.* 212

P.

Pacuvius, poëta tragicus. 749
Paeon pes. 703.714. inventus à Thrasymacho. 712
Pædagogi quales requirantur. 10
Παγκράτιον. 133.b
Παιδομαθεῖς qui? 100.a
Palæstræ duplex significatio. 96.a
Palæstrici qui? ibid.
Palamedes rhetor. 183
Palimbacchius. 711
Palillogia. 676.b
Palliolum quale vestimentum. 845.a
Palma felicitatis & victoriæ signum. 482.b
Pamphilus pictor. 894
Pamphilus rhetor. 215
Pancratiastes quis? 133.a
Panegyricus Isocratis decem annis elaboratus. 770
Pantomimus quis? 479
Panyasis poëta. 738
Παραγράμμα. 622
Παραγραφή. 227.a
Παράδειγμα. 391
Παραδιαστολή. 684
Παραδιήγησις. 670
Παράδοξον, causſæ genus. 277
à Paradoxo sententia. 610.b
Paragoge. 55.b
Paraphrasis quid? 79.a.772
Παραύξησις. 669
Παρεγχειρήσις, Partitiones. 21.a. 128.a. 797.a
Παρέκβασις quid? 323
Παρένθεσις, interpositio. 675.676
Parentum indulgentia quam perniciosa liberis. 19
à Pari argumentum. 381
Πάρεσον. 686
Parmularius quis? 138.b
Παρῳδία. 652
Παρρησία. 396.487.628
Παρωνομασία. 684.688
Paros, insula. 172.a
Parrhasius pictor. 893
Παῤῥησία. 641.a.651
Partes orationis quot? 34
Participialia verba. 37
Participium pro verbo positum. 672
Partitiones, Παρεγχειρήσις. 21.a
Partitionis consideratio. 257.327. specialius & generalius accipitur. ibid.a. periculosa cum judex est fallendus. 328.a
Patavinitas à Pollione in Livio deprehensa. 51.572
Pater, quam spem capere debeat de filio recens nato oratore futuro. 9. quid in eo desideretur. ibid.
Πάθος quid? 456. concitat. 457
Patrare bellum. 589
à Patria ut ducantur argumenta. 363
Patria, nomen specialius; natio generalius. 363.b
Patrium nomen Grammaticis quid? 49.b
Patroclis Rhetorices definitio. 152
Patronus incredulus, optimus in dicendo. 887
Pectus disertos facit. 781
Pecuniosus, à pecorum copia. 372
Pedo poëta. 747
Pedum gestus & eorum vitia in actione. 840
Pedum proprietates. 77
Pedum ratio in oratione multo difficilior quam in versu. 706
Pelias hasta. 605
Πενθήμιμον quid? 704
Πενθημιμερής. 710
Pepigi, à pago, non pango. 58
Perduellionis accusatio quæ? 413.a
Pergula quid? 41.a
Periambus. 711
Pericles orator. 898. Athenienses, solis obscuratione territos, redditis causſis metu liberavit. 92. ejus votum, ne quod sibi verbum in mentem veniret, quo populus offenderetur. 890
Periclitantem commendantia. 445
Περιεργία. 592
Περίοδος. 697
Periodi plurima nomina. 721. genera duo. ibid.
Περιστολογία quid? 298.629. in narratione vitanda. 298
Περίστασις, circumstantia. 204.385
Περιφερὴς, circuncurrens linea. 91.b
Περίφρασις. 629.633.634
Permissio, epitrope. 650
Perorationis, seu Conclusionis consideratio. 440. & seqq.

Persecutio à Domitiano Fabii tempore edita. 240.b
Persius poëta. 748
Personæ controversia tripartita. 213.a
à Personis ut ducantur argumenta. 363
Perspicuitatis consideratio. 572
Perspicuitas, prima virtus oratoris. 578
Petoritum, verbum Gallicum. 51
Φαντασία *quid?* 462.600
Phemius musicus. 83.b
Phidias statuarius. 110.894. *interrogatus quo exemplo usus fuisset in exprimenda Iovis statua, quid responderit.* 110.b
Philætas poëta. 739
Philemon, poëta comicus. 743. *nimio risu periisse fertur.* ibid.a
Philistus, historicus. 743
Philosophia simulari potest, eloquentia non potest. 876
Philosophi, Domitiani edicto, urbe & Italia interdicti. 5.b
Philosophi quatenus legendi Oratori. 735
Phocæ, Nereo consecratæ, magistrum habent Proteum. 54
Phœnix, Achillis pædagogus. 112.162.b
Phonasci qui? 87.a.133.b.819.b
Φράσις, *quæ & Elocutio.* 572
Phryne meretrix, capitis rea, quomodo ab Hyperide defensa. 115
Pictores clari. 893
Pictores ethici. 456.b
Pictura, ars ποιητική. 170
Pictura quo tempore præcipue floruerit. 894
Picturæ μονόγραμμοι. 317.a
Picus, rex Italiæ, unde sic appellatus. 63.a
Πικρηφωνία. 850.b
Pilarii qui? 780.b
Pindarus novem lyricorum longe princeps. 631.740
Pisander poëta. 739
Pisistratus quo astu tyrannidem occupaverit. 393.a
Πίστις *quid sit?* 359,360
Pituita unde dicta? 64
Planci, à pedum planicie nomen habent. 36.b
Plasma quid? 74.a,b
Πλασειασμός. 46.94.a
Plato, Pythagoræ discipulus, pleraque retulit ad numeros & musicam. 84.a. *compositionis diligentissimus fuit.* 710. *ut publice pueri instituantur, jubet.* 17.b. *ait hominem animo & corpore constare, ac utrique parti suam præesse artem.* 154.a. *ejus epitaphium in quosdam Athenienses qui in bello perierant.* 155.a. *eloquendi facultas divina.* 745. *peregrinatio.* 101
Plautus, poëta comicus. 749
Πλεονασμός. 48.591.680
Plinius orator. 187
Plistenes, Agamemnonis & Menelai pater. 239.b
Πλοκή. 643.b.679.680
Plotius Rhetor. 122
Ploxenum. 40
Pluraliter non declinantur, quæ ponderi vel mensuræ subjecta sunt. 42.b
Pœnituras, pœnitentiam actus. 672
Poësis unde initium habuerit. 719.a. *tantum fastigium accepit ab Homero & Virgilio, quantum eloquentia à Demosthene & Cicerone.* 915
Poëtæ qui primo pueris legendi. 75
Poëtæ veteres novis præferendi. 76
Poëtarum principes tam Latinorum quam Græcorum qui? 738.745.746
Poëtarum lectio plurimum confert Oratori. 733
Poëtas metri necessitas excusat. 56
Ποιητική. 170
Ποιότης & ποσότης. 541
Pollice averso aliquid demonstrare. 836
Pollicem premere. ibid.a
Pollio in Livio deprehendit Patavinitatem. 51.572
Pollionis in dicendo diligentia. 895
Polus sophista. 154.b
Polycletus statuarius. 894
Polycrates rhetor. 163.a.183. *ob paupertatem coactus fuit sophisticam exercere.* ibid.b
Polygnatus pictor. 893
Polynice, quasi multum contentiosus. 366.a
Polysigma appellatur cum S productiori sibilo enunciatur. 94.b
Πολύπτωτον. 678
Πολυσυνδετον 681
Pomponius Secundus, poëta tragicus. 749

Porcius Latro declamator. 775
Possibile, δυνατὸν. 247
Postulatio quid? 846.a
Præcepta atque artes nihil valent, nisi adjuvante natura. 7
Præcepta καθολικὰ quæ? 146. *iis non semper insistendum.* ibid.
Præcepta in omnibus fere minus valent, quam experimenta. 125
Præceptor qualis liberis eligendus. 18
Præceptoris officium & mores quales desideventur. 106. 107. *ejus vultus attendendus.* 108
Præceptoris vox solis instar. 21
Præceptore optimo protinus utendum. 109
Præcisio, quæ & Paralepsis. 639.b
Prædicamentorum usus. 211.a
Præjudiciorum consideratio. 337. *eorum vis omnis in tribus generibus versatur.* ibid.
Prælectio auctorum triplex. 123.a
Præmiorum consideratio. 542
Præmunitio, προεπίπλῆξις. 588
Præparatio quid? 292.a
Præpilatæ hastæ. 405.b
Præpositiones frequenter copulatio corrumpit. 55
Præscriptio quid? 226.b
Præscriptionis contentio. 548
Præsumptio quæ & πρόληψις. 648. *ejus diversæ species.* 649
Præstringere quid? 733.b. *hinc* præstigiæ. ibid.
Prætexta, vestis magistratuum. 376.b
Prætor, qui & Quæsitor, judiciis publicis præsidebat. 260.a. *ductis ex urna sortibus, ordine causas cognoscebat.* ibid.
Prætores, consules, judices, aliquando Romæ iidem fuere. 63
Pragmatici qui? 260.a
Pragmatici iidem apud Græcos, qui Iurisconsulti apud Romanos. 222.b.260.a
Προκλικὴ. 170
Πρόξις. 213
Praxiteles statuarius. 895
Precula, pro *pergula.* 41
Principium, pars Exordii. 277
Principii, sive Exordii consideratio. 268. 269
Primipilus quis? 486.a
Probationes παθηλικαί. 403
Probationum consideratio, earumque divisio in artificiales & inartificiales. 335. *artificialium consideratio.* 351
Procatasceue. 322.a
Procurationis male gestæ judicium. 545
Procurator quis? 326.a. *infamia notatus, procurator esse non potest.* ibid.
Prodicus Cejus, Protagoræ discipulus. 182. *ob corruptam institutionem Athenis cicutam bibere coactus.* ibid.
Προέκθεσις. 669
Προεπιπλήσσειν τῇ ὑπερβολῇ. 588
Productio & correptio ambiguitatis caussa. 559
Proœmii consideratio. 268.269
Proœmii & Epilogi differentia. 274
Proœmii usus quando & non necessarius. 284
Professores artium, justæ professionis tempore absoluto, missione & vacatione donabantur, multisque honoribus ornabantur. 1.b
Progenies, gen. sin. caret. 62
Progymnasmata sint prima apud Rhetorem elementa. 112.a
Πρόληπλικὸν. 216
Πρόληψις. 279
Proles ducenda, tragicum. 585
Pronuntiatio oratoris. 94. *ejus consideratio.* 816. & seqq. *partitio in vocem & gestum.* ibid.a. & 818. *vitia.* 822
Pronunciatio duplex, naturalis & artificialis. 190.a
Pronuntiatio ornata. 824. *apta quæ?* 828
Propositum, Θέσις. 200
Proponere quid? 275.b
Propositia, quæ & themata. 502
Propositio duplex, generalis & specialis. 324.a. *non semper necessaria.* ibid. *quatenus differat à divisione.* 326.b
Propositio & narratio se habent, ut genus & species. 258
Propositionis consideratio. 324
Propositionum duplex ratio. 228.a
Proprietas quomodo perpendenda. 574. *maxime ad perspicuitatem pertinet.* 582
Proprium quid? 373
Prosapia, exoletum verbum. 185
Προσαπόδοσις. 642.a

Προσπόδοσις. 690
Προσηγορία, vocabulum an appellatio dicenda sit. 34
Prosodia proprie quid? 43.b. ejus divisio in tonum, spiritum, tempus, passionem. ibid.
Προσυμιλλική, sermocinatrix. 196
Προσωνομασία. 684
Prosopopœia quid? 103.252 a.651. omnis fere cadit in suasoriam. 252.b. in judicialibus causis aliquando etiam apparet. 253 b
Prosopographia, personæ descriptio. 287.a
Protagoras Abderites Rhetor. 183
Protogenes pictor. 894
Protozeugma. 683.b
Prudentia in quibus consistat. 173.b
Psalterium, instrumentum musicum. 88.b
Psammetichus, rex Ægyptiorum, cur quibusdam infantibus mutas nutrices præfecerit. 729
Ψιλόλογος. 90.b
Pubertas quando incipiat. 288 a
Publipores, pueri & servi Publii. 36.b
Puer quando Grammaticis tradendus. 28. quando Rhetori. 103.104
Pueri, oratoris futuri, quales nutrices esse debeant. 9. collactanei quales. 10. qua ætate literis instituendi. 12. iis teneris non protinus acerbe insistendum. 13. prima elementa quomodo tradenda. 14
Pueri, utrum utilius domi, an in scholis erudiantur. 17
circa Pueri primam institutionem quid providendum. 9. à Græco sermone incipiat. 11
Pueri in primis sciant declinare nomina & verba. 35. discentes ob quas rationes non cædendi. 27
Pueri præceptoris vultum intueantur. 108. ne sedeant adolescentibus permisti. ibid.
Puerorum ingenia qua ratione dignoscantur & quomodo tractanda. 25. nimia interim emendationis severitate deficiunt. 114
Pueris natura patientior laboris quam juvenibus. 100
Pueris quomodo & quæ legenda. 73.74
Pueros in classes distribuendi mos aptissimus ad ingenia excitanda. 22
Puerilis ætas an plura eodem tempore doceri possit. 98
Pueritia senilis, indicium præproperæ mortis. 438.a
Pusio, dictio ambigua. 584
Pyrolampydes, vermiculi. 909.b
Pyrrhiche, saltatio armata. 97.a
Pyrrhichius, seu periambus. 711
Pyrrho omnia revocavit ad dubitationem. 871
Pyrrhus, Epirotarum rex, tegulâ à muliere interfectus. 393
Pythagoras res omnes ad numeros & musicam retulit, orbem quoque harmonia quadam compositum dixit. 84.a. ejus opinio de Deo. 530
Pythagorei, cum evigilassent, animos ad lyram excitabant. 695
Pyxis Caliana. 469

Q.

Q Literæ ratio. 31. sonus durior. 899
Quadrans olim pretium libidinis. 627.b. hinc Quadrantaria pro adultera. ibid.
Quadratum, pro perfecto, absoluto. 124.b
Quadruplatores qui? 882.a
Quæsitor, idem qui Prætor. 260.a
Quæstio quid sit? 261. in judiciali materia generaliter & specialiter accipitur. ibid.
Quæstio nuda quæ? 273.b
Quæstio rei uxoriæ. 539.b
Quæstiones omnes aut in scripto, aut in non scripto. 199. infinitæ aut finitæ. ibid. & seqq.
Quæstiones universales duplices. 203.a
Quæstionum duo genera, unum cognitionis, alterum actionis. 200.a
Qualis vita, talis oratio. proverb. 792
Qualitatis tractatio & consideratio. 537
Qualitas, ποιότης. 212
Qualitas duplex, absoluta, & assumptiva. 229 a
Quantitas duplex. 212
Quantitatis status. 541
Qui veteres scribebant, in nominativo & dativo. 72.a. deinde differentiæ causa quoi. ibid.
Quianam. 585
Quincunx arborum. 580

Quintilianus mortem filii sui deplorat. 435. *ut & uxoris.* 436. *ejus liber de causis corruptæ eloquentiæ.* ibid. *Vide* Fabius.
Quirinalis collis. 63
Quiritare quid? 254.b

R.

R, *Litera antiquis Latinis non in usu.* 32.b. *ejus primus inventor Appius Centimanus.* 14
Rabirius poëta. 747
Rabula quis & unde dictus. 890.a,b
Ratio quid sit? 262. *plurimum valet in præcipiendo.* 110
Ratiocinationis & Syllogismi consideratio. 554
Rationale genus. 199
Rationales status tres. 229
Reatum primus dixit Messala. 587
Reconventio. 261.b
Recriminationes, ἀντικατηγορίαι. 227.b
Redigere in ordinem quid? 29.b
Refutationis consideratio. 408
Regressio, ἀφοδος. 640
Reis in publica causa etiam laudatores dati. 235
Relegatio & deportatio ut differant. 337.b
Reliqua & Reliquatores. 486.b
Remiges cantus hortatur. 85
Reminiscentia est in solis hominibus, non in brutis. 807.a
Remissionum in pueris necessitas & modus. 27
Repandirostrum. 55
Repudii injusti actio. 546.a
Reor, *vocabulum horridum.* 585
Rerumpublicarum species tres. 374
Res extra positæ quæ? 216
Res mancupi. 474.b
Responsionum figuræ. 647.648
Retendere, pro *remittere, laxare.* 26.b
Retiarius quis? 774
Reticentia, ἀποσιώπησις. 657.658
Reversio, ἀναστροφή. 630
Revertor, reverto, idem. 671
Reus erat in subselliis dextris, accusator in sinistris. 450
Reus in defensione moderatus sit. 544
Rhecla, *verbum Gallicum.* 51
Ῥήτον. 223.a
Rhetorica circuncurrens. 176.b. 177
Rhetorice quibusdam dicta κακοτεχνία. 153
Rhetorice & Dialectice specie magis quam genere differunt. 169.170
Rhetorices initium & origo unde? 188. *partes quinque.* 189
Rhetorice an sit ars. 161. *an necessaria.* 138. *an utilis.* 157. *an virtus.* 172
Rhetorices etymon. 147. *divisio.* 148. *variæ definitiones.* ibid. *quis ejus finis.* ibid
Rhetorices difficultas unde? 143. *quis modus in ea servandus.* ibid.
Rhetorices materia quæ? 175.192.b
Rhetoricus syllogismus, enthymema. 358
Rhythmici qui? 708.a
Ῥυθμοὶ, *qui & numeri.* 29.b. 86.a. 703. *eorum à metris differentia.* ibid.
Rhythmus in corporis motu. 704
Ridiculum oritur à deformitate aliqua & turpitudine. 465.b. *positum est in rebus aut verbis.* 469. *ejus usus.* ibid.
Risus non procul abest à derisu. 465
Risus consideratio. 465. *ejus movendi difficultas.* 466. & seqq.
Risus causæ quo referantur. 465.b. 472
Romani ab Æolibus oriundi. 63.a. *in plerisque Æolicam linguam imitantur.* ibid. *antiquitus lingua Hetrusca imbuebantur.* 11.a
Romanorum veterum epulis fides ac tibias adhibere moris fuit. 86
Roscii lex theatralis. 210.b
Rumoris ac famæ consideratio. 339

S.

S. *Literæ consideratio.* 33.71.701
Sacrariam facere. 576.b
Sacrilegium quid? 531
Saguntum ab Annibale obsessum. 247.b
Salejus Bassus Poëta. 747
Sales, Græcis ἅλες *pro omni vitæ lepore, & summa hilaritate.* 468.a
Saliorum carmina. 65. *axamenta appellata.* ibid. b.
Saliorum versus carmen habent. 86
Sallustius brevis est & antiquarius. 126.a *ejus brevitas oratori non captanda.* 734.
Sallustius Thucydidi oppositus. 750

Salsum

Salsam quid dicatur. 467.468
Saltare tempore Ciceronis & Fabii probrosum erat. 97.b
Saltatio, ars πρακτική. 170
Saltatio à summis Græciæ viris probata. 97
Sanguinem mittere, pro *debilitare adversarium.* 626.b
Sanitas, quatenus medicinæ finis. 166.a
Santra, Orator. 896
Sarcasmus. 628
Sarracum. vehiculi genus. 584.a
Satagere, non agere dictus Manlius Sura. 476
Satyra duplex 748. a. *ea carent Græci.* ibid.
Scaurus solus piscium ruminat. 363.a
Scelera consilium non habent. 526
Schemata quæ? 50
Schemata λέξεως *duorum generum.* 77. 637.670
Σχημάτα διανοίας. 77.481
Schematismus. 77
Scholæ Græcis etiam dicuntur disputationes & præceptiones. 184.b
in Scholis, an domi utilius erudiantur pueri. 17
Scipio Africanus de serpente traditur genitus. 116.117
Scipio cur per jocum Serapio *dictus.* 477.a
Scribenda quæ & quomodo? 763.771
Scribendo citò non fit ut bene scribamus, sed contra. 764
Scripturarius ager. 380.b
Scrupus quid? 813.a
Σημεῖα. 354.355
Σημεῖον, *tempus est unum.* 704
Senatus, unde dictus. 64
Seneca, Philosophus. 754
Senecæ copia. 895
Sensus & sensa. 607
Sensus communis Quintiliano quis? 22.a
Sensus interiores brutis cum hominibus communes. 806.b
Sententia quid, & quot modis accipiatur. 79.607
Sententiæ ne crebræ sint. 609
Sententiæ præcipites. 510.b
Sententiarum figuræ. 645. & seqq.
Septentriones, septem stellæ, unde dicti? 623.a
Serapidis sacra, juxta Alexandriam, magna utriusque sexus lascivia celebrabantur. 19.b
Serapion sola experientia putavit medicinam constare citra experientiam. 163.b
Seriorum tria genera. 490
Sermo quibus constet. 56
Sermo ociosus quis? 578
Sermocinatio. 652
Sermocinatrix in quibus differat à Dialectica. 196 b
Servi ex lege militare non poterant. 248. b. *secundo Punico bello armati sunt.* ibid.
Servus quomodo definiatur. 535
Servitia, pro servis. 23.b
Servius Sulpicius Orator. 753
Sesquiplex alterum totum capit & dimidium. 703
à Sexu ut ducantur argumenta. 363
Sibe & quase, antiquitus. 71
Sicarii qui vocentur. 730
Sicilia, unde Triquetra *dicta.* 63.a
Signum quid? 214.a
Signorum consideratio. 353. & seqq. *divisio in necessaria & non necessaria.* 354
à Similibus quomodo argumenta ducantur. 377.
Similium quadruplex ratio. 686
Similitudo & comparatio ut differant. 377.a
Similitudinis omnimodæ in natura difficultas. 758
Similitudinum consideratio, earumque usus. 596
Simonides Poëta. 740. *artem memoriæ primus ostendit.* 807
Simul, *vim copulæ habens.* 2.a
Simulatio pertinet ad ἦθος *&* πάθος. 458.b
Simulationis & dissimulationis discrimen. 484
Singulari numero carent ea nomina, quæ pluribus rebus constant. 42.a
Sinus in vestibus Romanorum quid? 842.a
Siparium quid? 481.a
L. Sisenna, Historicus & Orator. 41
Socrati objectum à Comicis docere eum quomodo pejorem causam meliorem faciat. 157
Socratica inductio quæ fit per interrogationem. 349.391

Socratici futurum oratorem optime præparant. 735
Sol quot partibus major terrâ. 217.b. 517.a
Soleæ pisces. 575
Solertia, ingenii acumen. 8.b. *Aristoteli* ἀγχίνοια *dicitur.* ibid. & 25.b
Solitaurilia, unde compositum. 54
Solœcophanes. 46.b
Solœcismi, & quidem plurimi, fiunt per partes orationis. 50
Solœcismus quid? 39.a.46.b. *quomodo manu committatur.* 47.a
Σωματοῦσθαι, *in corpus ire.* 136.a
Somni laudes scriptæ. 241.b
Sonus quid? 207
Sophistæ qui? 840.a
Sophocles poëta tragicus. 741
Sotadei versus. 75.a.694.a.713.a
Spadix, instrumentum musicum. 88.b
Spado quis? 406.a
Spadones & mulieres cur semper vocem exilem habeant. 820
Spartum, frutex. 573.a
Spatium in periodis quid? 719.b.722.b
Spes voluntatem facit. 370
Sphingis Thebanæ fabula. 488.a
Spondeus pes. 703.711. *eo plurimum est usus Demosthenes.* 715
Sponsio quid? 135.b
Sportula quid? 842.a
Spuitio crebra oratori fœda. 827
Spurius Melius ob suspicionem affectati regni interfectus. 240.a
Στάσις παραινετική. 219. προτρεπτική. ibid. συντελική. ibid. ὑπαλλακτική. ibid,
Status quid sit, ejusque diversæ appellationes. 204.a.205. *Græcis* στάσις. ibid. *unde ducatur.* 206. *in thesi est generalior, in hypothesi magis particularis.* 204.a
Status quot & qui sint. 211.212
Status cognitio ad quid valeat? 208.a
Status ex scripto & voluntate. 549
Statum reus an actor faciat. 209
Status Quantitatis. 541
Status ratio duplex. 207.b
Status rationales quot? 121.b. *Negotialis quis?* 222
Statuæ bene meritis de Rep. plerunque senatusconsulto decernebantur. 239.a
Statuarii clari. 894
Statura quadrata quæ? 124.b
Stertinius orator. 185
Stesichorus poëta. 740
Stipulatio quid, & unde dicta. 288.b
Stipulum *veteres* firmum *appellabant.* ibid.
Stoici sapientem suum omnium rerum cognitione instruunt. 81.b. *negant sapientem falli debere.* 82.a
Stoicorum paradoxum, nihil esse utile, quod non sit honestum. 242.a
Στοιχεῖα, *elementa.* 192
Stratocles Comœdiarum actor. 852
Studia ex naturali ingenii propensione deligenda. 131.b
Studia oratoris quæ sint post finem. 910
à Studiis ut ducantur argumenta. 364
Stuprum in quibus committatur. 304.b
Stylus, optimus effector ac magister dicendi. 762
Suasio duplex, privata & publica. 244.a
Suasionis loci tres. 247.b
Suasoriarum, seu deliberativarum consideratio. 242. *officiis duobus constant, suadendi & dissuadendi.* 243
Subjectio sub oculos, hypotyposis. 654
Subjicere testamentum quid? 662
Subscribere quid? 416.a
Subsidia temporum. 101.a
Suburra regio. 72
Succedere, pro ἀναδέχεσθαι. 109.b
Σύγκρισις. 668.b
Sullæ, non *Sillæ*, neque *Syllæ* scribendum. 36.a. *unde sic dicti.* ibid.
Sullaturire. 55.b. 587
Συλλογίζειν *Græcis quid?* 4.b
Συλλογισμὸς, *infirmior finitio.* 219.532. 669
Sulpitius Gallus in exercitu L. Pauli de Lunæ defectione disseruit. 92
Sulpitii in dicendo acumen. 895
Συμπλοκή. 641.b
Συναθροισμός. 606.680
Συναίρεσις. 42
Συναλοιφή. 42.700
Συνεζευγμένον. 683
Συνεκδοχή. 619.634
Συνέχον, *firmamentum.* 261.263

Συνοι-

Συνοικείωσις. 684
Συνωνυμία. 583
Σωτηλεῖν quid? 219.a
Σωτηρία quid? 298
Supercilliorum motus. 832
Superstitio differt à religione. 592
Susa, plur. n. oppidum Persidis. 47.b
Sustentatio, quod & inexspectatum dicitur. 650
Sybaritæ, populi luxuriosi. 240.b
Syllabæ omnes puero perdiscendæ. 15
Syllepsis. 69.a
Syllogismi & ratiocinationis consideratio. 554
Syllogismus quid? 209. b. ut differat à finitione. 555.a
Sylva scriptorum quæ vocetur. 766
Sylvæ ac nemora an scribentibus apta. 767
Syncategoremata, consignificantia. 34.b
Synecdoche. 682.b
Synonyma, æqualem significationem habentia. 729.b. quædam per tropum fiunt. 730.a
Syntoni qui? 725

T.

T Literæ, cum D, quædam cognatio. 33
Tabularum consideratio. 340. earum nomine quæ intelligantur. ibid.a
Talus quid? 452.a
Tam & Quam, pro Tanto & Quanto. 673
Ταπείνωσις. 590
Ταυτολογία quid? 298. 591. in narratione vitanda. 298
Technici Fabio qui? 146.a
Τεκμήρια. 354
à Tempore quomodo ducantur argumenta. 368.369
Temporis divisio in junctum, adhærens, insequens. 369
Tempus duplex: generale, quod Græce χρόνος; speciale, quod καιρὸς dicitur. 213.a,b. 368.b
Tenores, antiquis tonores. 43
Terentius, poëta comicus. 749
Terentius Varro, Romanorum eruditissimus. 748
Teriones, lingua antiqua boves. 623.a
Tessèrulæ, lapilli quadrati. 718.a
Testes præsences difficilius oppugnantur. 343.a. dupliciter tamen refutantur. ibid.
Testium consideratio. 342. & seqq. eorum duo genera. 344
Testium numerus legitimus quis? 347
Testimonia aut dicuntur per tabulas, aut à præsentibus. 342
Testimonia divina. 350.401.
Τετράσημον quid? 704
Tharsomenum, pro Thrasumeno. 41
Thebe Alexandrum Pheræorum tyrannum maritum suum interfecit. 507
Themata scholarum. 291
Θέματα, quæ & proposita. 502
Themistocles habitus indoctior, quod se lyræ imperitum confiteretur. 86. quomodo suaserit Athenienfibus, ut urbem apud Deos deponerent. 667. ejus memoria. 816
Theocritus poëta. 739
Theodectes rhetor. 185. ejus memoria. 816.
Theodorei. 186
Theodorus Gadareus rhetor. 153.185
Theodoti de pœna consultatio. 254
Theon Samius pictor. 894
Theophrastus, Aristotelis discipulus. 185. ex divina facundia sic appellatus, cum antea Tyrtamus diceretur. 573.745
Theopompus historicus. 743
Theopompus Lacedæmonius quo astu è custodia evaserit. 165
Θεωρητική. 170
Θέσις, propositum. 105.a. 200. 202.b
Theses aut simplices, aut comparatæ. 118.a
Theses pleræque ad deliberativum genus pertinent. 201.a. adjectis personis suasoriæ fiunt. ibid.
Thracallus orator facundissimus. 482.b. 753
Thracallo vocalior, proverb. 483.a. 753
Thrasybulus triginta prætores tyrannidem occupantes sustulit. 213.b. 547
Thrasymachus Chalcedonius rhetor. 182
Thraufi, populi Thraciæ, fletibus natos, lætitia defunctos prosequuntur. 400.a
Thucydides historicus. 743
Thucydides & Xenophon non videntur Ciceroni utiles Oratori. 734
Tibicines cur Roma Tybur secesserint. 393.a
Tibullus poëta. 748

Timagenes, historicus Milesius. 83.b. 743
alius Alexandrinus. 83.b
Timanthes Cithnius pictor. 145. *quomodo immolationem Iphigeniæ pinxerit.* ibid.
Timotheus Milesius, musicus præstantiss. 109. b. *lyræ decimam & undecimam chordam addidit.* ibid.
Tinca Placentinus, orator. 41
Tinnuli qui? 111.a
Tisias & Corax Rhetorices scriptores antiquissimi. 182
Tityus orator. 840. *hinc* Tityus, *mollis saltatio.* ibid.
Tollat te, qui non novit, proverb. 487
Τόνοι. 43
Τονόχλον *fistulæ genus.* 87.b
Topice, pars Dialectices. 432
Topographia, loci descriptio. 287.a.655
Topper, *verbum obsoletum*, pro *cito.* 65.b
Tormenta quæ, eorumque ratio. 339. *etiam* Quæstiones *dicuntur.* ibid.b
Traductio. 685
Tragici poëtæ Græci. 741. *Latini.* 749
Tragœdiæ pueris utiles. 75
Tragœdiarum antiquarum gravitas. 76
Tragœdias primus in lucem protulit Æschylus. 741
Translatio Fabio duplex. 226.b
Translatio criminis, μετάστασις. 540
Translationem primus tradidit Hermagoras. 223
in Translatione maximus verborum ornatus. 574
Translationis, quæ & metaphora, consideratio. 615.616. *vis quadruplex.* 617. *usus.* 619
Transsumptio, μετάληψις. 623.634
Τραχυλότης, *blæsitas.* 94.a
Tribrachys. 711
Tribunus nullus esse poterat, nisi plebejus. 120.b
Triclinium quid? 54.b
Τρίχωλα. 687
Trimetri versus qui, & unde dicti. 709.b
Triquetra, an *Triquedra?* 63
Trochæus, seu choreus. 711
Trochlea, machinatio qualis. 827.a
Tropus quid? 214.615.634. *troporum consideratio.* 615. & seqq.
Troporum cum figuris convenientia. 633.634
Tuburchinabundus. 66
Tuli, præt. perf. à *tollo*, non à *fero.* 61.b
M. Tullius. vide Cicero.
Tumultus quid? 534.535
Turdi pisces. 575
Tussis crebra oratori fœda. 827
Tutelæ judicium. 545
Tydeus parvus, sed bellator. 238
Tyronis, Tullii liberti, libri de jocis Ciceronianis. 465
Tyrtæus poëta. 739

V.

V, *Et* I. *literæ quidam sonus est medius.* 31
U *in media dictione scribebant antiqui, ubi nos* i *breve.* 71
Valerius Flaccus poëta. 747
Valerius trib. contra Gallum provocatorem singulari certamine pugnans à corvo adjuvatur. 116.b
Valesii quondam, qui nunc Valerii. 32.b
C. Valgius, Apollodori discipulus. 186
Vario Marte pugnare, eruditus sermo. 620
Varius homo *quis dicatur.* 475.a
Varro Attacinus poëta. 746
Vatinius à Cicerone irrisus. 480
Ubi amici, ibi opes, proverb. 400
Vectius orator, municipalibus utens verbis, à Lucillio in satyris est exagitatus. 51
Ventilatores qui? 780.b
Venus armata apud Lacedæmonios. 118
Venustum quid dicatur. 467
Verba aut Latina sunt, aut Peregrina. 51
Verba nativa quæ? 587.b. *Reperta.* 588. *Propria.* 55. 583. 586. *Translata.* 55. *Repudiata, etiam in jocos exeunt.* ibid.
Verba, à vetustate repetita. 65. *iis quomodo & quando utendum.* ibid.a
Verbo sensum cludere optimum est. 698
Verbis ita utendum, ut nummis publica moneta signatis. 56
Verborum figuræ. 670. *delectus.* 583
Verborum proprietas ac differentia, omnibus, qui sermonem habent curæ, debet esse communis. 6
Verborum cura sit, rerum sollicitudo. 569

Verbum pro nomine, & pro participio positum. 672
Verecundia duplex. 878.a
Vermiculatum opus quid? 718.a
Verres, quod omnia verreret. 366.a
Verruca saxea. 590
Versificatio, & Versificatores qui? 719.a
Versus sotadici. 75.a
Vertex proprie quid? 575
Vesperug. 69
Vestis virum facit, proverb. 569.a
Vibius Crispus, orator. 753
Victoriatus nummus. 483.b
Vinum quod dicatur annos ferre. 114.b. *fugere.* ibid.
Vir quivis spadone formosior. 406
Virgilius poëta. 739.745.746. *primo pueris legendus.* 75
Virgilii in scribendo tarditas. 764
Virginius orator. 187
Viri præclari post mortem Romæ laudabantur. 235
Viriatus latro Lusitanus. 507.b
Virtutes Aristoteli duplices, intellectivæ & morales. 172.a
Virtutum semina nobis à natura innata esse, statuebant Stoici & Academici. 174.a
Virtutum vitiorumque quædam vicinia. 140
Visiones, φαντασίαι. 462
Visurus, pro *ad videndum missus.* 672
Vitare proprie quid? 21.b
Vituperatio & laus ad judiciorum momentum pertinent. 235
Viva vox alit plenius. 107
Vocabulum quid? 34. *differt à nomine.* ibid.
Vocales omnes apud Græcos erant ancipites. 69.a
Vocalitas, εὐφωνία. 38
Voces simplices, nomina primitiva. 53.b
Vocem magno studio exercuerunt antiqui. 87.a
Vocis natura, quantitas, qualitas, spiritus. 819
Vocis ratio divisa in ῥύθμον & μέλος & ἐμμέλειαν. 86
Volones qui? 248.b
Volup. 69
Vomica, tumor. 618
Vopisci *unde sic dicti.* 35.b
Vox oratoris qualis esse debeat. 819
Vox candida. 819. *fusca.* ibid.
Vox decimo quarto anno in pueris mutatur, ac tunc dicuntur gallulascere. 821.b
Vox ut feritur, ita sonat. 828
Ὑπαγωγή. 487
Ὑπαλλαγή. 620.690
Ὑπαλλάττειν *quid?* 219.b
Ὑπεξαίρεσις. 223.a
Ὑπέρβατον. 629.633
Ὑποδιαφολή. 823
Ὑποθέσεις, *causæ.* 201.202.b.204
Ὑποθήκη, *Hesiodi opus.* 12.b
Ὑποσιγμή. 823
Ὑπόλυπωσις. 287.654. *multum facit ad perspicuitatem & credibilitatem narrationis.* 317.b
Urbanus *Ciceroni novum vocabulum.* 587
Urbanitatis definitio. 489.490. *consideratio.* 465. *ut differat à dicacitate.* 467.a
Usus fructus quid? 397.b
Vulpes, volipes. 64
Vultus efficacia in Oratore. 831

X.

X, *Carere potuimus.* 31
Xenophon & Thucydides non videntur Ciceroni utiles Oratori. 734
Xenophon, propter sermonis suavitatem Apes Attica *dictus.* 745

Y.

Y, *Et* Z, *literas non habemus.* 899

Z.

Z, *Literæ dulcedo.* 899
Zeno Rhetoricen explicitæ, Dialecticen in pugnum compressæ manus similem esse dicebat. 174
Ζήτημα. 262
Zeugma. 672
Zeuxis pictor. 893
Zopyrus, *Sophista excellentissimus.* 206.a
Ζωσης φωνης μειζων ἐνέργεια. 107.a,b

FINIS.



Th
5949

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN